BIBLIOTHÈQUE NATIONALE
14
22 R
5

MAG 389

O 261-262

C. J
S. A
D. 7
N. 16-17

B. SIMONIS
de CASSIA
COMENTARIA
IN IV. EVANGELIA.

DISCARDED

BEATI
SIMONIS FIDATI
DE CASSIA
ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI
GESTA SALVATORIS
DOMINI NOSTRI
JESU CHRISTI.

SEU

COMMENTARIA SUPER IV. EVANGELIA
IN XV. LIBROS IN DUOBUS TOMIS
DISTRIBUTA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PARS PRIMA
CONTINENS OCTO PRIORES LIBROS.

OPUS

Tanta ſubtilitate, & judicii acrimonia præditum, ut dubium ſit, ordinem perſpicuum magisne, an argumenti ſublimitatem, & materiæ exquiſitam tractationem admirari conveniat.

Proinde non tantùm Divini verbi Concionatoribus, & ſacræ ſcripturæ Studioſis, verùm etiam omnibus Chriſtianæ Perfectionis amantibus ad vitia exſtirpanda, & virtutes inſerendas utiliſſimum.

Editio quinta

Cui in fine accedit ejusdem Authoris Epiſtola ad Populum Florentinum qua illum tempore inundationis ad Pœnitentiam excitat. Una cum triplici Indice, uno materiarum, Concionatorio altero, & tertio rerum.

Cum Permiſſu Superiorum.

Ratisbonæ Typis Hieronymi Lenzii Anno 1733.
Sumptibus Joannis Gaſtl Bibliopolæ Pedepontani & Socii ejusdem.

Honori

Ac

Venerationi

Reverendiſsimi, Perilluſtris, ac Ampliſsimi

Domini, Domini

EVGENII

Sac. ac Exempt. Ord. Ciſtercienſis

Prælati Infulati

Celeberrimi, Ducalis, ac antiquiſſimj Monaſterii

B. V. M. de Waldſaſso

Abbatis Dignisſimi,

Nec non

Monaſteriorum Sedlecenſis, & Oſsecenſis in Bohemia & Brumbacenſis in Franconia

Patris Immediati.

Patroni perquam gratioſi.

Reverendiſſime, Perilluſtris, ac Ampliſſime
Domine Domine,
Patrone perquam gratioſe.

FRugifero foliis, ſed fructibus ſterili olim maledicens, ficui ventris Divino Flamine fæcundati *Benedictus Fructus*, contra folium, quod vento rapitur, oſtendit potentiam ſuam. Ficus & ego ſum plena foliis nil minus tamen maledicto timens. In foliis enim, quæ ventilo, & vendito, velut in nuce nucleus, fructus latitat ſuaviſſimus. Obſcuras foliorum umbras, verborum ambages miſſas facio. Volumen *Reverendiſſimæ Amplitudini Veſtræ* omni, qua par eſt, ſubmiſſione præſento, dico, dedicòque. Volumen breve, Verbi in carne Virginea Abbreviati, & Compacti; apertum ac reſeratum Evangelion.

Mundus brevis liber eſt, in quo teſte Paulo ex creaturis veluti primis elementis, & literis ſapientia creatrix quaſi in compendio ediſcitur: *inviſibilia enim Ipſius* (DEi) inquit ad Rom. 1. *à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* Breve quoque ut dixi, quod offero, volumen eſt, quatuor tantúm folia, quaterna nimirum evangelia omnibus numeris abſolutæ perfectiſſimæque ſcientiæ, & ſcientiſſimæ chriſtianæ perfectionis elementa, & rudimenta continens.

Omnia ex elementis fieri compertum eſt, quorum tamen repugnantes qualitatum contrarietates cuncta denuò ſubjiciunt corruptioni, illa verò, quæ ex his generantur elementis (Evangeliis inquam) neſciunt corruptionem juxta illud primæ & incorruptæ veritatis effatum: *Cœlum & terra peribunt, verba autem mea non tranſibunt.*

Elementa, totúsque mundus Antonio liber erat. Quo eremi relevabat faſtidium: nam magnus ille ſolitudinis, divinæque ſcientiæ Cultor à Profanæ Philoſophiæ cultore quondam interrogatus, qua demum ratione, quòve otio in obſcuro tetrico eremi ſpecu, noctes dièsque falleret? Librum ait, habeo, quem ſemper lego, & terendo noctes, dièsque tero. Sed quis ille liber, quem inter tenebras ſine ſole, ſine luce, ſine lychno, ſine oleo legerat Antonius? Liber meus, inquit, quem lego, etiam in tenebris legi poteſt: liber 5. tantúm foliorum, tantus tamen quantus mundus eſt; folium primum, *terra* eſt. Secundum, *aqua*, 3tium, *aër*, 4tum, *æther*, 5tum, *cælum*. Hæc folia volvo, & revolvo, nec unquam abſolvo. Magnus liber; pauca folia, longa lectio, in qua tamen nec oleum

nec

nec operam perdidit Antonius: utpote quem ſine lampade, aſt non ſinè ingenti æternæ ſalutis fructu legit in tenebris.

En *Reverendiſſime Perilluſtris ac Gratioſe Domine Domine:* libro huic ſimillimus eſt liber hic quem devotiſſimô homagiô trado, ac præſento; quatuor tantúm habet folia: quaterna nimirum SS. Evangelia, & commentaria in ea. Quatuor folia, & tamen liber magnus liber inexhauſtus, lectio longa, liber in quo finis nullus, qui nec unquam quantum ſat eſt evolvi poteſt, imò liber in quo nullum punctum ſatis, liber, inquam, major librô Antonianô, quippe penes quatuor Evangelia continet cœlum, & terram, äerem, & aquam, omnémque totius univerſi molem. Ipſum denique horum omnium Artificem & Conditorem, per Quem, & à Quo facta ſunt omnia: ſinè Ipſo autem factum eſt nihil.

Tiberius Tacitus teſte Suetonio obſcura nocte non minús quàm luce meridiana legere nôrat nec ſole, nec vicario ſolis egebat lumine; etiam liber hic, nec ſole, nec lucerna, nec lampade indiget, eſt ipſe ſibi lux, lux de luce *quæ illuminat omnem hominem.* Lucerna eſt juxta illud *lucerna -- verbum tuum.* Authorem libri ſi ſpecto, Primus eſt Ipſe humanæ ſalutis Author, coram Quo ad cenſuram olim ultimam omnes aperiendi ſunt libri. Secundum ſi quæro authorem: *beatus eſt Simon,* verè beatus, quia, caro & ſanquis non revelavit ei. *Fidatus eſt,* fidelis ſervus, & probatus inventus eſt, de Caſſia non de caſſa nuce, eremi (non quidem magni Antonii) ſed Magni Auguſtini incola & cultor. Opus ipſum operæ pretium eſt, acutiſſima ſubtilitate & ſubtiliſſimo acumine, nec non verborum, & Myſteriorum acrimoniâ veluti ſapidiſſimîs, & ſuaveolentibûs conditum aromatibûs. Opus Divino dictante ſpiritu, purô terſôque calamô, incorrupta manu exceptum: tantus in hoc folio ſtupor, ut etiam in ſtuporem rapiat obvium quemque lectorem.

Et hæc demum cauſa eſt. Cur præter alios gratitudinis titulos *Reverendiſſimæ Amplitudinis Tuæ* hoc conſecraverim folium. Scio enim, & quis neſciat? Te ſub his foliis veluti ſub amæniſſima umbra jugiter, ſuavitèrque quieſcere. Scio te ſacrorum librorum continuæ lectioni totum immerſum, ex quibus tanquam ſedula ac indefeſſa apis mel, & favum colligis, eodem aliorum quoque mentes imbuas, & dulcores. Scio referente ubique fama Te Sacræ Aſceſeos non amatorem duntaxat, ſed & Doctorem eſſe nulli ſecundum. patet *Te* in volvendis, evolvendisque libris velut ſiſyphum in volutando ſaxo eſſe aſſiduum. Palam eſt: libros *Tibi* eſſe campum liberrimum, & jucundiſſimum, in quem quaſi in campos Elyſios ſumma cum voluptate exſpatiaris. Nec ignoro, quot pulcherrimos inde decerpas flores, & eosdem in faſciculum colligatos aliis præſentes, atque

que communices. Scio *Te* non tantùm diem, ſed etiam noctem huic ſacro inſummere labori, & ſtudio; ut noctem vertens in diem meritò dicere valeas, *nox illuminatio mea in delitiis meis.* Non contentus eras, nec aliquid te feciſſe putabas, dum tot oculis luſtratam, tot linquis ubique dilaudatam exſtruxeras, & inſtruxeras Bibliothecam, niſi *Te Ipſum* in illam transformares & non tantùm totus liber *ſcriptus Intus & foris*, ſed & tota Bibliotheca fieres, ex qua, & in qua tot ſacræ doctrinæ, tot pulcherrimarum virtutum aurea exempla graphicè in te expreſſa legi etiam à cæcutiente queunt. Patere proinde *Reverendiſſime ac Perilluſtris D. D. Præſul, ac Patrone perquam gratioſe*, ut etiam librum hunc in Te tanquam viva & animata Bibliotheca ſtatuam, & collocem, non quaſi egeat, ſed ut à Te novus decor ei accedat.

Demum me ipſum in Te, & abundantiſſimo gratiarum tuarum ſinu colloco, ex corde optans, apprecansque, ut ad tuorum, aliorumque conſolationem, ac exultationem tot dies non tantùm albis, ſed etiam aureis vivas notatos calculis, quòt litteris & punctis hic notatus liber eſt, uſque dum in libro vitæ ſine fine ſummam omnis felicitatis legas ſempiternam. Ita ſumma cum veneratione, ac ſubmiſſiſſimo reſpectu vovet.

Reverendiſſimæ Amplitudinis Tuæ

Clientum infimus
Joannes Gaſtl, Bibliopola Pedepontanus.

Vita B. Authoris.

BEatus Simon Fidatus Ord. Erem. S. P. Auguſtini ſplendidiſſimum jubar, in charitate, & Prædicatione verbi Dei alter Paulus, ſingulariſſimus Evangeliſtarum interpres, ac verus Chriſti Imitator Caſſiæ in umbria (quæ civitas lucidiſſimorum ingeniorum, ac animarum ſanctæ vitæ fuit fœcunda genetrix) é nobili Proſapia Fidata ortum habuit circa annum 1280. à teneris jam annis ad Deum, & ipſius veram ſcientiam ſectandam converſus eſt, uti de ſeipſo teſtatur lib. 8. hujus operis cap. 40. fol. 373. col. 1. Adoleſcens coram Jeſu Chriſti imagine reverenter, uti ſolebat, genua flectens, formoſiſſimum puerum calicem geſtantem aureum adſtare, & ſibi arridere conſpexit, his verbis hortantem: *Puer munde: mecum de calice bibe.* Quo guſtato inexpertæ dulcedinis ſuavitate perfuſus ſociis quoque guſtandum porrigi poſtulavit.

Hinc poſtmodum in ſanctitatis, ac fervidæ doctrinæ præſagium tali glorificatus eſt oraculo: *Si totum ebibiſſes, univerſum mundum illuſtraſſes.* Ab hujus cœleſtis calicis guſtu emanavit egregium hoc opus ſuper quatuor Evangelia, ordine à nullo antea doctore tractato. Meditando Chriſti Domini vitam, & acerbos dolores, non ſolùm in fluidas lachrymas erumpebat, ſed etiam tunc cœlitus illuminatus mira proſpiciebat, atque ab illis fontibus myſticis aquas perfectæ ſcientiæ hauriebat, quas dein ſuper roſtra ad populorum utilitatem effundebat.

Cononienſibus, Florentinis, Senenſibus, aliisque præclariſſimarum Urbium Civibus ardore verè igneo, ac ſpiritu apoſtolicam pietatem ſpirante verbum Dei annuntiavit incredibili cum fructu, celſique numinis glorificatione. Florentiæ præſertim diu permanſit, in eaque Civitate plurima præclara patravit; inibi enim aliquando integram urbem commo-

tam

tam ſedavit. Spiritu Prophetiæ quam maximè floruit, eòque dono illuſtratus multa eventura prædixit, notabilique in pretio fuit. Monaſterium S. Catharinæ Monialium Ord. S. Auguſtini ad montem S. Caij extra civitatis mœnia anno Chriſti 1330. conſtrui fecit, nobiliſſimisque Matronis ac virginibus illud replevit. Divino quoque fervore ſuccenſus ibidem in proſtibulis prædicavit, multasque miſeras fœminas é lutuoſo peccati puteo extraxit, ac in earum domibus Cænobium convertitarum erexit.

Quamquam fundata doctrina, & ſcientia infuſa illum eminentem redderent, tamen in profunda humilitate ſemper permanere curavit, quare in ordine nec gradum ullum ſuſcipere, nec dignitatem obtinere voluit. Ideo honoris gratia, non veritate factum creditur, ipſum Magiſtrum nominatum fuiſſe in quadam antiqua ſcriptura continente narrationem Hoſtiæ miraculoſæ, irreverenter inter Breviarii folia poſitæ à quodam Parocho, qui eam infirmo deferebat, poſteaque liquefactam ac quaſi ſanguineam invenit; cujus duæ pagellæ modo in Conventu Peruſino, & Caſſiano Ord. Erem. S. Auguſtini aſſervantur: Verba antiquæ ſcripturæ ſunt hæc; *Regreſſus Senas ad Conventum S. Auguſtini pervenit, ubi prædicabat M. Simon vir doctiſſimus, & ſanctus homo, & narravit illi caſum &c.*

Denique ætate venerabilis, Eruditione celebris, pietate inſignis, virtutibus fulgens, & miraculis illuſtris anno Chriſti 1347. in vigilia Aſcenſionis infirmatus ſequenti anno 1348. piiſſimè obiit die 2. Februarii. Ejus corpus Florentiæ in Eccleſia Monialium Convertitarum Ord. S. Auguſtini inventum eſt noſtro tempore incorruptum, ac ibidem etiamnum cuſtoditur. Hoc opus ſuum ſuper Evangelia incepit ad inſtantiam ſui chariſſimi amici Domini Thomæ de Corſinis Doctoris legum Florentini anno Chriſti 1338. die 6. Septembris apud almam Urbem. In hujus operis Encomium R. P. Stephanus Sutorinus Ratisbonenſis SS. Theologiæ Lector, & Viennæ in Auſtria Celeberrimus Concionator Auguſtinianus, qui Editionem Baſilenſem procuravit, hoc in Epiſtola præliminari exaravit: *Simonem de Caſſia egregium plane Evangelicæ veritatis enaratorem, ſi cum vetuſtis illis ſacrarum litterarum Illuſtratoribus comparare voles, ut in orationis ſtructura, & dictionis filo inferiorem, ita in ſententiarum ponderе, in geſtorum delineanda ratione, in expoſitione Myſteriorum, in efformandis Chriſtianæ vitæ moribus parem, ne dicam ſuperiorem neminem invenies. Utitur enim (ingenuè fateor) rudibus, & ſubagreſtibus verbis, ſed tamen (quod Pico Mirandulæ placet) vivis animatis, flammeis, acculeatis, & ad imum ſpiritum penetrantibus, lectorem ipſum mirabili poteſtate transformantibus &c.*

Scriptores Auguſtiniani celebrantes, & Beatum acclamantes Simonem de Caſſia ultra viginti numerari poſſent. Externi verò Scriptores eundem condignis Encomiis proſequuntur ſequentes:

Author additionum ad ſpeculum hiſtoriale Vincentii Belluacenſis cap. 58. pag. 475. Arthmanus Schedel in Chronicis mundi fol. 234. Raphael Volaterranus lib. 21. Antropol. Marcus Antonius Coccius Sabellicus lib. 9. Ænn. Hi quatuor non bene aſſignant tempus, quo floruit B. Simon. Bartholomæus de Piſis Minorita lib. 1. conformitatum, parte 2. fructu 11. fol. 151. Lucas Vadingus in 2. Thom. Annal. Minorum. Ad annum 1288. pag. 562. Alphonſus Clacconius in vita Benedicti XII. pag. 885. Cardinalis Bona in Indice Authorum Harm. Pſal. Eccleſiæ, Trithemius de ſcriptoribus Eccles. Poſſevinus in 2. Thom. apparat.

Sixtus

Sixtus Senenſis in Bibl. Sancta pag. 303. Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Eccles. pag. 225. Labbeus ibidem pag. 353. Petrus de Alva in Bibl. Concep. col. 1410. Marraccius in Mariana Tom. 2. pag. 368. Geſnerus in univerſali pag. 599. Friſius pag. 755. Daniel Papebrochius ad diem 9 Junii pag. 259. & ultimo Henricus Warthou pag. 21. & alii.

Opera autem, quæ edidit B. Simon de Caſſia ſunt ſequentia:

Libri quindecim de Geſtis Domini Salvatoris correcti, illuſtrati & impreſſioni traditi à ſupra nominato R. P. Stephano Sutuorino Baſileæ ex ædibus Adæ Petri de Langendorff anno 1517. in fol. Editio tamen eſt ſecunda, ut ex Epiſtola ad Lectorem cernitur. Poſtea Coloniæ ex officina Eucherii Cernicornii anno 1533. in fol. ac ibidem ex officina Noveſiana, & apud eundem Cernicornium anno 1540. in fol.

De B. Maria Virgine. Baſileæ apud eundem Petrum. Anno Chriſti 1517. in fol.

De ſtultitiis imprudentium in bello ſpirituali. Edidit lingua Italica M. Sebaſtianus Broilus Fanenſis Secretarius Ord. Erem. S. Auguſtini, ac Tridentini Concilii Theologus. Mediolani apud Moſchenos, anno 1556. in 8vo.

De diſciplina ſpiritualium liber unus ſuper verba S. Pauli: *Si Spiritu vivimus &c.*

De Doctrina Chriſtiana liber unus. Hæc duo opuſcula quamprimum edere ſperabat notatus M. Broilus, ut in Epiſtola præliminari ad Chriſtophorum Patavinum ante librum de ſtultitiis imprudentium in bello ſpirituali affirmat.

Quatuor libri Expoſitionum ſuper Evangelia in linqua Italica editi Florentiæ apud Bartholomæum Franciſci de libris Florentinum anno 1496. in fol. Hujus expoſitionis liber in membrana manuſcriptus aſſervatur in conventu Ilicetano Ord. Erem. S. Auguſtini.

Expoſitio ſuper Evangelia quadrageſimalia in lingua Italica aſſervatur in Conventu Bononienſi Ord. Erem. S. Auguſtini.

De vita Chriſtiana Pars prima. Manuſcriptum in fol. aſſervatur in Bibliotheca Cæſarea, ut ait Friſius.

De cognitione peccati liber unus. Aſſervatur Romæ in Conventu S. Mariæ de populo Ord. Erem. S. Auguſtini.

Expoſitio Symboli liber unus.

De vita Eremitica liber unus.

De Patientia liber unus.

De Speculo Crucis liber unus.

De Conflictu Chriſtiano liber unus. Aliàque varia.

Admo-

Admonitio
Ad Eruditum ac Benevolum Lectorem.

CUm B. Author Dei Spiritu plenus, ac divino Zelo ſuccenſus in hoc egregio ſuo Evangelico opere magis intenderit hominum corda veritate Evangelica permovere, quàm exqniſitis, & ornatis verbis delectare, ac inſuper Eidem B. Authori, dum ultimam limam huic operi ſuperaddere tentabat, præpropera, ac invida mors ſubitò calamum è manu eripuerit, hinc mirum non eſt, ſi ſubinde aliqua vocabula minus latina, & hoc præſertim erudito ſæculo minus uſitata (prout in prioribus hujus operis Editionibus continentur) irrepſerint; quæ tamen in hac ultima Editione ex magna parte, quantum ſalvo ſenſu, & ſalva à B. Authore intenta energia licuit, fuerunt comutata, & emendata. Demum, cùm jam noſtro hoc ævo Chriſtianus orbis ferme univerſus immaculatam B. V. Mariæ Conceptionem defendat, &, ut par eſt, veneretur, hinc ea, quæ in veteribus hujus operis editionibus de labe originali in primo inſtanti Conceptionis B. V. Mariæ ex ſuppoſita communiori illius ævi ſententia hinc inde ſunt intermixta, in hac noviſſima editione fuerunt aut immutata aut penitus intermiſſa. Inſuper pro commodiore legentium uſu nunc hoc opus in duas partes fuit diviſum, quarum prima octo priores Libros, altera autem ſeptem poſteriores in ſe continet. De his igitur admonitus Erudite ac benevole Lector, fruere hoc utiliſſimo, ac verè Evangelico opere pro tua, aliorumque ſalute, & fave.

Licentia ordinarii

Reimprimatur. Ratisbonæ 9. Junii 1718.

Franciscus Joachimus Schmid ab Altenſtatt &c. in Hochenkirchen &c. Sereniſſimi ac Reverendiſſimi Domini S. R. I. Principis, & Epiſcopi Friſing. & Ratisbonenſis Conſiliarius Intimus actualis, & in ſpiritualibus Vicarius-Generalis Cathed. Eccleſiæ Ratisbon. Canonicus Capitularis, ac adSS. Joan. Præ-poſitus. mprpt.

)(Authoris

Authoris Prologus DE Geſtis Domini SALVATORIS.

A BONO & optimo Creatore omnium DEo ſumentes exordium, per ipſum medium ad ipſum finem omnium venientes, ſuper ſibi placitis intendamus, ut expleto vitæ præſentis termino, in ipſo præſentium placito quiescamus: qui hominem creavit ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animam: ſed & corpus creavit, cui univit & animam. Idcirco ſecundùm animam per inviſibiles actiones & inviſibilia placita ſerviamus: quia hoc exigit à nobis non ſuo, ſed noſtro commodo; quoniam noſtrorum bonorum ipſe non indiget: & in ſeipſo, ex ſeipſo, & per ſeipſum perfectus exiſtens à nobis pro nobis perfectiones in anima & corpore ſua benignitate requirit. Ideo mihi libuit, timeo ne ſuperbè, ſed utinam ex charitate ad devotarum animarum & ſimplicium, & ad aliam vitam ſuſpirantium eruditionem ordinare animæ & corporis Chriſtianas atque Chriſtiferas actiones, ut ex conformitate ad CHRISTUM Chriſtianitatis caput præhabita in terris, agatur Chriſtiana vita, quam ipſe CHRISTUS de cœlo ad terras deſcendens fecit, & docuit omnibus faciendam. Sed quoniam anima dignior corpore: primò ſua, ſecundò corporis agenda ponemus. Anima namque, ut inviſibili experimento, fideque tenemus: trina potentia ſeu virtute partitur, ſcilicet intelligentia, memoria atque voluntate. Igitur primò Chriſtianicè ſeu Chriſtiana exercitatione perficiemus intelligentiam, ſecundò memoriam, tertiò voluntatem, deinde totam Chriſtianam corporalem actionem. Et ne opus nimia ſeu tædioſa prolixate labatur, non curabimus contraria hæretica ponere, ſeu refellere, ſed tantùm, quæ ſunt utilia, & neceſſaria ad ſalutem aſſerere, ut hæc ſalutaris doctrina magis affirmando, quæ ad ipſam propriè pertinent, procedat in ordine, quàm negando ſeu refellendo contraria. Nam brevis eſt affirmativa doctrina, negativa verò procedit in longum. Et ſi contingat, quòd perficiendo intelligentiam, de memoria inculcatio fieret, aut perficiendo utrumque, de neceſſitate dicendi annecteretur voluntas, ſeu quomodolibet doctrinali ordine miſceretur: non ſit legenti horrori, ſi ordo impoſitus non ſervatur, aut ſi una potentiarum animæ alteri præferatur in proſecutione, quàm fuerit in præfatione præpoſita, ſive de ipſis tractetur conjunctim, cùm præmiſſum ſit tractare diviſim. Cùm principaliter noſtræ intentionis exiſtat, primò interiorem hominem in Chriſtiana vita & doctrina perficere; ſecundò exteriorem in Chriſtianicis agibilibus coaptare, in quibus præſtante altiſſimo, intermiſſus ſervabitur ordo.

Authoris

Authoris Præfatio,

Et

Diſtributio Titulorum in ſingulos libros hujus operis.

MUlti multa locuti ſunt in Evangelio, aliqui in uno ſenſu, aliqui plus in alio, aliqui in utroque. Ego noviſſimè vigilans ſimplicitati Evangelicæ ſtudui in modo tractandi devitare antiquos, qui tantúm unius Evangeliſtarum ſcriptionem diſſerere curaverunt, ſicut fuit eis in placito: & modernos, qui Evangeliſtarum inſcriptionem ad declarandum pro libito aſſumentes dimiſerunt, & in quæſtionibus veritatem, & puritatem Evangelicam poſuerunt, ut ſæpe videatur ab illa ſimplici Evangelii intelligentia fuiſſe receſſus. Ego autem quaſi noviſſimè adveniens, Apoſto- a. Cor. 11.
licum dictum veritus, ne ſicut ſerpens ſeduxit Evam aſtutia ſua, ita ne corrumpantur ſenſus noſtri à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto JESU: diſpoſui juxta ſimpliciorem atque minoribus utiliorem intelligentiam totum corpus Evangelicum declarare. In quo negotio, præſtante altiſſimo, iſte ſervabitur ordo.

Titulus Libri I.

Quoniam igitur factorum & futurorum cauſa prior eſt Verbum increatum, ideo liber primus eſt *de myſteriis Verbi increati, facti incarnati.*

Titulus Libri II.

Sed quoniam ad Incarnationem primariè Virgo quædam præparata eſt: & ideo ſecundus liber eſt *de Virgine Matre, atque geſtis ejus* ſecundùm Evangelium.

Titulus Libri III.

Voluit autem Verbum increatum, factum incarnatum habere præcurſorem: ob hoc liber tertius eſt *de Parentibus; & ortu, atque proceſſu Præcurſoris.*

Titulus Libri IV.

Natus autem Filius Dei, qui & Verbum ſe mundo notum fieri appetens, tenuit in ſeipſo vitæ, morùmque cenſuram: Ideo liber quartus appellatur *de Vita Domini Salvatoris.*

Titulus Libri V.

Ad alios autem ſe multipliciter habuit in factis, & verbis: Proinde liber quintus dicitur *de Miraculis.*

Titulus

Titulus Libri VI.

Verbis etiam variis ſimilitudinariis, parabolicis, & ſimplicibus uſus eſt; Idcirco liber ſextus eſt *de Similitudinibus.*

Titulus Libri VII.

Librum ſeptimum *de Parabolis* poſui.

Titulus Libri VIII.

In ſimplici Doctrina quandòque vitia reprehendit, & authoribus comminatus eſt; quandòque virtutes laudavit, & factoribus vitam aliam repromiſit: Inde librum octavum *contra vitia* ſecundùm Evangelium nominavi.

Titulus Libri IX.

Librum nonum *de virtuoſis verbis* inſeipſi ſecundùm Evangelium.

Titulus Libri X. XI. & XII.

Et cùm contra vitia, ſeu pro virtutibus loqueretur, aliquando ſpecialem edidit ad diſcipulos, & ad turbas omnes, & omnis conditionis advenientes ſermonem: quandòque per diſputationem & diſceptationem, quandòque ad ſolos diſcipulos locutus eſt, maximè ante ſuæ captionis horam, & verè dici poteſt teſtamentum Dilectionis: quam ob rem librum decimum *de verbis montanis*, librum undecimum *de Diſceptationibus*, librum duodecimum *de Teſtamento Dilectionis*, id eſt Libri Teſtamenti finalis inſtitui ſecundùm Evangelium.

Titulus Libri XIII.

Et quia Verbum increatum, factum incarnatum poſt actiones juſtas, & optima verba per portam mortis voluit egredi de muudo, quî per portam virginitatis intravit, & multa pati voluit, librum decimum tertium *de Paſſione Domini* vocavi ſecundùm Evaugelium.

Titulus Libri XIV.

Verùm, quia non potuit à morte detineri, & reſurrexit, & locutus eſt, & aſcendit, & Spiritum Sanctum miſit, quæ omnia gloriam arguunt; librum decimum quartum *de morali gloria* inſignivi ſecundùm Evangelium.

Titulus Libri XV.

Et quidem eo, quod omnia per Verbum facta ſunt, & futura quæ reſtant & homo propter homines factus eſt, & ad fines debitos omnia perducit, ſicut & fecit: Ideo librum decimum quintum *de fine hominum conſignavi.*

Index

Index Materiarum.

Liber I.

Qui eſt de myſterio Verbi increati facti incarnati, ſequentia juxta capitulorum ordinem continet.

Cap. 1. De Verbo increato, ſecundum quod Joannis primo ponitur: in principio erat Verbum.
2. De Verbo increato, ubi & quando, & de anima Chriſti.
3. De nativitate Salvatoris ex puriſſima virgine.
4. De deſcriptione orbis & ortu Salvatoris.
5. De genealogia Salvatoris ſecundum Matthæum & Lucam.
6. De involutione pannorum nati Salvatoris, in præſepioque reclinati.
7. De Vigilia paſtorum & evangeliſtarum eorum, atque hymno angelico.
8. De ſigno paſtoribus dato ad puerum inveniendum.
9. De tranſitu paſtorum uſque ad Bethleem & de inventione pueri JEſu.
10. De circumciſione pueri JEſu, & nominis impoſitione.
11. De ortu novæ ſtellæ in ortu Salvatoris.
12. De tribus Magis novi ſyderis ductu ab oriente venientibus in Jeruſalem.
13. De turbatione Herodis regis & Jeroſolymæ civitatis in auditu novi regis.
14. De receſſu Magorum ab Jeruſalem uſque in Bethleem.
15. De adoratione & oblatione Magorum.
16. De pueri Jeſu præſentatione in templum.
17. De Jeſu jam XII. annorum in templo geſtis.
18. De baptiſmo Chriſti.
19. De myſterio totius vitæ Chriſti Jeſu poſt baptiſmum.
20. De myſterio corporis & ſanguinis Salvatoris.
21. De myſterio fidei catholicæ.
22. De omnipotentia Dei.
23. De ſapientia Dei.
24. De voluntate Dei.
25. De juſtitia Dei.
26. De miſericordia Dei.
27. De beneficiis Dei.

Liber II.

De immaculata Virgine Maria, & ejus proceſſu.

Cap. 1. De myſterio numeri ſenarii, & quod in ſexto menſe mittitur angelus ad virginem in civitatem Nazareth.
2. De benedictione virginis edita per angelum.
3. De turbatione virginis propter verborum novitatem.
4. De verbis angeli ad virginem Mariam ne timeret
5. De dignitate prolis ad patrem.
6. De dignitate prolis & anteritate.
7. De inquiſitione virginis ad angelum inquirentis, quomodo fiet iſtud?
8. De reſponſione angeli ad virginem ubi aperit modum.
9. De ſterilis ſcilicet Eliſabeth exemplo, ut virgo Maria det fidem.
10. De conſenſu virginis.
11. De inſtantanea incarnatione poſt aſſenſum virginis.
12. De viſitatione virginis ad Eliſabeth.
13. De oraculo Eliſabeth ad virginem.
14. De cantico virginis, ſcilicet Magnificat.
15. De mora virginis apud Eliſabeth.
16. De virgine ex ſpiritu ſancto prægnante inventa.
17. De dubitatione Joſeph, quam angelus removet.
17. De virginis traductione à Joſeph.
19. De tempore & loco partus virginei.
20. De conſervatione verborum quæ de filio dicebantur.
21. De purificatione & prolis oblatione.
22. De fuga virginis cum puero in Ægyptum.
23. De reditu virginis cum puero in Judæam.
24. De anxietate virginis in quæſitione pueri Jeſu perditi.
25. De nuptiis in Chana Galilææ, quibus interfuit virgo.
26. De requiſitione virginis, quæ filii ſui præſentiam requirebat foris ſtando.
27. De

27. De compaſſione virginis, & ſtatione circa crucem.

Liber III.

De parentibus & ortu atque proceſſu præcurſoris.

Cap. 1. De incarnatione Joannis, & cauſa.
2. De pertinaci odio in Joannem.

Liber IV.

De Vita Chriſti.

Cap. 1. De vita Chriſti in generali.
2. De occulta vita Jeſu.
3. De baptiſmo Chriſti moraliter.
4. De deſerto Jeſu atque morali vita deſerti.
5. De diverſa & multiplici tentatione.
6. De origine tentationis.
7. De aſcenſu in montem.
8. De diverſis aſcenſionibus.
9. De deſcenſu Salvatoris de monte.
10. De conviviis quibus interfuit Salvator.
11. De patientia domini ad peccatores.

Liber V.

De miraculis Salvatoris.

Cap. 1. De miraculo aquæ in vinum converſæ.
2. De tempeſtate in mari orta, Chriſto dormiente in navi.
3. De miraculo quinque panum & duorum piſcium.
4. De multiplicatione ſeptem panum.
5. De miraculo inventi ſtateris.
6. De miraculo ficulneæ ſubito arefactæ.
7. De miraculis in paſſione domini monſtratis.
8. De miraculo hominis ſpiritum immundum habentis.
9. De ſanatione ſocrus Simonis Petri febricitantis.
10. De ſanatione infirmorum languidorum.
11. De leproſo quem ſanavit Jeſus in deſcenſu montis.
12. De curatione pueri Centurionis.
13. De ſuſcitatione filii viduæ adoleſcentis.
14. De ſuſcitatione filiæ archi-ſynagogi.
15. De ſuſcitatione Lazari quatriduani.
16. De ejectione dæmonis cui nomen Legio
17. De curatione paralytici depoſiti ante pedes Jeſu.
18. De ſanatione filii reguli.
19. De ſanatione hæmorrhoiſſæ.
20. De illuminatione duorum cæcorum.
21. De muto dæmonium habente.
22. De curatione hominis manum aridam habentis.
23. De curatione dæmoniaci cæci, & muti.
24. De curatione filiæ Chananææ à dæmonio.
25. De curatione multorum infirmorum, & de ſurdo & muto.
26. De cæco illuminato ex tuplici impoſitione manus in Bethſaida.
27. De curatione paralytici in piſcina Probatica.
28. De curatione lunatici & muti ſpiritum immundum habentis.
29. De curatione mulieris curvæ.
30. De ſanatione hydropici.
31. De mundatione X. leproſorum.
32. De illuminatione duorum cæcorum prope Jericho vel unius cæci.
33. De curatione cæci nati.
34. De ambulatione Salvatoris & Petri ſupra mare.

Liber VI.

De parabolis Salvatoris.

Quid ſit parabola, in prologo.

Cap. 1. De parabola orandi & impetrandi.
2. De parabola ſeminantis & de diverſitate ſeminis.
3. De parabola tritici & zizaniorum.
4. De parabola ſinapis.
5. De parabola fermenti.
6. De parabola theſauri abſconditi.
7. De parabola margaritæ pretioſæ.
8. De parabola ſagenæ.
9. De parabola de ſcriba docto in regno cœlorum.
10. De parabola hominis incidentis in latrones, qui deſpoliaverunt eum.
11. De parabola divitis perverſè cogitantis ad improvidam ſolicitudinem.
12. De parabola divitis epulantis & Lazari pauperis.
13. De parabola divitis & villico iniquitatis.
14. De parabola ovis perditæ & reinventæ.
15. De parabola filii prodigi.
17. De parabola hominis regis, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.
18. De parabola hominis ad nuptias invitati, ut recumbat in noviſſimo loco, & de parabola de pauperibus invitandis.
19. De parabola cœnæ magnæ, & de invitatis.
20. De duabus parabolis ad fieri Chriſti diſcipulum.
21. De parabola operariorum in vineam miſſorum.
22. De parabola duorum filiorum in vineam miſſorum.
23. De parabola vineæ locatæ malis agricolis.
24. De parabola regis, qui fecit nuptias filio ſuo.
25. De parabola phariſæi in ſe confidentis, cæterosque ſpernentis, & de publicano.

26. De parabola quomodo oportet ſemper orare.
27. De parabola ficulneæ ad dignoſcentiam futurorum.
28. De parabola decem virginum prudentium & fatuarum.
29. De parabola decem talentorum ſeu minarum.
30. De parabola ſervorum vigilantium & diſpenſatoris prudentis & fidelis.
31. De parabola de conſentiendo adverſario, dum ſecum in via eſt.
32. De parabola infructuoſæ arboris.
33. De parabolis tribus proxime poſitis, epilogus.
34. De parabola mulieris parturientis & triſtitiam habentis.

Liber VII.

De ſimilitudinibus á Salvatore poſitis & aſſumptis.

Cap. 1. De ſimilitudine ſalis
2. De ſimilitudine lucis.
3. De ſimilitudine civitatis.
4. De ſimilitudine lucernæ.
5. De ſimilitudine dextri oculi, dextræque manus.
6. De ſimilitudine oculi ad lucernam.
7. De ſimilitudine volatilium cœli.
8. De ſimilitudine liliorum agri.
9. De ſimilitudine feſtucæ & trabis.
10. De ſimilitudine ne ſancta canibus dentur.
11. De ſimilitudine ne margaritæ ante porcos ſpargantur.
12. De ſimilitudine falſorum prophetarum ad lupos rapaces.
13. De ſimilitudine arboris ad bonos & malos homines.
14. De ſimilitudine audientium verba Chriſti & non facientium.
15. De ſimilitudine ſponſi & ſponſæ ad Chriſtum.
16. De ſimilitudine panni rudis & veteris.
17. De ſimilitudine de vino novo in vas novum mittendo.
18. De ſimilitudine ovium & paſtoris Chriſti ad diſcipulos ſuos.
19. De ſimilitudine paſſerum.
20. De ſimilitudine arundinis.
21. De ſimilitudine fulguris cadentis in terram de cœlo.
22. De ſimilitudine jugi levis & oneris ſuavis.
23. De ſimilitudine arundinis & lini.
24. De ſimilitudine arborum & viperarum.
25. De ſimilitudine molæ aſinariæ.
26. De ſimilitudine pedis, manus, oculi eruendorum.
27. De ſimilitudine parvulorum.
28. De ſimilitudine cameli per portam anguſtam, quæ acus dicitur.
29. De ſimilitudine paſſionis domini ad calicem.
30. De ſimilitudine hypocritarum ad ſepulchra dealbata.
31. De ſimilitudine hypocritarum ad ſerpentes.
32. De ſimilitudine gallinæ, cui ſe Chriſtus comparat.
33. De ſimilitudine Chriſti ad templum.
34. De ſimilitudine ſerpentis quam Moyſes exaltavit in deſerto.
35. De ſimilitudine Chriſti ad ſponſum, & eccleſiæ ad ſponſam.
36. De ſimilitudine lucis: Ego ſum lux mundi.
37. De ſimilitudine oſtii: Ego ſum oſtium.
38. De ſimilitudine Chriſti ad paſtorem: Ego ſum paſtor.
39. De ſimilitudine grani ſementis cadentis in terram.
40. De ſimilitudine fulguris ad Chriſti adventum.
41. De ſimilitudine cadaveris, ubicunque fuerit corpus, congregabuntur & aquilæ.
42. De ſimilitudine de tentatione ad cribrationem.
43. De ſimilitudine temporalium ad tunicam, & verbi Dei ad glaudium.
44. De ſimilitudine Chriſti: Ego ſum via.
45. De ſimilitudine Chriſti: Ego ſum vitis, & pater meus agricola.

Liber VIII.

De vitiis contra quæ Chriſtus loquitur.

Cap. 1. De vitiis in generali, quæ ſolummodo in Evangelio reprehenduntur.
2. De incredulitate.
3. De ſuperbia.
4. De odio.
5. De vana gloria.
6. De choreis.
7. De fornicatione.
8. De inceſtu.
9. De deriſione.
10. De inani gloria.

11. De ſimilitudine bonorum operum.
12. De confidentia mala.
13. De tentatione.
14. De curioſitate.
15. De divitiis.
16. De infatuato ſale.
17. De ira & juramento.
18. De non facientibus verbum Dei, ſed ſolúm audientibus.
19. De recuſantibus verbum Dei.
20. De comminatione civitatibus facta, quæ non receperunt verbum Dei.
21. De humano timore.
22. De peccato irremiſſibili in Spiritum ſanctum.
23. De verbo blaſphemiæ.
24. De peccatis in Spiritum ſanctum.
25. De bono cordis theſauro.
26. De verbo ocioſo.
27. De generatione prava & adultera ſignum quærente.
28. De non facientibus pœnitentiam, cum quibus in judicio ſurgent Ninivitæ.
29 De recidivantibus, & gratiam Dei in vacuum recipientibus.
30. De vendentibus ſanam doctrinam.
31. De facientibus opera diaboli hujus ſunt & filii.
32. De incredulitate & duritia Judæorum.
33. De zizania & diſcordia fidei & morum.
34. De convivio Herodis.
35. De modicitate fidei.
36. De malis cogitationibus.
37. De ſuperſtitioſa Judæorum obſervatione ſcilicet non lotis manibus manducare.
38. De proceſſu peccatoris & de reverſione ejus ad Deum.
39. De vulneribus peccatoris ab Jeruſalem in Jericho deſcendentis.
40. De filio podigo revertente ad patrem.
41. De corruptela peccati.
42. De peccato originali.
43. De peccato veniali.
44. De ſeptem vitiis capitalibus.
45. De ſuperbia.
46. De inani gloria.
47. De ira.
48. De invidia.
49. De acedia.
50. De avaritia.
51. De gula.
52. De luxuria.

Liber IX.

De virtuoſis & pro virtute ſermonibus Domini Salvatoris.

Cap. 1. De altitudine, ſufficientia & de utilitate verborum Chriſti.
2. De reſponſis Chriſti in templo factis, cum eſſet duodecim annorum.
3. De perfecta juſtitia quam Chriſtus adimplevit.
4. De reſponſis Chriſti in tentatione factis ipſi ſatanæ.
5. De ſecundo verbo in tentatione.
6. De tertio verbo in tentatione.
7. De invitatione ad pœnitentiam, & ad credulitatem Evangelii.
8. De prima vocatione diſcipulorum.
9. De vocatione Philipi & Nathanaëlis.
10. De lectione Iſaiæ, quam Chriſtus legit in Synagoga.
11. De doctrina Chriſti, quam audientes mirabantur.
12. Quare Chriſtus negavit facere miracula petentibus.
13. De doctrina Chriſti quare mali reſpuunt eam.
14. De poteſtate ſermonis JESU.
15. De aſcenſu Chriſti in navem Simonis, ubi de navicula docebat.
16. De ſequela domini in tribus hominibus.
17. De vocatione Matthæi.
18. De nominatione duodecim Apoſtolorum.
19. De forma hoſpitandi data duodecim Apoſtolis.
20. De prædictione eorum, quæ Apoſtoli paſſuri erant.
21. De conceſſione fugæ tempore perſecutionis.
22. De conſideratione majoris ut diſcat inferior patienter pati.
23. De prædicatione Evangelii ſine timore annuntiandi.
24. De miſſione gladii in hunc mundum & non pacis.
25. De receptione Chriſti in ſuorum diſcipulorum perſona.
26. De deſignatione & miſſione LXXII. diſcipulorum.
27. De confeſſione laudis ubi Chriſtus dicit, confiteor.
28. De vocatione domini ad jugum ſuave.
29. De convivio ubi Magdalena peccata ſua abluit.
30. De murmuratione phariſæi adverſus mulierem.

31 De ſententia remiſſionis pro Magdalena facta.
32. De miniſterio mulierum Chriſto facta.
33. De miniſterio Marthæ & quiete Magdalenæ.
34. De miniſterio Marthæ in cœna facta in domo Simonis Leproſi.
35. De interrogatione Chriſti, quem dicunt homines eſſe filium hominis.
36. De collatione clavium facta Petro.
37. De prohibitione facta diſcipulis, ne dicerent ipſum eſſe Chriſtum.
38. De adverſatione Petri ad paſſionem Chriſti.
39. De ſequela Chriſti per viam crucis & perditionis animæ.
40. De pronunciatione paſſionis Chriſti.
41. Quomodo Chriſtus didrachma juſſit ſolvi.
42. De inquiſitione diſcipulorum quis eorum eſſet major.
43. De miſſione Joannis ad Chriſtum interrogantis, tu quis es?
44. De correctione fraterna.
45. De parvulis oblatis JEſu, quorum eſt regnum cœlorum.
46. De interrogatione principis, magiſter quid faciendo.
47. De interrogatione Petri, ecce nos reliquimus omnia, quid ergo nobis erit?
48. De Zachæo.
49. De ficulnea ſubito arefacta.
50. De prophetia incredulitatis Judæorum.
51. De cauſa qua judicantur homines videlicet quia ſpernunt Chriſtum & ſermonem ejus.
52. De vidua duo minuta in gazophylacium mittente.
53. De prophetia JEſu de deſtructione Jeruſalem.
54. De ſignis deſtructionis Jeruſalem.

Liber X.

De ſermone Domini in monte.

Cap. 1. Videns JEſus turbas aſcendit montem.
2. De ſeſſione JEſu & acceſſu diſcipulorum.
3. De apertione oris Chriſti.
4. De paupertate Spiritus.
5. De mititate.
6. De luctu.
7. De ſitire juſtitiæ.
8. De miſericordia.
9. De cordis munditia.
10. De pace beatitudinis.
11. De perſecutione propter juſtitiam.
12. De maledictione & perſecutione ſuſtinenda propter Chriſtum.
13. Finis omnium bonorum agendorum eſt beatitudo.
14. De eo quod Apoſtoli dicuntur ſal, lux, civitas.
15. Oſtendenda ſunt bona exempla, ut glorificetur Deus.
16. Non veni ſolvere legem, aut prophetas.
17. Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam ſcribarum.
18. De Mœchia, quæ non ſolum ſit corpore, ſed & corde.
19. De libello repudii.
20. De conſenſu adverſarii.
21. De juramento.
22. De pœna talionis.
23. De dilectione inimicorum.
24. De juſtitia propter Deum ſolum facienda.
25. De recta intentione.
26. De forma orandi.
27. De oratione dominica.
28. Sanctificetur nomen tuum.
29. Adveniat regnum tuum.
30. Fiat voluntas tua.
31. Panem noſtrum.
32. Dimitte nobis.
33. Et ne nos inducas.
34. Sed libera nos a malo.
35. Si dimiſeritis hominibus peccata.
36. De recta intentione jejunandi.
37. De theſauratione in cœlo, & non in terra.
38. Ex qualitate intentionis judicantur opera noſtra.
39. De eo quod nemo poteſt duobus dominis ſervire.
40. De ſuperflua ſolicitudine excludenda.
41. De eo quod primum eſt quærendum regnum Dei.
42. De miſericordia proximis impendenda.
43. De judicio temerario.
44. De eo quod ſpiritualia beneficia non ſint perverſis communicanda.
45. De ſecuritate & fiducia impetrandi.
46. De lege naturali ſervanda inter homines.
47. De anguſta & lata via.

48. De cautela à falſitatibus hominum & modo cognoſcendi.
49. De auditoribus & factoribus verborum Chriſti.
50. De admiratione turbarum ſuper ſermonem Chriſti in monte.

Liber XI.

De diſputationibus & diſceptationibus Domini.

Cap. 1. De diſputatione Chriſti cum muliere Samaritana.
2. De adoratione in Spiritu & veritate.
3. De Samaritanæ regreſſu in civitatem.
4. De carne & ſanguine Chriſti.
5. De fractione ſabbati quando diſcipuli ſpicas fricabant.
6. De diſputatione JEſu cum Nicodemo.
7. Patris & filii opera ſunt individua.
8. Poteſt JEſus mortuos ſuſcitare.
9. De teſtimonio Joannis, de JEſu qui & à ſeipſo nihil facit.
10. De eo quod Judæi JEſum in nomine patris venientem non receperunt.
11. De accuſatione Judæorum à Moyſe apud Deum patrem, non à Chriſto, quia Judæi Chriſtum non receperunt.
12. De operando cibo, qui non perit, ſed permanet.
13. De voluntate patris, quam filius fatetur ſe adimplere.
14. De murmuratione Judæorum, de eo quod JEſus dixit: Ego ſum panis vivus.
15. De eo quod dixit: Qui credit in me, habet vitam æternam.
16. De Judæorum litigatione.
17. De cibo carnis Chriſti & ſanguinis ejus ſumpto ſecundùm fidem.
18. De ſermone, quem locutus eſt JEſus, & viſus eſt durus.
19. De diſcipulis recedentibus propter hujusmodi ſermonem.
20. De diſcipulis ſolum Chriſtum eligentibus, cæteris contemptis.
21. De munditia Spiritus & corporis.
22. De eo quod ſcribitur: Populus hic labiis me honorat.
23. De eo quod coinquinat hominem.
24. De ambulatione JEſu in Galilæam, quia volebant eum Judæi interficere.
25. Quomodo fratres JEſu non credebant in eum.
26. De occulto JEſu aſcenſu in Jeruſalem.
27. De doctrina JEſu unde ſit.
28. De ſolutione legis Moſaicæ per Judæos facta.
29. De Judæorum diſceptatione de JEſu ſi eſſet Chriſtus.
30. De eo, quod miſerunt principes, ut adducerent JEſum.
31. De eo, quod JEſus clamavit, invitans ſitientes ad aquæ vitæ potum.
32. De diſſenſione inter Judæos facta de JEſu.
33. De diſceptatione Judæorum, cum miſſi eum non comprehendiſſent.
34. De adultera in adulterio comprehenſa.
35. De diſceptatione Judæorum de eo quod JEſus dixerat: Ego ſum lux mundi.
36. JEſus prænunciat Judæos in peccatis morituros.
37. De reſponſione JEſu dicentis: Ego ſum principium, qui & loquor vobis.
38. De vero diſcipulatu.
39. De probatione quod Judæi ſunt filii diaboli.
40. De credenda veritate, quam Chriſtus afferebat.
41. De ſermone Chriſti ſervato quomodo liberat à morte.
42. De comparatione JEſu ad Abraham ſecundùm æternitatem.
43. De lapidatione JEſu.
44. De teſtimonio operum JEſu quod ſit Chriſtus.
45. De conſilio pontificum ſuper mortem JEſu.
46. De cogitatione Judæorum ut Lazarus interficeretur.
47. De gentilibus quærentibus JEſum videre.
48. De turbatione paſſionis quam Chriſtus aſſumpſit.
49. De judicio mundi per crucem.
50. De poteſtate JEſu, in qua tanta faciebat.
51. De tributo reddendo Cæſari.
52. De muliere ſeptem virorum, & reſurrectione mortuorum.
53. De comparatione mandatorum quod majus ſit in lege.
54. Cujus filius ſit Chriſtus.
55. De extremo judicio.

Liber XII.

De ſermone Domini poſt cœnam.

Cap. 1. De conſolatione diſcipulorum turbatorum, & de receſſu Chriſti.

INDEX MATERIARUM.

2. De cognitione patris ex filio, & econverſo.
3. De probata Chriſti dilectione ex miſſione paracliti.
4. De manifeſtatione Chriſti & manſione trinitatis apud electos.
5. De repellenda turbatione & cauſa.
6. De imitatione loci Chriſti, ſuique collegii deſignatione.
7. In Chriſto & ex Chriſto ſunt omnes Chriſtiani, ſine quo non fructificant.
8. De manſione Chriſti in nobis.
9. De glorificatione patris ex noſtris bonis operibus.
10. De ſingulari dilectionis præcepto, & ejus amicitia.
11. De mundi adverſitate patienter ſuſtinenda.
12. De teſtificatione Spiritus ſancti de Chriſto Apoſtolis futura.
13. De receſſu IEſu utili ab Apoſtolis & miſſione Spiritus arguentis.
14. De modiciate temporis, quo Chriſtus videndus erat.
15. De certa exauditione petitionis, & quid petendum ſit.
16. De oratione IEſu ſuper clarificatione ſua.
17. De oratione IEſu qua petit unitatem diſcipulorum.
18. De oratione IEſu qua petit ſanctificationem & confirmationem diſcipulorum.
19. De poſtulatione beatitudinis pro diſcipulis & aliis credituris.

Liber XIII.

De Paſſione Domini, in quo ponitur hiſtoria paſſionis non ſecundùm capitula diſtincta, ſimiliter & ultimæ cœnæ uſque ad ſepelitionem Chriſti.

Liber XIV.

De Reſurrectione Salvatoris, nec per capitula diſtinctus, ſicut & nec præcedens, ſed continet totam hiſtoriam ipſius reſurrectionis.

Liber XV.

De juſtitia Chriſtiana & vera amicitia.

Cap. 1. De juſtitia parentum erga filios.
2. De juſtitia filiorum erga parentes.
3. De juſtitia inter conjugatos.
4. De juſtitia fratrum & propinquorum & amicorum.
5. De juſtitia vitricorum & novercarum.
6. De amicitia.
7. De ira quæ excludit juſtitiam.
8. De infidelitate.
9. De acedia.
10. De feritate & crudelitate.
11. De diligentibus terrena.
12. De apoſtaſia.
13. De malis conſiliariis.
14. De multiplicibus conſiliariis.
15. De vitioſis.
16. Similitudo eſt cauſa dilectionis.
17. De ſimulatoribus.
18. De æmulis.
19. Teſtimonia novæ legis.
20. De prima vena ſeu rivulo amicitiæ Chriſtianæ.
21. De ſecunda vena ſeu rivulo.
22. De tertio rivulo.
23. De quarto rivulo.

Tractatus

De juſto jure Dominii & moribus dominandi, cujus capitula continuantur ad præcedentia.

24. Quod juſta ratio dominandi variè mundo diffuſa, non eſt ex hominibus, ſed ex Deo.
25. Quod vera ratio dominii in ſolo Deo, non acceſſorio, ſed æterno jure conſiſtit.
26. Quod culpa inæqualitatem dominii & ſubjectionis in hominibus procuravit.
27. Quod mundus originalis niſi Deum non habuit aliam judiciariam poteſtatem.
28. Quod ab eo tempore quo Noe ingreſſus eſt in arcam, juſtus fuit dominatus hominum ſupra terram.
29. Quod Nemroth primus uſurpavit injuſtum dominium, tempore quo diviſum eſt labium.
30. Quod in omnibus præterquam in filiis Sem, in quibus manſit originalis lingua, defecit originalis juſtitia, unde injuſta facta ſunt regna.
31. De tempore ante diluvium nemini quam Moyſi credendum, & de diſpari tempore triplici.
32. Quod potentia & ſcienta regiminis niſi Deo ſint ſubditæ, æquo jure condemnantur.

33. Quod

33. Quod à tempore Abrahæ uſque ad Moyſen præterquam incircumciſis non fuit ratio juſta dominandi.
34. Quod ratio veri regiminis eloiſtua, injuſti vero anthropologica eſt & nefida.
35. De habitatione hominum, & prima diſtinctione regnorum.
36. Interpoſitio de nominibus regionum, & civitatum, montium, & fluminum indiſtincte.
37. Invincibile argumentum eſt non eſſe veram juſtitiam à quibus jubetur per Deum divortium, ex quo ſumitur & inſurgit diſtinctio populorum.
38. Quod ex allocutione divina & circumciſione appoſita, comprehenditur in Abraham & ſibi applicitis juſte juſtitia, in aliis vero regnis injuſtitia reprobata.
39. In quibus fuit juſtitia vel non, à mortuo Abraham uſque ad Moyſen.
40. Quo jure fuit dominium æquum à Moyſe uſque ad Saul in populo Dei & non alibi.
41. Quod Deus primum regem populo ſuo primo diſſuadens, ne vellet, dedit.
42. Quales debeant eſſe reges, Moyſen ante inſtruxit dominus.
43. Probatur documentis veram regendi juſtitiam gentibus defuiſſe.
44. Rationibus aſtruitur quibus poſſit, cum non poſſit in regnis eſſe juſtitia.
45. Æterno fine non conſtituto modica ſi qua fuit, reputatur bonitas nationum.
46. Author concludit.

B. SIMONIS FIDATI de CASSIA.

LIBER I.

De Verbo increato pro nobis in tempore incarnato, ſecundum Joannem ſolum.

Cap. I.

De Verbo increato, ſecundùm quod Joannis primo ponitur: In Principio erat Verbum.

IPSE orationis ordo depoſcit, ut poſt factum magnum cognitum, præcedentia & concomitantia & ſequentia inquirantur. Nullum vero ab æterno majus factum, quam Verbum caro factum. Et eum in principio feciſſet Deus ex nihilo cœlum & terram, excedit tamen quod ejus filius incarnatus fuit, extra opus adhuc æternus artifex erat, in factione autem hujuſcemodi per veram unionem, unum ſunt artifex & artificium ejus. Inveſtigandum quidem fide, non ratione: credulitate, non ſenſu, quid contemplandum in Verbo carne facto. Si tempus inquiritur, occurrit ætenitas: *In principio erat Verbum.* In principio, ante quod nihil, quod ante omnia ſubſiſtebat, à quo cuncta in ſuis rationibus pervenerunt. Joan. 1. In principio non comprehenſibili ab homine puro, ut æternitas credatur ex dicto. Nec hoc Verbum ſituatum erat in loco, & modus eſſendi ejus ſegregatus ab omnibus erat: *& Verbum erat apud Deum*, non appoſitive, aut aliqua diverſitate ſubſiſtendi, quoniam erat idem quod ille apud quem erat: *& Deus erat Verbum.* Et talis eſſendi modus non temporalis extitit, ſed æternus. *Hoc erat in principio apud Deum.* Artifex erat ab æterno Verbum, non tamen extra ſeipſum illuxit aut innotuit ab æterno. Nihil erat enim in aliquo participans ipſum: Quoniam omnia per ipſum facta ſunt, ut nihil in ſpiritualibus atque corporalibus, nihil in viſibilibus atque inviſibilibus excludatur, quod ipſe non fecerit, & in magnis & in parvis, & in his quæ de merito primorum parentum adverſantur delicatæ, tenerrimæque naturæ. Quoniam naturæ *ſine ipſo factum eſt nihil.* Si clauſula punctabitur hic, excluditur, abrogatur atque negatur omnis alius creator: quia eſſe non poteſt niſi unus. Et hoc dictum negativum, ante dictum affirmativum roburat. Nam cum dicatur: Omnia per ipſum facta ſunt, ergo creator unus: & ſine ipſo factum eſt nihil, igitur nullus alius. Peccatum & omne malum ab ejus factione depellitur: quia omne malum, eſt poſitive nihil, etiam nihil aliud ſubſiſtentiam habet, præterquam quod ipſe creavit. Si vero iſta ſententia ſive clauſula ultra progredietur ad punctum, ut ſic proferatur: *& ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt*, præſtabit alium intellectum, ut omne quod factum eſt, inpræadiacentem nihilitatis materiam tenderet, niſi ipſe conſervaret. Nam eadem Dei ſapientia, qua cuncta ex nihilo facta ſunt, ne redeant in nihilum gubernantur, redierent quidem niſi tuerentur. Si primam punctationem ſequimur, perſpicuum eſt, quia omnia quæ facta ſunt in ipſo, ab æterno vivebant, ut aliter non produxerit, niſi prout ab æterno producenda conſpexit. Et illa imagu cunctatum rerum in ipſo habebat vitam antequam deduceretur ad eſſe. *Quod factum eſt in ipſo vita erat*, videlicet in divina mente, non extra. Si ſecundam, æque aptior ſenſus eſt. In ipſo vita erat, immortalis videlicet & æterna, unus vitæ origo: quoniam apud te eſt fons vitæ, Pſalmiſta dicit. Hæc quidem Pſalm. 35. *vita erat lux hominum*, non pecorum, aut quorumcunque irrationabilium ſeu inſenſibilium corporum, ſed hominum factorum ad imaginem & ſimilitudinem ejus, qui alibi videnda non viderunt, præterquam in iſta luce nativitatis æternæ. Lux iſta tenebras fugat, non ſe miſcet cunctis, neque comprehenditur ab eis. Immaculabile porro eſt omne quod Dei eſt. Et tenebræ infidelitatis, aut ignorantiæ, aut iniquitatis,

tis, illam non apprehendunt, ſed aut fugantur ab illa luce, aut non ſumuntur incognitæ, aut multantur, qui non recipiunt illam: *& lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Si lux lucet in tenebris, ergo fugatæ ſunt. Nam ſi tenebræ, quomodo lux lucet in eis? Si lux lucet, quomodo tenebræ? imo non tenebræ, ideo non comprehenderunt ut eſſent tenebræ cum lucente divina luce, qua fugatæ ſunt, cum ſuper eas lux divinæ vitæ atque claritatis influxit, de tenebris infidelitatis, idololatriæ, ignorantiæ, pravæquæ vitæ, verba talia ſonuerunt. Sed ad teſtimonium lucis, miſſus eſt Joannes, non quod ipſe lux eſſet: quoniam una *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Non omnem hominem illuminat, ut omnes illuminati ſint, ſed omnis qui illuminatus fuit, ab iſta luce circumfuſus eſt. Ne autem crederetur Verbum increatum extra mundum ſepoſitum, neque in mundo incluſum, nec mundus eſſe creationis aut damnationis alterius, adjectum eſt: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt.* Erat in mundo ut rex in regno ſuo, non ſituatus aut circumſcriptus in loco, intus & extra implens & continens. Et hic mundus factus per ipſum, ut jam aſſertum eſt: omnia per ipſum facta ſunt. Aut erat in mundo, in archetypo quidem: & mundus per ipſum factus eſt: Per ipſum major & minor, inſenſibilis & irrationalis, atque rationalis. Sed rationalis arguitur: *Quia mundus eum non cognovit.* Cui videlicet data erat potentia cognoſcendi: etſi non ex natura, ſaltem ex fidei gratia. Etſi venit, non in aliena venit, ſed in propria creationis imagine & amoris, ac & in populi peculiaris. *In propria venit, & ſui eum non receperunt.* Omnia ſunt ſua. Omnes ſui ſunt, ſed illi maxime voluntate & electione ſunt ſui, qui pacto circumciſionis & legis obſervandæ ejus populus ſecretus ab omnibus aliis nationibus idololatrantibus facti. Sed qui receperunt eum fide, ſpe, charitate, imitatione poſſibili, ab ipſo auhoritatem maximam acceperunt, qua nulla major, nulla dignior & utilior & delectabilior potuit conferri mortalibus, ut in divinam filiationem tranſirent. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus*: Unus duntaxat eſt naturaliter æternus filius Dei, propter quem in illa filiatione fieri omnino impoſſibile factum eſt. Adoptio filios facit, non cunctos homines, ſed credentes in nomine videlicet ipſius Verbi increati. Hæc filiatio nulla carnis traduce agitur, nec propagatur damnata ſive correcta humana propagine, nullo ſemine carnis mundo, ſi dici fas eſſet, aut immundo ut eſt, ſed gratia divina traducitur. Ex quo ſequitur: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, ſed ex Deo nati ſunt.* Qui ſcilicet filii, qui filiationis divinæ per adoptionem & gratiam, poteſtatem à Domino acceperunt, non ſunt ex coagulatione ſanguinis, in quam ſemen generativum per IX. dies verſum manet. Neque ex ſanguinibus, videlicet ex peccatis, ex quibus liberari Pſalmiſta poſcebat. dicens: Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ. Neque ex voluntate viri, ſcilicet hominis maſculi. Neque ex voluntate carnis, ſcilicet mulieris, qui communi voluntate in ſimul coeuntes, fiunt unum ad generandum carnem unam, animam vero nullam, ſicuti ſcriptum eſt: Et erunt duo in carne una. Neque ex voluntate viri, ut rationis voluntas in hac parte aliquid operando conſentiat. Neque ex voluntate carnis, ſcilicet ſenſualitatis, ut aliquid ſubjaciendo, aut conſentiendo efficiat. Totum quod in hac filiatione agitur, noſcitur eſſe divinum, quia ex Deo eſt iſta nativitas, *ſed ex Deo nati ſunt.* Ut ſecundum Apoſtolum ſimus hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti. Etiam non jure ſucceſſionis naturalis legis ſive conſuetudinis, ſed prout gratia eſt filiatio, ſic ex ipſa filiis divina tribuatur hæreditas: ut omnis qui gloriatur, non in ſeipſo, ſed de bonis omnibus in domino glorietur.

Cap. II.

Qualiter incarnatum ſit verbum, & ubi, & quando. Et quod anima Chriſti ex natura non eſt nobilior cæteris animabus ſed ſimilis.

SEd hoc verbum increatum, per quod omnia facta ſunt, ex quo nobis tanta bona proveniunt, ſe fecit pro nobis incarnatum, ut ſibi eſſemus in humanitate fratres, qui nequiramus in Deitate: ac etiam eſſemus in æterna beatitudine cohæredes, qui facti ſumus in humanitate fratres. Proinde *& verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis.* Hoc intendebat aquilinus Evangeliſta diſſerere,

ferere, ad hoc invitare mortales ad imaginem Dei factos. Hoc ſuadere credendum, ſcilicet pro nobis Verbum caro factum. Ideo tam alte ante prænotuit, ediſſerens ut potuit quando erat, quomodo erat, & qui erat, quali æternitate conſtabat, qualis artifex eſſet, quod, quantum, quale opus effecerat, quid in ipſo erat, & quod in ipſo erat, quid aliis erat, quidve præſtabat, ubi erat incircumſcriptè, quo deſcendere dignatus erat, antequam à ſummis, ineffabilibus, & incomprehenſibilibus, ad hujuſmodi & tam ima deſcenderet: aſſerens Verbum DEI æternum, in tempore caro factum, non tamen in carnem mutatum, nec cum aliqua mixtione, ſeu cum confuſione naturarum. Sed quando caro factum? Annis ſolaribus ab origine mundi quinque milibus C. LXVII. Ubi caro factum? In civitate Nazareth, in regione Judæorum, in virginali aula. Quibus actoribus, quibuſve miniſtris; Patre mittente, Spiritu Sancto ſuperveniente, filio deſcendente, angelo nunciante, Maria conſentiente, in cujus utero, virginalique thalamo Verbum increatum, Verbum æternum, Verbum apud patrem, Verbum in patre, Verbum de patre, Verbum cum patre, Verbum ineffabile, Verbum incomprehenſibile, Verbum in circumſcripibile, caro factum eſt, ut habiraret in nobis. Factum caro de carne, factum in carne, factum inter carnem, factum infra carnem, factum præter carnem, factum contra carnem. Illo inſtanti factum quo Maria virgo angelo nuncianti reſpondit: Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum: fiat in me Verbum increatum, penitus incarnatum ſecundum verbum tuum, quod inſonuit auribus meis, ut Verbum Dei æternum, carnem humanam aſſumeret in viſceribus meis. Ecce Verbum conceptum ad Verbum divinum, ad angelicum, ac ſi angelo diceretur: Fiat in me Verbum æternum, juxta tuum verbum prolatum. Convenerunt itaque In unum in illo thalamo virginali creator & creatura, factor & factura, Deus & homo, redemptor & redempnis, captivitas & redemptio, pretium & emptum, amor & amatus, mors & vita, nobilitas & abjectio, dives & pauper, judex juſtus & juſte damnatus, liberans & liberandus. Mutata ſunt naturæ jura: una eſt mater & virgo, unus Deus & homo, in unum convenerunt æternum & temporale, antiquum & novum. Subſtantia in tribus diſtincta perſonis, ſubſtantia ſpiritualis in tribus creata potentiis: ſubſtantia corporalis ex quatuor elementis unam effecere perſonam, ſicut tres divinæ perſonæ habent unam ſubſtantiam. Inviſibiliter, ineffabiliter, incognoſcibiliter, incomprehenſibiliter iſta incarnatio celebrata eſt: ſupra naturam, ſupra uſum, ſupra ſcientiam angelicam & humanam atque ſatanicam, ſupra ordinem, ſupra modum omnium explicabilium, ratione, lingua, ſcriptura. Credi poteſt, quia Verbum caro factum eſt, & quia pro nobis incarnatum eſt, quomodo latet omnem intelligentiam, latet etiam illius theotocon quæ thalamitavit. Ecce ad tempus æternum conjunctum, inſeparabili unione unitum, ut ad æternitatem temporalitas transferatur. Vita quæ ſemper erat, mortalitati ſe contraxit: non ut maneret mortalis, ſed ut ad vitam omnino immortalem eſſet acceſſus ab hominibus neceſſario morituris. Induta noſtræ confuſionem miſeriæ beata miſericordia Dei, ut ab ipſa liberari, æterna beatitudine potiremur. Nobilior tamen facta eſt humana natura in eo quod à Verbo æterno aſſumpta, quod beatificata erit, quod in uno nobiliras, in altero felicitas attendatur. Magnus autem theologus magis ſtuduit infigere mentibus hominum nobilitatem, quam ipſam felicitatem, cum ad Hebræos ait: Nusquam angelos apprehendit, ſed ſemen Abraæ. Et alibi: Factus eſt ex ſemine David ſecundum carnem, quam angeli ſic venerantur in ſuperis, ut amodo conſervos dicant homines, qui morantur in terris, cum non acceptaverint Joannis reverentiam, quando unus angelus dixit: Vide ne feceris, conſervus enim tuus ſum & fratrum tuorum. Attendant homines mortales, quam alte humana natura ſublimata eſt in aſſumente Verbo, ut etiam ſupergreſſa ſit angelicam dignitatem, & poteſtatem divinæ filiationis acceperit, ut in filium pauper, ignobilis & extraneus ſit provectus. Digniſſima quidem facta humana natura, non tamen vile facta divina. Ineffabilis iſta dilectio, quæ unionem fecit. Et enim proprium amoris, unionem facere atque intrinſecationem. Appetit enim amans intrinſecationem cum amato, & participium ſui ipſius inferre. Amator æternus & omnium hominum Deus, divine amat omne quod ſui amoris ſuſcepribile fecit. Quod ideo ereavit non exiſtens, & tale ut ipſe poſſet in ejus participium devenire, qui ſolum ab æremo ad ſeipſum exiſtens, fecit aliquid extra ſe, ad quod poſſet participative exiſtere, confingans illud imagine atque ſimilitudine ſua, ut cum unum feciſſet amatum, ſeparatum alterum, alterum ex duobus conſtare voluiſſet: utrumque tamen ab eo defecit ad quod factum erat, unum in parte, alterum in toto, ſe ab alta dignitate dejiciens. Ad cadentes ſeparatas ſubſtantias, non eſt æqualiter prorrecta divina liberans manus, eo demerito quo ſemetipſis nullo ſuggerente

Hebr. 2. Rom. 2.

Apoc. 19. & 22.

exciderunt. Ad totum deperditum in protoplaſto divina manus ineffabili miſericordiæ modo liberatura pervenit, aſſumens illud indiviſibili & inſeparabili unione, ut una perſona aſſumens & aſſumptum diceretur & eſſet: Et exulans à rege & à regno, non ſolum in regnum haberet regredi libertatem, ſed una veſte, una ſede, una poteſtate cum rege frueretur. Et qui judicandus erat, indulto dato atque ſuſcepto, factus eſt judiciariæ poteſtatis, ut homines filius hominis judicaret. Equidem etſi Filius Dei dictus eſt factusque filius hominis non traduce carnis, carne tegebatur ſimile peccatrici, nil gerente de damnata propagine, omnis membrorum lineatio illico facta eſt, quamvis corporis mole natus, proceſſu naturæ creviſſet. Anima creata noviter, & cum crearetur, infuſa ſimul & unita Verbo, ut nulla interpoſitio aut mora temporis affuerit, ſed eodem inſtanti, eodem momento, eademque ſubitatione, unio triplex extiterit cum animæ creatione, videlicet Deitatis ad animam, & carnis ad animam, & Deitatis ad carnem, ut neutrum præcederet in aliquo alterum. Nec ipſa creatio animæ de novo præcederet infuſionem in corpore, nec unionem Deitatis: quanquam jure creationis, alterius naturæ non fuerit anima Chriſti, quam rationales animæ cæterorum. Sed & plurimi, ex quibus aliquem novi mihi ſic aſſerenti declamatorie ad populum, eodem actu publice adverſantem, quia ex natura anima Chriſti, animas cæteras per omnia excedebat. Sed hi, quot & quot ſunt, cum ex fide teneant creationem animæ Chriſti non præcedere unionem ad Verbum & infuſionem in carne ſeu unionem, labuntur in quendam impietatis errorem, ut velint Chriſti animam etiam ex natura ſuper cæteras attollere, non diſcernentes quid anima illa Chriſti nobilitatis habuit ex natura cum cæteris, & quid ex unione ad Verbum magnificentiæ ſingularis, Iter videtur devium, quod gradiuntur: quam ſicut non accepit nobiliorem ex natura condita carnem ſic nec alterius naturæ animam, cum voluerit per omnia aſſimilari fratribus ſuis, duntaxat excepto peccato. Quodſi aliter eſſet, ſimilis non fuiſſet. Nec animam aut corpus de cœlo aut aliunde attulit, nec carnem creavit de novo, ſed aſſumpſit ex antiquo. Nec ànimam in natura voluit habere diſſimilem, ſed ejusdem qualitatis & æqualitatis aſſumpſit, ſicut primam creavit ad ſuam ſimilitudinem & imaginem. Ac per hoc prout erat humana natura in duobus conſtituta, in anima & corpore absque contagione contracta, ſic à Verbo aſſumpta eſt: non in aliquo depreſſa, ſeu in aliquo ſublimata, præterquam per aſſumptionem, cum qua erat cum diabolo certaturus: cui feciſſet injuriam, aut decipulam paraviſſet, ſi potentia, non juſtitia certare cum illo voluiſſet: ſi ei objeciſſet alterius aut nobilioris naturæ formam, niſi quam decepit: jure Chriſtus certare voluit, non poteſtate. Alioqui nec expediebat ad pugnam naturam humanam aſſumere, cum ſola voluntate humanum genus à diabolo eripere potuiſſet, absque quod incamaretur, quod naſceretur, quod tot & talia pateretur, & quod ſic turpiter necaretur. Arcere voluntate ſua poterat omnem ſatanicam poteſtatem. Qui etiam retundendus erat in ſuperbia ſua, cum inſurgeret adverſus hominem, quod tam vilis ex corpore, tam in anima variabilis. Ad cujus confuſionem, & hominis exaltationem, humana natura ut condita fuit, ſic aſſumpta eſt: non aucta excellentius ex creationis initiis, ut non amplius inſurgat diabolus adverſus infirmitatem noſtram, cum Verbo cognoſcit aſſumptam, non aliunde nobilificaram atque ſuſceptam. Non enim (ut ſupra diximus) de cœlo eduxit, ſed in utero virginali corpus humanæ carnis accepit: neque illam animam portavit de cœlo, ſed ſimul & eodem inſtanti noviter creatam ſimul cum carne ſibi univit in utero: nil amplius habentem ex naturæ nobilitate ab animabus cæteris, quamvis illico plus habuit ex gratia unionis. Sed in hoc intellectus humanus obruitur, ut æqualitatem naturæ omnium animarum & increatæ non videat, ſed aliquam differentiam ponat, cum tam fuit celerrima, ſubita & inſtantanea unio trium ſubſtantiarum antiqui & novi, ut ex tempore nulla ratione ab unione ipſa creatio animæ diſcernatur.

Cap. III.

De nativitate Domini Salvatoris, ſecundùm Lucam.

INcluſa Deitas in utero virginali, non circumſcripta, quin alibi tota: nec in compoſitione, ſed in unione: non in depreſſione, ſed in aſſumptione: non quia natura naturam aſſumpſit, neque perſona perſonam, ſed perſona naturam, in qua credatur facta unio naturarum. Expectabat commune tempus conceſſum conceptis ex ſemine: quo perfecto, ex aula illa virginali procederet, peteretque publicum, ne illa perſona ex aſſumente & aſſumpto jam facta, infra materna viſcera per amplius latitaret,

latitaret, finis apponendus erat, propter quem Verbum caro factum est. Nasci volens naturali ordine detulit, quem in tempore & modo nascendi retinuit: illud ad nobilitatem naturæ atque totius mysterii addens, quod claustra virginalia inviolata nascendo servavit. Jam decurrentibus IX. mensibus ab incarnationis seu conceptionis hora quando nasceretur, multa huic nativitati convenientia & decentia in simul convenerunt, in designatione facti, atque in commendatione mysterii. Ne autem extra veritatem Evangelicam evagari videamur, prætermissis historiis aliunde compositis, etiam veris, solum quod est irreprobabile, intexamus. Nam eo tempore, quo Christus mundo secundum verbum caro factum

Lucæ 2. erat, nasci voluit: *Exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis.* In unam monarchiam mundus devenerat, sic unius monarchæ præcepto universus describi poterat. Et pacatum tenebat orbem terrarum, qui omnium hominum quot essent quærebat habere notitiam. De superbia processit Cæsaris, scilicet Octaviani Romani Imperatoris, qui frena orbis tenens, scire studuit quot homines suo imperio subdebantur, qui ad Rempublicam justitiam, pacemque ubique servandam in universo XLIIII. statuit militum legiones. Bonus hic erat ad regimen orbis, sed descripto de

1. Reg. 24. animo elato processit. Non tamen legimus temporaliter punitum hunc imperatorem idololatram & paganum, sicut David, qui simile facere in suo regno præsumpsit, in quem Deus potestate data & accepta vindicando desævit. Quoniam Deus Pater omnipotens, apud quem sunt omnia jura regnorum, hoc ad mysterii Filii sui, quem pro nobis incarnari mandavit & nasci, dignitatem & futurorum præsagium fieri providentia summa permisit. Siquidem hic futurus erat monarcha in assumpta humanitate, unus imperaturus omnibus, unus non solum mortalibus, sed etiam supernis substantiis. Nam in assumpto cunctis spiritibus præest. Et hic est de

Isech. 37. Oseæ 1. quo jam merito prophetatum erat: Erit unus rex omnibus imperans. Et alibi: Et congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter, & ponent sibi caput unum. Filii

Zachar. 14. Juda & Israel, per allegoriam ad ecclesiam catholicam pertinent. Et iterum: In die illo erit dominus unus, & erit nomen ejus unum. Itaque sub uno temporali monarcha temporaliter regnante, unus æternus monarcha mundo nasci dignatus est, æternè, justè, ubique in cœlo & in terra, angelis & hominibus dominans: non ad suam, sed ad subjectorum duntaxat utilitatem edicta proponens, ut ex eo cognoscatur perfectissimus & summus per omina & super omnia dominus: non quod servo, sed quia ipso penitus indiget servus. Qui non indiget investigatione aut descriptione ministrorum, calculando scire subjectos: quoniam angelorum & hominum, bonorum atque malorum sibi soli est cognitus certus numerus. Qui etiam Psalm. 46. novit multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Nec ignorat numerum capillorum & foliorum, arborum & animalium atque ferarum, & arenam maris ipse dinumerat. Et omnia prout fecit, sic Sapient. 11. & mente gerit in numero, pondere & mensura: & qui filiorum nomina scripserat jam in cœlis, juxta quod dixit: Gaudete & exul- Matth. 5. tate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlis. Et non solum Christus in eo quod sit super omnes, futurus erat, in populo Judæorum præfigurarus & propheratus erat, sed etiam de ipso in populo gentilium prophetiæ atque præsagia sunt inventa. Ecce sub uno Augusto Cæsare orbem describi jubente, qui bello, armis, tyranuide acquisivit imperium: mundo secundum carnem nascitur Dei Filius, qui auxit virturibus hunc inferiorem orbem, beatitudinibus vero incomprehensibilius atque ineffabilibus superiorem excellentissime decoravit. Cæsar unus magnus mundo novus qui per suam excellentiam ab omnibus segregatus & cæsus, & commilitones suos ab omnibus visibilibus voluit esse cæsos, & per abdicatum amorem seggregari mandavit, ceu pulchra exsarie comptus Apostolorum, discipulorum, atque cunctorum fidelium: quoniam caput ejus & capilli erant candidi, tanquam lana alba & tanquam nix, quam vis & sponsa ejus hunc imperatorem sponsum suum aliter circa eum affecta denunciet, dicens: Caput ejus aurum optimum, comæ Apocal. 1. ejus sicut elatæ palmarum, nigræ quasi cor- Cant. 5. vus. Quod cum cætera dicta conveniant tamen inter albedinem & nigredinem distare videtur, sed in mysterio congruit, eo quod albedo ad munditiam & puritatem, nigredo ad pœnitentiam & ad miseriam nostri incolatus pertineat. Qui antequam in orbe in carne fieret, ipsum fecit, quia mundus per ipsum factus est. Ipsumque describit, quia cuncta cognoscit. Nec tyranide utitur, aut quomodo libet usurpato dominio, sed eum pater hæredem constituit universorum, per quem fecit & secula: qui cum sit filius, & hæres per Deum.

Cap. VI.

Deſcriptio orbis, locus nativitatis, egreſſus de utero virginali.

Lucæ 2. HÆc *deſcriptio prima facta eſt à præſide Syriæ Cyrino.* Hic præſes in provincia Syriæ à Cæſare & à Senatu urbis conſtitutus erat, tunc ille denuo edictum deſcriptionis accipiens, non authoritate ſua, ſed authoritate imperaturiæ majeſtatis agebat. In qua deſcriptione hæc ſumma requirebatur, ut numerus omnium hominum haberetur, & Imperatori Auguſto & Senatui Romano notus eſſet, ad oſtentandum vel oſtendendum quanta gloria, & quanta humana laude Romanus populus attollendus eſſet, qui propria libertate ſibi omnem orbem ſubjecerat. Fertur quia tunc in urbe Roma nonagies tricenties milia hominum & octoginta milia amplius, exceptis ſenibus ineptis ad militiam, & mulieribus & parvulis, in ætatem armigeram reperta ſunt. Sed ut deſcriptio hæc ſeriosius fieret *ibant omnes ut profiterentur, ſinguli in civitatem ſuam* Joſeph autem ſponſus Mariæ virginis, ex præcepto & revelatione angeli, amoto timore atque ſuſpicione de conceptione virginea, duxerat eam in domum ſuam, non intuitu conſummandi matrimonii per carnalem copulam, cum nec agnoverit eam, ſed ad conveniendum, habitandum, & convivendum, & ad cuſtodiendum eam. Qui cum eſſet Nazareth, volens parere decreto Cæſaris, qui univerſum premebat orbem: ex cujus etiam ordinatione atque Romani Senatus per familias & tribus ſeu genealogias fiebat deſcriptio, quamobrem eos qui erant in aliis civitatibus, oportebat ad illam civitatem tempore hujus deſcriptionis cum cenſu redire, in qua ex antiquo ſua genealogia per amplius ſervabatur. Proinde *aſcendit & Joſeph à Galilæa de civitate Nazareth, in Judæam civitatem David, quæ vocatur Bethleem, eo quia eſſet de domo & familia David, ut profiteretur cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante.* Non liberantur à decretis & ab exactionibus imperatoris ſæculi parentes Domini Salvatoris, nec à Deo, nec ab hominibus eximuntur ob
Matth. 17. aliquod inſigne virtutis. Nec adhuc tempus advenerat, ut per hanc exceptionem myſterium hoc divinum & occultum clareſceret, cum Chriſtus jam perfectæ factus ætatis, in multis miraculis clarus, voluit exactoribus Cæſaris per Petrum dari tributum ad ſcandalum devincendum. Voluit omnino Chriſtus ab ipſo nativitatis ſuæ exordio ſubjacere legibus tanquam homo, ne videretur rempublicam conturbare voluiſſe, qui venerat ad melius reparare corruptum, inſinuans quia juſte regnum gratum habet, & omnis ſibi ſanctio eſt accepta, qui in pace atque in juſtitia rempublicam ſervat. Nec adverſari debent poteſtati æque regenti quicunque mortales, cum ei ſubjacere voluerit in humilitate Deus. Et omnis poteſtas à Rom. 13. Domino Deo eſt, & qui poteſtati reſiſtit, divinæ ordinationi reſiſtit. Igitur aſcendit Joſeph à Nazareth, ubi conceptio celebrata eſt, & incarnatio Verbi Dei, & venit Bethleem civitatem David, ubi erat celebranda nativitas. Præſagiunt myſterium atque conveniunt Chriſti futuris actionibus iſtæ duæ civitates, Nazareth & Bethleem, ſi per ipſarum ſignificationes & provinciam, ubi ſitæ ſunt, in exquiſitam ſpeculationem deveniant, ut nec alibi concipi, nec alibi naſci debuerit quam ut eſt. Erat autem homo de familia David & de tribu Juda, ex qua ſecundum carnem Chriſti eſt facta traductio ſecundum repromiſſionem quam fecit: De Pſalm. 131. fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, ut domus ad progeniem, familia ad familiaritatem morum & vitæ referatur. Profectus aſcenderat juxta edictum cæſareum, deſcripta progenie, deſcripto nomine, deſcripta civitate, datóque cenſu: prægnans tamen Maria erat, vicinàque partui, cujus Joſeph ſic ſolicitam gerebat cuſtodiam, ut poſtquam illam juſſu angeli in contubernium duxerit, nec eam dimiſerit, ducens illam ſecum ſibi deſponſatam, non cognitam. Quæ improviſa venit, de tempore partus non cogitans, divinæ directioni & gubernationi omnia derelinquens, cum divina operatione, non humana concepiſſet: nihil ſecum deferens, quæ ædita proles in cultu educationis inquirit. Similiter & ſponſus Joſeph improvide venit. Non enim aſcendens Bethleem ut pareret ibi, Mariam ſecum duxit, ſed ut profiteretur, aſcendit. Divine quidem factum eſt, ut illam duceret, & ut ibi neſcia temporis, vicina partui peperiſſet. Unde *Factum eſt autem cum eſſent ibi, impleti ſunt dies ut pareret, & peperit filium ſuum primogenitum* Venerant Joſeph & Maria Bethleem, nec infra civitatem fuerant hoſpitati ob multitudinem eorum qui advenerant, ſed in quoddam epidochium ſeu diverſorium extra ipſam, in quo pauperes divertebant. Urgebat quidem hos ſic hoſpitari paupertas, magis autem divina diſpoſitio ſic agebat propter

propter myſterium & præſagium futurorum. In quo tempore, in quo loco impleti ſunt dies virginiei partus, ignorati tamen à cuſtode virginitatis & ab ipſa virgine pantura, ſoli Deu cogniti. *Et peperit filium ſuum primogenitum.* Signata locutio à Spiritu Sancto ædita, peperit filium ſuum, ſeu virginis parientis, non Joſeph putativi patris, ut duorum parentum traduce carnis non ſit filius, ſed unius: quanquam æterni patris ab æterno filius ſit æternus. Primogenitum non ordine poſteriori, ut haberet ſequentem, quem nunquam habuit, ſed ordine anteriori, quem nullus ex utero virginali naſcendo præceſſit. Peperit virgo virum, viri nec uſa conſortio, imo femina Deum ineffabili modo. Nam ille Deus qui virginis uterum ingreſſus eſt, non ſatus, egreſſus eſt ſua virtute, ſua poteſtate, non humana lege, ſupràque omnem humanam comprehenſionem ejus celebratus eſt partus: non natus poteſtate parientis, non naturæ impetu, quo decurſis novem menſibus fœtum vi ex utero natura depellit, ubi doloribus angitur pariens, triſtiniàque tenetur cum illam venit in horam, ut majoribus confodiatur pœnarum aculeis cum parit quam fuerit refecta delectationibus cum concepit. Nec violentia ille partus emiſſus eſt, ut lege naturæ ſe nun potuerit amplius intra materna viſcera continere ſi voluiſſet, qui naturam omnibus rebus inditàm voluntate ſua in omnibus ſuperabat & potuiſſet virgineum clauſtrum incolere per multa tempora non turbatum. Qui quamvis in illo carnem aſſumeret, non deſtitit eſſe quod ab æterno erat, qui voluntate, non neceſſitate omnia fecit: hæcque faciebat quod ſic pro mortalibus naſceretur, factusque absque peccato mortalis, non ut ſemper eſſet mortalis, ſed ut mortales ad vitam proveheret ex mortuis, ut & mortalis competeret morte mulctatis atque mulctandis, & natus mundo & in mundo conditor ejus. Nec duatum perſonarum eſt celebrata nativitas, ſed unius, quamvis duarum naturarum ex utero virginali ſit celebratus egreſſus, quarum unius tantum in concipiendo in eundem uterum ſit factus ingreſſus. Non enim humana natura in illum uterum eſt ingreſſa per ſemen, ſicut protoplaſto tradueta propagatur, nec alia lege immiſſionis exterioris Chriſtus ut homo eſt ſatus in virgine, ſed ex ipſa virtute Spiritus Sancti caro miniſtrata eſt. Natura vero divina in aſſumente verbo ſuo, ineffabili modo duntaxat in uterum virginalem humilem fecit ingreſſum, extrium ſubſtantiarum unione perfecto expectato tempore, in communi naturæ ordine Deus & homo per virgineam portam naſci dignatus eſt, inde incipiens eſſe docibilis, quo cœpit eſſe viſibilis, natus inter omnia, nativitatem omnibus certis legibus ordinans, & ordine novo natus, humanum genus ad novam nationem præſtruxit. Et clare factum eſt quod olim ſertum erat in humana natura & poſt peccatum, ut in illa mundo viſibilis Dei filius appareret, & in eadem plagata carne ſuperinducta ſanctificatione, demum medicina reperta eſt. Excedit ingenii humani ſimiliter & eloquii facultatem, quia non ſatus in virgine, ſed ea lege qua non ſatus nec natus agnoſcitur, ſed divina virtute fieri creditur omne quod agitur. Taciturnitate potius opus eſſet, quam diſſertione verborum, ubi à grandi materia intellectus humanus obruitur, etiam & angelicus ſuperatur. Quid enim eſt quia fari geſtit homo mortalis niſi quia in tempore venit æternitas, immenſitas in menſuram, creator in creaturam, infigurabilis in figuram, inenarrabilis in ſermonem, inexplicabilis in linguam, incircumſcriptibilis in locum, inviſibilis inviſionem, inaudibilis in ſonum, molfactibilis in odoratum, inguſtabilis in cibum, impalpabilis in tactum, dominus in ſervitutem, imperator in vile obſequium, libertas in mancipium, liberator in pretium, expeditus in compedes, ſanitas in ægritudinem ſatietas in famem, fons in ſitim, contimnens in contentum, artifex ingrederetur opificium ſuum, longitudo in brevitatem, latitudo in anguſtum, ſublimitas in imum, nobilitas in ignobilitatem, gloria in confuſionem, ut iſta ſimul in iſto ſimul ineffabiliter nato conſiſterent, nec unum opprimeretur ex altero, nec alterum ex reliquo pelleretur, donec humanæ redemptionis conſummato myſterio omni pœnali depoſito in carne duntaxat glorioſus reſurgeret, cœlosque penetraret. Quid eſt quod credendum, niſi quia eo malo ſe Dei Filius induit, quo nos exuere nitebatur, excepto peccato? à quo etiam nos exuens non aſſumpſit, & prærogavit magnum inſigne hominibus. Factus eſt homo, ut homines deos faceret: non natura, ſed gratia: beatitudine, non ſubſtantia: qui caro factus in utero in hanc lucem ex illo proceſſit ipſe lux incomprehenſibilis creatorque lucis. Et in aſſumptis minoratus à creaturis ſuis atque ſuppoſitis, illis in aliquibus æquatus, in utroque aſſumptorum minor factus ab angelis, juxta illam Davidi cam ſententiam: Minuiſti eum paulo minus ab angelis. In altero vero elementatus ex elementis, æditus ſub cœlo, ſub ſtellis atque planetis, qui omnia ex nihilo in eſſe produxit, ut illo per aſſumptum imponeret unde venit, & ex illo ſuſcitaret quo ipſe deſcendit: Suſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Et non ſolum eſſet aſſumptum, Pſalm. 8. Pſalm. 112.

assumptum, ut una esset persona, sed singulos vere credituros sibi similes in assumpta
Philipp. 2. natura. Æquatus equidem apparuit quoniam seipsum exinanivit formam servi accipiens: in similitudine hominum factus, & habitu inventus ut homo. In cujus nativitatis hora digna fari apparuerunt, ut pariens obtegeretur à nube, nec ulli cognita neque visa dum pareret, nullo prægravata dolore, nec fatigata pœnis, aut in aliquo imbecillis, sicut parientis, sic & obstetricis sola gessit officium, nullis sociata complicibus, nullis fulta pedissequis, ut pio errore multi autumaverunt. Sic Bethleem venit, sic stetit, sic peperit, sic omnibus privata copiis, sicut pauper mulier pauperis carpentarii uxor incolæ se habens, & in epidochio incognite constituta. Quæ illico surgens, ædltum partum, antequam tangeret adoravit: primo prima, in profundæ humilitatis, abyssso genu flexo, proclivo corpore super teram, deinde lætabunda pariter & tremebunda, suspenso in admiratione animo cepit in manibus prolem, suscepit ad genua, peregit nondum experta omne obsequium novi partus. Sed hoc omnem animum fidelem in abyssum tantæ humilitatis considerando demergit, ut nil esset præparatum ad tanti regis exortum, & comparatio aliorum nascentium in tanta cura parentum & assistentium, & eorum quæ requiruntur ad proles procerum primo suscipiendas ex utero matrum, plus ostendit quanta fuerit carentia omnium in ortu Salvatoris. Quoniam & nascendo monstravit mundi contemptum, cum inops, egenus & pauper ingreditur, cunctorum creator existens. Bajulat sola solum, & monas monadem portat. Fertur à puella puer, Deus à fœmina, creator à creatura. Lactatur ab ubere ubertas infinita, & à nescia prolis alendæ, ipsa summa sapientia gubernatur.

Cap. V.

Genealogia Christi texitur, secundùm Matthæum & Lucam.

EX quibus autem iste primogenitus virginis unigenitus Dei secundum carnem originem traxerit, Evangelistæ declarant. Unus breviori serie descendendo, ab eo incipiens qui primo remissionem de ipso nascituro recepit, alter à putativo patre, calculans usque ad Deum patrem ascendendo pervenit, qui hunc unigenitum misit. Non autem otiose describitur genealogia Salvatoris, ne crederetur aliunde natus, quam ex his patribus, qui cultum unius Dei tunc tenuerunt, & appellati sunt populus sanctus Dei. Adhuc etiam nemo hæsitet, aut perperam judicet, si aliqui peccatores & peccatrices in Salvatoris generatione ponuntur, quoniam pro peccatoribus ipse carnem assumpserat. Cujus genealogiam sic Matthæus servando describit:
Matth. 1. *Liber generationis JESU Christi filii David filii Abraam.* Præpostera locutio est, nam prior Abraam, posterior David, sed Christo in genealogia vicinior. Et dum prædicaret JESUS miraculaque faceret, David filius acclamatus est, & Joseph pater putativus ejus (ut supra dissertum est) erat de domo & familia David. Et tempore David erat distinctio tribuum jam facta ex filiis Jacob, quæ nondum erat temporibus Abraæ. Quamobrem primo positus est David tanquam insignior in genealogia, quia rex, quia de tribu Juda, ex qua Christus carnis traduce descendit, quia ad ipsum de Christo reprnmissio facta est. Et tamen in vita sua Christus ejus filius dictus & proximior sibi, qui etiam David filius multis interpositis fuit Abraæ. Proinde Matthæus Hebræus scribens in Hebræo sic contexuit: *Liber generationis JESU Christi filii David* scilicet longa traduce carnis multis interpositis *filii Abraam* Hoc autem refertur ad David, ut filius dicatur Abraæ, aut ad Christum, ut filius dicatur duorum propter repromissionem eis præcipue factam. Uterque sensus congruit veritati *Abraam genuit Isaac, Isaac autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Judam & fratres ejus, Judas autem genuit Phares & Zaram de Thamar, Phares autem genuit Esrom, Esrom autem genuit Aram, Aram autem genuit Aminadab, Aminadab autem genuit Naason, Naason autem genuit Salmon, Salmon autem genuit Booz de Rahab, Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Jesse, Jesse autem genuit David regem, David autem rex genuit Solomonem ex ea quæ fuit Uriæ, Salomon autem genuit Roboam, Roboam autem genuit Abiam, Abia autem genuit Asa, Asa autem genuit Josaphat, Josaphat autem genuit Joram, Joram autem genuit Oziam, Ozias autem genuit Joatham, Joathan autem genuit Achaz, Achaz autem genuit Jezechiam, Jezechias autem genuit Manassen, Manasses autem genuit Amon, Amon autem genuit Josiam, Josias autem genuit Jechoniam & fratres ejus in transmigratione Babylonis. Et post transmigrationem Babylonis Jechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, Zorobabel autem genuit Abiud, Abiud autem genuit Eliacim, Eliacim autem genuit Azor, Azor*

Azor autem genuit Sadoc, Sadoc autem genuit Achim, Achim autem genuit Eliud, Eliud autem genuit Eleazar, Eleazar autem genuit Mathan, Mathan autem genuit Jacob, Jacob autem genuit Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt JESUS qui vocatur Chriſtus. Ecce à quibus patribus Chriſtus eſt natus in carne. Perſpicuum eſt Chriſtum ex juſtis & ex peccatoribus traxiſſe carnis originem: non tamen ita juſtis, ut non indigerent miſericordia: nec tamen ita peccatoribus, quin converti poſſent per indulgentiam. *Omnes ergo generationes, ab Abraham uſque ad David generationes quatuordecim, & a David uſque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis usque ad Chriſtum, generationes quatuordecim.* Et omnes generationes ab Abraham usque ad Chriſtum, generationes quadragintaduæ erant. *Chriſti autem generatio ſic erat*, quod mater ejus deſponſata fuit Joſeph filio iſtius Jacob. Quæ antequam cognita, nunquam tamen cognoſcenda, à Deo per nunciantem angelum præventa eſt. Quæ aſſenſum præbens, ex Spiritu Sancto virgo concepit, virgo decurſis decem menſibus, filium Dei in carne aſſumpta peperit. Et ſic natus eſt tali genealogia, ut prætactum eſt. Et quoniam triplex eſt Chriſti nativitas, una æterna de patre æterno omnino ineffabilis, alia temporalis ex carne, qua natus eſt in terris, tertia ſacramentalis qua natus eſt Sacramentis: idcirco alius Evangeliſta altius aſcendendo usque ad Deum ejus ſchema Chriſtum contexuit, id ratus, quoniam ex carne ipſe proceſſit ad nos. Ex nativitate vero Spiritus in elementis ſacramentaliter ædita, nos acceſſum celebramus ad Deum. Hinc ſcriptum eſt illico poſt baptiſmum vocemque paternam: *Et ipſe JESUS erat incipiens quaſi annorum triginta, ut putabatur filius Joſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Melchi, qui fuit Janne, qui fuit Joſeph, qui fuit Matathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Nahum, qui fuit Hesli, qui fuit Nagge, qui fuit Nahath, qui fuit Matathiæ, qui fuit Semei, qui fuit Joſeph, qui fuit Juda, qui fuit Joanna, qui fuit Reſa, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit Coſan, qui fuit Elmadan, qui fuit Her, qui fuit Jeſu, qui fuit Eliezer, qui fuit Jorim, qui fuit Mathat, qui fuit Levi, qui fuit Simeon, qui fuit Juda, qui fuit Joſeph, qui fuit Jona, qui fuit Eliachim, qui fuit Melea, qui fuit Menna, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit David, qui fuit Jeſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſrom, qui fuit Phares, qui fuit Judæ, qui fuit Jacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Thare, qui fuit Nachor, qui fuit Sarug, qui fuit Ragau, qui fuit Phaleg, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Mathuſale, qui fuit Enoch, qui fuit Jareth, qui fuit Malaleel, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei,* Luc. 3.

Cap. VI.

Quod natus Jeſus pannis à matre involvitur, & in præſepio reclinatur, ſecundum Lucam ſolum.

SIgnanter Evangeliſta per Spiritum Sanctum expreſſit, quod virgo mater alias mulieres in partu ſibi obſecundantes non habuit, cum ſolum de ipſa ſingulariter dicat *quod pannis eum involvit, & reclinavit eum in præſepio quia non erat ei locus in diverſorio.* Involvitur pannis omnia explicans explicatus, & faſciis ſtringitur Platonicus infinitus. Et qui latas cœli plagas elementorumque campos creans ampliavit, panniculis & linteolis faſciatur. Pater Verbum explicat, & mater carnis involvit. Nudus ex terra prodiit homo primus, nudusque non perfuſus pudore manebat, quousque peccando ex rubore palleſceret, & erubeſcens perizomata ficus accepit. Deinde de paradiſo depulſo Dominus Deus tunicas pelliceas fecit. Equidem ſed nec iſte ob illam aut ſimilem cauſam pannis operientibus nuditatem involutus eſt, ſed ob defectum naturæ ſibi inculpabilem, quem aſſumpſit, ut ſimilis eſſet per omnia fratribus ſuis, & ad tegumentum damnoſæ verecundiæ, quam humanum genus incurrerat. Et vilitate pannorum tecta eſt illa ſuperba nobilitas, quam ex ſuggeſtione ſatanica deſideravit Adam. Et abſterſæ ſunt noſtrorum peccatorum fæces, necnon & condemnatæ ſunt pompæ indumentorum ex faſtu mortalium, cum Rex æternus, Rex omnium ſæculorum vilibus tegumentis involvitur, quæ (ut pie creditur) nec præparata erant prævisione parentum, ſed aut erant illi panniculi ex velamentis virgineis, aut forte mutuatus. Ac per hoc ut utroque

Luc. 2. Gen. 3

utroque paupertas & vilitas innuitur, in eo quod ſic in pauperie natus eſt, & vilitate opertus eſt. Initiavit caput eccleſiæ viam novam in his bonis quæ mundus abhorret, & dilexit quæ mundus odio habuit: exorſum faciens, natus ab his januis quas magnus effectus prædicaturus erat fuiſſe introitum ad regna cœlorum. Cœpit ab ea hora, qua mundo apparere voluit, prius facere quam docere altiſſimam paupertatem, rerum omnium abdicationem, ut ei non eſſent panni niſi viles, non ſua, ſed aliena ædes, non amicorum, non conſanguineorum, non conducti ſtabuli determinati hoſpitis, ſed loci vagi atque communis, ut non crederetur natus alicui prius, ſed communis omnibus factus, & totum diceretur eſſe divinum, ubi nihil apparebat humanum. Reclinatur in præſepio procer, ponitur in ſtabulo animalium irrationabilium rector, jacet in fœno factor ejus, imo dominus ejus fœnum factus, quia omnis caro fœnum. Reclinat in præſepium filium Virgo Mater, verè pariendi neſcia temporis. Etenim quamvis pauper, providiſſet de domo & de his quæ ad hujuſcemodi miniſteria requiruntur, ſi præſcia extitiſſet. Sed omnia fiunt in contemptu carnis, in contemptu viſibilium rerum, in deſignatione naſcentis qualis & unde ſit, in cujus ortu nihil mundanum refulget, totum divina diſpoſitione agitur, propellitur humana proviſio. Arguunt omnia iſta Deum, non hominem purum, quamvis verum. Vilis videtur introitus tanti regis in hanc umbraticam vitam, ingrediturque per inſolitam portam, quam natura non fecit apertam, humana operatio ſemper tenuit clauſam. Ingreſſus ejus nullis humanis magnificentiis fultus eſt, clandeſtine inopinatéque factus, nemine Dei filium in utero virginali prædicente, ut regibus ſæculi, quamvis de proximo atque remoto præceſſerint oracula & præconia prophetarum. Sed nullus hanc virginem ſuam matrem in utero ſuo geſtaſſe Dei filium dum gravida ferebat, agnovit: ſola ipſa quæ gerebat excepta, & matre præcurſoris, & præcurſore in utero exultante, qui clauſus in utero ſimiliter agnovit. Non de terris, ſed de cœlis declaratus eſt: quoniam ipſe ſolus de cœlo cœleſtis. Omnia vilia, omnia pœnalia, omnia humilia pro nobis aſſumpta & tolerata ſunt, ut in ipſo, & per ipſum, & ex ipſo eſſent cuncta nobis meliori conditione donanda. Et quanto magis fuerunt, humana & mundana & ſecularia cuncta remota, tanto præſtantius divina credenda

Iſai. 40.

ſunt aſtitiſſe. Prærogata eſt ſpes divini amphitheatri ad divinitatem ſpectandam, cum ipſa ſe permiſit in præſepio reclinari, ubi æterni pabuli ſub pollicitatione annonam accepimus, non quia jumentorum fœnum, ſed pro hominibus poſitus & inventus eſt Chriſtus. Infans jacebat, ſed vagiens, ut infans peccatum primi hominis dialogicæ locutionis excluderet, & vagitus ejus nos à miſeris planctibus liberaret. Non erat ei alius in diverſorio locus, ubi præterquam in præſepio poneretur. In anguſtum venerat, qui latitudines cœlorum & vaſta terrarum fecit. Et venerat lucrari pro hominibus locum & aſcenſurus erat in cœlum, ut electis ſuis pararet optimum locum. Et nunc mirè Nato non eſt locus in diverſorio, non capit DEUM regio noſtra, nec ei in mundo locus aptus ad manendum. Et quem cœli & terra non capiunt, in præſepio reclinatur, igitur locus erat ei præſepium. Corpus ejus aſſumptum locabile quidem & locum exigebat ad ſitum. Quomodo ergo locus, & non locus? Non erat ei præ inopia mundi alius commodior in diverſorio, ubi multi diverterant. Terrena quidem ſpatia numeroſitate conſortum anguſtantur, & aptiora ſæpe præoccupantur à potioribus, vilia vero ſunt relicta pauperibus, & ipſe paupertates ſervaturus & prædicaturus advenerat. Altiori ſenſu exactum verbum aliud intelligibile præſtat. Non erat ei locus in diverſorio, quia incircumſcriptibilis Deus eſt, ſed reclinatur in præſepio puer homo. Non erat ei locus in diverſorio aptior ſibi in deſignationem futurarum actionum ejus locus præſepii vero major. Nam comeſtibilis panis in comeſtione futurus, nec ubi locatur aptius, quam in menſa famelicis antepoſitus, ut accipiant & comedant, eſuriemque depellant. Conficiebat homines ſæva fames, qui ratione deſeſſa velut bruta animalia facti erant, qui ad præſepia ut annonam capiant ſæpe lingantur, ante quos puer Jeſus comeſtibilis in fide, cujus caro verè eſt cibus, cujus ſanguis verè eſt potus, in præſepio reclinatus eſt. Non defuit Deo locus, cujus eſt omnis locus, quamvis nuſquam locetur in loco. Non defuiſſet puero locus, ſed locus non erat ei in diverſorio quoniam futuris myſteriis in præſepio locus aptior ſibi erat. Nihil quidem præter cauſam multam & manifeſtam ab ipſo, & per ipſum, & in ipſo Dei Filio incarne nato factum eſſe credatur, ut eorum geſta per quæ apparuerunt abjecta cauſa penitus abjecta non fuit.

Cap.

Cap. VII.

De vigiliis paſtorum & evangelizatione, eorumque hymno in nativitate Jeſu, ſecundùm Lucam ſolum.

VIgilant paſtores bono naſcituro paſtori, qui de ſeipſo protulit cum eſſet adultus, ***Ego ſum paſtor bonus.*** Joan. 10. Paſtores animalium paſtori angelorum & animarum excubias celebrant. Cuſtodi hominum ipſi naſcenti, cum ſint ovium cuſtodes, vices nocturnas agunt. Et ad inſinuandum quis ſit iſte qui naſcitur, ad demonſtrandum præſagüs in ipſa nativitate Salvatoris, quid in ipſa eccleſia ſit futurum in ſtudio acquirendæ ſalutis. Nam introducendus erat alius paſtoratus ordo, & alia inviſibilis ſpiritualis ordinanda paſtura in uberrimis montibus divinorum Sacramentorum atque virtutum, ut in ratione fidei omni conſummato myſterio paſtorali paſtores boni & greges ſub æterno paſtore in montibus æternæ gloriæ paſcerentur. Hinc eſt quod dicitur: ***Et paſtores erant in eadem regione vigilantes & cuſtodientes vigilias noctis ſupra gregem ſuum.*** Actio conſona veritati & humanum officium divinis alludens, quod paſtores in qua Chriſtus natus eſt regione vigilarent, non ob aliud noctis vigilias transfigentes, niſi ut cuſtodirent ex mercede commiſſum aut proprium gregem, ne oberrarent oves, ne lupus raperet atque diſpergeret, ut quod languet aut hebet confoveatur, ut in caulis ſervarentur, ut debita hora provideretur de paſtu. Ad hoc vigilia, ad hoc cuſtodia figitur ſupra gregem. Eadem imagine rationabilis paſtor ſuper rationabili grege invigilat atque firmat cuſtodiam, & à cuſtodia & vigilia ſuper irrationabilia typis trahitur, quo rationabiles atque fideles oves à paſtoribus gubernentur. Non vigilabant hi paſtores ſuper nova nativitate revelata, nec divina humanè, aut humana divinè declarari cogitabant. Non alta ſapientes, non tunc prophetias impleri de filio Dei expectabant, ſed vivebant in ſimplicitate cordis, in puritate legis agentes ſolicite officium euræ paſtoralis, qui ſic in lege vixerunt ut primi Chriſti notitiam, exceptis parente & Joſeph, in terris habere meruerunt, ut quia boni erant bonitate virtutis & circumciſionis & obſervationis legalis, mererentur Chriſtum habere in notitiam cum cæteris bonis: quia paſtores in deſignatione myſterii ſingulariter de Dei Verbo revelatum eſt illis. Hoc enim præcipuè bonum habuit Moyſaicæ legis obſervantia, ſimplex atque poſſibilis, ut futuri Chriſti in fide notitia obſervatoribus præſtaretur, & demonſtraretur eccleſia in ortu Capitis, qualiter eſſet in benè diſpoſitis membris uſque ad finem ſæculi regnatura. Simplex Deus, in carne natus, non cum carne compoſitus, mente ſimplicibus primo innoteſcere voluit: quoniam cum ſimplicibus ſermocinatio ejus, & non multiplicatus intellectus fidei ſubditur citius atque facilius. Nec Dei filium mundi decuit primo prædicari per aliquos ſapientes ſive potentes, ſed per plebeos atque paſtores, ne humanis actionibus divina involuiſſe crederentur. Inculta eſt corpore atque agreſtis vita paſtoribus, & inculte natus ſe notum fecit incultis; aſtruens quibus expedit prædicatio & revelatio divinorum. Hinc *& **ecce angelus domini ſtetit juxta illos**, & **claritas Dei circumfulſit illos.*** Advenit angelus domini emiſſus cœlitus ad terras humani incolatus, ad ima de ſuperis, ad homines ex divinis, angelus ex officio nunciandi domini, ne l ucifenanæ poteſtate mitti crederetur. Sed cum omnes ſpiritus rationabiles ſeu ſeparatæ ſubſtantiæ permanentes & apoſtatici Dei ſint, & ipſius poteſtati ſubdantur, quid eſt quod de iſto præcipuè dicitur angelus domini? Nihil profecto aliud dixerim, niſi quod ille Gabriel qui nunciavit præcurſorem, qui miſſus eſt ad virginem Dei matrem, hujus mire nati nunciare conceptionem atque nativitatem, ipſe ſit qui nunc ad denunciandum prædictorum effectum & Salvatorem omnium natum, juxta ipſos paſtores aſſiſtit. Aut dicitur domini velut nuncius, qui ſolum dominica venerat nunciare: Et claritas Dei circumfulſit illos. Depellitur & tacetur claritas creati ſolis, cujus lumen eſt in poteſtate diei, non noctis, ſed ſolus Deus hanc noctem ſicut diem illuminat, cujus claritas perſtrinxit ex omni parte paſtores, in corpore ſimiliter & in corde irradians ut non parvi penderent factum quod tam inſolitum videbatur, nec crederetur fuiſſe otioſum, quod tanto declarabatur lumine claritatis. Lumen manifeſtatur ex lumine, & à luce clara noctis tenebræ depelluntur, & filii Dei & hominis nova nativitas ex nova claritate noctis innotuit. Quoniam mundus innovandus erat doctrinis, Sacramentis atque decretis tanti & magni regis in clara facta nocte naſcentis, & pellendæ tenebræ idololatriæ cunctarumque pravitatum à corde credentium erant, per

eum qui vera lux eſt, illuminans omnem hominem in hunc mundum utique venientem, quæ cum ſit increata, nata mundo, à creata luce depromitur propter inſolitam novitatem, ſua colluſtratione inſolitos videre deterrente paſtores. *Et timuerunt timore magno.* Magnus timor ex magno parvos hos paſtores invaſit, obſtupeſcunt humana cum divina clareſcunt, & parvus hominis animus ſuperatur à magnis, & aſpiciens inferiora ex ſubita actione magna paveſcunt. Sed citò avellitur timor, qui diſpenſativè ad aliquid magnum inſinuandum immittitur, præſertim cum à ſubſtantiis & ſupernis actionibus venit. Divina providentia præeunt ſæpe triſtitia, ut læta ſequantur. Propterea ſequitur. *Et dixit illis angelus: Nolite timere.* Sive ex aſſiſtentia cœlici ſeu angelici ſpiritus in aliqua viſibili aſſumpta forma ſtantis juxta illos, ſive ex claritate circumfulgente ipſos timor obvenerit, ab angelo loquente removetur, ſubjiciente cauſam lætitiæ, non querelæ, cum ait: *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator mundi, qui eſt Chriſtus dominus, in civitate David.* Gaudium humana natura in ipſa creatione accepit, cum ad Dei ſimilitudinem & ad imaginem facta eſt. Et ad uſum corporeum in Eden tenuit manſionem, omnibus fulta bonis, omnem creaturam excedens, præter ſubſtantiam ſeparatè creatam poſita in illa felicitate paradiſi, ubi nil erat adverſum ſub pollicitatione melioris, ſi manſiſſet in illis. Sed ſtatim luit pro voluntaria culpa ſupplicium, & verſum eſt in luctum gaudium ejus. Nunc in gaudium redit ipſa corrupta & mulctata natura in nativitate Salvatoris, quod evangelizat præco ille cœleſtis, aſſerens magnum ad propellendum magnum paſtorum illorum timorem. Magnum ex magnitudine infinita naſcentis, ex integritate parientis, magnum pro virtute, magnum pro novitate, magnum pro omni ſalute, magnum pro æterna beatitudine, magnum pro incomprehenſibilitate. Declarat angelus unde magnum, quia natus eſt vobis hodie Salvator. Paſtoribus territis & timidis ex viſis inſolitis quaſi ſingularibus, commune bonum angelus evangelizat eis, pro eis edifferens nativitatem domini Salvatoris. Ecce gaudium dicitur, unde cauſetur, quia Salvator natus eſt nobis. Nulla gaudii materia potior, quam de magna periclitatione ſalvatio. Etiam ex hoc magnum, quia magna & certa damnatio, magnam ex magno liberationem accepit. Quam nativitatem ejusque cauſam lætitiæ paſtoribus factam angelus aperit, non quod duntaxat natus ſit ipſe paſtoribus, eorum ſit de nativitate domini omne gaudium, cum ipſe non aſſumpſerit incarnando perſonam, ſed & in commune naturam humanam, & Iſaiæ vaticinium pro omnibus intelligitur: Parvulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Sed quia ipſi velut primitiæ naſcentis eccleſiæ myſterium hoc à ſæculo abſconditum, in tempore revelatum, completum in plenitudine temporis, pro ſe & omnibus ſubſequis audierunt. Ecce unde gaudium propter naſcentis officium, quia Salvator. Ecce deſignatur ex nomine ille qui naſcitur, quia Chriſtus dominus. Chriſtus ad hominem, dominus ad Deum omnipotentem refertur. Chriſtus, id eſt, unctus, quia reges & ſacerdotes in lege veteri ungebantur. De quo per inſigne dicitur: Unxit te Dominus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis. Et Dominus Deus ille qui natus eſt. Igitur ex naſcendi circumſtantiis, in tuo animo ne vileſcat. *In civitate David* ſcilicet Bethleem, in qua natus fuerat multo ante David, qui de ipſo repromiſſionem accepit: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam. Quod ad Salomonem in carne, ad Chriſtum in figura ſervabatur. Et ipſe David etiam Chriſtum in geſtis & verbis ſuis plurimis figuravit. Nec Bethleem, quamvis modica ob humilitatem ad naſcendum electa excludebatur à myſterio Salvatoris, cum ipſa interpretanter dicitur domus panis, & ipſe mirè natus in ea ſit panis vivus qui de cœlo deſcendit. Non tamen ex toto perſpicuum eſt, an hoc quod dicitur, qui eſt Chriſtus Dominus, ſint verba evangelizantis angeli aut ſcribentis Evangeliſtæ. Sed quomodo ſe habeat ordo geſtorum hujus mirè Nati, duplex nomen ex evangelio claruit, ſcilicet Jeſus id eſt Salvator, & Chriſtus, qui dicitur unctus. Sed amplius piæ credulitati conſonat, quia ille idem angelus, qui Mariæ dixit, ut vocaret eum Jeſum, nunc paſtoribus declarat eum eſſe Chriſtum, ne ipſi & cæteri alium Meſſiam expectando fallantur. Ecce completa eſt prophetia Prophetæ dicentis in perſona totius humanæ naturæ: Ego autem in domino gaudebo, & exultabo in Deo JESU meo. Jeſus dicitur hæbraicè, latinè Salvator, qui pro omnibus natus eſt. Et Pſalmiſta dicit: Convertiſti planctum meum in gaudium mihi. Planctus perſeverans ab Adam uſque in præſens, de merito ejus in gaudium dominicæ nativitatis converſus eſt, quod angelus paſtoribus

Iſaiæ 9.

Pſalm. 44.

Pſalm. 131.

Habac. 3. Pſalm. 29.

ribus evangelizat. Unde alia major aut similis gaudendi ratio provenire hominibus potuit, quam quod Dei filius homo fierer inter homines ipſos ſuo merito ſalvaturus? Ac per hoc non otioſe incarnatus atque natus eſt inter homines factus homo, ſed ut ſalvaret ab omnibus periculis in excelſis. Nec hunc mirè Natum abre paſtoribus angelus nunciavit, ſed ut quæreretur, quæſitus inveniretur. Nam ipſe quidem mox ut voluit naſci, voluit ex fide cognoſci, voluit inquiri, & inveniri ab in ſimplicitate quærentibus. Et ut credatur, atque quæratur, angelus prædicat ut inventus agnoſcatur, non ex altis, non ex divinis, non ex magnis, ſed ex humanis & imis ipſum deſignat, dicens: *Et hoc vobis ſignum: Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Datur ſignum de Jeſu quod non in apparatu & cultu regio mundum intravit, quia infans, à non fando dictus eſt: exiſtens mutus, qui aliis dedit linguam: non volvens diſerte ſuam, qui omnibus loquentibus dat loquelam. Et mirum ſupra modum videre Verbum mutum involutum à Matre vilibus pannis, ut ex omnibus paupertas ipſa clareſcat.

Cap. VIII.

Cur in pannis involutio & in præſepe reclinatio paſtoribus pro ſigno datur. Canitur ab angelis gloria in altiſſimis DEO.

QUæ eſt iſta evangelizatio angelica, ut ad ſignandum Jeſum Chriſtum Dominum involutum pannis, reclinatum in præſepio clamet? Sunt ne iſta aria, infantia, pannorum involutio, & fituatio in præſepio, perfecte ſignantia Salvatorem? Cur pro ſigno tanti ſignati aliquid cœleſte non dedit? Cur non induxit in ſignum illius noctis inſolitam claritatem? Cur ei locutionem pro fide non dedit? Cur non aliquod magnum inſigne pro ſigno monſtravit? Inveniuntur alta data ſigna in manu Moyſi & Aaron & Eliæ & Eliſæi, & multorum Prophetarum, ut eorum dicta & facta crederentur. Quamobrem pro tanto domino ut in cognitionem veniat, deſignando tam vilia ſigna ſunt inducta, ut involutus pannis, & poſitus in præſepio Salvator omnium crederetur? Erant ne paſtores tam menti altæ ſubjecti, ut tam ex vili ſigno eum crederent omnium Salvatorem? Potius autem ex ſigno dato debuit patuiſſe contemptui. Verum quia nihil potuiſſet inveniri hoc grande myſterium, ſcilicet Dei filium hominem factum inter homines pro ſalvandis hominibus natum, divinè ſignare ſufficiens, ima pro ſignandis divinis aſſumpſit, eo videlicet prætextu, quod neque inveniebatur aliud divinum, angelicum ſive humanum, cœleſte ſive terreſtre competens pro ſigno ſufficiens, ad ea ſigna ſe contulit oſtendenda, quæ oſtenderent Deum ab humanis rebus liberum exiſtentem. Et ut ſciretur quod non venerat in poteſtate ſed in infirmitate carnis & contemptu viſibilium genus liberare humanum, necnon & ingreſſum & egreſſum à mundo voluit concordare, ùt in paupertate natus, in illa etiam moreretur. Et cùm ipſo prædicante, ſigna de ſua magnificentia & in miraculis quærerentur, aliud quam Jonæ ſignum pro ſua morte & ſepultura non dedit. Equidem conſona ſunt ſigna, quia natus, quia mortuus & ſepultus, in nativitate inventus eſt infans, & coram Pilato ſiluit, ita ut miraretur præſes. Signum Jonæ pro ſua morte & ſepultura imaginem quandam cum ſigno dato in nativitate per angelum habet. Nam ſicut natus involutus eſt pannis, ſic mortuus ſyndone involutus eſt, prout mos erat Judæis ſepelire. Et ſicut reclinatus eſt & poſitus in alieno præſepio, ſic poſitus eſt in alieno ſepulchro. Et ſicut per quadraginta dies virgo excluſa à templo in puerperio ſtetit, ſic per quadraginta horas mors ejus verificata eſt. Nec etiam aliter credamus hunc Gabrielem angelum aliter perfeciſſe divina juſſa, quam ab ipſo jubente accepit, nec ipſum aliter deſignaſſe, quam ipſe ſignandus edixit: quia ſic præcepit ut voluit, ſic voluit ut decuit, ſic decuit ut ab æterno extitit ordinatum atque præviſum. Cujus rei quærere rationem, nihil aliud dixerim, quam velle inveſtigare ſuperbè infinitam & irreprehenſibilem & debite agentem omnia Domini voluntatem. Quæ cum inveſtigari à mortalibus nequit, in aliquo errare non poteſt, quæ laudanda ſemper ab hominibus de omnibus eſt, non diſcutienda pro qua re fortaſſis ſignum dabatur ut inventus cognoſceretur, cum nullus unquam natus ſic extitiſſet expoſitus. Non ideo datum ut fides hujuſce-

modi

modi nati infunderetur paſtoribus, cum nulla ſigna ſufficientia ſint ad fidem, quam ſolus Deus infundit ſua beneficentia largitatis, non merito capientis. Non enim angelus prædicabat aut infundebat fidem, ſed prædicabat credenda, etiam ſperanda & diligenda per illam. Verum quia homines non applaudebant huic clandeſtinè atque incognitè nato, multitudo cœleſtis militiæ ipſum cognoſcens, applaudebat, & fiunt in laudibus familiares hominibus in terris, quos in cœlis ſperant habere concives. Et ne credatur, unus duntaxat huic mirè Nato angelus aſtitiſſe cum præcone, primum novitatem actam pro hominibus ſuper terram, cœleſtium civium, ſeparatarum ſubſtantiarum divinorum ſpirituum in formatis vocibus, ex aſſumptis corporibus multitudo conſonat. *Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Sine intercapedine temporis cum angelo evangelizante Deum, cœleſtis militiæ multitudo collaudat. Et confeſtim quod mirè Natus declaratus fuit ab angelo paſtoribus, inſonante per vocem ſibi militia cœleſtis alludit in teſtimonium dati præconii, ut non ſolum in ore unius, ſed in ore plurium ex ecelo dicentium teſtimonium verum fiat. Et in excellentiam novi partus, quia peperit Virgo Mater, necnon in illam ineffabilem humilitatem laus illa tendebat, qua Deus homo factus voluit mundo naſci. Mirabatur cœleſtis illa militia ducem ſuum talibus armis indutum, ad novum congreſſum cadentium angelorum. Et deficiens intelligere, laudat vocibus quod miratur. Mos tamen eſt aſſiſtentium militum, regem laudare, ſibique applaudere ſchemate novo veſtitum: Militia quidem in ipſa nativitate cœleſtis apparuit, & humanis auribus vocibus aſſumptis intonuit, quæ duci ſuo ſemper immaculate in ſupernis aſſiſtit, & ipſum deſcendentem ad terras ſequitur, non quærens quo eat infallibilis & æternus dux, ſed ſequens quo ierit cum adverſis parata bellare. Et ne crederetur iſte mirè Natus homo duntaxat de terra terrenus, ſed de cœlo cœleſtis, ideo eum militia cœleſtis laudibus effert. Quæ idcirco militia cœleſtis dicitur, quia infatigabiliter pro hominibus terrenis militant, ut poſſint eſſe cœleſtes ſimulque concives. In quorum ſimilitudinem in plenitudine temporum, ducem ſuum factum agnoſcunt, qui eos in principio creationis ad imaginem ſuam & ſimilitudinem fecit, ut nunc verſa vice quod dedit, aſſumpſerit. Et applaudit diſertè illa ſuperna militia, ediſſerens quid obvenit, quia gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Non gloria nova Deo, qui ab æterno incommutabiliter atque invariabiliter glorioſus extitit, neque ab imis gloria infertur in ſummis, ſed ex nova nativitate Verbi ſui ab hominibus amplius glorificandus eſt atque laudandus. Per amplius quidem, quia pro nobis Verbum caro factum eſt, quam quia nos fecit ex nihilo, & in eſſe produxit. Et ex innovatione facta per Verbum, etiam qui blaſphemabant, qui idololatrabant, ad glorificandum & laudandum Deum convertentur, ſicut Iſaias de Domino ait: Ecce ego facio nova, & nunc orientur, & cognoſcetis ea. Ponam in diſerto viam, & in via flumina, & glorificabit me beſtiæ agri, dracones & ſtruthiones. Quia dedi in diſerto aquas, & flumina in invio, ut darem populo meo potum electo meo. Populum meum formavi mihi, laudem meam narrabit. Hæc omnia referuntur ad Verbum incarnatum, & ad populum Chriſtianum. Ipſum eſt novum, quia novum fecit Dominus ſuper terram. Ipſe Chriſtus via, ipſe flumen, ipſe aqua, ipſe potus. Cætera quidem ad populum collectum de gentibus. Seu etiam, quia gloria erat hominibus in altiſſimis coram Deo, pax quidem ſolum bonam voluntatem habentibus: quoniam non eſt pax impiis dicit Dominus Deus. Ad impietatem tendit bona voluntate carere, quia nihil ad pietatem præſtantius in hominibus invenitur.

Iſaiæ. 43.

Iſaiæ. 48.

Cap. IX.

De tranſitu paſtorum uſque Bethleem, & inventione Jeſu, & de primis epiphaniis ſecundùm Lucam ſolum.

VErum, quia non ab res angelica voce declaratum eſt, quod qui natus eſt, Salvator eſt, & Dominus ſæculorum, ſed ut quæreretur, & indicatus eſt per ſignum, ut inventus cognoſceretur, oportunum erat ex debita & honeſta decentia, ut hi qui hoc cœleſte oraculum audierant, quia ad quærendum illum

illum in animo moti, ſimpliciter & in corpore moverentur. Unde *& factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis angeli in cœlum, paſtores loquebantur ad invicem : Tranſeamus uſque Bethleem, & videamus hoc Verbum quod factum eſt, quod Dominus fecit & oſtendit nobis.* Perſpicuum eſt angelos in cœlo exiſtentes ante Deitatis conſpectum ad ſequendum ducem ipſorum velut milites infra noſtra inferiora deſcendiſſe, cum peracta evangelizatione de mirè Nato, & hymno dicto, in cœlum unde venerant, fecere regreſſum. Paſtores autem admirantes in animo de tanta oraculi novitate, atque de myſterio delectati, ad invicem conferunt, quid agendum proponunt, & condicunt quod non otioſe hoc eis exiſtit indicatum & manifeſtatum tam ab æterno ſecretum, & quod arguendi eſſent atque mulctandi, ſi hanc negligenter quærerent novitatem. Deliberant tranſitum ab eo loco quo erant, uſque quo Salvatoris eis eſt ennunciata nativitas, viſendi cauſa Verbum æternum, quod erat in tempore caro factum, & per angelum eis oſtenſum. Et penſando verba poſt angelorum diſceſſum, ut nec eos viderent in aſſumptis corporibus, neque audirent in vocibus, paſtores ad invicem ſunt locuti, exprimentes ex communi deliberatione quid agendum, dicentesque : Tranſeamus uſque Bethleem, ne cunctemur amplius, ne noſtra mora poſſit eſſe aliqua fruſtratio, & videamus & agnoſcamus hoc Verbum quod ab angelo factum eſt nobis, ſeu Verbum ſcilicet myſterium ante factum, ſeu negotium quod factum eſt. Luce clarius liquet, quod fidem inhæſitantem angelo evangelizanti dederant, cum dicunt quod factum eſt, quod ſolus Dominus fecit, ab alio non factum, neque factibile. Et oſtendit nobis, angelo ſcilicet docente per fidem. Oſtendit omnipotens Deus Pater Verbum ab æterno, non factum, ſed genitum, per quod omnia facta ſunt : inter ipſa omnia caro factum, in angelica ſeu cœlica voce paſtoribus, ut magni conſilii angelus ab angelis, cœleſtis à cœleſtibus, bonus naturaliter, paſtor bonus in effectu futurus : vigilans ſuper ſalutem generis humani, vigilantibus paſtoribus monſtraretur, ut à majoribus & ſuperioribus ſcilicet ab angelis, paſtoribus : à paſtoribus ad ſubjectos prodeat, in hac vita notitia divinorum, donec evacuetur omnis ordo & omnis principatus, & ipſe Deus homo ſit omnia in omnibus. Simplex & effectuoſa conſuevit eſſe, & debet vita paſtorum circa ſubditas oves & animalia, quibus habent providere de paſtu, & pietatis cultum offere Deo de fœtibus, quos ex ovium fœcunditate ſuſcipiunt. Et qui deſuper ſpectator eſt omnium, reſpicit ſuper ipſos, ut ſimul cum muneribus gratos accipiat. Sic quidem primus ovium paſtor corde innocens atque manu, & in utroque juſtus in ipſa infantia ſæculi omnipotentem Deum honorabat, cui per omnia gratus à fraterna invidia interemptus eſt. E regione itaque in ipſa renovatione ſæculi exiit vindicatum, cum Verbum caro factum ſub cœlo, primò paſtoribus eſt oſtenſum. Multa quidem reponuntur in divinis voluminibus geſta paſtorum, atteſtantia huic myſterio, quod Dei filius incarnatus, ipſis paſtoribus eſt oſtenſus, ut non ſit ambiguum rectè ſapientibus paſtoribus animarum, rectè viventibus, proſe atque ſubjectis ovibus à Deo ſupra humanum ſenſum multa monſtrari, & ipſorum juſto miniſterio agi & gubernari decentius Eccleſiam ſanctam Dei. Nam Moyſes in interioribus deſerti paſcens commiſſum gregem, Deum vidit in flamma ignis in rubo, & audivit documenta, qualiter oppreſſum populum ab Ægyptiaca ſervitute liberaret. Et de poſt fœtantes, David acceptus à Deo, rex Judaici populi factus eſt. Et prophetatum extitit : Dabo vobis paſtores juxta cor meum. Congruum enim erat, ut daturus paſtores in populo juxta cor ſuum, quod ad tale præſagium primo vigilantibus paſtoribus, primo oſtenderet filium ſuum. *Qui venerunt feſtinantes, & invenerunt Mariam & Joſeph, & infantem poſitum in præſepio.* Urgebat cœleſte præconium corpore feſtinare paſtores, qui ex credulitate feſtina in animo ad præſepium jam uſque pervenerunt, & eo pedibus amplius feſtinabant, quo fides angelicis dictis acceſſerat, quod eſſet qui erat. Spes erexerat pro ſalute, charitas ſtimulo pro dignatione, illorum animos agitabat. Equidem uſque quaque aſſolitum eſt velocius agi per corporis effectus, quod agendum in animo major urget affectus. Raro quidem corpus feſtinat, niſi aliqua mentis affectio feſtinare compellat. Neſcit amor tarde moveri cum hæſerit, præſertim cum divinum apponitur ad amandum. Et ipſa tarditas ad quærendum nullius aut modici amoris argumentum exiſtit. Ereuim hi qui cor ſuum in terrenis theſauris & rebus perfunctoriis poſuerunt, cum quæque pretioſa relatione cognoverint dnno poſſe conſequi ſive commercio : data fide, poſita ſpe, amore adjecto : expellunt omnem à corporeis actionibus traditatem ; deſuadant & ambu-

Luc. 2.

Genes. 4.

Exod. 3.

1. Reg. 16. Pſalm. 77. Jeremiæ 23.

& ambulant, laborant & pergunt, ingruunt pericula & tranſeunt : in interminatione ſunt verba, plagæ, expoliationes & carceres : minatur mare naufragium, inſidet in itinenbus prædo, & crudelis beſtia dente venenoque ſæpè impetit : nec ab his cupidi animus deterretur, ne limen domus exeat, nec cum iter incœperit, redire diſponat. Afficitur ſæpe fame, conficitur ſæpe ineptitudine hoſpitandi, ſocios patitur importunos, ab ipſis plerunque decipitur atque necatur, interdum pro hominibus homo conſortia beſtiarum, & multotiens luit aliorum tormenta reorum, & inveniendi cupiditas feſtinare per hujuſcemodi pericula cogit. Quanto quidem eſſet ocyus pro divinis muneribus feſtinandum, ubi talia pericula non obſiſtunt. Et ſi aliquando ſanctis aliqua moleſta illata ſeu aſſumpta exiterunt in corpore, altiſſima Dei præmia in renumeratione affuerunt. Monet animos verè credentium feſtinare ad veras virtutes earumque actiones, cum audierunt ad præſepium feſtinare paſtores. Præſepium & fœnum in quibus Chriſtus infans adhuc jacuit, ſunt ipſa fides & humilitas, cæterarumque faſciculi virtutum. Non cunctentur qui de cœlo agenda didicerunt, ſed feſtinent, ne ex tardo molimine arguantur. Etenim omino de cœlo nobis loquentem advertimus: quoniam de cœlo, cœleſtis eſt Chriſtus. Et ſi qua hominibus ſecundùm Evangelium ejus alia lingua fatur, de cœlo loqui credenda eſt : Scriptum porro eſt : Doce juſtum & feſtinabit accipere. Juſti iſti paſtores erant, qui de cœlo docti feſtinaverunt accipere quod docebantur. Feſtinemus ergo, inquit Apoſtolus, ingredi in illam requiem, ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum. Per virtutis januam, non aliunde ad æternam requiem introitur. Abraham feſtinavit in præparatione ad obſequium hoſpitum, cum ſibi divina ſedenti ad oſtium tabernaculi ſui apparere cœperunt. *Videntes autem cognoverunt de Verbo quod dictum erat illis de puero hoc.* Videntes oculorum corporeorum intuitu puerum involutum, in præſepio reclinatum, Mariam matrem pauperem, in nulla terrena pompa fulgentem, & Joſeph ſenem utriuſque cuſtodem : cognoverunt per fidem in corde à Deo infuſam, quod hic erat ille puer infans Salvator ſæculi, de quo eis ſermo ab angelis factus erat. Quid verò plus habuit iſta cognitio, quia viderunt ab illa, quia in voce angeli audierunt, quodammodo animum movet, cum utraque ſit in fide. Quoniam ſi non credidiſſent, non veniſſent : Igitur primo cognoverunt per fidem. Cum autem venerunt & viderunt, cognoverunt. Quæ cognitio, ſi ſupra id quod humanum erat omino ferebatur, etiam erat per fidem. Non enim oculo corporis Deus videbatur in carne, ſed paſtorum prima cognitio per fidem erat in verbo angelico, uſque ad datum ſignum, videlicet quod infans pannis involutus eſſet, & in præſepio reclinatus. Cum autem viderunt ſignum quod ſupra rerum ordinem erat, etiam & ſignatum cognoverunt de verbo dicto illis ab angelo, non de Verbo increato facto incarnato nuperrimè mirè Nato. Et ſi quod præter ſignum datum in ipſo ſigno & ſignato divinum aliquid cognoverunt, quod pie credendum eſt, cum Deus non eis miſerit angelum evangelizare duntaxat ſignum ſed ſignatum, per fidem tamen, non per ſpeciem fuit illa cognitio, ſcilicet quod Verbum increatum eſſet incarnatum, & quod hic puer natus eſſet in ſalutem cunctorum. Hoc enim erat omne Verbum quod dictum eſt eis de puero hoc, qui ſic natus eſſet Salvator Chriſtus Dominus in civitate David, & quod eſſet pannis involutus & in præſepio poſitus. Proinde antequam pervenirent dum evangelicam evangelicationem audierent, crediderunt quod natus eſſet Salvator, ſed ſub dato ſigno. Cum verò pervenerunt & invenerunt, cognoverunt de omni verbo dicto de ſignato ſub ſigno, & de ſigno in ſignato. Cognoverunt ſignum viſibile, quia involutus & reclinatus erat, addiderunt & credendo cognoverunt ſignatum, quod eſſet Salvator Dominus Chriſtus, quod oculo non conſpicitur, ſed fide tenetur. Et paſtores inſpectis ab angelo dictis, non ſcandalizati in tanta deſpectione, ſed peramplius in fide roborati, cœperunt ferventer prædicare Mariæ in puerperio exiſtenti, Joſeph cuſtodienti, & cunctis aſtantibus de civitate, illam clariratem quam viderant, & illam evangelizationem de puero, & angelicos hymnos, ut aure intenta perceperant, ita ut omnes ſupra ſenſum pariter mirarentur. Nam *& omnes qui audierunt, mirati ſunt & de ipſis quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos.* Mirabantur propter inſolita civilitatem paſtorum, qui ad hanc venerant urbanitatem verborum, ut cæleſtia prædicarent. Mirabantur, quia non intelligebant, non intellectum ſed clauſum admirationem in mentibus hominum facit. *Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo.* Non mirabatur velut altiori cognitione plena, ſed conferebat in corde dicta paſtorum, quam pulchrè

Proverb. 9.

Hebr. 4.

Geneſ. 18.

pulchrè, quam aptè alludebant ei, quem ſine corruptione conceperat & peperererat virgo mater. Attamen erat aliter à cæteris in admiratione ſuſpenſa, & intenta geſtis & dictis, in fide tamen ut mater exiſtens: *Et reverſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant ſicut dictum eſt ad illos.* Revertebantur paſtores ad propria, & ad ſolita converſi & averſi. Converſi, ad infantem Deum: averſi à ſtultitia & prævaricatione Judæorum. Habuit enim JESUS hoc poteſtativè proprium, ex intuitu ſolum ſimplicium, etiam ad meliora corda mutare. Ideo revertuntur glorificantes & laudantes Deum verum, de Deo vero modo nato, mundo monſtrato: quia omnia quæ audierant & viderant, vera erant, quoniam ſicut audierunt, ſic & viderant. Ne plus aut melius poteſt hominum humana fragilitas ex datis & acceptis à Deo magnis & parvis, quam corda, ora, opera in Dei gloriam, laudemque convertere. Nec adeſt nobis facultas potior de reddendo vicem, quam de omnibus glorificare & laudare omnium creatorem. Cujus in hac nativitate Verbi incarnati, primæ incipiunt epiphaniæ. Nam incarnatus non apparuit, nec manifeſtum ſe fecit, ſe totum copulans in utero virginali. Natus verò, innotuit primo Virgini Matri, quod Deus & homo erat, per clauſam portam egreſſus de templo corporis ſui. Et omnibus civibus ſupernis extitit manifeſtus, qui eum in voce unius evangelizante, in multitudine cantante vigilantibus paſtoribus revelatus eſt: qui quæſierunt, invenerunt, & viderunt, & glorificaverunt Deum. Ab eo quod mundi creatio cœpit, Dei epiphaniæ cœperunt, cum tale tantumque opus declaravit artificem. Sed non illis mendimus, ſed eis duntaxat, quod in carne mundo natus, manifeſtus apparuit, & ſemper de ſuperis declaratus eſt: quia non de deorſum, ſed de ſupernis erat, cui ſuperna omnia obſecundabant. Et quoniam in ſua Deitate mortalibus ab omnibus manifeſtus eſſe non poterat, carne obtectus eſt, velut ſol in ſuo pleno fulgore radians reverberat pervalidè oculos intuentium: ita ut tam luce valida non figantur, ſed interdum nube quadam exili obtegitur, qua mediante conſpicitur. Et ſic Deus ſuæ imagini volens innoteſcere ſub umbra carnis ſe poſuit: hoc in illa faciens, ut ad manifeſtationem ſui ſine velamine veniatur. Et Spiritus Sanctus animos in admiratione ſuſpendit, ita ut actus ab eo diceret: Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei: aut filius hominis, quia reputas eum? Stupens ſuper eo, quod Deus talibus epiphaniis ſui ipſius intenderet, quod appereret in carne viſibilis, & quod vellet ab hominibus ſciri, quæri & inveniri. Pſalm. 113.

Cap. X.

De circumciſione & declaratione nominis Chriſti Salvatoris, & de ſecundis epiphaniis, ſecundùm Lucam ſolum.

Circumciditur incorporeus, ſed carneveſtitus, & ineffabilis nominatur. Cæpit fundi ſanguis innoxius ex Deo Chriſto: non ex forma Dei, ſed ex forma ſervili. Et incognitus vocatur ex nomine, neque non fatus, ſed fatus circumcidenti cultro ſubjacere tenebatur. Vocatione quidem, non imitatione paterna à Chriſto ſuſcepta eſt. Etenim ipſa non fuit ex lege, ſed ex patribus. Cujus executor primus extitit Abraham, qui ad diſtinctionem à gentibus aliis, & in fœdus ad Deum illam accepit, non ad juſtificationem in vitam æternam. Et facta eſt in porta propagationis humanæ, in qua peccatum, quod eſt pœna peccati, ſcriptum extitit ab ipſo Adam, ut noſcat qui ad hanc vitam fatus ingreditur, qualiter debeat vivere, cum ex porta circumciſa traducitur. Hoc firmum documentum illis debuit eſſe, qui circumcidebantur Hebræi, nobis autem figura: cum Chriſtus illam accipiens abſtulit, altiori modo commutans in illam quæ agitur cordis. Quam ideo Chriſtus accepit, ad confirmandam promiſſionem factam Abrahæ, illico poſt edictum circumciſionis. Sic enim ait Apoſtolus: Dico enim Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum, quæ ſcilicet erant de ipſo Chriſto futuro, & gloria ejus ſempiterna. Necnon & teſtimonium aſſumptæ carnis pervalidum fuit, quod in octava die circumciſus eſt, fuſusque ſanguis, quod verum humanum corpus, non phantaſticum habuit. Et ipſe ſuſcipiens teſtificatus eſt, quod à Deo data patribus erat, Genеſ. 17. Roman. 15.

nunc terminanda nobiliori permutatione per ipſum, ut non habeat unde cauſetur fidelis in Chriſto de durinia cultri, & tolerando dolore. Altitudo quidem fidei credendorum levia corporalia fecit. Ex altiſſimis eſt fides Chriſtianorum, cum humana ſive divina de Chriſto creduntur, imo quo viſtora eo altior fides, cum ea quæ ſibi non videntur competere, quia Deus tanquam homo perfecit. Dignum protinus eſt cum ſpiritualia intenduntur, quod corporalia remittantur. Igitur fides infuſa cordi de omnibus actionibus Salvatoris, dura in levia, & levia in levioria, & leviora in leviſſima in corpore permutavit. Nemo igitur velut faſcinatus repetat circumciſionem, poſtquamabſtulit ille, qui dedit, in ſe ſuſcipiens ut ſubſequentes non ſubirent, quoniam omnes fideles in illo circumciſi ſunt, caput enim illiam pro omnibus ſuis membris accepit. Sufficiens eſt quidem tale caput agere cuncta pro corpore ſibi inſeparate conjuncto. Octavus enam dies circumciſionis, octavum illum diem denunciat, qui non erit de ſeptem, ſed penitus extra ſeptem, quo veri fideles erunt ab omnibus impertinentibus & materialibus circumciſi, duriſſimo tamen cultro mortis, quæ ſanctis prætioſa in conſpectu domini ſit pons per quam tranſitur in patriam, æternamque vitam, & in libertatem gloriæ filiorum DEI. Sic enim evangelicus teſtis eloquitur: *Et poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcidcretur puer.* Conſummati octo dies à die nativitatis, ecce quod æternus ex tempore menſuratur: quia creatura inter creata factus eſt, & tangitur manibus hominum homo Deus, & manuducitur & revolvitur; & gyratur in latera, & durus cultellus applicatur ad divinam carnem, ſervato communi circumcidendi more in conſpectu plurium ſuperſtite matre, ut veritas humana clareſceret, & omnis ſuſpicio tolleretur. Intacta quidem extirit impaſſibilis illa divina natura, ut vere paſſa, vere paſſibilis, ut confodiens dolor ad gemitum commoveret infantulum, ut moris eſt, turbatur ex dolore illa ætas octo dierum. Aliter extra ſenſum humanum fuiſſet creditus ille puer, & potius magia, quàm homo verus, ſi non doluiſſet, ſi non oſtendiſſet ex ploratu dolorem, ut unio quidem naturarum ſemper inſeparata manſit, utraque natura manente in proprietatibus ſuis. Circumciditur in carne Deitas incircumciſa, quæ ſimpliciſſima exiſtens, nihil habet addendum neque demendum, aut quomodolibet, decidendum, ſolum ens quod habet habens quod eſt. Illa vero circumciſa caro ſeu circumciſus homo ſic manſit in ſignaro ut accepit in ſigno. Nam ab omnibus materialibus rebus & temporalibus curis, & his quæ habent poſſeſſorem cum ſæculo conformare uſque ad regreſſum ad cœlos, Chriſtus ſegregatus inceſſit, & hoc erat circumciſionis ſignatum in Chriſto & in corpore myſtico ſancto ſuo. Signum autem erat ipſa circumciſio quam accepit corpori ſuo, quod eſt eccleſia, daturus eam in expoliatione corporis carnis, ad exhibendum illam ſibi mundam & immaculatam in conſpectu ſuo, ut digna fieret ſociari in ſupernis cum ſubſtantiis ſeparatis auferendam, ne amplius fieret in corpore carnis hujus, ſed in renovatione mentis & ſpiritus. Mos quidem erat ut circumciſione peracta, circumciſus puer ad parentum & cognatorum placitum intitularetur ex nomine, quo præter effigiem & ornatum corporis diſtinctè homines cognoſcuntur. Proinde *vocatum eſt nomen ejus JESUS. Quod vocatum eſt ab angelo priusquam in utero conciperetur.* Nomen imponitur ab angelo, fuerat ante prædictum ab actiune futura, non facta. Ex officio & opere nomen eſt, relativum quidem ad eos qui ſalvantur. Magna quidem ingeritur humanis cordibus de nomine tali lætitia, quod tam in magnis & variis periculis exiſtentibus, Salvator de cœlis advenerit, & ſic vocari voluit prout ſalvaturus advenerat. Proprium eſt nomen ipſi mirè Nato, quoniam ſolum ſibi proprium eſt poſſe ſalvare. Subſtantivum eſt, quia veram & beatam ſubſtantiam facit. Appellativum eſt, quia ad ſalvationem omnes appellat. Adjectivum eſt, adjecit quidem multa ſuper naturam conditam. Commune eſt, communiter omnibus factus eſt Jeſus. Indeclinabile eſt, attamen pro nobis declinatur. Et invariabile cum ſit per caſus, ex effectibus variatur. Si primum rectum caſum accipimus, per eum nomina ſalvandorum ſcripta ſunt in cœlis. Si ſecundum, per eum vocamur ad veram refectionem. Ipſe quidem dixit: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & reficiam vos Si primum obliquum per ipſum pater voluntariè genuit nos Verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus. Si ſecundùm, omnia ſibi dedit pater in manus. Et eſt ſibi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Et omnia nobis cum ipſo Pater Deus donavit. Si tertium, accuſatos damnat, quos ipſe excuſare non poteſt. Excuſat autem coram patre accuſatos pœnitentes. Si quartum, aufert à ſuis electis omnem tribulationem. Figuræ ſimplicis

Pſalm. 113.

Matth. 11

Jacob. 1. Joan. 13. Matth. 24. Roman. 8.

eſt,

eſt, quia ſimplex omnino eſt Deus. Compoſitæ, quia homo ex quatuor elementis: ex duobus, ex anima & corpore atque compoſitione membrorum. Singularis numeri eſt, quia ſolus unus Deus unus eſt Chriſtus. Plurificatur vero pluralitate bonorum, & quia unius coporis caput in pluralitate membrorum. Generis maſculini, quia maſculini ſexus. Fœminini, quia de fœmina natus. Neutri, neutram bonam vitam ſervantibus. Communis, communitatem in omnibus diligens. Promiſcui, utrunque ſexum ſervare diſponens. Omnis, omnium creator & dominator exiſtens. Primitivæ ſpeciei, quia ut Deus à nullo derivatur. Derivativæ, quia ut filius à patre generatur, quia ut homo ab ipſo creatur. Declaratur nomen illius eo tempore quo nihil nominat lingua carnis, & mutus exiſtit pro Adam, qui ex data ſibi ex Deo facundia omnibus nomen impoſuit,
Geneſ. 2. ſicuit ſcriptum eſt: Omne quod vocavit
Geneſ. 41. Adam animæ vivenris, ipſum eſt nomen ejus. Longè antè præfiguratum extitit in Joſeph de nomine Salvatoris, cujus Pharao cum populo Ægiptiaco vertit nomen, & vocavit lingua Ægiptiaca Salvatorem mundi. JESUS autem Salvator dicitur.
Lucæ 2. Sic enim & angelus evangelizat, quia natus
Joſue 6. eſt hodie Salvator mundi. Et in Joſue, cujus nomen vulgatum fuit in omni terra. Nam fuit Dominus cum Joſue, & nomen ejus vulgatum eſt in omni terra. Et Deus Pater cum Filio ait: Nomen meum ubique vulgatum eſt, quia ipſe Salvator omnium eſt, Et ſponſa de ipſo longe ante
Cant. 1. prædixerat: Oleum effuſum nomen tuum. Effuſum per generalem atque univerſalem notitiam. Effuſum ut oleum per lætitiam, quia ipſe nominatus oleo lætitiæ unctus eſt. Effuſum per miſericordiam, quia omnibus miſeratus advenit. Et de David ad nominis Jeſu præſagium, quod ſit vul-
1 Paral. 14. gatum atque diffuſum, ſcriptum eſt: Divulgatum eſt nomen David in univerſis regionibus. Et ipſe David prophetice de
Pſalm. 8. hoc nomine ait: Domine, Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra. Hoc nomen poteſtatis atque officii, quia ſalvare poteſt & ſalvat. Laudare nominatum monuit atque conſtituit.
Pſalm. 47. Sic & Pſalmiſta dicit: Secundum nomen tuum, ſic & laus tua. Nomini laus addenda & adæquanda eſt. Quid igitur laude dignius, quam ille qui ſolus ſalvare à periculis poteſt, & vult ipſius duntaxat bonitate, non tamen aliquo merito ſalvandorum. De cujus confeſſione laudis
Pſalm. 53. adjectum eſt: Confitebor nomini tuo,
Pſalm. 111. quoniam bonum eſt. Confeſſio laudis bono nomini danda eſt. Bonum autem
Eccl. ult. eſt nomen quod ſpem ſalutis credentibus dedit. Et alibi: Laudate pueri Dominum, laudate nomen Domini. Et à ſolis ortu uſque ad occaſum, laudabile eſt nomen Domini. Et rurſus: Laudabo nomen tuum aſſiduè. Hoc quidem nomen ſuper omne nomen pro laude & pro effectu. Sic enim
Philipp. 2. ait Apoſtolus: Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Domini JESU omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Et
Actuum 4. in actibus Apoſtolorum: Præter hoc non eſt aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri. Et ipſi diſcipuli Salvatoris non ſolùm verbo, ſed facto in tribulationibus & morte ipſum nomen utique laudaverunt: quoniam ibant
Actuum. 5. Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU contumeliam pati. Morale quod aſtruit ipſa circumciſio & nominis declaratio, cum poſt natum Dominum præfertur nomini Salvatoris, quod ante conceptionem angelus nominaverat. Verum quia ipſa nominis appellatio cum lætitia pariter intulit & timorem, cum omnes ipſe ſalvator ſalvos eſſe voluerit potuiſſetque ſalvare, non tamen omnes ejus actione ſalvantur, ſed ſpirituales circumciſos ſalus ipſa conſequitur, ideo circumciſos ſalutari nomini prærogatur. Eſt autem, eſſeque debet fidelibus Chriſti non manufacta carnis, ſed circumciſio ſpiritualis, ut ſequatur effectus nominis Salvatoris, de qua in
Deuteronomio ſcribitur: Circumcidite
Deuter. 10. præputium cordis veſtri, & cervicem veſtram ne induretis amplius. Et rurſum:
Deuter. 30. Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in toto anima tua. Cor quidem circumcidendum eſt, ne ſit in ipſo duritia in credendo, neque impœnitentia poſt peccatum & ab omni malo & impertinenti affectu, ut ſolus Deus & Dominus ſuper omnia diligatur. Et
1. Cor. 7. Apoſtolus ad Corinthios: Circumciſio enim & præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei. Et alibi: Circum-
Coloſſ. 2. ciſi eſtis non circumciſione manufacta in expoliatione corporis carnis, ſed in circumciſione Chriſti. Ecce ſignata circumciſio, ecce veritas umbræ præteritæ. Ecce tranſlatio actionis carnis ad ſpiritum. Ecce circumciſio ſpiritualis, qua circumciſos ſalvat virtus nominis Salvatoris quod vocatur Jeſus, qui omnes ſalvari volens & ſatagens non tamen ſalvat, niſi ſpirituales circumciſos. Neque præteriti circumciſi patres ſalvi facti fuiſſent expectato adventu

Salvatoris ex obſervato fœdere datæ circumciſionis in præputio carnis, niſi veram habuiſſent circumciſionem in interiori præputio cordis. Declaratio vero jam impoſiti nominis hoc oſtendit in membris, ut per omnia virtus Chriſtiani nominis inclareſcat, quamvis membra ejus non vocantur nomine Jeſuano, aut latina lingua nomine Salvatoris. Attamen hoc mentibus hominum debet eſſe præfixum, non adeſſe virtutem nominis Salvatoris, niſi nomen unctionis corde, verbo & opere fuerit cuſtoditum, aut correcta venia pro delicto. Patent autem & clareſcunt ſecundæ epiphaniæ Domini Salvatoris, cum in circumciſione apparuerit homo verus in homine declarato, quod ſi verè Deus qui ſolus ſalvare in perpetuum poteſt, deſuper eſt nomen, deſuper inſinuatum eſt per angelum ad virginem, nunc nomen datum eidem à Deo quod eſt ſuper omne nomen, declaratum eſt apud omnes etſi per ſupernum nomen epiphaniatus eſt.

Cap. XI.

De ortu novæ ſtellæ in ortu Salvatoris, in cujus apparitione credendorum novitas excitatur. Et de tertiis epiphaniis, ſecundùm Matthæum ſolùm.

Matth. 2. AD novæ ſuperſubſtantialis, itivisibilis inſituatæ, increatæ creatricis in carne aſſumpta, noviterque apparentis ſtellæ, inacceſſibilisque lucis manifeſtatione ſtella novæ luminoſitatis, inſoliti greſſus, inauditæ directionis apparuit, ut à cœleſtibus ſupercœleſtis ſub cœlo in terris æditus deſignetur, ut ejus membra futura felicia in ortu novi ſideris excitentur. Quæ in orientali regione promicando apparens oſtendit, quod ille qui natus eſt. Oriens eſt nomen ejus, & ad occidentem vadens, quod omnia mala occiſurus erat occiſus. Et contra occidentem culpam ſive maculam occidendam, & occidentales tenebras depellendas illuxerat, peramplius illuſtrata humanæ mentis meridiem, & calefactura ſeptentrionem. Et ex ſitu mirè natum monſtrabat, eſſe cœleſtem. Quæ mirè facta oculos intuentium provocavit, & animos in admirationem ſuſpendit, in profundam conſiderationem intruſit, fidem præſtitit intellectui, ut in novo ſigno magnum ſignatum crederetur, & non eſſe cunctandum hujuſcemodi velociter inveſtigare ſignatum. Erexit in ſuperis ſpem, ex ſupernis apparens. Inflammavit affectum novitas claritatis illius, quia Deus charitas erat dominus ejus. Perſtrinxit exterius oculos novi ſideris lux, & interius illuxit per fidem, ut tres ſapientes orientales commoveret in peregre, ut quærerent eum qui ſe venerat oſtendendere requiſitum. Myſterium quidem magnum eſt, quod ſtellam ſtella demonſtrabat. Præceſſerat longè ante hominis prophetia, dicens: Orietur
Num. 24. ſtella ex Jacob. Quæ non de alio, quam ex Deo erat, ex illius lumbis multis generationibus intermediis ſecundùm carnem, per carnem traducta, ad cujus ortum expleto matutino ſtella novæ claritatis apparuit. Necnon à ſtellis adumbrato myſterio iſtius ſtellæ deificæ fideles conſignati erant, dum Abrahæ multitudo per ipſum propaganda monſtratur. Cui à domino dictum eſt: Suſcipe cœlum, & numera ſtellas ſi potes. Et dixit ei: Sic erit Geneſ. 15.
ſemen tuum, quod de ſemine fidelium Chriſti prænuntiatum eſt, qui deſignabantur in ſtellis. Et novitate ſtellæ orientalis admonentur in deifera ſtella ſtellæ futuri cœleſtes. Sic & Moyſes multitudinem populi numerare neſciens, conſignavit dicens: Dominus Deus noſter multiplicavit vos, & eſtis hodie ſicut ſtellæ cœli plurimi. Et alibi: Gloria cœli, ſpecies Deuter. 1.
eſt ſtellarum. Et ipſa ſtella ſuas conſtellas agnoſcit, juxta quod ſcriptum eſt: Qui Eccl. 43.
numerat multitudinem ſtellarum, & omni- Pſalm. 146.
bus ejus nomina vocat. Non loquebatur ſtella iſta & admovebatur, nec ſignum exiſtens nominabat ſignatum, motu contrario movebatur à planetis, neque motu firmamenti movebatur cum cæteris. Ipſa ſegregata ſingulari diſtinctione à cunctis exiſtens, ſegregatum à cunctis oſtendebat Deum & Dominum Jeſum Chriſtum, quamvis hominem ſegregata bonitate omnes bonos & omnia bona excedente. Et mirum quidem & contemplandum, quod Judæi ſcilicet paſtores qui ſigna petebant, ſignis magnis aſſoliti erant, rationalem legem habebant, acceperunt evangelizationem in voce evangelica de excelſis, ſignum autem in imis quod infans eſſet involutus in pannis. Gentiles verò naturalibus ſcientiis & mathematicis intendentes, ſtellam non loquentem viderunt, & animo & corpore moti ſunt, hoc in animo præintelligentes, quod ſingularitas ſtellæ,

ſtellæ, ſingularitas eſſet ſigni ad deſignandum ſingularem & incomprehenſibilem excellentiam deſignati. Attamen vox angelica, ſtella nova. Illa paſtoribus, iſta magis, illa in Oriente, iſta in Meridie, ferequè in Occidente de Mirè nato aſtruêre fidem. Et ut ad puerum veniretur, audientium & videntium corda & corpora eommoverunt. Sed Judæis paſtoribus ſignum & ſignatum extitit ipſe de cœlo evangelizatus infans, pannis involutus, & in præſepio poſitus, gentilibus verò magis ſtella ſolumextitit, non ſignatum. Magnam conſiderationem magnii myſterii ratione utentibus intulit, quod ſic variè, ſic differenter myſticè Jeſus in ortu ſuo Judæis atque gentilibus intimatus eſt, & quod eadem hora, qua Chriſtus natus eſt, vox angelica paſtoribus in Judæa fieret, & ſtella nova magis in Oriente viſibiliter appareret. Et qui proximiores erant Deo ex fœdere circumciſionis, obſervantia legis ex latriæ cultu, citius, propinquius atque feſtinius invenerunt, qui autem remotiores fuerunt à divinis fœderibus, tardius acceſſerunt: omnes verò de cœlo ſuſceperunt indicium. Nec refert quibus ducibus quisqúe ambulet atque ducatur, dummodo veniatur ad Chriſtum. Octo autem ſtellas in myſterio iſtorum magnorum reperimus, differenter & myſticè ſe habentes, quæ quaſi quadam in umbra colliguntur, collectæ vero ſanis intellectibus ſe oſtendunt in quadam inviſibili claritate. Nam ſtellam videbant ſidus novitatis, ſtellam habebant fidem veritatis, ſtellam ſequebantur ducem claritatis, ſtellam quærebant regem æquitatis, ſtellam invenerunt puerum humanitatis, ſtellam cognoverunt archimatrem virginitatis, ſtellam adoraverunt Verbum Dei Patris, ſtellæ obtulerunt amatori paupertatis. Sed ſtella viſa ſignum dirigens ad ſignatum, quæ cum ſequenres magos ad eum perduxiſſet, evanuit. Non enim ad aliud noviter facta erat, niſi ut cœleſte ſignum terrenus homines ad regem Mirè natum & cœleſtem perduceret, præcedendo ſequentes, & per ipſum tertiæ epiphaniæ fierent Domini Salvatoris. Nam primæ per angelos factæ erant ea nocte qua eum peperit Virgo Mater, in circumciſione ſecundæ. Quæ ideo ſtatim evanuit pacto miniſterio, ne crederetur una de cæteris, quarum numerus nunquam à prima productione auctus aut diminunis eſt. Et ne ſi manſiſſet, credita fuiſſet ſuper Chriſtum habere decretum, prout de conſtellationibus mathematici opinantur. Ipſam quidem DEUS creando denuo apparere fecit, & apprendo creavit. Cujus apparitio ad utilitatem homini facta eſt, ut mundo in carne noviter apparentem oſtenderet. Sed nec manſit in ſpecie aliarum, ſicut illa columba quæ deſcendit ſuper baptizatum Jeſum, & ille ignis, illæqúe linguæ, in quibus miſit Apoſtolis Spiritum Sanctum, deſinentes omnino eſſe poſt peractum officium. Nam tertiæ epiphaniæ Salvatoris omnium factæ ſunt per editam nuperrimè ſtellam, ut ſi in circumciſione apparuit quid humanum, hic cognoſcatur totum eſſe divinum, ſi ibi velut homo de terra, híc totus de cœlo, & in nova productione ſideris appareat potentia pueri vagientis. Quod ſi omnia ſunt horrori velut ima in imis ſtella demonſtrat, quid ſit iſte in ſummis, & quid operari poſſit in terris.

Cap. XII.

Quod magi novi ſideris ductus ab Oriente Jeruſalem veniunt, & interrogant, & nuntiabant, ſecundùm Matthæum ſolum.

Cùm natus eſſet JESUS in Bethlehem Judæ in diebus Herodis regis, ecce magi ab Oriente venerunt Hieroſolymam, dicentes: Ubi eſt qui natus eſt rex Judæorum? Vidimus enim ſtellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum. Deſcripta eſt per tempus & locum alma nativitas, quæ ſub Octaviano Cæſare Auguſto, orbi dominante univerſo terrarum, & ſub Herode Judæorum rege, non de Judæis, ſed de gentilibus facta eſt: nunc ad ſequentia diſſerturus ſermo derivatur. Noviter mirè natus illico univerſum commovebat orbem, & ſupercœleſtes virtutes ad ſui teſtimonium attrahit de ſupernis. Et in iſto æthere habitabili vicino telluri, ſignum novi ideris claruit, quod ſine ſono vocis, & præter articulatum ſermonem mentes ſapientium mundi permutavit, & ad incertum locum certa peregrinatione diſpoſuit. Unde cum ſtatim natus eſſet Jeſus in modica & ferè incognita civitate in diebus regum, ſub quorum imperio, eorumqúe decreto mundi geſta novitatesqúe inſolitæ apparentes in libris annimalibus annotabantur, ad tradendum memoriæ poſterorum, ut futura

de

de JESU prædicatio per Apoſtolos in orbe terrarum, apud futuros inimicos nominis Chriſti, in eorum libris quoddam teſtimonium reperiret. Ac per hoc Spiritus Sancti ordinatione factum eſt, ut Evangeliſtæ alta Chriſti myſteria, ſub quibus principibus regnantibus erant facta deſcriberent. Unde nato JEſu ſub hujuſcemodi regimine principum, ecce magi ab Oriente venerunt. Supplemento ad hiſtoriam opus eſt, ut contexatur in dicendo rectus ordo geſtorum. Erant in regione aliqua orientalis plagæ tres viri nobiles, parvi tamen reges: magi à ſapientia ſic dicti more quodam loquendi, ut quos nos ſapientes dicimus, magi alibi appellentur, mathematicæ ſcientiæ intendentes. Qui neſcii futuri myſterii revelandi, ſed pro conſideratione ſiderum, quorum decreto putabant omnia iſta inferiora diſponi, ſimul providentia divina convenerant, de diſpoſitione cœleſtium corporum invicem colloquentes. Et animo in contemplationc ſuſpenſo, & oculis, quantum humanitatis patiebatur exiguitas, intuerentur in cœlos, ſeu in planetarum orbes, ſi ex moribus eorum ſub manſione ſignorum aliquid novi futuri capere potuiſſent, & unus alteri ſcientiam prout noverat, erudabat. Et cum contemplarentur ſtellarum veterem legem, ſolitumque curſum & antiquum decretum mox ex nihilo apparuit ſidus novum, ut eis & poſteris ſcientia præſtaretur, JEſum non eſſe natum ſub decreto ſtellarum, pro quo ſtella nova claruit ad obſequium. Quam magi intuentes, & ſolertes in animo, redierunt introrſum, velut attoniti & ſtupentes in apparitione ſupernæ claritatis. Et videntes ipſam ab aliis ſtellis ſingulari lege diſcretam, quo nec ab eorum aſpectibus ſe tollebat, nec erat in firmamento, nec in in aliquo planetarum circulo, magnam etiam igneam ſphæram in aëre ſtantem, tremulam, velut moveri diſpoſitam, excepto ſole omnibus aliis in claritate prælatam, & forſan humanam effigiem nuperrimè nati pueri oſtendentem, & iterum ab introrſum in verba proruperunt ad invicem dicentes, ut penitus movetentur ad inquirendum id quod ſignum inſolitum demonſtrabat, & regem aliquem exiſtimaverunt mirè natum in aliqua mundi parte, qui per ſtellam novam declarabatur in æthere. Volentesque cognoſcere quiſnam eſſet, ſi ab eis inveniretur, cogitaverunt eum per terrena dona tentare, non prætendentes in donis magnitudinem & pretium, ſed rerum ſignificationem. Nam ſolitum erat humana ſapientibus rerum ſignificationibus dare fidem. Quamobrem aurum, thus & myrrham in ſuis donariis attulerunt, aſſumpns compendiis oportunis, cum diſpoſitione debita in peregrinatione comitum, ſuper regionariis animalibus vecti, clariſſimo ſtellæ ducatu Jeruſalem uſque venerunt, quia civitas regia, ſacerdotalis, propethalis erat, famoſa ex templo, ex numeroſitate civium & prædeceſſorum regum quamvis tunc in deditionem Romanorum veniens, eorum imperio regeretur. Vulgatum porro erat atque famoſum, quod in Judæa & Jeruſalem reges dabantur à Deo in unctione Sacerdotum, & revelatione Prophetarum. Unde non immerito crediderunt de mirè nato in tanta civitate fuiſſe quærendum, non tamen quod aliquis rex præteritus Judæorum talibus indiciis, ut puer Jeſus extitit declaratus. Quam civitatem ingreſſi, fervido animo, diſerta lingua, ſine timore de rege mirè nato incipiunt percunctari non autumantes diſplicere regentibus & habitantibus civibus, ſed cogaudentes cum eis, quos de mirè nato gaudere putabant, tanquam de glorioſo domino, qui regnum Iſrael reſtitueret & eriperet à Tyrannide Romanorum, dicentes: *Ubi eſt qui natus eſt Rex Judæorum?* Ad accuſationem Judæorum eſt magorum adventus & interrogatio, quia ibi deferunt Judæis, non Romanis, & pluris æſtimant in conſpectu Dei Judæorum populum, quam Romanorum, qui orbem univerſum alte premebant, cum apud Judæos credunt mirè natum regem non apud Romanos majores Imperio, aut apud alias nationes. Cui populo ingrato væ! qui ſuam dignitatem non agnovit, qui ab omnibus nationibus Dei populus dicebatur, eo quod circumciſionem à Deo acceperit, & legem in monte, & reges in regimine, ſacerdotes ad offerendum, Prophetas ad futura videndum. Quem nunc ſic magi eum interrogant, prænonorant per propriam linguam, quam forte ante didicerant, aut per interpretes, quos ſecum ducebant. Qui cum interrogarentur, quare ſic quærerent, unde de Judæorum rege nato didicerant, cum ipſi ignorarent, illico teſtimonium intulerunt: *Vidimus ſtellam ejus in Oriente.* Sed cum omnes ſtellæ ſunt ejus, quare nunc ſingulariter iſta ſtella dicitur ejus? Aut quia gerebat ejus imaginem, aut quia ſignum ejus erat & indicium, ad cujus ducatum ipſi veniebant. Cum vero ab eis amplius quærerent, addiderunt gaudentes: *Et venimus adorare eum.* Uti dicerent inhæſitanter: Dicite nobis de veſtro

mirè

mirè nato rege, quoniam non ad injuriam quærimus, ſed venimus adorare eum. Alia interrogatio, ſi feratur in Deum. Quoniam qui ubique eſt, qui nuſquam deeſt. Interrogatio & reſponſio ab ipſis propriis non capiuntur authoribus. Non adierant magi primo regem, ſed plebeos ſeu quoscunque primo viderant, interrogabant. Novi ex effigie, nuvi ex veſtibus, ex verbis, ex moribus, novi ex novis admirationem magnam civibus intulerunt. Ex ſolito more referendi à ſubditis principibus novitatem, verbum interrogationis hujuſcemodi pervenit ad regem.

Cap. XIII.

De turbatione Herodis regis & Hieroſolymæ civitatis in auditu novi regis, ſecundùm Matthæum ſolum.

Matth. 3. TUrbantur rex & Hieroſolymæ cives in novitate verburum, nondum certi ſi plena rei veritas ſubſequatur. Grande myſterium præſagiebat iſta turbatio, quod rex de gentibus major, & famoſior turbatur civitas de Judæis. Turbata jam erat in intellectu gentilitas, ſculptilibus ſubdita & ante proſtrata lapidibus, & idola & dæmones venerata, & ſolum intenta præſentibus, quid vero futurum eſſet poſt hanc umbraticam vitam, quæ ab ejus contemplatione deſierat, & velut amiſſura dignitatem, quam ſubcultu idulolatriæ retinebat, jam in ſuis principibus turbabatur, & amans terrenam dignitatem paveſcit ne potentia ſuperioris amittat. Semper autem erat præputiatis circumſio carnis odioſa. Idcirco paganus Judæum natum regem horrebat, ne forte Judæus fieret pagano ſuperior, cui jam Judæus cœperat ſubjacere. Timebat autem, ne iterum Cæſarem Romanumque ſenatum offenderet, ſi regem novum permiſiſſet inſurgere, ſibique timebat ex propriis, ſi ortu novi regis poteſtate ipſa regia privaretur. Necnon & ipſa Hieroſolyma turbabatur eo priſco demerito, quo reges propriæ gentis perdiderat & Prophetas. Lex in obſervatione viluerat, invaluerat avaritia & idololatria & injuſtitia, homicidium, furtum & rapina, & omnis violatio bonitatis & iniquitatis tyrannis increverat. Jam pro parte didicerat mores gentium, jam à divinis mandatis receſſerat, & luxuria publica erat in pretio, & vanitas mulierum ſemetipſas diabolo manucipaverat, & virorum animas prædabatur. Mala hujuſcemodi Prophetæ prædixerant & reprehenderant, & adverſus ſacerdotes & reges ſignis, portentis, verbis acerrimis inſultabant, ut ſecaretur Iſaias, Jeremias in carcere poneretur, cæteri Prophetæ damna & convina paterentur. Quod ſi quis prophetias ipſorum Prophetarum legeret, non ignorat quanta mala ſuper Jeruſalem viderint in moribus, & à propriis vitiis conturbatam. Et quoniam amabat malam & terrenam perfunctoriamque pacem, regem ex cœlo ſignatum in animo perhorrebat, magis contenta incircumciſis idololatris & alieniginis ſubjici, quam à rege miſſo, cœlitus gubernari. Grave protinus & ægrum erat & deteſtabile. quod Herodes natus & nutritus gentiliter de cœleſti domino turbabatur, ſed peramplius incomparabiliter atque deteſtabiliter grave, quod Hieroſolyma cum rege idololatra & pagano turbata ſentiebat, cui ſacerdotalis dignitas & ſcientia prophetalis non profuit, ut averteretur à malis. Verum quia erat demonſtranda in abyſſali malo degere gentilitas, & populus Judæorum ab omni virtute deficere, necnon & gentilitas erat à cœleſtibus vatibus invitanda, & in parte creditura propenſius, ut cultus idololatriæ verteretur in latriam, & oſtendenda erat vanitas Judæorum, & legalis juſtitia deprimenda, quæ non cuſtodita peramplius conſtituit peccatores: cuſtodira vero neminem juſtum fecit, ut ſolum in fide Jeſu eſſe juſtitia crederetur: ideo in adventu ſummi regis magniſque ſacerdotis Judaiſmus & gentilitas conturbantur, ille commutandus, iſta ad meliora vocanda. Non enim talis paſſio affuiſſet, ſi cognoviſſent cauſam mirè nati, & quid in carne Deus homo factus operaturus advenerat. Et ſenſualitas homini affecta patentibus & ſenſualibus rebus privari timens, in adventu cœleſtis poteſtatis tabeſcit. Hinc eſt quod ſcriptum eſt: *Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, & omnis Hieroſolyma cum illo,* Audivit rex, quod ex inquiſitione magorum per Hieroſolymam ferebatur de ortu novi regis, & omnis Hieroſolyma, ſcilicet omnis populus Hieroſolymitanus ex hoc cum rege conturbatus eſt, non affecti amore gentilis regiminis, aut perſonalis honoris quo gravari potius quam revelari putabant, ſed timentes principis cœleſtis regnum, quo regulariter

riter & ad juſtitiam cogerentur, non in ea pernitioſa libertate, qua impuniti mores liberi vagabantur. Et prævavere cupiens rex, ne in Judæa & Jeruſalem regnum mutaretur, creditur verſutia ſua, conſilio plurium hominum divinum turbare conſilium. *Et congregans omnes principes ſacerdotum, & ſcribas populi, & ſciſcitabatur ab eis ubi Chriſtus naſceretur.* Congregat ſacerdotes & doctores legis civitatis Jeruſalem: neminem de gentibus ad hoc conſidium vocat, quia non habebatur rex gentium, ſed Judæorum: cujus ſi venturus erat apud ſacerdotes & ſcribas, ex lege atque Prophetis debebat eſſe notitia. Necnon & ſcire in dolo volens, ſi huic inquiſitioni congaudebant, magis delectati in futuro eis deſuper rege, quam in ipſo quem habebant à Cæſare, inquirebat ab eis, ubi Chriſtus naſceretur. Non fuit verbum Herodis nominare ſic apertiſſimè Chriſtum, ſed evangeliſta ſic poſuit. Ipſe autem interrogavit ſicut per civitatem ferebatur de rege Judæorum aut fortaſſe ſicut audierat à Judæis de ab eis expectato Meſſia. *At illi dixerunt: In Bethlehem Judæ,* Michæ 5. *ſicut ſcriptum eſt per Prophetam dicentem: Et tu Bethlehem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda, ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael.* Validum eſt teſtimonium de Dei Filiu, quod ſecundùm carnem mundo naſciturus erat, quoniam eſt ab inimicis & ab ipſis legiſperitis, qui legem & Prophetas ſæpius lectitabant, cum ipſi jam de ipſo turbati locum nativitatis oſtendunt, non eorum peritia prophetandi, ſed ſancti præteriti Prophetæ vaticinium recitantes. Et à ſeipſis ſunt accuſati & condemnati, à nemine vero excuſati & liberati, Prophetarum & prophetantem locum & prophetiam in concione conſona voce, nemine diſſidente, ſub Herode rege publice aſſerentes. Oſtendunt Judæi ducem, quem natum timuerunt. Magnum factum ſequi noluerunt, qui dux recti erat itineris, ut ſequentes via regia graderentur, quouſque in ſuperna conſcenderent. Nec eos diſpoſuit ad bellum, quod armis & effuſione ſanguinis agitarur. Ipſe pax omnium propellens cruentum bellum, pro qua pace quouſque obtineretur, ſemper eſſet bellandum: ſed omnino bella inviſibilia poſuiſſet Judæis, ſicut poſuit ſequentibus cæteris, ut cum vitiis uſque ad extremum exitium bellaretur, Ecce oſtendunt coram Herode ex dicto prophetico Iſraëlitici populi regem, quem coram Pilato invaleſcentibus vocibus negaverunt, dicentes: Non ha- Joan. 19. bemus regem niſi Cæſarem. Sed quæſtione pulſatur animus, cur iſtam tam veriſſimam prophetiam inquiſiti ab Herode protulerint, an ad placitum ſciſcitantis, an ut ipſe jam narum conaretur extinguere, an in magorum directionem, an ut quæreretur ad obedientiam vel ad mortem, nec ipſi pati vellent ſuper ſe virtutem regnare cœleſtem. Quoquo autem modo illorum intentio proferendi hujuſmodi vaticinium fuerit, verum de Jeſu teſtimonium protulerunt, & ſemetipſos inexcuſabiles dammnaverunt intelligentes prophetiam, nec inficiari valentes veritatem incluſam, etiam cum rege turbato turbati ſemper & amplius, quouſque in illum verè crediderunt conturbandi. *Tunc Herodes clam vocatis magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuit eis.* Amplius tremefactus Herodes ex prophetia in concione à legiſperitis recitata, quàm interrogatione magorum: quia magi duntaxat interrogaverunt, Judæi vero divinum oraculum protulerunt, ut eſſet omnino poſſibile atque credibile fieri, regem Judæorum naſci, de quo magi de partibus orientis interrogantes & inquirentes advenerant. Proinde clam eos vocat ut interroget ſtudioſius, & ipſi clandeſtinè ſecurius ad inquiſita reſpondeant. Et quæſivit ſcire ab eis tempus quo ſtella eis apparuerat, apprehendere ſatagens nati regis ætatem, ut ſciretur quid ſibi pro perſona, quid vero pro patria eſſet agendum. Non autem ſano animo ſibi & patriæ providebat. Providiſſet quidem, ſi ſe & patriam ſuo imperio ſubdidiſſet. Et verſutus à ſimplicibus in fide ſtellæ tempus didicit, ut quæſivit, & eis apperuit, quod in conſilio Judæorum invenit, videlicet quod in Bethlehem Judæ rex Judæorum naſciturus eſſet. *Et mittens illos in Bethlehem, dicit: Ite, & interrogate diligenter de puero. Et cum inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniens adorem eum.* Dirigit Herodes magos in Bethlehem, prout à ſcribis & principibus ſacerdotum acceperat, velut hujus regis nativitatis locum, ſuadet eis diligentiam inquirendi, ne modo aliquo fallerentur. Sed nec ad magorum devotionem complendam, ſed ad ſuam ſævitiam exercendam, eos ad diligentem inquiſitionem monendo perſtrinxit. Puerum vocat eum, computans tempus ſtellæ, ut accepit à magis, ſecundùm quod ultra illius non ferebatur ætas. Poſtulat renunciari inventum, falſam latriam ſpondens, uri vos itis ad orandum ſi inveneritis, uro referte, ut & ego veſtra oratione præ-

habita

habita æquè adorem eum. Simulabat Herodes divinum perficere cultum, qui in animo parabat exitium, ut & ipſe idololatra cum vere Jatriis ſe miſcebat duntaxat verbo, ut facto conceptam iniquitatem perficeret. Si timor de incognito rege jam plurimorum mentes turbaverat, quid eum manifeſtè judicaturus adveniet ? Quoniam Deus noſter, manifeſtè ſcilicet ad judicium veniet & non ſilebit, ita ut eum videat omnis oculus qui eum pupugerunt. Terret homines illa pueritia in cunabulis vagiens, & involutus in faſciis, & in præſepio reclinatus, & virgenea ubera lambens, ut jam ex ipſo exordia ſciant, quanta ſit poteſtate donandus, quanto ſublimandus imperio, quanto terrore preſſurus impios, quanto munere remuneraturus pios.

Pſalm. 49. Apoc. 1.

Cap. XIV.

De receſſu magorum à Jeruſalem uſque ad mirè nati pueri pandochium pervenerunt, ſecundùm Matthæum ſolum.

SI hiſtoriam rei geſtæ inſpicimus, eſſent hi merito arguendi qui habentes ducatum divinum conſilium quæſierunt humanum. Et ſi à novo ſidere ducebantur, cujus ducatu uſque Jeroſolymam pervenerunt, non erat cunctandum, quod uſque ad puerum perduxiſſet, quam ob cauſam eis tam in partibus remotis apparuit. Sed divina providentia myſterium ad futura maximum agebatur, quod eccleſia ſancta tenet, quam omnibus rectè incedere volentibus viam Dei, quouſque perveniatur ad Chriſtum, in mente debet eſſe præfixum. Nam ſæpe ſunt ſupernæ revelationes, viſiones, & apparitiones, & dulcedines intellectum quandoque & ſenſum hominum excedentes, ſunt & ſatanicæ ab inferioribus aſcendentes quæ plerumque habent ſimilitudinem cum ſupernis, ut iſtæ pro illis capiantur, ut homo recipiens ſæpe fallatur, quarum diſcretores rari, plurimi verò decepti. Et eſt ſcriptura ſacra, cujus judicio quales fuerint, diſcernuntur : ſunt & Sacramenta, ſunt & virtutes, ſunt & ſuperiorum regimina, & obedientia ſancta. Hæc omnia ſunt in Jeruſalem ex adumbrato myſterio, lex, prophetia, Sacramenta, virtutes, obedientia ſancta, & templum ſuper omnia ſanctum Dei, ſcilicet ipſa Chriſtifera fides, & viſio pacis & Jeruſalem. Nec obſtat ad ſignatum, ſi in ſigno regnat Herodes, & hominum corrupta civilitas, cum in ſignato ſit puritas & honeſtas, cum quibus exiſtentibus Jeruſalem eorum, quæ aliundè adveniunt, oportet eſſe concordiam. Igitur neque revelationibus, viſionibus & apparitionibus credendum eſt, neque acceptandæ dulcedines, ſi diſcrepant à lege, à prophetis, ab Evangelio, à Sacramentis, à virtutibus, à fide, ab obedientia, etiamſi à quantalibet veritate ſeu oſtenſione clareſcerent. Ac per hoc magi ordinatio myſterio, relicta ſtella de ſuperis, Jeroſolymam ingrediuntur habere colloquium cum in lege peritis, ne ſuſpicient decepti falſa pro veris. Ad doctrinam ſubſequentium ſic geſtum eſſe credamus. Præcellit atque præcedit ſacrarum authoritas ſcripturarum, & fidelis ipſarum ratio cauſæ ſignum atque exemplum, & apparens quomodolibet ſupra ſenſum. Etiam (ut audaciter loquar) ipſe Chriſtus Deus nec talia operaretur, ut veritatem excluderet ſcripturarum. Nam novitas non modica erat, quod nova ſtella magis in partibus Orientis apparuit in ſignum mirè nati regis. Attamen non ſic apparuit ut de ſignato non eſſet prophetica veritas in ſcripturis. Sic & magi poſt ſignum de cœlo datum inquirentes meruerunt audire vaticinium prophetarum. *Qui cum audiſſent regem, abierunt*, ſcilicet verſus Bethlehem, ad quam directi erant, non ex ſtella, quam Jeroſolymam ingrediendo dimiſerant, ſed ex prophetia, quam à ſcribis audivit Herodes. Et aptè factum eſt, ut ſtella eos ingredientes in Jeruſalem non ſequeretur, quam ipſi ab Oriente fuerant ante ſecuti, ne perverteretur ordo ducendi, ut idem eſſet dux & ductus, prævius & ſequens. Nec alternantur cum hominibus divina decreta, donec compleantur, & ut poſt prævisum ſignum de rege mirè nato aperiretur veritas ſcripturarum, nec non abolenda erant ſigna à Judæis, qui ſemper ſigna petunt, ut ipſi compulſi neceſſitate prophetiarum veritatem inquirerent. Aut fortè nec digni erant videre novam ſtellam homines perducentem ad Verbum carnem factum, quod non credentes cruci patibulo affixerunt, pro quo ſol antiquus obſcuratus eſt. Et ſi vidiſſent Jeroſolymitæ novi ſideris ſignum in eum ex novitate intendentes, non expreſſiſſent vaticinium prophetantis, cùm nec rex Hero-

Herodes intendiſſet congregare Judæos, nec ipſi ad diſcutiendum vocati in concionem veniſſent, aut reprehenſione quadam dixiſſent. Si ducem habetis divinum, ut quid quæretis humanum? Si ducem cœleſtem, ut quid terrenum inquiritis? Necnon & iſta ſumma occultationis ſtellæ illa providentia divina, quæ neminem fallit, ut ipſi magi Jeruſalem ingrederentur & quærent, & invenirent, unde amplius firmarentur tanquam novitii, & ex gentibus novellæ plantationes. Sed cum magi Jeruſalem ingrederentur: *Et ecce ſtellam quam viderant in Oriente, antecedebat eos uſque dum veniens ſtaret ſupra ubi erat puer.* Præit eos cœleſtis illa claritas, quæ illis primo in partibus Orientis apparuit, quæ in Jeruſalem prævium iter faciens, ſed expectans eos, ſolitum peregit officium: revera & de facto ad Bethlehem prævium faciens, quam ipſi audierant ab Herode, ut non ſolum civitatem, ſed etiam pandochialem locum ubi puer erat, oſtenderet, & ſtaret ſuper eum locum authoritate illius, qui eam de novo fecit oriri, & ſuperioris indicii ad eum, qui de ſuperis ad infima noſtra venit. Et ſtaret immobilis velut non progreſſura amplius, ſed defectura peracto ſui ducatus officio. Quæ cum non fuiſſet creata cum cæteris die quarta creationis, in nihil unde ſumpta reverſa eſt. *Videntes autem ſtellam magi, gaviſi ſunt gaudio magno valde.* Viderunt ſtellam magi, & recognoverunt eandem eſſe, quam in Oriente primo conſpexerant, quam uſque illuc prævium fuerant ſubſecuti. Et gaviſi ſunt in viſione illius, quam Jeruſalem ingredientes perdidiſſe crediderant. Sed gaudio magno, eo quod in Jeruſalem ſcripturam propheticam cum ſigno cœleſti, ad ſignatum regem conſonam invenerunt, ut provocati à ſigno, eruditi à propheta ſuo vaticinio ad peragendum latriæ cultum & obſequium munerum ſecurius graderentur. Valde protinus ſunt gaviſi, quod etiam poſt documenta Prophetarum, per ora ſcribarum à ducatu non deſiit, ut ſignum in illa oſtenſum confirmaretur à vaticinio Prophetarum, iterum confirmaretur à ſigno, dum ipſa ut prius ducatus peregit obſequium. Nam de cœlo datum eſt vaticinium ad Propheram, & de cœlo ad magos ſignum prævium eſt porrectum. Et Prophetæ & Scribæ & Magi, utique homines de terra terreni fuerunt, vaticinium & ſignum fuere cœleſtia, ut in nativitate tanti regis omnia vero concentu conveniant, & hunc mirè natum puerum cœleſtia & terreſtria venerentur.

Cap. XV.

De proſecutione magorum uſque ad puerum mirè natum & adoratione & oblatione, quam faciunt ſecundum Matthæum ſolum.

PRoſequuntur magi ſtellam præviam, & perveniunt ad optatum locum, pro quo tanto labore ſuaderunt. Et ſignum ſtat ſuper ſignatum non lingua, ſed geſtu loquens & dicens: Dimittite amodo ſignum, ingredimini ad ſignatum. Si ſigno amplius delectati, privabimini viſione ſignati. Omne ſignum exceditur à ſignato. Signum propter ſignatum, non autem ſignatum propter ſignum. Advertunt magi quid agendum. Non enim ſecuri fuerant ſignum prævium propter ſemetipſum, ſed ut ducerentur ad ſignatum. Plus intelligebant in animo, quam oſtenderetur in ſigno. Avertunt à ſtella oculos corporis, intrant pandochium. Et ſtatim viſo ſignato ſignum ſtellæ diſparuit. Hinc eſt quod dicitur: *Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre ejus.* Ingrediuntur magi pandochium, ſupellectili nulla inſtructum, humanis copiis & rebus familiaribus ex omni parte privatum. Et animo religioſi, mente puri, fide firmi, ex ſigno deſuper dato eis uſque illuc prævio facto ex vaticinio Heroſolymæ invento non perturbantur, non ſcandalizantur quod nihil inveniunt, nihil vident aptum regiæ majeſtati. Et cum regem quærerent Judæorum, inveniunt puerum impotentem fandi, ſervata ſeriè temporis in augmento molis corporalis, quanquam poteſtate loqui potuiſſet poſt uterum, tertiodecimo die à die nativitatis ſicut Joannes exultavit in utero ſuæ matris. Sed qui ordinem inordinatis daturus advenerat, in ſeipſo ante ſervavit. *Invenerunt puerum cum Maria matre ejus*, à qua nec avertentes aſpectum cognoverunt juvenculam morum ordinatione grandævam, ſapientem, providam, aptè verecundam atque modeſtam, pauperem, & in ipſa pauper-

Matth. 2.

paupertate lætantem. DEI tamen providentia factum eſt, ut tunc deeſſet Joſeph, ut non à magis ſicut à paſtoribus cum puero & Maria fuiſſet inventus. Nam Joſeph erat cognitus in Judæa tanquam maritus Mariæ, non autem in Orientem fama ejus pervenerat. Et ædificantur magi à puero, quem non ſolum ex ſigno, ſed etiam ex omni liniamento corporis iudicant elegantem, cui in aliquo natura non defuit. Ædificantur in matre pueri, quam velut cœlicolam autumant, cujus animus non inclinetur ad terram, cujus mens fixa maneat in ſuperis, & ſtudium ſit ad curam editæ novæ prolis, quam mente, corpore aç muneribus venerantur. *Et procidentes adoraverunt illum.* Quem primo illa, quæ genuit, adoravit, adoraverunt angeli, adoraverunt paſtores, & nunc quarto magi ante ipſum procidentes adorant. Incipiunt ab Oriente myſteria, ut in carne Dei Filius adoretur, quoniam qui ſuſcitavit ab Oriente juſtum, vocavit
Iſai. 41. cum ut ſequeretur ſe. Sic Iſaias ait: Ipſe ſuſcitavit in ſigno, vocavit in fide Orientis populum ad ſequelam. Orientis enim populus, eſt omne hominum genus, quoniam in Oriente multiplicari cœperunt homines ſuper terram, & ibi peccavit Adam, à qua plaga ventum eſt ad Chriſtum, ut homines juſtificentur in fide. Adorant reges Regem regum & Dominum dominantium, flectunt genua mundi ſapientes ante puerum parvulum, ut omnis mundi ſapientes ante Chriſti ſimplicitatem incurruentur. Sed pro multis pavebat Apo-
2. Cor. 11. ſtolus dicens: Timeo ne ſicut ſerpens ſeduxit Evam aſtutia ſua, ita ne corrumpantur ſenſus veſtri à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto JESU. Adorant mathematici puerum non fato prædictum à ſtellis, ſed tanquam ſtellarum dominum & factorem, ut renunciare mathematicorum judiciis videantur, aſſerentium omnia inferiora, etiam mores, ortus & fines ex decreto pendere ſtellarum, cum ipſi geniculantur ante puerum. Hoc quidem potiſſimum in adoratione hujusmodi myſticè agebatur, in eo quia adoratores hi erant reges, ſapientes, divites, orientales, & numero tres, quia omnia mundi regimina, omnia dominia, omnis juſtitia, omnis ſapientia, omnes divitiæ, omnis ſub cœlo in hominibus claritas, omnes animæ virtutes, memoria, ratio & voluntas, ad incarnatum Dei Filium referantur, & adorent & venerentur: quoniam ſicut ſine ipſo increato factum eſt nihil, ſic ſine incarnato proderit nihil. Nemo autem cunctetur iſtos puerum Jeſum aliter, quàm adoratione latriæ adoraſſe, non enim bonus dominus eis in melioribus defuit. Nam ſicut præſtitit verum ſignum ſic verum fidem infudit in animo ad ſignatum. Fruſtra quidem à tam remotis partibus tanto fuiſſent perducti ſtudio, niſi eos in pura fide ſolidaſſet, qua eum in illa puentia, in illa forma ſervili, in illa carne mortali, in illis cunabulis, in illis vilibus faſciis, in illo pandocheo deſolato adoraſſent Verbum æternum, Verbum incarnatum, Verbum increatum, ſed pro nobis caro factum & univerſorum dominium, cui deberetur omnis honor, & omnis gloria in ſæcula ſæculorum. Sed quem animo pio colunt, flexo corpore venerantur, etiam muneribus profitentur. *Et apertis theſauris ſuis obtulerunt aurum,* Matth. 2. *thus & myrrham.* Myſtica ſunt hæc in deſignatione adorati, quis, qualis, quantuſque exiſtat, & in deſignatione verè colentium Chriſtum, quid ei in ſpiritualibus donariis offerant, & in quibus ſignificatis ſua vota perſolvant, non diſcutienda per ſingula ſed perſpicacibus animis relinquenda. Sed nec Chriſtus ſuis manibus iſta ſuſcepit, prout multorum erronea pietas credit, qui nihil amplius de ſeipſo eis oſtendit, quam puer tredecim dierum oſtendere viſitantibus poſſet, ne ipſi perdidiſſent meritum, ſi viduſſent experimentum, & ſi mos ſuperaſſet ætatem. Nam mos & ætas in ipſo taliter extiterunt, ut in nullo diſtare viderentur. Sed pia mater ejus paupercula in peregrè poſita donaria illa ſuſcepit ad fidem piam offerentium in deſignatione pueri, in deſignatione myſterii, paucis verbis reddens vicem, confirmans fidem. Et potius fuiſſet trahendum ad vitium, quam ad aliquid honeſtum, ſi puer tredecim dierum manus extendiſſet ad munera, forté quia talis extenſio ex decreto ſtellarum, aut magia oſtendere videretur quòd non ſit puer homo. Sic quidem ex omnibus viſis & geſtis, magi crediderunt omnia eſſe divina, ubi per omnia humana defuerant. Et cùm omnia juxta vota viduſſent, imò amplius quam crederent & ſperarent: quoniam bonus dominus ſperantibus in eum animæ quærenti illum, meliora eis tribuit, quam acceperit, & potiora, quàm poſſet provehi ſpes humana. Pro auro fidem, pro thure ſpem, pro myrrha conſervantem ab immunditiis & à corruptione charitatem. Et qui deduxit in ſigno remiſſo, in verbo non humano, ſed angelico reduxit. Nam cum ipſi inter ſe quærent reverſione propoſita, qua via eſſet ad patriam redeundum, Herodi fidem dicentes eſſe ſervandam,

vandam, deſuper à domino per angelum admonentur, ac per hoc *reſponſo accepto in ſomnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reverſi ſunt in regionem ſuam.* Non ſpoponderant Herodi ſibi renunciare inventa, quanquam ipſe poſtulaſſet. Et ſi ſpopondiſſent, à ſuperiori Domino abſolvuntur, maximè cum in fraudem fuerit facta poſtulatio. Nam ſi ſponſio fieret ad malè aut fraudulenter petita, non eſt ſervanda. Supponit enim ſponſio petitionem juſtam, licitam. In omni autem cauſa ſuperior poteſt ſuum inferiorem in authoritate ſubjectum à ſponſionibus ab ipſo factis juridicè liberare. Deus autem ſuper omnia Dominus, in ſomno reſponſum dedit per angelum ſuum ne redirent ad Herodem, liberans eos à dubio de agendis, & à verbis impiiſſimi Herodis. Qui per aliam viam non ducatu ſtellæ reverſi ſunt in regionem ſuam. Reverſi, ſed converſi ad Dominum omnium Deum, quem in carne adoraverunt pueri. Reverſi, ſed averſi ab omni ſæculi vanitate, & ab omni ſuperſtitioſa ſcientia: quoniam cognoverunt in puero fatum nullum adeſſe ſtellarum, ac eſſe per doctrinam docentem ſimpliciter gradiendum. Et quamvis greſſu corporis aliam viam quam venerant, repetendo ad patriam inceſſiſſent, longè alia via quàm venerant motu mentis ad propria ſunt reverſi. Nam venerunt in fide ſigni, reverſi ſunt in fide ſignati: venerunt Mathematici, reverſi ſunt in fide catholici: venerunt vagi, reveſi ſunt religioſi. Regio illorum erat orientalis plaga, civitas ubi nati, & aliti erant ſubticetur, Oriens quidem omnium hominum in cujus regionem oportet reverti, cum per fidem cognoverimus Chriſtum; eſt illa prima & immaculata creatio rationalis animæ, quæ facta eſt ad imaginem & ſimilitudinem DEI. Lumen cujus vultus ſignatur ſuper illam. Nec mihi ex aliqua parte lucet, ſi videre mores velim, ut reverſionem à peccato tangam in æternam patriam; quoniam iſti non ſunt reverſi à peccato, ſed Chriſto, quem venerant adorare; potius autem credendi cùm venerunt ad Chriſtum, reverſi reliquiſſe peccatum. Proinde præfigitur forma, ut ab Oriente conditæ noſtræ naturæ, veniamus ad cognitionem gratiæ, à qua non deferentes, ſed nob ſcum ferentes, prout Chriſtum portaverunt in mente, relinquentes in corpore: revertamur itérum ad Orientem naturæ conditæ, ſed per aliam viam, ſcilicet per imitationem operum Chriſti, quam condita natura non habuit, quouſque Dei Filius carnem aſſumpſit. Et alia eſt via naturæ, qua quisque verum & bonum quærit. Alia eſt via gratiæ, qua invenit. Eſt Oriens Deo Deus Pater, à quo venitur ad Chriſtum Filium, à quo iterum per viam crucis reverſio fit ad Patrem.

Cap. XVI.

De latione pueri Jeſu ad templum, ubi ſunt epiphaniæ quartæ celebratæ, ſecundùm Lucam ſolum.

DEfertur ad templum puer in præſepio jam adoratus à magis, ut in templo cognoſceretur ab ipſis Judæis. Cuſtodita eſt lex in latione ejus voluntate, non neceſſitate, ne jam puer à ſolutione legis inciperet. Et iterum per tempus computatur æternus, dum completis quadraginta diebus eſt latus in templum, quod ante per Salomonem factum, & dirutum, & iterum reædificatum eſt, & ad eam imaginem quod nullum abhorreat corruptum atque deſertum, ſi reintegratum eſt, etiam ſi illa prima facti operis pulchritudo perdatur. Irrecuperabilis quidem eſt illa prima innocentia, ſi perditur, quamvis poſſint alia ornamenta ſuperapponi. Non enim Ehdras & Nehemias, ut templum primo fecit Salomon, refecerunt, neque fuit in illo copia illa auri ut Salomon poſuit, & multa quæ habuit illa nobilis ædes: attamen ita refectum eſt, ut domus Dei diceretur, & orationis, & obſecrationis, & propitiationis pro populo, & angelus tutus illud fuit. Et in illo apparuit Zachariæ, & multa ſigna in illo celebrata ſunt, etiam poſt exterminium primum cum extitit reparatum. Igitur ſpes magna prærogata eſt ab iniquitate deſtructis, ſi noverunt reſtaurare ſeipſos. Hinc & puer Jeſus, qui ab æterno Verbum Deus noſtram humanitatem non abhorruit, quam fœdavit Adam. Etenim quia reparrationi apta erat, quam & ipſe reparavit. Apparet igitur in templo puer JESUS, quis qualisque ſit, cum infans nihil aliud quam infantiam monſtrans, ab utroque ſexu & ætatis grandævæ teſtimonio, quod plus quam homo erat, accepit, Simeon, Anna vidua ſpiritu prophetico conteſtantur, ſicut alibi declaratum Luc. 2.

tum eſt. Et quamvis humana lingua & corruptibilis magna & mirabilia de ipſo pronunciet, deſuper eſt qui cordibus infundit hoc quod loquitur lingua carnis, ut etiam in templo epiphaniatus exiſtat per linguas per Spiritum Sanctum Domini eruditas, ut illa de hoc puero loquerentur, quorum nemo niſi per Spiritum Sanctum potuit habere notitiam.

Cap. XVII.

De quintis epiphaniis, quas de ſeipſo duodennis fecit Jeſus, ſecundùm Lucam ſolum.

NOluit per omnia latere Chriſtus in puerili ætate, antequam ad illam quæ dicitur adoleſcentia perveniret, quin aliquid de ſeipſo ſuprà illam ætatem oſtenderet, & quod plus in ipſo quàm in cunctis ſuis coætaneis erat, & notus puer fieret apud ſcribas & pontifices templi ob aliquid inſigne virtutis, ne cùm perfectæ fuiſſet ætatis, quis eſt hic, velut eſſet incognitus, ſibi objici potuiſſet. Factus duodennis, veniens cum Luc. 2. parentibus in templum in Jeruſalem ipſis ignorantibus remanſit in civitate. Acceſſit ad templum audiens, interrogans, ita ut omnes mirarentur ætatem pro ſcientia, & ſcientiam in ætate, & compoſitos mores, & omnem ſui conſiſtentiam, nihil habentem impertinens, & perhibentem talia, quod per omnia virtus ſuperaret ætatem, ut meritò credi poſſit exceſſum ab hominibus habiſſe divinum, ut etiam non ſolùm hi alii aſtantes, ſed mater quæ illum genuerat miraretur. Cui quærenti, quare ſic fecerat, clara voce diſſeruit, quod non Joſeph, ſed patrem habebat Deum, & à ſe ipſo, quamvis corpore degeret in terris, velut à ſuperno ſuperne ſemper exiſtente ſuper omnem intelligentiam & lucem inacceſſibilem inhabitante, quod Dei eſſet Filius declaratus eſt, ſicque in templo epiphaniatus. Geſtorum ſeries & utilitas alibi tacta ſunt.

Cap. XVIII.

De baptiſmo Jeſu & ſextis epiphaniis, ſecundùm Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem.

BAptizatur à Joanne JESUS in Jordane, non indigus ad ipſum, ſed ad nos pro quibus ipſe voluit indigere atque agere velut ſi neceſſitate premeretur, ſicque noſtra egit ut ſua, quia ipſe caput omnium noſtrum, ſi quid exoravit ad patrem pro nobis, ac ſi ipſe illam indigentiam pateretur. Qui cùm aquis immergitur uti eſſet peccator, quem nullum potuit maculare peccatum, aperuit ex voce paterna, quis & qualis eſſet, Spiritus Sanctus in columbina ſpecie, in viſione atque atteſtatione Joannis. Sic enim omnes Evangeliſtæ tradunt: *Baptizatus autem JESUS, confeſtim aſcendit de aqua & ecce aperti ſunt cœli, & vidit Spiritum DEI deſcendentem ſicut columbam, & venientem ſupra ſe. Et ecce vox de cœlo dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Matth. 3. Dicta verò cæterorum Evangeliſtarum huic conſona veritate reſpondent, ideo non ponuntur. Ecce igitur ſanctificaturus aquas in illis intingitur, non purgandus. Et mirabiliori modo à cæteris, quod ſic Dei filius epiphaniatus eſt in ætate virili, magnis agonibus & operationibus apta, ut divinè credatur fieri omne, quod agitur, cùm ipſe velit cum hoſtibus inviſibilibus & viſibilibus habere congreſſum, patris legationem perficere, deſtruere legem tartaream, diabolicam ſuperare tyrannidem, ſolvere ſanguinis pretium, pro captivis fabricare gradus veræ aſcenſionis in cœlos, ut ſuper illos inferat, quos in doctrina, moribus & vita poterat habere ſequaces, ut nulla ſit hæſitatio inter homines, quod iſte ſit DEI Filius factus homo, quem Pater voce propria manifeſtat, & Spiritus Sanctus in aſſumpta pro tunc duntaxat columbina ſpecie proteſtatur. Marci. 1. Luc. 3. Joan. 1.

Cap.

Cap. XIX.

De myſterio totius vitæ Chriſti poſt baptiſmum, & qualiter epiphaniatus eſt, ſecundùm omnes Evangeliſtas indeterminantè.

BAptizatus JESUS aſcendit de aqua Jordanis, ad majora ſe tollens, ut virtus ſequatur ad virtutem, & bonis meliora nectantur, & morum diſciplina prælucet in omnibus actionibus & ſermonibus ejus, ut ſequamur veſtigia ipſius. Non amplius agi poteſt, quàm poſſe fieri Chriſtiformem, diffor-mitas verò trahit in mortem. Deus erat, poterat ferre auxilium: homo erat omnibus præſtitit exemplum, ut quemadmodum ipſe ambulavit, & nos debemus ambulare. In omnibus actionibus ejus ſe verum Deum & hominem verum eſſe monſtravit, nec una natura in aliquo ab altera eſt confuſa, cum ſuis proprietatibus ſemper manentibus Jeſus fecit humana divinè, & divina humanè. In duplici forma operatus eſt, in forma Domini, & in forma ſervili. Diſtinctè quidem ſunt hujuſcemodi actiones, quarum ad aliquas invitamur ad orandum & venerandum, ad aliquas pro imitatione vocamur. Quod actum eſt per Domini formam non eſt imitabile, neque ad hoc invitatio facta eſt. Quod verò fecit in forma ſervi, ſi non per omnia, per plura imitabile provocamur ad illud: nam non quia Deus, ſed quia homo dedit & reliquit exemplum. Et ſic per difformes actiones manifeſtatus eſt, non quod una forma præterquam in operibus potuiſſet videri & agnoſci, in altera verò viſus & & conſervatus eſt & agnitus homo, non operans ſibi, ſed nobis, præintendens notum fieri his, pro quibus aſſumpſerat actiones, ut crederetur, & juſtitia pro præmio daretur in fide credentibus. Et faciebat poteſtativè, unde de perditione liberaremur, & ſalvaremur in excelſis ad ejus viſionem æternam, quamobrem aliquamdiu carne veſtitus ſtetit in terris: qui lotus in aquis illico deſerta penetravit, dedicans ſe totum altiſſimo, ſubtrahens ſe à ſæculo involenti, non ſibi timens aut cavens, exiſtens incorruptibilis ab omni quod maculare hominum mores poteſt, ſed ſequentibus præſcripſit vivendi formam, quàm cauta ſit converſatio eorum qui purgationem acceperunt veterum delictorum, in quocunque ſit ordinata purgatio, ubi eſurivit homo, & tentatus eſt homo. Et ſic manifeſtatus in forma ſervi, in forma vero domini dedit improbo tentatori conflictum. Inde egreſſus prædicavit divina humanè, & legens in ſynagogis, ut prophetatum erat de ipſo, prophetiam impleri aſſeruit, & ſemetipſum manifeſtavit, ut in fide caperetur. Super naturam facta miracula declaraverunt Deum, increpatum æquor undoſum, & venti per obedientiam, & expulſi ab obſeſſis corporibus dæmones, confitentes, quod erat Chriſtus Filius Dei vivi, & Petrus à Deo Patre doctus ſic confeſſus eſt. Et iterum Pater declaravit in monte dicens: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Et in templo: Clarificavi, & iterum clarificabo. Et doctrina in verbis æternæ vitæ, dimiſſio peccatorum, cognitio cordium humanorum, etiam futurorum, & ſimilia manifeſtaverunt in corde credentium eſſe Deum. Cætera verò, quia fugit, quia fatigatus eſt, quia eſurivit, comedit & bibit & dormivit, lacrymas fudit, triſtatus & pavefactus, captus & ligatus, ductus & opprobriatus & verberatus eſt, damnatus ad mortem, ſicque & mortuus & ſepultus eſt, totum exprimit formam ſervi. Sed etiam inter opprobria, & dum viliter eſt in agonibus illa forma ſervilis, etiam poteſtas dominabilis formæ innotuit, quam prodit cognitio proditoris, proſtratio hoſtium, obſcuratio ſolis, terræ tremor, ſciſſio veli templi, diviſio ſaxorum & monumentorum apertio. Ac per hoc ut crederetur, ut in ipſo ſperaretur, ut amaretur, ut ſibi obediretur, ut eum homo ſuæ ſalutis amator imitaretur, ſic in utraque forma totiens epiphanias accepit. Proinde incredulis certa damnatio, credentibus negligentibus nulla ſalvatio, quoniam omne effugium excuſationis adimitur.

Matth. 17. Marc. 9. Luc. 9. Joan. 12.

(o)

Cap.

Cap. XX.

De myſterio corporis & ſanguinis Domini Salvatoris, ubi nulla epiphania, ſed celata poteſtas, ſecundùm Matthæum, Marcum, Lucam.

Joan. 1. PRoceſſu incomprehenſibili egit æternum & increatum Verbum per ipſum omnia facta ſunt, & ipſe ſua poteſtate incarnatum ſe fecit, & in verbo eructuato docuit humanas mentes agenda, & ſperanda, & diligenda, & obedienda. Donavit ſanitates, ſuſcitavit mortuos & dæmones expulit ab obſeſſis. Et ſeipſum aliter, non alium in Verbo ſuo fecit, transſubſtantians terrena & mortalia in corpus & ſanguinem ſuum, ut eſſent hominibus in anima cibus & potus, ut jam in deſerto vitæ præſentis pararetur menſa peculiari populo DEI, non in fomentum corporis, ſed mentis: non ut caro, ſed ut anima nutriretur, & una menſa hominum & angelorum, ſi non in eodem loco, ſaltem in eodem cibo, usque dum eſſet omnia in omnibus DEUS, & evacuaretur omnis ordo & omnis principatus, & ſpes prærogaretur hominibus perveniendi ad Deum, & fruendi DEO, cum in hac vita Deitate in rebus transſubſtantiatis in corpus cibantur & potantur. Receſſurus à nobis reliquit legem, ſecundùm quam ageremus: virtutes, ſecundùm quas viveremus: pacem, in qua cuſtodiremur: Sacramenta, quibus mundaremur: & ſeipſum velut obſidem, pignus & arram ſub ſtipulatione ſolenni, ut pollicitationem firmam teneremus ad æternam beatitudinem capeſſendam, ut angeli diligerent & cuſtodirent ferventius, timerent horrendius inviſibiles hoſtes, dum utrinque conſpicerent nos tertios inter eos apud quos ſunt tam alta dona depoſita. Non ſumus angeli, poſſumus & peccare, & ſubjacemus pœnalitatibus, & in valle miſeriæ habitamus. Non ſumus dæmones, poſſumus enim & errata corrigere, & pœnitentiam agere pro erratis. Ab illis angeli ſunt liberi, in iſtis ſunt dæmones obſtinati. Nos, qui inter eos medii ſumus, nec liberi ut angeli, nec ut dæmones obſtinati. Uniri cum creatura volens angelos non apprehendit, dæmones abhorruit, ut eſſet homo inter homines, & unionem naturarum fecit. Et nunc ſuum corpus illi naturæ à qua ſumpſit corpus, in duplici ſpecie reliquit, inſinuans dignitatem dilectionemque ad homines, quaſi jam vicem reddens, ut illi naturæ quæ dedit ei aſſumenti corpus, & relinqueret ſuum corpus: ita relinquens quod ferens, ſic ferens quod omnino relinquens, ut quod tenemus jam ſit in cœlo, & quod eſt in cœlo, & nos inhæſitanter in terra teneamus. Sed debitores ſumus magni depoſiti, emphitheotecari non poſſumus, ſaltem immaculati cuſtodiamus. Advertendum eſſe perſpicaciſſimè dixerim peculiaris populi Dei, dignitatem Chriſtianorum, non Judæorum. Aliæ nationes fecerunt ſibi deos ſuos, quos colerent, quos pro ſuis votis orarent: populus electus Dei non ſibi Deum fecit, ſed ab æterno exiſtentem Deum credidit. Nunc autem in noviſſimo poteſtatem accepit ſacramentaliter facere, quem poſſet orare, atque cultu latriæ adorare. Sed in virtute verbi ejus facit ille, cujus intereſt ex ordine ſacramentale Chriſti corpus efficere, transſubſtantiando naturas. Attamen primus hujus myſterii actor extit ille Chriſtus unigenitus Filius Dei, qui res quas natura ſolita, & ſolito, & in ſolitis perduxit, artis peritia ſic eduxit, in corpus ſuum & ſanguinem mirabili poteſtate convertit. Actio porro laudabilis, modus incomprehenſibilis, finis deſiderabilis. Præceſſerat ex nihilo creatio univerſi, & unio ſpirituum & corporum creatorum. Præceſſerat unio diſparium naturarum creatricis & creatæ, ſpiritus increati, ad ſpiritum rationalem creatum, & ad corpus creatum. Facta erat unio extremorum, & in hoc quaſi deſcenſus celebratus eſt, cum ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens. Et acceptum utique magnificatum eſt, non autem in natura mutatum. Sic & accipiens per omnia manſit in ſuis æternis. In iſto autem myſterio, neque deſcenſio, neque aſſumptio, neque unio facta eſt, ſed converſio ſubſtantiæ in ſubſtantiam non in ſubſtantiam Deitatis, ſed aſſumpti corporis. Quod quamvis inſeparabiliter Deitati uniretur, ſicut in unione nulla eſt naturarum præmixtio, neque confuſio, neque additio ad alteram naturam, & neutra natura amplius, quod habet natura exiſtens: una ut increata, altera ut creata: ſic converſio non eſt facta in Deitatis ſubſtantiam, nihilque ſibi addi, aut aliquid ab eadem demi poteſt, ſed aſſumpti corporis, ita ut ſubſtantia in aliam tranſeat in poteſtate verbi, & tranſeuntis ſubſtantiæ, proprietates,

Matth. 16. Marci 14. Lucæ 22. Joan. 6.

prietates, ſed quæ dicuntur, accidentia maneant: ſubſtantia eis debita non manente ut erat, neque tranſeant cum ſubſtantia tranſeunte, ut ſit illius, in quam facta eſt converſio. Sequuntur quidem ſubſtantiam quantitas & qualitas, ut quod ſubſtantia caret, quantum vel quale non ſit. Quod verò ſubſtantiam habet, quantum vel quale habeat, competentia ſibi jure inditæ ſibi naturæ. Non enim ſermo eſt de his quæ apponunt ex arte, aut aliter eventu proveniunt. Igitur transſubſtantiatione facta per Verbum, in transſubſtantiato quantitas & qualitas, ut aliquid accidens non quærantur, quæ præxtiterunt & fuerunt. Sed ſi quærenda ſunt hæc, in illa quærantur, in qua facta eſt mutatio, & tunc non quærantur, nec inveniantur eſſe ſubſtantiæ tranſeuntis, quia deſiit, quod fuit: nec ſubſtantiæ permanentis, cùm in illam non ſint converſa accidentia, ſed duntaxat ipſa panis & vini ſubſtantia. Fruſtra & ſupervacuè à verè fidelibus quæritur de his quæ relicta ſunt objicibilia ſenſibus, cum ſubſtantia non ſubſit amplius eis. Et ut me non fallat error, aptius dixerim, quod accidentia in Sacramento appareant potius quàm exiſtant, de ſub eis omnino remota præexiſtente ſubſtantia. Magnus & ſapiens ergo dominus, & laudabilis in operibus ejus, qui ſic providit homini, quem creavit.

Cap. XXI.

De myſterio Fidei Catholicæ.

ALtiſſima virtus, quæ DEUS eſt, obumbravit creaturæ humanæ, fidem videlicet umbram faciens, ſub qua oculus requieſcit, & velut aſperſus nebulis ignorantiæ, pulvere carnis reſperſus, in terram defixus, innixusque ſolum intelligentiæ naturali, reſpicit in altiſſimam virtutem, nobis ſe per fidem umbram contemperantem, ut per ipſam poſſimus intelligere illa, quæ humana ratione negatum eſt apprehendere, ſicut in Iſaiæ 7. Iſaia ſcriptum eſt: Niſi credideritis, non intelligetis. Qua credulitate ſeu fide primum erigamur in Deum omnium conditorem viſibilium & inviſibilium, nec aliquid extra ſe habens quamlibet entitatem niſi ab ipſo, & nec ſine ipſo creatum, quia omnia per ipſum facta ſunt entitatem habentia, & ſine ipſo factum eſt nihil: peccatum autem entitatem non habet, qui creavit & angelos, ſubſtantias videlicet ſeparatas, cœlum gloriæ, ſtellarum firmamentum & ſtellas. Elementa diſtinxit, elementa ſenſibilia & inſenſibilia fecit: poſtremam creaturam rationalem hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam faciens, quem in mundum, velut in regnum omnibus paratum introduxit in regem, ejus ſubjiciens ditioni omnia Pſalm. 8 corruptibilia, ſenſibilia & inſenſibilia, ſicut ſcriptum eſt: Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus. Qui non velut indigus operis ſui omnia creavit ex nihilo, quia Spiritus Domini, ſcilicet voluntas ejus, ferebatur ſuper aquas noſtræ productionis: non ſub aquis alicujus neceſſitatis, quoniam in Deo nulla neceſſitas neque indigentia, ſed liber, & ex amore puro fecit, quæ voluit in cœlo & in terra, & in mari, & in omnibus abyſſis, omnia bona valde componens, ut comunicaret ſeipſum bonis rationabilibus, à ſe ſolum per amorem creatis angelis & hominibus, quia non erant, quos bearet & quibus innoteſceret, niſi ante creaſſet, & manſiſſet incognitus, niſi ſibi ſoli, & imparticipatus, niſi à ſeipſo: ſi creaturam talem non feciſſet, quæ ipſum per intellectum & fidem cognoſceret, & in amore per æternam fruitionem participaret. Cætera verò creata, ſeorſum ab iſtis ad uſum mentis per conſiderationem, & corporis per ſuſtentationem, ad univerſi pulchritudinem facta creduntur. Et ideo non ſunt æqualia, quia ſi eſſent omnia æqualia, non eſſent omnia, nec univerſi pulchritudo perfecta, & velut non indigentia, ſed pia voluntate, ita non alieno auxilio fecit, quæ fecit, quia nullus ante ipſum, nullus cum ipſo, nullus poſt ipſum in opere creationis præſtitit, præſtat, præſtabiturque ſubſidia. Etiam dominatur omnibus & regit omnia ſine motu, præſidet omnibus ſine ſitu, præſens eſt omnibus ſine loco, & intimatur magis cuilibet creaturæ, quam ſibiipſi creatura intimetur. Et menſuræ temporum, horarum & dierum, hebomadarum, menſium & annorum longè ſunt ab ipſo. Accidentia ulla non recipit, nomina de eo dicta nihil ſibi addunt aut imponunt, nec alter ex altero redditur ſimplici naturæ Deitatis, cui nihil addi vel minui poteſt. Ineffabilis eſt Deus, ſaltem eo modo, quo ineffabilis dicitur, ineffabilis non eſt. Excedit intellectum angelicum & humanum in comprehenſione, quia incomprehenſibilis,

prehenſibilis eſt: affectum omnium creaturarum in bonitate, quia nullus amor æquatur bonitati ejus amando, ut diligatur quantùm ſua requirit bonitas, nec in hujus vitæ tenebris, nec in partibus ſuperis. Non narrat eum ad plenum ſcriptura legibilis, nec lingua volubilis explicat quid ſit deus. Senſus corporalis nunquam percipit, quia incorporeus eſt. Etſi ex tempore Verbum caro factum eſt, nihil in deitate mutatum eſt, ut nec etiam in illo corpore deitas ſenſibus percipi poſſet, nec in cœna & ſacramento Deus mandens deitatem compreſſit, nec guſtus percepit, nec oculus vidit, nec olfactus olfecit, nec auris audiuit, nec tactus reſperſit, nec in paſſionata carne aſſumpta deitatem unitam attigerunt quomolibet paſſiones. Nec dolores & triſtitiæ animæ Chriſti dei affecerunt in aliquo deitatem. Unus eſt in ſubſtantia, trinus eſt in perſonis. Nec unitas ſubſtantiæ perſonarum trinitatem excludit, nec perſonarum trinitas ſubſtantiæ unitatem diſcreta ſeu continua quantitate multiplicat. Nec inducantur exemplares probationes in elucidando prædicta, & non probata, & omnibus fides in ſuo maneat robore, præmiumque magis creſcat in pura credulitate, ſed ſolùm ſufficiat, quòd diverſorum una forma, in qua diverſa creata conueniunt, & nexus unus & durans perpetuus creatorum arguit unitatem, & eſſe cujuſſibet rei forma & utilitas ſeu bonitas pernunciat trinitatem. Nam eſſe rei cujuſlibet patrem, creatorem enunciat: forma qua diſtinguitur à cæteris, ſapientiam filii clamat: utilitas ſeu bonitas cujuſſibet rei Spiritus Sancti bonitatem eloquitur. Et pater à nullo, filius genitus à patre ſolo, Spiritus Sanctus procedit ex patre atque filio. Nec major pater filio aut Spiritu Sancto, nec filius Spiritu Sancto aut patre major eſt, nec Spiritus major patre ſolo, aut filio ſolo, nec una cujuſque perſona major aut minor eſt duabus, nec duæ majores aut minores una perſona perſiſtunt. In deitate nulla prioritas, nulla poſteritas inuenitur ex trinitate perſonarum. Æqualitas in æternitate, in impaſſibilitate, in immenſitate, in immortalitate, in increabilitate, in potentia, ſapientia & bonitate reperitur in eis.

Cap. XXII.

De omnipotentia Dei.

BOnus eſt inquam ducatus fidei, qui ſub omnipotentia Dei ducens, de ipſa nos facit recta ſentire, qua credimus. Et cùm omnia iſta ita ſint, non poteſt Deus niſi bona, nam quodlibet minimum inconueniens impoſſibilitatem dicit in Deo.
Amos 3. Et ſi ſecundùm Prophetam dicitur: Non eſt malum in civitate quod Deus non faciat, permiſſivè, non poteſtativè, qui legit, intelligat. Igitur ita eſt verè omnipotens, quia non poteſt aliquid male facere, cogitare aut loqui: nec actus pœnales, ut metuere, dolere, triſtari, tædere, eſurire, ſitire, calere, frigeſcere, aut quodlibet pati aut mori, nec facere quòd ſit & non, præſens & præteritum & futurum ſint idem, nec facere majorem ſe vel alium, vel aliquid finitum in quacumque ſubſtantia, viſibili aut inviſibili, ſenſibili aut inſenſibili: nec actus corporales, ut comedere, aut bibere, ambulare, ſedere, dormire, & his ſimilia. Si qua enim corporeitas in toto, & ex toto, & à toto creatore omnium removentur in ſeipſo & per ipſum & à ſeipſo, excepto quòd talia creare poteſt extra ſeipſum, nec tamen de ſeipſo: quia non ſolùm corporalia, ſed etiam Spiritualia, non de Deo tanquam ex materia, ſed à Deo tanquam à ſuprema & efficiente omnium cauſa creduntur creata. Cùm autem in ſcriptura ſacra leguntur verba actus corporeos deſignantia, non eſt intelligendum quòd Deus corporaliter fecerit, ſed quoniam ſcriptura loquebatur exiſtentibus in corpore per ſenſus corporeos non fruſtra datos, ſed ad hæc percipienda quodammodo ordinatos percipientibus potiſſimè in lingua narrantibus, aure audientibus in exemplis, quæ ſi corporalia non ſunt conſiderantibus, & in corporea & ex corporea natura genitis. Ideo ſacra ſcriptura nullius loquendi generis verba de Deo vitavit, dumtaxat omnipotentiam inſuperabilem, indeficientem, inculpabilem, irreprehenſibilem nunciarent, & ſapientiam infallibilem, incomprehenſibilem, omnia comprehendentem: inintelligibilem, omnia intelligentem, & præterita & futura ut præſentia, præſentia preſenter præſentia cogno-

cognoſcentem, inuariabilem, omnia variata & varianda variantem proclamarent: bonitatem incomparabilem, indeficientem, omnia ſuperexcedentem, omnia implentem, omnia reficientem, imperturbabilem, impermutabilem, & his ſimilia enarrarent. Horum ſiquidem declaratio volumen magnum requireret. Nomina verò, ſi quæ ſunt, quibus nominatur Deus, nomina diſpoſitionum ſunt, ſed nullum reperitur nomen eum totaliter exprimens, manifeſtans aut declarans. Sed nomen ſubſtantiale ei innotuit Moyſi, cùm diceret ei: Ego ſum qui ſum. Cætera verò agnominationum & diſpoſitionum ſunt nomina, per nulla & in nullis creatorem reddentia variatum, neque poſſibilem variari. In hoc igitur maximè omnipotens credendus eſt, quòd malè agere ſeu in aliquo deficere non poteſt. Poteſt vero Deus omnia conuenientia omnibus modis, quia poteſt producere non eſſe in eſſe per creationem, multiplicare per propagationem, de incompleto completum facere, unum in aliud mutare, ut panem & vinum in Chriſti carnem, & ſanguinem tranſſubſtantiare. Et de omnipotentia fuit, quòd potuit ſic incarnari, & naſci. Apparuit Dei omnipotentia in mundi præteritis, quia res creavit ex nihilo. Apparuit in medio, quia creata verterentur in nihilum, niſi ſua potentia contineret. Apparebit in fine, quia corpora ſumma celeritate ſuſcitabit.

Exodi 3.

Cap. XXIII.

De ſapientia Dei.

CLaritas fidei noſtræ ad cognoſcendam claritatem ſupremæ ſapientiæ nos invitat, de qua Chriſtianitate iſta tenenda ſunt, quòd ſapientia Dei lympidiſſimè cognoſcit omnia, bona & mala. Præterita, præſentia & futura, actualia, poſſibilia & incomprehenſibilia nobis, & infinita, nec diverſificatur in ſeipſa, licèt diverſa nomina ſortiatur. Inquantum eſt cognoſcitiva omnium poſſibilium, dicitur ſcientia ſive cognitio. Inquantum cognoſcitiva omnium quæ in mundo ſunt, dicitur viſio. Inquantum cognoſcitiva omnium quæ benè fiunt, dicitur approbatio. Inquantum cognoſcitiva eorum quæ damnanda ſunt, dicitur reprobatio. Inquantum cognoſcitiva futurorum, dicitur præſcientia ſive prævisio. Inquantum cognoſcitiva eorum quæ ab ipſo futura ſunt, dicitur diſpoſitio. Inquantum cognoſcitiva eorum quæ præmianda ſunt, dicitur prædeſtinatio. Et non ſolùm cognoſcitiva omnium, ſed ratio cognoſcendi. Cognoſcit contingentia infallibiliter, mutabilia immutabiliter, futura præſenter, temporalia æternaliter, dependentia independenter, creata increatè, cogitanda & cogitata, & finem omnium novit, ſalvandorum & damnandorum numerum infallibilem infallibiliter cognoſcit. Cognoſcit numerum, pondus, menſuram, quantitatem, qualitatem omnium rerum. Huic ſapientiæ non deperit tempus, nec latet locus, non ſubterfugit actus, patet omnis intellectus, nullus eſt effectus occultus.

Cap. XXIV.

De voluntate Dei.

DAtum eſt fidei Chriſtianæ attingere inacceſſa, & inviſa comprehendere, & abſque meritis eſt donum fidei, cum qua, & ex qua & per quam nobis divina voluntas innotuit. Quæ primò à ſeipſa libera eſt, & in ſeipſa, & per ſeipſam, quam ad aliquid peragendum aut volendum non pepulerunt extrinſecæ ſeu exterraneæ cauſæ, nec diverſa volita diverſificant voluntatem: quæ ſic eſt efficax, ut nullo modo poſſit impediri: ſic recta, ut nullo modo poſſit obliquari: ſic ſapiens, ut nullo modo poſſit errare: ſic bona, ut nullo modo poſſit maculari. Quæ cauſa eſt omnium factorum & futurorum prima, & ſumma, & rationabilis, & ineffabilis, & juſtiſſima cauſa viſibilium & inviſibilium, per juſſionem & per permiſſionem, cui voluntati nemo

mo reſiſtere poteſt. Sæpe Joſeph fratres ſuos, de ſua venditione ne timerent,
Gen. 45. confortans ait : Nolite timere, non Dei poſſumus reſiſtere voluntati. Eſther 13. habetur, dum oraret : Domine in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati. Et ſi peccatur contra voluntatem Dei, non tamen reſiſtitur voluntati Dei. Non enim peccaretur, niſi ipſe permitteret : non permitteret, niſi vellet : nec vellet, niſi quod juſtum eſt. Aliqua enim juſtiſſima & occultiſſima cauſa eſt apud ipſum, non perſcrutabilis nobis, qua ipſe peccata fieri omnino permittit. Cujus voluntatis cauſa nullo modo eſt quærenda, cùm ipſa ſit omnium cauſa infinitæ comprehenſionis, quæ à finita ratione creaturæ comprehendenda non eſt. Et tantum ſcire pro hac parte ſufficiat, quod iniquitas apud Deum non eſt, nec nequiter, ſed juſtiſſimè vult, quæ vult. Cui voluntati attribuerunt Sancti proprios bonos actus, ut Jacob cùm exquireretur à patre Iſaac, cur tam citò cibos ſibi placitos inveniſſet, reſpondit : Voluntas Dei fuit, ut citò mihi occurreret, quod volebam. Et Joſeph, cùm venditus eſſet à fratribus, delatusque in Ægyptum, factusque Ægypti Dominus per Pharaonem ad providendum populo in annis ſterilitatis, mirantibus & paventibus fratribus, dixit : Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus fui. Et David in Pſalmo confitetur, in bonis divina voluntate deductum, dicens : Tenuiſti manum dexteræ tuæ, & in volun-
Pſalm. 72. tate tua deduxiſti me. Sed melius judicavi, omiſſa profunditate conſiderationis ejus de ipſa, prout ſupra nos fertur, edicere, qua perfecta in nobis, & à nobis ſalutem conſequimur, non impleta à nobis, juxta æquiſſimam exigentiam ejus juſtè damnamur. Unde prout fertur in nobis & ſuper nos, ad æternam ſalutem doctrina & actu per univerſam fidem invitat, quod ipſe unigenitus
Joan. 6. ejus in aſſumpta carne proclamat : Hæc eſt voluntas patris mei, qui miſit me, ut omnis qui videt filium & credit in
1. Timo. 2. eum, habeat vitam æternam. Hinc & Apoſtolus ad Timotheum ſcribens, ait : Vult Deus omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. Quod dictum ſanè intellectum, mentis dubia removet, cùm humana præſumptio ſemper de divina voluntate cauſetur, dicens : Si vult omnes homines ſaluos fieri, quare non omnes ſalvi fiunt, cum ait Apoſtolus : Voluntati ejus quis reſiſtet ? Sed interpoſitio ſolut argumenta præſumptionis. Non enim ita vult, ut nolentes ſalventur, nam divina voluntas liberum non aufert, quod dedit creaturæ arbitrium, nec neceſſitat aut violentat aliquem ad ſalutem. Repugnat omnino bonitati divinæ, quòd in homine ſic ad bonum & ad malum liberum arbitrium & cum tali libertate cogatur ad bonum, & neceſſitate bonus juſta præmia non naciſcitur, nec Deus largitur hominibus, quod angelis non conceſſit, qui libertatem arbitrii recipientes à Deo, per libertatem ſe mutuò diviſerunt, quorum aliqui adhæſerunt divinæ bonitati per liberam voluntatem, in ipſa ſtatim adhæſione, confirmationem recipientes in gratia, pro ſuſceepta gloria : reliqui ad ſeipſos converſi, de ſeipſis, in ſeipſis delectati, ad eorum creatorem invidi & ſuperbi, per liberam voluntatem receſſerunt à Deo, damnationem æternam ſuſcipientes in pœna. Et qui per ſuam liberam voluntatem non neceſſitate omnia condidit, ita per noſtram liberam voluntatem, non neceſſitate bonos gratia, beatos in gloria quærit. Suæ igitur poteſtatis & voluntatis eſt dare, noſtræ verò eſt recipere voluntatis. Huic voluntati aſſentientes ſanctificantur, quia ſecundùm Apoſtolum : Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio veſtra, ut abſtineatis à fornicatione, ſanctificatio videlicet per virtutes Deo placentes, abſtinentia à fornicatione, ab omni profecto re præter Deum, & abſque Deo placente. Ab hac diſſentientes, pœnas juſtiſſimas ſuſceperunt, Chriſto teſtante, qui ait :
Luc. 12. Servus qui ſcit voluntatem Domini ſui & non facit, plagis vapulabit multis. Proinde orare docuit Dei fieri voluntatem, quam Sancti patres & zelum Dei habentes, mutuo facere affectabant.
2. Mach. 8. Scribebant Machabæi ad eos, quos credebant legis ſimiles zelatores. Det vobis Deus cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis ejus voluntatem in corde magno & animo volenti. Adaperiat cor veſtrum in lege ſua, & in præceptis ſuis, & faciat pacem. Vide, qui legis, verborum efficaciam, quòd voluntatem Dei appetunt fieri corde magno. Quid enim eſt cor magnum, niſi cui præter Deum nihil eſt magnum ? Quid enim eſt cor magnum, niſi quod mundo ſe præferens, deſpicit mundum magnum ? Quid enim eſt cor magnum, niſi ubi per dilectionem laudabilis nimis, & ſapientiæ innumerabilis habitat Dominus magnus ? Quid enim eſt cor magnum, niſi

quod omnia ſenſibilia æſtimata magna, comparata in ordine ad veritatem, reputat parva? Quid eſt cor magnum, niſi quod corpus parvum deſerit ſeipſum, excolit magnum? Quid eſt cor magnum, niſi quod ad majora ſe ordinat, & ad maxima per virtutes inviſibiles ſe abſcondit? Nec aliud etiam eſt animus volens, niſi quod non violentatus, ſed ex toto libens exequitur, quod juberur. Quid aliud oratur, cum dicitur, quod aperiat cor veſtrum in lege ſua, niſi voluntas veſtra in voluntate ſua perficienda illuſtretur? Nam lex Dei, voluntas ejus nota eſt. Quid eſt, faciat pacem, niſi quia nunquam pacem habebimus, niſi ejus voluntatem inculparè faciamus.

Cap. XXV.

De juſtitia Dei.

ENeruat fides rationes humanas, atque ſupergreditur planum rationis judicium, intelligentiæ humanæ aſpectum, dubietatis tenebras fugat, retrahit hominum mentes ab injuſtis & impiis querelis, quæ adverſùs juſtitiam Dei & miſericordiam ab inſipientibus, ſæpe procedunt. Quoniam ergo enarrant ſcripturæ juſtitiam & miſericordiam Dei, de quibus titubat ut plurimum humanus animus, niſi eſſet fidei ſcuto protectus: igitur ſub protegente fide, has duas vias inveſtigando humiliter incedamus. Ait enim David: Univerſæ viæ Domini, miſericordia & veritas. Et alibi dicit: Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Sed primum de juſtitia Dei, quid tenendum ſit, Chriſtianicè videamus. Juſtus eſt Dominus (ait Pſalmiſta) & rectum judicium ejus. Et alibi: Juſtus Dominus, & juſtitias dilexit. Nec eſt juſtus eo modo, quo nos juſti ſumus. Superexcedit juſtitia ſua omnem juſtitiam, quia ipſa omnium eſt origo, & reprehenſione caret, quia nihil in reprehenſione agit. Inflexibilis eſt & immutabilis & æterna, quia ſi quid eſt in Deo, Deus eſt, ideo juſtitia Dei, Deus eſt. Sed dirigitur ſuper nos, velut ſolaris radius: nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus: nec eſt, qui effugere poſſit gladium ejus, quæ aut patenter aut latenter operatur. Sed dum patet, erudit, & timorem adducit: & dum latet, animos in admirationem ſuſpendit: quia ſæpe ignoratur ab hominibus, quod Deus juſtè facit. Thronus Dei, eſt juſtitia Dei. Nam thronus, idem eſt quod ſedes. Et in Pſalmo legitur: Juſtitia & judicium, correctio ſedis ejus. Et thronus angelicus velut judiciaria, imo juſtitiaria virtus ſemper aſſiſtit, de quo throno ſecundùm quod in Apocalypſi Joannes ſe vidiſſe teſtatur, procedebant fulgura, voces & tonitrua. Fulgura namque ictus cœleſtes ſubiti & improviſi ſunt, quæ fulgura proceſſerant de juſtitia, ſcilicet throno Dei, velut ejus ſubitæ actiones. Primò in angelis, qui ſtatim poſt conceptam ſuperbiam, de cœlo ejecti ſunt, de quibus ſubita punitis actione juſtitiæ, inquit Petrus: Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit in judicium cruciandos reſervari, quia nulla interpoſita mora, dignam ex juſtitia ſuſceperunt retributionis mercedem, & ſine ſpatio peccatum ſecuta eſt pœna. Et in primos parentes fulguravit divina juſtitia, ut ſtatim nudi, à paradiſi deliciis pellerentur, qui mandatum tam facilè contempſerunt. Et ſi non ſtatim actualiter & corpore fulguris impetus percutit poſt delictum, ſubitò tamen perforat in occultis, cùm lumine veritatis, necnon & veritate ſnima peccando privatur. Quod impellitur, noſcitur fieri dedecus culpæ ſine decore juſtitiæ. Nec tam ſubitò lapis peccati conſtruitur, quin magis ſubitò in peccantem de nube juſtitiæ fulgur punitionis procedendo percutiat: conſcientiam crucians, in occulto virtutes debilitans, in ſecretis imaginem Dei, ad quam facti in anima ſumus fædans maculis non manifeſtis, inimicos Deo & angelis faciens, dæmonibus amicos conſtituens, privans ipſam gratia, diſſocians à ſuperna gloria, bonorum omnium imparticipem reddens, & inferni civem adſcribens. Nam iſtæ ſunt occultæ ſubitæque vindictæ, procedentes more fulguris de juſtitia Dei, abſque eo, quod corpus manifeſta pœna plectatur. Rurſus atque ſubtiliùs proſpectet ſub fide contemplans humana omnium mens, pro quadam altiſſima, benigna & pia diſcretione, frænatur divina juſtitia, ne in peccantes tam ſubitò fulgura punitionis emittat. Nam ſi omnes peccantes ſubita percuſſione puniret, impius

Pſalm. 24. Pſalm. 100. Pſalm. 118. Pſalm. 10.

Pſalm. 18.

Pſalm. 96.

2. Pet. 2. Job. 4. Gene. 3.

impius crederetur conditor omnium, ipsos ad pœnitentiam non expectans.
Joel. 2. Sed quia benignus & misericors est, secundùm prophetam, & præstabilis super malitia, non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur, & vivat: ideo pius pater
Roma. 2. statim dissimulat. Et Apostolus ad Romanos scribens, arguensque non revertentes peccatores dicit: An divitias bonitatis illius & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignorans, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, scilicet expectando, ne feriat pro peccatis. Et pro obduratis statim Apostolus subdit; Secundùm duritiam autem tuam & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi judicii Dei. Differt siquidem alia pia causa in peccatores illico fulgurare sagittam, ut ex peccatoribus sumat justos propagatos ex semine, renatos ex fide. Nam habet ecclesia pro in superna gloria inferendos, quorum patres peccatores infernus tenet, & tenebit detrusos. Procedit ulterius divina piaque discretio, mitigando justitiam, ne statim percutiat malos mundi rectores, quorum mala meruerunt pœnas æternas, & ut in ipsos subditos existentes legalis justitia desæviat, ad hoc bene regant alios, seipsos malè atque impune regentes. Multi namque malè recti, bene alios rexerunt: incorrecti, correxerunt: inordinati, ordinaverunt: impuniti alios justissimè punierunt, & tutaverunt Rempublicam, Domino rerum omnium inimici. Et malus transit ut plurimùm impunitus, cujus malitia meritorè proficit, exercetur, perficiturque justus. Necnon plerunque in pharetra sua sagitta ulciscitiva convertitur, ut impetat in prælatos, aut in aliquos ecclesiastica dignitate, aut scripturarum claritate fulgentes, quorum opera infera justè petunt, cùm per eos fit in subditis directio ad superna. Multoties & infallibiliter prælati, sacerdotes, doctores, declamatores ad populum aliqui, sed non omnes, quos justè sententia expectat, ad supernam gloriam authoritate, sacramentorum administratione, prædicatione, divina suppositа gratia, plurimos transmiserunt, in seipsis & propriis meritis damnationem æternam infallibiliter acquirentes. Vult enim Deus ex omni hominum genere ad tempus peccatoribus parcere, ut ex eis, velut ex quadam materia durante semper habeat, in quibus formam Christianæ vitæ atque conversationis inducat, aut de ipsis quomodolibet malis, aliquid utilitatis pro suis conversis eliciat. Et si nunc fulgurantis justitiæ actio omnes subitò & manifestè impeteret, non remaneret in finali extremoque judicio quod feriret. Procedunt voces de throno justitiæ, post fulgura declaratæ atque notissimæ admoniones, ut unusquisque caveat, ne inveniat, quod puniat. Amat enim divina bonitas magis parcere, quam ferire. Ideo præmittuntur cautelæ debitæ voces, ut sibi deputet, qui punitur, non de Deo queratur, quem contempsit. Nónne hæc vox processit ex Adam, cùm in paradiso collocaretur: Ex omni ligno paradisi comede, dixit Dominus ad Adam, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas: In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Cui ergo nisi sibi deputabit Adam, quia pœnam justitiæ pertulit, qui vocem præmonitionis justitiæ contempsit? Similiter Cain præmonitionis sive præmonentis justi voce affatus est Dominus dicens, cùm invidia in fratrem armaverat cor ejus: Quare iratus es, & cur concidit facies Gene. 4.
tua? Nónne si bene egeris, recipies? Si autem malè, statim in foribus peccatum aderit. Cui ergo imponet, nisi sibi homicidium & debitam sibi pœnam, qui Deum contempsit, & fratrem interfecit? Accessit à throno Dei vox justitiæ per Moysen, decies verbis & signis usque ad Pharaonem. Adversùs quem causabitur, quod decies punitus rex erat, ejusque exercitus submersus, nisi quia populum Dei non dimisit, quem tenebat captivum, & in Moyse divinum contempsit præceptum? Nónne vox tonantis justitiæ fuit, ne peccantes avertamur ab ipso, quam per Moysen in Deuteronomio emisit, dicens: Videte, Deut. 32.
quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me, ego occidam, & ego vivere faciam: percutiam, & ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit eruere. Si acuero, ut fulgur gladium meum, & arripuerint judicium manus meæ, reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes. Idem & per Da-
vid clamat: Nisi conversi fueritis, gla- Psalm. 7.
dium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum. Et in eo paravit vasa mortis, scilicet homines peccatores, sagittas suas ardentibus effecit. Et in Matth. 18.
Evangelio: Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Et alibi: Nisi Luc. 13.
pœnitentiam egeritis, omnes peribitis.

Quæ ſunt hæc voces, niſi procedentes à throno juſtitiæ dei quæ ſunt hæ voces, niſi niſi comminationes, præmonitiones, admonitiones, ne auertamur à Deo, uniamur Deo ? Quot voces præmonentes, æternum væ comminantes in divina ſcriptura reperiuntur, deficeret in enarrando tempus potius, quàm ſcriptura. Quibus ergo præter quam ipſis imputabunt mali, & puniti, obſtinati, & inconverſi, qui tot audiunt voces præmoniti ? Procedunt etiam voces à nominato ſæpius throno, id eſt certiſſimæ rationis ſuper manifeſtis juſtitiis atque judiciis, noſtræ mentis caligantibus oculis occultatis. Nam erit plerunque manifeſta punitio, cujus ratio ſæpe lateat, quia puniti hominis culpa non patet, quod ſi culpa eſſet in patulo; mens non eſſet in litigioſo judicio : nec quæretur, quare tantùm aſſet punitus, ſi cognitus fuiſſet malignus. Faciliter namque quieſcit humana ſententia, cùm notum reum punit. Sed videt atque credit juſtum ſeu innocentem ſolicitari flagellis, ipſa non ceſſat penitus à querelis, cum ipſo aut ſine ipſo. Sed quantùm ſe noſtræ mentis intelligentia ferat, faciamus de vocibus rationes, ut mens hominum accuſando deum quieſcat, & ſummam juſtitiam, ſumma diligentia diligat, veneretur atque pertimeat. Affliguntur plerunque boni cum malis, aut ſine malis: quia malè diſſimulatum à peccatoribus arguendis, ab ignaris docendis, à diſcolis monendis, ab improbis objurgandis, ab errantibus corrigendis, aut cùm tædet laboris, aut quia verecundia detinemur, aut inimicitias ex hoc provenire cauſamur, aut ne in temporalibus quomodolibet noceant, ne non habita impediamur acquirere, aut habita, perhorremus amittere. Et quia talibus parcimus, juſtè hanc amaram patimur vitam, quam dulcem in aliis nolumus contriſtare. Quod ſi fortè ad corrigendum propter captandum tempus in ſuo tempore corrigendi fiat dilatio, non imalignitatis, ſed charitatis operi adſcribatur, dum tamen tempus veniens, non prætereat à correptione vacuum, quod ad hoc fuerat expectatum. Quod ſi prætexerit, non injuſtè flagellatur: quod ſic prætexere qui potuit, non corrigendo permiſit. Nec tamen ab hujuſmodi culpa noſcitur eſſe liber, qui prælatus non eſt, aut ſuper aliis ſocietate ac neceſſitudine conjungitur, ſi ſuo modo non arguit, quod peccatur. Jure igitur pariter puniuntur cum eis, qui ſocietate delectati, ſocios non arguunt in delictis. Alia verò flagellorum cauſa ſubnectitur, cùm aliqualis amor vitæ hujus regnat adhuc in eis, qui boni ſunt. Et licèt non agant cum malis ſimilem malam vitam, diligunt profectò eaducam. Adjungitur cauſa divinæ perculſionis utilior, cùm deus hunc mundum tot repleverit miſeriis atque moleſtiis, ut etiam qui boni ſunt, involuantur in eis, ut argumentum ſit nolle laborare aut pati pro mundo, qui amicis & inimicis deficiendo, & inferendo adverſa illudit. Probationis noſtræ mentis ad deum cauſa feriuntur plerique, ut in ipſa paſſione, an magis deum, an magis temporalia diligamus, appareat, & ſibi animus innoteſcat, patiendo probatus, qui non patiendo exiterat improbatus, & tribulationibus, qualis eſt, ſeipſum cognoſcat, qui ante ſibi incognitus erat. Quomodò, ſi tribulatio non eſſet ad bonos, vir juſtus dicere poterit : Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte : igne me examinaſti, & non eſt inuenta in me iniquitas, & propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodiui vias duras. Et neglecta & multis, & à multis, & pro multis diſciplina verberum advocavit, ut durioribus arceatur, qui leuibus non dedit aſſenſum. Oportebat etiam mundum erudiri per bonos, & ipſos in mundo iſto inſtrui, ut paterentur magna, & exquiſita tormenta propter Chriſtum, qui tanta priusquam boni eſſent, aut per comparationem, qui adhuc mali ſunt, patiuntur propter aurum. Et gratiam oportebit præferri naturæ majori præconio verborum, cùm in natura & propter ipſius dulcedinem, multi non effugerunt verbera flagellorum. Et nec non ſuperna & ineffabilis æternaque vita, ſuos athletas talibus examinationibus volebat exactos : per comparationem, ad iſtam quæ ſuos vexationum non habebat ignaros, & confunderentur hujus ſæculi amatores, qui gratulabantur pro aliqua re perfunctoris ſuſtinuiſſe pœnam, cùm viderent bonos pro alia paratos perdere vitam. Et arcenda penitus erat poſſeſſorum, & non habitorum humana cupiditas, ut deficiente facultate, ſanctior fieret ipſa voluntas, quæ nunquam fieret, niſi adeſſet ipſa paupertas. Et ſi inter ipſa tormenta, non habet quiſpiam quid amittat, ſaltem confiteatur paupertatem, & Chriſtum, qui vapulat. Subrogantur cauſæ plurimæ ſupradictis, ut pius pium videns afflictum, laudet ſecretum & divinum judicium. Nec impius aut quilibet à Chriſto quomodolibet alienus, adulationibus inuitandus erat ad deum, ſi Chriſti ſervi nulla paterentur diſcrimina, ſi florerent & exultarent gaudiis inter mundi proſpera, & amœna,

Pſalm. 1,

amœna, ſed probata virtute abdicationis & paſſionis Chriſto erat uniendus, qui totus eſt virtus. Adhuc autem ipſa divinæ juſtitiæ bonitas, libentius hic, quàm alibi, ſuos tribulationibus purgat, & ſi non ad totum, ſaltem ex ipſis minuit alias pœnas. Meritò etiam laudandus erat Deus; & homo Chriſtus Deus in ſanctis ſuis, qui multis pœnis interminatis, pluribusque illaris, magis elegerunt ſeipſos perdere, quàm Deum negare, aut in pœnis in modico murmurare, ut Deum eorum & omnium Dominum eſſe confiterentur in adverſis, quem mali, etiam moribus & verbis reciprocato periculo, negaverunt in proſperis. Notari nempe differentiis oportebat præſentis vitæ per amorem cives pariter & ſupernæ: quia hæc ſuos quærit floridos, & à tribulationibus alienos: illa verò, hic ſuos deſpectos, & tribulationibus implicatos, demum per mortem in ſuperis inferendos. Nam & ſi ſervi dei nihil paterentur adverſi (multi ejus ſervi fierent) non ob aliam cauſam, niſi ut pericula divitarent. Et neſcio, in quo electorum & reproborum, ſervorum dei & dæmonum, in moribus eſſet diverſitas, ſi omnibus communis eſſet amœnitas, nullaque adeſſet diverſitas. Nec non & exemplo virtualis vitæ docetur, quia recentes & uſui aptæ animalium carnes, nullo præveniente fœtore, ſale condiuntur, ne ſcateant vermibus: multo magis boni, ne in virtutibus otio marceſcant aguntur adverſitatibus. Et in omnibus his juſtitia Dei reprehendi non poteſt, quia juſtè ſi reprehenderetur juſtitia, vera non eſſet. Nam cùm juſtus injuſtè ab homine patitur, juſtè à deo ad patiendum permittitur: ſed de occulta juſtitia ejus procedit aliquid, cujus non innotuit cauſa, ſed nec quia innotuit juſtitia unius Dei & juſti. Juſtè igitur feciſſe in talibus divinam juſtitiam debemus credere, quamvis & mens noſtra non poſſit percipere. Quid de abortivis, vivis & animatis, quid de infantibus inter Chriſtianos natis, qui nondum regenerati ſunt per baptiſmum, quorum punitio eſt per divinum regimen & deſcenſus ad limbum? Quid de eorum pœnis, quas langueſcendo patiuntur, dum infirmantur, cùm nihil actuale fecerunt unde mereantur? Nec etiam more adultorum eruditionem ſuſcipiunt, dum patiuntur, quamvis videntur admirentur & terreantur. Quid de his, qui quamvis adulti, nunquam habuerunt rationis uſum, ſed velut amentes vixerunt, & quod ſuſtinent, non meruerunt? Quid de his, ad lucem vitæ deductis, in quibus natura defecit in multis, aut ſupra ordinem ejus ſuper addidit in membris? Qui ordo, licèt devius in natura, juſtitia eſt. Quid de infantibus, à quibuſcunque aut qualitercunque innocentibus, & ſi non ex originali peccato, ſaltem ex actuali & cogitabili: qui cum impiis peccatoribus propinquis aut carne remotis, aut terræ motu, aut excidio, aut depopulatione, aut ab igne urente, aut ab aqua inundanti per maria ſeu per flumina quæcunque pericula pariter ſunt paſſi, qui moribus & animo ſemper fuerunt diviſi, aut conſideratis parvulis nunquam uniti, quid de hujuſmodi oportet dicere, aut declarare, niſi ad divina volumina cum humilitate recurrere? Ait certè ſcriptura: Judicia dei abyſſus multa, quia ſicut abyſſus multa vorago eſt impenetrabilis, ſic judicio rum juſtitiæ dei, ratio eſt imperſcrutabilis. Quæ vox de throno procedens juſtitiæ, ſervabit animos hominum, in diverſitate tantarum libet actionum, cùm juſtus juſtam cauſam in judicio agens ſuccumbit, & injuſtus per juſtitiam propter litigium vocatam juſtiniam obtinebit: in quo diſcrimine Judæi ſe protegunt, quia dei filium interfecerunt, dicentes: Nos legem habemus & ſecundùm legem debet mori, quia filium dei ſe fecit. Euadit plerunque fur debitum ſibi laqueum, & juſtus & innocens traditur ad ſuſpendium. Comprehenditur, qui non peccavit, & qui peccavit, patuit tuta fuga. Prævalet homicida, & occiditur tutor vitæ. Spoliatur veſtiens nudos, & de vellenbus nudi veſtitur expolians pauperem. Pauperum hoſpitis incenditur domus, & prædonum habitacula intacta manebunt. Grandine ſeu hoſtiliter pauperis deſtruitur vinea, crepat veles & vinum effunditur. Diſſiparur plerunque ciſterna ejus, qui ſitientibus propinabat, nec talia eueniunt, qui hominum ſanguinem bibunt. Carceratur, qui ſoluit & viſitar compeditos, & qui tales carcerat, liber abibit. A deo aut ab homine infirmabitur, fovens infirmos, & infirmans ſanos ſoſper erit. Arcebitur fame famelicos paſcere volens: præripiennis vitam, impinguabitur ager, & horreum plenum erit. Natus & nutritus in infidelitate plerunque baptiſma ſuſcipiet, baptizatus verò, negabit moribus Chriſtum. Malè inchoans, adipiſcetur bonum finem: & bene inchoans, confundetur. Alius quærit otia, & implicatur inuitus, & alius repellitur ab actu voluntariè implicatus. Alius dum defendit, offenditur; & alius defenditur, dum offendit: alius periclitatur fame,

Pſal. 35.

Joan. 19.

alius

alius evomit saturitate : alius sitit, alius ebrius est : alius dives, & subsannabit pauperes, alius pauper, vix fovet seipsum. Alius orbus liberis, congregat hæredibus alienis : alius circumfultus natis, vix alimentabit eosdem. Alius innocens & ignarus, in aliena torquebitur causa : & qui deliquit, à tormentis erit liber. Alius nil mali conscius, ut nocens invenitur, in torturis erit, fortassisque morietur, cui, pro quo torquetur, assabit ridens, aut ne capiatur, quæret securam viam euadendi. Amatoris Reipublicæ publicabuntur bona, possidebit illa correptor populi. Quis talia dinumerare posset ? Multiplicantur talia super arenam maris, capitisque capillos. Quomodo igitur cessabimus à querelis ? Quomodo exclamabimus ad Deum ? Quis consolabitur animas nostras ? Quis amplexabitur justitiam, in suis effectibus tam diversam, nisi cum Apostolo dicamus : O altitudo sapientiæ & scientiæ dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus ? Aut quis cognovit sensum domini ? Aut quis consiliarius ejus fuit ? Quis es tu homo, ut respondeas deo ? Nunquid potest vas dicere factori suo : en mi figule, cur me fecisti sic ? aut opus factori suo, non intelligis ? Sed hìc solùm est adoranda divina justitia, quia horum non modo, sed in futuro erit scientia, quoniam justitia dei, Deus est, & Deus infinitus totaliter est, quem comprehendere humana fragilitas non potest. Deo autem demus justam justitiam, nobis autem ignorantiam tribuamus. Sicque quiescamus à talium discussione, si coram deo esse volumus sine offensione. Temerarius est servus, qui totam secretorum domini voluntatem exhaurire festinat. Et superbissimum est nobis sub cœlo quærere, quod super cœlum reservatum est scire. §. Nec non & à sæpius fato throno tonitrua terrentia procedunt, quæ homnium animos concutiunt, conturbant, admirari faciunt & pauere. Sed quæ sunt ista tonitrua tam tremendè super nos sonantia, videamus. Tonitruum personat auribus nostri cordis, cùm nisi baptismi sacramento renatus salvus esse non possit, quod tanta multitudo infidelium non baptizata perit. Sed quoniam scriptum est : Omnis qui invocaverit nomen domini, fide scilicet & opere, salvus erit. Et Apostolus dicit : Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt ? Quomodo credent ei, quem non audierunt ? Quomodo audient sine prædicante ? Quomodo prædicabunt nisi mittantur ? Ex quibus sanè verbis excusari videntur : si non invocant, quia non credunt : si non credunt, quia non audiunt : si non audiunt, quia eis non est prædicatum. Prædicatores verò non excusantur, quia nec à deo, nec ab ecclesia pleno & convenienti studio missi sunt. Quod humana ratio atque justitia divina, rationem & justitiam non intelligens, conqueritur dicens : O si prædicatum esset eis, fortè crederent, & invocarent, & salvi fierent. Et si sonus & prædicatio apostolorum exivit in omnem terram, & si miracula facientes fuerunt per omnem mundi plagam, fortè non omnes crediderunt, fortè quod verborum semina non remanserunt. Et multa præterierunt tempora, ut sint tradita memoriæ, quæ fuerant ex fide. Quod si modo fortè per prædicationem impeterentur, fortè converterentur. Et cùm nullus possit venire ad Christum, nisi trahatur à patre, quare non trahuntur ad Christum, ad quem facti sunt, ut non descendant in infernum, propter quem facti non sunt, cùm nullum Deus pater creet ad pœnam, quamvis omnes non percipiant gloriam ? Et si crediturì non essent, ut venirent ad veniam, angitur nunc animus justitia tali. Cur ergo Deus creat tantam multitudinem in æternum dæmonibus sociandam ? Nonne ergo iniquitas apud deum ? Absit. Et de infidelium parvulis quæstionis nos aura conturbat, ut si adulti qualificati vitiis, donum fidei non merentur, quare eorum damnantur parvuli, qui non peccaverunt ? Sed non inter Christianorum parvulos vivos morientes ante regenerationem, & infidelium parvulos decedentes meritorum distinctio, cùm sit æqua utrorumque conditio : Quia sicut ex Christiano non nascitur Christianus, ita ex infideli, ut infidelis est, non nascitur infidelis, quamvis ex primorum parentum propagata propagine nascitur quisque cum macula peccati originalis, his solum exceptis, qui sanctificationem in utero Spiritus sancti gratia susceperunt aut susceperuri sunt. Sed ne hujusmodi tonitrui quæstio trahatur in longum, decens esset, ut eam possibilis responsio terminaret, sed non est possibilis responsio quæstioni, cujus ignota est ratio : nihilominus cum fide, humilitatis devotione, cum charitate non ad plenum, sed obiter aliquid declaremus : Cùm Deus sit summè justus, summè optimus, summè sapiens, summè misericors, summè potens, omnia irreprehensibilia facit, sed humana pro-

Roma. 11. Isaiæ 19.

Joel 2. Roma. 1.

præſumptio ſe ultra ſuum terminum extendens, divina opera reprehendit. Nam cùm Deus ſit ſummè juſtus, nihil injuſtum facit, ſed omne quod facit, eo ipſo juſtum eſt, quo ipſe facit; quia nihil ſeipſo, & à ſeipſo, & per ſeipſum eſt juſtum, ut Deus extra ſeipſum inveniat aliquid juſtum, & illud operetur, quod faciat juſtum, ſed à factione dei, juſta ſunt facta dei. Et cùm nihil ſecundùm Job, in terra ſine cauſa ſubrogabitur, igitur cauſa nobis ignota, cur ſic procedit ex deo juſtitia juſta. Cùm ſit ſummè optimus, bonum operatur abſque admixtione contrarii: Cùm ſit ſummè ſapiens, non erat in opere: Cùm ſit ſummè miſericors, nihil facit impiè: Cùm ſit ſummè potens, ordinem univerſi, pulchritudinem juſtitiæ, magnitudinem imperii ſui, dehoneſtari per aliquod injuſtum non ſinit. Et in tantùm hæc omnipotenter cuſtodit, ut ea, quæ fiunt ab hominibus peccando deformia, eùm is ordo univerſi ſervatus permaneat, juſtitiæ pulchritudo non ſordeſcat, & imperii magnitudo in ſua honeſtate ſubſiſtat. Juſtè igitur infideles ſic in infidelitate moriuntur: Quia ſoli deo, nota eſt cauſa, quòd non revocantur. Et cùm quæſtio fuiſſet excogitata verbis, & ſcriptis ventilata per multos, cur Deus non ante præviderit generi humano, ut filium ſuum citius mitteret, in quo ipſum ſalvare diſpoſuerat, reſponſio ſtarim eſſet irrogata: Quia ſecundùm Apoſtolum, nondum venerat plenitudo temporis, nondum mundus ad ipſum recipiendum fuerat aptatus, nondum homo lapſus ſe probauerat per ſeipſum non poſſe reſurgere, ſi ſtarim adfuiſſet relevans manus: Nondum tantus Dominus, ſecundùm decenriam fuerat proclamatus, nondum pœna culpæ comparabatur, nondum ejiciendus erat princeps hujus mundi, cui ſe voluntariè mancipaverat, propter quod juſtè diabolus eum tanto curſu temporis detinebat. Et peccatum in lege naturæ meruit, ut Deus filium ſuum differret, à quo peccato nulla hominis adulta ratio per ignorantiam excuſationem valeret habere. Quæ lex naturæ originali mundo inſonuit in finem, & mundus ille contra legem naturæ peccando dignas pœnas ſuſtinuit. Nam ſi originalis mundus excuſari potuiſſet injuſtè Deus tam crudeliter caſtigaſſet. Quæ lex à tempore Nòè uſque ad Moyſen tanquam lex naturæ inſiſtebat hominibus, contra quam legem in pluribus & à pluribus offenſus eſt Deus? Quarum reſponſionum efficacia ſatis competit cum ſupradicta quæſtione, quæ de infidelibus ventilata per aliquos fuit. Et certiſſimè teneamus, nullum infidelem, nullamque infidelium multitudinem non vocari, niſi cauſa juſtiſſima: nullum vocari, niſi divina miſericordia. Et magnum ſiquidem tonitruum de Dei procedit juſtitia, quia de Chriſti paſſione, quæ cauſa ſalutis eſt omnium, prius damnatus eſt Judas ex juſtitia, quàm Petrus ſalvatus ex miſericordia. Et pœnaliter ſedens in crucis throno injuſtè juſtiſſimus judex ſententiam miſericordiæ ex verbis expreſſit, cùm latroni dixit: Hodie mecum eris in paradiſo. Iuſtiſſimæ ultricis ſententiam racendo perfecit, eùm alium reſervavit æterno ſupplicio. Tonitruum magnam admirationem incuriens de ſede juſtitiæ tonat, eùm poſt ſuſceptam dignitſimam Chriſti fidem ſtatim hæreſes ſurrexerunt. Quod ſtatim ſolvitur, ſi ad Apoſtolum recurratur, qui dixit: Oportet hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant in nobis. Oportebat eccleſiam improbari per fidei ſectas, ut appareret ejus ſana doctrina, quæ dogmata perverſa quæque confundit. Et hæreticorum impugnario monſtrat in eccleſia, quæ ſit vitalis & vera Doctrina. Cur autem tanta difficultate, tanto periculo hominum, ſanguine tanto fuſo, tanta diverſitate moriendi fides Chriſti mundum converterit, animus hominum ſub tanto tonitruo ſe conturbat: O ſi conſideramus, quid in ſeipſo caput noſtrum Chriſtus fecerit, non turbabimur, quid in membris ſuis in poſterum egerit. Nam ipſe caput noſtrum, noluit in potentia orbem transformare terrarum, qui non in multitudine gravi & forti, ſed per virginem ingreſſus eſt mundum: non regias ſocietates, non civitates munitas accepit, non regio apparatu apparuit, ſed vilis & pauper ab hominibus reputatus. Qui proximus paſſioni ommiſit omnem viſibilem potentiam, ſemeripſum voluntariè tradens in manibus peccatorum. Et Petro humana utenti potentia, prius piè increpato, poſtea dixit: An non poſſum rogare patrem meum, & ipſe exhibebit mihi modo plus quam XII. legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur ſcripturæ prophetarum? Quia ſic oportet fieri. Et per omnia ut malefactor tractatus, in ſe mortis accepit ſententiam indilatatæ traditam executioni, & per mortem delevit mortem, & chirographum decreti, quod erat inter nos & diabolum, tollens de medio deletuit affigens cruci, & redemit in ſanguine, qui

Job. 1.

Galat. 4.

Luc. 23.

1. Cor. 11.

Matth. 26.

ſolo verbo, imo velle poterat liberare. Quæ igitur fuit iſta juſtitia, ut innocens pro nocentibus traderetur, affligeretur juſtus pro iniquo? Sed cùm non eſſet juſtum, quòd Chriſtus ſic pateretur, juſtum tamen fuit, ut diabolus propter audacian plus petendi ab eo, in quo nihil habebat, id quod tenebat, amitteret. Unde ipſe ſalvator prædixerat ante mortem ſuam, quod eſt in morte ſua perfectum:

Joan. 12. Nunc judicium eſt mundi, nunc princeps hujus mundi ejicietur foras, pro-

Joan. 14. pter injuſtitiam plus volendi. Propterea & alibi ipſe ſalvator dixit: Venit enim princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam. Igitur qui legis, intellige. Si caput in humilitate ingreſſus eſt, quomodo aliter, quàm per humilitatem prædicabitur & annunciabitur crediturus, & non creditutis, niſi per vilitatem ingreſſus, ſive per ſtultitiam crucis, quam ſic appellat reprobus mundus? Quomodo per ſapientiam aut magnificentiam, aut quamcunque ſublimitatem, niſi per contraria mundo prædicabitur

1. Cor. 14. Chriſtus? Propterea inquit ad Corinthios Paulus: Nos prædicamus Chriſtum crucifixum, Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam: Ipſis autem vocatis Judæis atque Græcis Chriſtum Dei virtutem atque ſapientiam, quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus: Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus. Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundùm carnem, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, ut confundat ſapientes. Et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus: & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Vide igitur & conſidera, per quam juſtitiæ portam Deus voluit ingredi ad mentem humanam. Infallibiliter ordo divinæ juſtitiæ requirebat, ut Chriſti virginalis nativitas & immaculata, per virgines immaculatos prædicaretur, ut ejus doctrina, ſupra uſum, per homines inſolitos doceretur: Ut paſſio ſua ineffabilis, per paſſiones ineffabiles notaretur: Ut mors unius, omnium æternam mortem ex ſeipſa deſtruens, per mortem plurium cognoſceretur, & ſanguis Chriſti pro omnibus fuſus, hominum ſanguine compenſaretur. Nec Chriſti fides aliter in orbe terrarum introducenda erat, quàm fuerit per verum Deum & hominem introducta. Invalidior fuiſſet fides, niſi hominum cruore, & tyrannorum fuiſſet conſecrata terrore. Nec expediebat omnium regi regum, ut ſtatim ex fide reciperetur, ut virtus fidei non probaretur. Et quia introducebatur in orbem terrarum, quod uſus non habuit, natura neſcivit, ratio ignorabat, per intellectum mens non capiebat humana, rationis ordo poſcebat, ut per inuſitata, per naturæ contraria, per rationi humanæ non conſona, per incomprehenſibilia intellectui, Chriſtus & ejus fides declararetur. Expediebat omnino ſecundùm diſpoſitionem ſummæ juſtitiæ, ut mors morti Chriſti teſtimonium daret, ut qui mortuum prædicabant, per mortem deſtruxiſſe mortem, & attuliſſe vitam, quòd pro tali mortuo morerentur, & experirentur mortem ignominioſam, quam à Chriſto prædicabant ſuſceptam, & quòd paterentur pro paſſo, quem ſic paſſum volebant ab hominibus credi, & quòd ſanguinem funderent humanum, qui ad credendum invitabant mundum fuſum fuiſſe ſanguinem in cruce divinum. Et quoniam in novam vitam per Chriſtum transformandus erat mundus, id fieri oportebat per novum moriendi genus. Evangelium nanque Chriſti docuit mundum quod ignorabat, perſuaſit ei quod nolebat, compulit credere & amare crucem & mortem, quam ipſe mundus horrebat. Quomodo ergo reciperetur tanta novitas, niſi fuiſſet in primitivis chriſtianis tanta patiendi voluntas, & actualiter tanta pœnalitas? Jure igitur ſecundùm divinæ juſtitiæ ineffabilem rationem ſic actum eſt, Evangelium prædicatum, regnum Dei annunciatum, Chriſtus adoratus, fides ſuſcepta, vita Chriſtiana pro æterno regno peracta, idola deſtructa, & uni Deo exhibita latria. Tonitruat de fede juſtitiæ, quòd nimirum humanas commovet mentes, cur Chriſtianitas à Chriſto non protegitur, quod plerunque ab ipſis infidelibus propulſatur, ut innumerabilium hominum mortes, civitatum deſolationes evenerint? Cur & in ſeipſa Chriſtianitas ſe laceſſit, ut regnum inſurgat adverſus regnum, gens contra gentem, civitas contra civitatem, progenies adverſus progeniem, homo adverſus hominem? Cur diſciſſa partialitatibus. Guelfinis & Gibellinis, vocabulis frivolis per diabolum introductis? Cur partita eccleſia in imperialibus? Quæ bellandi cauſa, quæ certandi ratio, cum Chriſtianis bellare non competat, niſi pro fide Chriſti, & moribus

moribus fidei, aut pro æterno regno? Ad quid hujuſmodi ſæva bella, feroces hominum turmæ? Ad quid telis ex adverſo ſe impetunt? Cur hominum factiones ad crudelem mortem ſe pacto conſtituunt? Ad quid triſtem, dum moriuntur homines, dant ſonitum tubæ? Ad quid buccina diſtinctè proclamitat, ut viventes ad mortem conveniant? Ad quid ſonitus organorum & univerſi generis muſicorum, dum in bello homines infeliciter moriuntur? Et quæ inventa fuerunt ad gaudia, in ſceleratiſſimis funeribus audiuntur. Concurrunt de univerſis partibus ſtrenui bellatores, & ad occidendum, à quibus læſi non ſunt, ſtipem infelicem recipiunt, & ſpolia damnoſa ſectantur. Quæ occidendi ſuaſio? Quis finis lædendi? Quæ juſtitia inter homines ventilata? Quæ conſultorum & in conſiliis regnorum & civitatum proponentium, & proclamantium cauſas, ut innocentibus inferant violentias? Nam aut ambæ partes ex adverſo conſtitutæ, habebunt juſtitiam & bellandi licitam cauſam, quòd eſt impoſſibile, quòd pro una re à duobus conſtitutis belletur juſtè: Aut ambo impetu feruntur ad bellum, juſtitia & ratione carentes, quod ſæpe contingit: Aut unius cauſa defenſionis erit juſtiſſima, & alterius læſionis & inſultationis erit injuſtiſſima cauſa, quod verius & plurimum & in pluribus evenit. Quomodolibet ſe habeat ordo rei omnium injuſtè pugnantium, qui ſi certaminis impetu moriuntur, eſt ſecundùm fidem manifeſta damnatio: Quia odio injuſtiſſimo circumventi, dum volebant occidere, occiduntur nulla correptione præventi. Quæ eſt ergo iſta divina juſtitia, ut ſic ad ſe invicem ſe effodiant Chriſtiani, ſic ut in iſtis bellis ad inferni profunda deſcendant? Sed abſque eo quod Dominus in Evangelio prænunciaverit, debere talia mundi finem & judicium prævenire, dicens diſcipulis ſuis: Cùm audieritis prælia & ſeditiones, nolite terreri, oportet primùm hæc fieri, ſed nondum ſtatim finis. Surget gens contra gentem, & regnum adverſus regnum: Alia reſponſionis cauſa ſuboritur: Si dignitas & ſublimitas fidei & vitæ Chriſtianæ penſetur, & diaboli Chriſtiani nominis inimici ſubtiliſſima indignatio odium, invidia & aſtutia in Chriſtianos per omnia præſciatur, & quieſcet mens in tali tonitruo, & immenſas gratias referet Deo. Nam ſublimitas & dignitas fidei tranſcendunt humanum ommimode intellectum, inferunt agibiles ſuos in ſupernum regnum, & Chriſtianè Chriſtianis per unigentium Dei filium repromittitur æqualitas Angelorum, ſicut Matthæus & Lucas referunt Dominum dixiſſe, cùm de reſurrectione quæſtio haberetur: Erratis, neſcientes ſcripturas. In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Et Angeli cuſtodes noſtri ſunt. Et ideo Dei mandante cuſtodiunt, ut cuſtoditi ab eis cum eis ſervent, ſi habent aliquid ſimile: Vel acquirant, ſi vident ipſos omnino carere, non ſolùm quæ gratiæ, ſed etiam in his quæ ſunt gloriæ. Necnon & dignitas vitæ ac fidei Chriſtianæ ſolùm ſocitat Angelis, aut æquat, ſed dividit à dæmonibus, & ab infidelibus ſeparat, & reponit in cœlo terrenos in ſupremis partibus Imos, claudit infernum, aperit cœlum. Cui dignitati ac ejus virtutibus dæmones invidentes, ne ipſorum loca in ſupernis perdita capiamus, ac æqualia poſſideamus, aut ne nos intremus, unde caſum ipſorum ex fide cognoſcimus: Scientes quòd, niſi per virtutes paſſionis Chriſtique meritum, ſuperna non capimus, furorem potentiæ deceptionem malignæ prudentiæ, perverſitatem malitiæ in nobis & adverſum nos ſolicitare, imo excitare non ceſſant. Nam excitant adverſus nos plerique infidelium feritatem, ut eorum vexationibus occupati, non reſpiciamus in authorem vitæ, conſummationem Jeſu, & paſſionem ejus. Ad cujus reſpectum Apoſtolus ad Hebræos loquens, amantiſſimè nos hortatur, dicens: Deponentes omne pondus & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, omni confuſione contempta. Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem adverſus ſemetipſum, ut non fatigemini animis veſtris deficientes. Sed ne hoc fiat, per infideles quandoque impediunt dæmones, frivolè dicentes: Bonum eſt ab infidelibus excitari, aut ipſos ſolicitare, ut armis pugnemus adinvicem, quia non peccamus, ſi occidimus: Et ſi occidimur corripimur, licèt iſta non ſit intentio dæmonum. Quandoque iſta penitus omittamus, reverentes ad ea quæ inter ſeipſos Chriſtiani peragunt mala. Nam Chriſtianitatis viriutes altiſſimæ ſunt, charitas, pax, humilitas, veritas, caſtitas, pau-

Matth. 22. Marc. 12. Luca. 20.

Luca. 22.

Hebræ. 12.

paupertas, abſtinentia, oratio ſurſum ducens, pœnitentia Deo reconcilians, & ſacramentum Chriſti corporis purgans, adverſùs quas furiæ infernales inſurgunt, volentes, ſi poſſent, abolere per totum aut impedire, ne producantur ad actum, quod à ſubtili mentis acumine ac experimento cognoſcunt per ipſas, & cum ipſis nos regna captare cœleſtia, unde ipſi miſerabiliter corruerunt. Quibus virtutibus infideles carentes plerunque dæmones non impugnant, nos conturbantes, & ipſos pacatos dimittunt, quia in eis nullas virtutes agnoſcunt, quibus ad ſuperna ferantur, gratiam promerentes, non credentes in Chriſtum, ſine quo non, ſed per quem virtus habet & meritum, & meritum reddit poſſeſſorem ad Deum, aptatque ad regnum. Sed quia vident Chriſtianos his pollere virtutibus, ut deſtruant charitatem, commovent hominum animos in alicujus rei amorem illicitum, ut quòd debet eſſe commune, ſit proprium, & ſit meum, quod debet eſſe tuum, ex verſa vice peragitur: & quod ſit iſtius, quod debet eſſe alterius: Naſcentur rixæ, diſcordiæ, odia, convitia, oppropria, lites, contentiones, ſchiſmata, invidiæ, ſectæ, maledictiones, & ſimilia. His ſubortis peſſimis cauſis, & charitas effugiet de cordibus Chriſtianis, ac per hoc procedetur ad bella, injuſtè acies movebuntur, propulſabantur aliorum indebitè fines, pax, quæ bellare non novit, longinquam appetet regionem. Et quia una pars, aliam omnino ſuperare contendit, fugabitur humilitas, quæ hominum animos æquat: veritas tollitur de medio, cum inſidiis & falſitatibus quis quærit efficere, quod non erat à veritate permiſſum: Corrumpetur caſtitas morum, ex ſocietate corrupta, quoniam hujusmodi facinora quærunt, quia cum virtute integritas non bellatur: Corrumpetur & caſtitas animorum ex inordinato affectu: Plerunque caſtitas corporum, turpitudinis damna portabit, quia malum trahit ad malum, qui factor eſt ejus. Et devictis hoſtibus, luxuriabitur permitioſa licentia: qui ſibi obicem non videbit, ſtuprabit ad placitum virgines: Viduis non parcet honeſtis, ſi pulchras eſſe conſpexerit, inceſtum inferet: Plerunque nuptæ adulterabitur, pro nihilo reputans opprobia maritorum. Aufugiet paupertas ab his, qui alienis ditati ſunt ſpoliis. In ſpoliatis autem non merebitur paupertas involuntaria, quia nunquam eſt vera, niſi fuerit læta. Abſtinentia repudiabitur, quia nullum locum habebit parſimonia ciborum, ubi ad bellandum exquiritur ferocitas corporum. Silebit oratio inter armorum ſtrepitus, & cum ipſa tendat in Deum, non verbis, ſed mentis intuitu. Quo modo ergo fiet ſancta, aut gratia cujus mens nihil aliud, quàm mala in proximo meditatur? Pœnitentia reconciliativa non erit, quia non pœnitet præteritorum, qui anima & corpore mala malis accumulat, & ad proximorum pejora Servatur. Non erit communio veri corporis Chriſti, ubi membra ejus ad permitionem aut ſpoliationem ſeu depreſſionem conveniant, Communionem oportet habere cum proximo, qui vult dignus fieri ſacramento, nec purgabit à delictis continuò delinquentem: Sed ſi quis indignè interpretaretur accipere, pœnam & judicium ſecundùm Apoſtolum, non Chriſti gratiam manducaret. Luce clarius patet, quare dæmones magis Chriſtianitatem quàm alias gentes exagitant, ut virtutes Chriſtianas tollant, aut eorum actus impediant, ut finaliter nobis claudatur cœlum, quòd ipſi ad cædendum patulum habuerunt: Et aperiatur infernus, quem ipſi cum ſuis complicibus in fine mundi æternaliter irremotis repagulis, habebunt firmiter clauſum. Et quia Judæi meritò patiuntur ſervitutem, diſperſionem, incluſionem, quia contempſerunt Chriſtum prædicantem, & morientem: Juſtius hæc mala nos conturbant, quia per perditos mores, contemnimus ipſum in cœlo regnantem. Et proſcindamur in nobis diſciſi à Chriſto, dividamur in nobis diviſi à Deo, confodiamur ferro, qui, quantùm in nobis eſt, peccatis noſtris adhuc Chriſtum in cruce configimus, qui hactenùs pro noſtris peccatis, extitit corpore crucifixus.

Cap.

Cap. XXVI.

De miſericordia Dei.

FIdes divina perquirit, & eo virtuoſior eſt animus, quo quæſita per fidem, ab inveſtigatione rationis abſoluit. Nec aliter ſentit de divinis, niſi prout ſentiendum veritas ſumma mandavit. Et multi ad Dei miſericordiam indebitè animum ſublevant, Idcirco de ipſa eſt fide Chriſtiana differendum, non humana præſumptione tentandum. Miſericordia Dei, juſtitia Dei eſt, quia ipſum miſereri, juſtitia eſt. Et juſtum eſt ſummum & verum Deum eſſe miſericordia plenum, ut ex plenitudine ſua, miſericordia Dei plena ſit omnis terra, quod Pſalmiſta canit: Miſericordia Dei plena eſt terra. Sed alium præſtat legentibus intellectum, cùm dicitur, charitas Dei, benignitas Dei, pietas Dei, largitas Dei, & his ſimilia: alium cùm dicitur, miſericordia: Nam miſericordia ideo ſic appellata eſt, quia miſeriam noſtram reſpicit: aut jam habitam, ut auferat: aut futuram prævenit, ut non veniat. Quæ noſtra miſeria vel erit culpabilis vel pœnalis, aut ſpiritualis vel corporalis: Culpabilis miſeria primo fuit in angelis, quæ non eſt Dei miſericordiam conſecuta, quia illorum natura ſemel fuit vertibilis, ut à Deo averſi, nunquam ad ipſum verterentur converſi, ut eſſent Dei miſericordiam conſecuti, quæ licèt reſpiciat averſum, nunquam datur niſi ad converſum. Et ſtatim poſt culpæ miſeriam ſecuta eſt miſerabilis pœna, nunquam miſericordiam conſecutura, quia non ad pœnitentiam reverſura. Eadem miſeria fuit in parentibus primis, & juſtitiæ merito ſecuta eſt in naſcentibus cæteris: & ſuper quam diffuſa eſt Dei miſericordia, quia ſecuta eſt peccatoris pœnitentia, & pœnalis ad tempus vindicta, pro eo quod revertibilis ad Deum fuit humana natura, & liberata eſt humana fragilitas à culpa & æterna pœna. Nam ſua miſericordia propitiatus eſt Deus per unigenitum ſuum omnibus iniquitatibus noſtris, & ſanavit omnes infirmitates noſtras, & redemit de interitu vitam noſtram, non auro & argento, ſed ſanguine proprio, juxta Iſaiæ propheticum dictum: Gratis venundati eſtis, & ſine pretio redimemini. Et in prima canonica ſua Petrus inquit: Scientes quod non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti JEſu, præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter vos, qui per ipſum fideles eſtis. Et cùm ipſe Deus per ſanguinem nos redimeret, à paternis & propriis debitis ſolveret, contra originale peccatum abluitivum baptiſmatis inſtituit ſacramentum. Et quia ſecundùm Apoſtolum ad Hebræos impoſſibile actum eſt peccantem poſt baptiſmum, per ipſum poſſe reconciliari & reformari: ſacramenta ſunt alia inſtituta, ut ipſis mediantibus reformemur, mundemur, acceptabiles fiamus, in gratia placeamus, gloriam acquiramus, quod ſtatim abolita culpa per pœnitentiam, auferetur pœna per miſericordiam. Et licet pœna relinquatur purgatoria, de ineffabili miſericordia Dei eſt, quòd juxta merita non datur æterna: quia juxta David ſententiam, miſerator & miſericors Dominus, longanimis, & multùm miſericors. Non in perpetuum, quia miſericors eſt: irafcetur, neque in æternum comminabitur, quia crudelis non eſt, Non ſecundùm peccata fecit nobis, quia inferna & privationem ſui meruimus. Neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuit nobis, quas innumerabiles fecimus: & ipſe pœnitentibus non retribuit mala iratus. Quoniam ſecundùm altitudinem cœli, à terra corroboravit miſericordiam ſuam ſuper timentes ſe: quia ipſe cœlum eſt, nos terra ſumus: ipſe Deus verus, nos homines puri ſumus: ipſe juſtus, nos peccatores exiſtimus. Idcirco ſuam ſervans bonitatem æternam & indeficientem, quantùm ipſe ſuperexaltatur à terra noſtræ iniquitatis, intantùm miſeretur nobis ſuæ gratia pietatis, ut tamen miſericordia firmetur tantùm ſuper eum timentes, ut non præſumant Dei timore carentes, & ad pœnitentiam non revertentes. Et quantùm diſtat ortus ab occidente, longè facit à nobis iniquitates noſtras, ut tamen iniquitates noſtræ, ſi pœnitentiam ſuſceperint, longè ſint à nobis pœna dimiſſa, quorum occidens ſeu occaſus eſt culpa com-

Pſal. 32. Hebræ. 6. Pſal. 102. Iſaiæ. 52. 1. Petri. 1.

commissa, quantùm ipsius conceptio, natalis & vita, mors, doctrina, passio & sepultura fuit sine admissa penitus culpa. Et quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit Figmentum nostrum. Similitudinem paternæ dilectionis in filium induxit sermo Davidicus ad timentes. Pater namque naturali amore fertur in filium, ut misereatur illius pro offensionibus ejus. Qui licèt peccet, paternam dilectionem non extinguit in patre, quin velit filio prodigo, cùm revertitur, misereri; Sic fons dilectionis, & pater misericordiarum, & totius consolationis Deus, naturali amore misericordiam exhibet timentibus eum, & ex pœnitentia petentibús illum: Quia misericordia Dei ab æterno & usque in æternum super timentes eum, quoniam ipse cognovit figmentum fragilitatis nostræ, qui ex nulla nostra virtute sustineri valemus, nisi sua misericordia solidemur. Hinc & sapientia clamat; Gratia Dei & misericordia est in sanctos ejus, & respectus in electos illius. Et alibi: Tu autem Deus naturaliter suavis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia. Et misereris omnibus, sibi volentibus misereri, non superbia, sed humili voluntate. Multi enim volunt misericordiam, retinendo peccati miseriam, & orant misereri, sed nolunt emendari. Superbia maxima est petere misericordiam, & in vitiis velle manere. Magna est nostra miseria, cùm summus in culpa mentis ex volito, aut in culpa corporis ex actu perverso. Magna cùm expedita patitur anima pœnam, & corpus resolvitur in terram, resuscitandum in multis, non ad gloriam, sed ad gehennam. Magna miseria spiritualis, cum anima ignorat, aut peccat. Magna corporalis, cum tot pœnalitatibus corpus impium suBiaceat. Propterea clamabat David: Misereri mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam. Quia ubi magna est miseria, opus est magna misericordia. Igitur ipsa misericordia (ut præfatum est) aut removet inhærentem miseriam, aut prævenit ad futuram. Et ex ipsa misericordia detinemur, ne cadamus: Cadentibus manus datur, ut resurgamus. Ipsa nos adiuvat, ut vincamus: Ipsa nos saluat, ne pereamus: Ipsa expectat dulciter, cùm redire tardamus: Porrigit manum, dum petimus: Aperit, cùm pulsamus: Invenit ipsa bonum quòd quærimus: Revocat, cùm erramus: Ulciſci dissimulat, cùm peccamus: Suscipit hilariter, cùm redimus: Emollit cor ad pœnitentiam, citò dimittit offensam & peccatum, factam non tenet injuriam, dat largiter gratiam, multiplicat daram, servat multiplicatam. Miris & occultis modis Deus ex misericordia impedit, ne fiat peccatum: Dat adversa, ut purget peractum: Largitur prospera, ut ad amorem provocet, dat sacramentum, ut meritum cumulet: Dat præcepta, ut donet præmia, confert gratiam, ut faciamus illa. Ex ipsa omnium Deus pater punit citra condignum, non solùm in hoc mundo, sed & in inferno. Et plerunque peccatorem quem non prævidit ad gratiam reversurum, citiore prævenit morte, ne diu vivendo, peccata multiplicet, quorum multiplicatione sua pœna creſceret. Dat supra petitum, præmiat supra meritum, remunerat supra sperantum. O quàm multiplex & magna est misericordia Dei, non multiplicans, nec majorem faciens Deúm. O quàm bene, qui ad ipsam refugiunt. O quàm malè, qui non bene utuntur, cùm in peccatis multis jaceant sub respectu ejus. Plures peccant prætextu illius, & volunt diu ægrotare in peccatis, sub spe misericordiæ assuturæ, cùm nollent in corpore longè pati pœnas sub expectatione sanitatis venturæ. O quám multi expetunt misericordiam, & ipsa expectata venit, sed expectantes non invenit, aut suo tempore imparatos invenit. Quid autem de justis dicam? Non indigent misericordia? Sed inspice diligenter quia indigent. Si sacræ scripturæ textum perquiras, citò ipsos indigere misericordia innotescet. Inquit Isaias: Omnes justitiæ nostræ, quasi pannus menstruatæ. Vide igitur quid meremur ex justitia nostra sine misericordia, cùm tam sit vilis nostra justitia reputata. Ipse salvator noster, justitiæ confidentiam destruens, dicit: Cùm omnia benefeceritis, feciſtis quod debuiſtis, dicite: servi inutiles sumus. Et Apostolus: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et ad Titum scribens, iterum dicit: Non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, aut facimus, seu faciemus, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit. Et ad Philippenses iterum de ſeipſo justificato neque justificando per gratiam legis suæ, sed per justitiam fidei ex misericordia Dei dicit: Ut inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ in lege est, sed illam quæ ex fide est Jesu Christi,

Ibidem.

Sapien. 4.
Sapien. 15.

Psalm. 50.

Isaiæ. 64.

Luca. 17.
Roma. 8.
Titum. 3.

Philip. 3.

ſti, quæ ex Deo eſt juſtitia in fide ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionum illius, configuratus morti ejus. Quæ omnia miſericordiam, non juſtitiam noſtram clamant. Quod & nos dicere poſſumus de juſtitia novæ legis, quam ſi uſque ad apicem minimum & jota nullum prætermiſſum ſervaremus, vitam non mereremur æternam, neque opera noſtra cauſa eſſent ſalutis, ſed noſtris operibus exiſtentibus bonis, miſericordia Dei ſalutem & ad ſalutem operatur in nobis. Et idem Apoſtolus dicit de ſeipſo ad Corinthios: Nihil mihi conſcius ſum, ſed in hoc juſtificatus non ſum, ſcilicet ut vitam æternam merear. Et ad Romanos pro omnibus dicit: Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Quid enim eſt, non eſt volentis, niſi quia non ſufficit deſiderium, non affectus, non voluntas quantumcunque exceſſiva ſalutis? Quid eſt, neque currentis? Id eſt, quantumcunque bene operantis opus: Quia non ſufficit Abel juſtitia ſua, non Enoch munditia ſua, non Noe rectitudo ſua, non Abrahæ obedientia ſua, non Iſaac diligentia ſua, non Jacob patientia ſua, non Joſeph tribulatio ſua, non Moyſi manſuetudo ſua, non Aaron ſacerdotalis puritas ſua, non Joſue fortitudo ſua, non Caleph virtus ſua, non Samuelis dedicatio ſua, non David ſaluavit ſimilitudo ſui cordis ad DEUM, nec pœnitentia poſt peccatum, non Salomonem ſapientia ſua, & ſtudium in divinis, nec pœnitentia poſt peccatum, non Eliam ſalvum fecit zelus, non Ezechiam fletus, non Joſiam deſtructio idolorum, & divini recordinatio cultus, non prophetas eorum authoritas, non Machabæorum martyrium ipſos introduxit in regnum, nec juſtitia Zachariæ uxorisque ſuæ ſalvos illos fecit, nec Simeonem ſenem expectatio, non longa caſtitas & oratio templaris viduæ, non Joannis ſanctificatio uterina, & proveritate pœna ſuſcepta, non innocentes innocentia martyrum, non latronem ſua confeſſio introduxit in cœlum. Idcirco dicitur, neque currentis, ſed miſericordia Dei miſerentis, ſaluavit cum hujuſmodi operibus bonis quemcunque ſalvarum. Sed fortaſſe mutabitur In talibus ſententiis animus, habens unde excuſationem conficiat, dicens: Nondum Chriſtus erat mortuus, nondum reſurrexerat à mortuis, nondum aſcenderat in cœlum ipſe qui dixerat: Nemo aſcendit in cœlum, niſi filius hominis, qui eſt in cœlo, ſupple, aſcenderit prius. Confiteor, quia ita eſt, bene dicitur, qui verum eſt. Sed declaratio ſermonum Dei & ſcripturæ, illuminant mentes ignaras, parvulis veritatis intellectum infundit. Nam eadem ſententia Pauli ſimplex & una manet ad poſt mortem & aſcenſionem Chriſti futuros, ſicut prædeceſſores tenebat incluſos. Nam ſanè verum eſt, quia nondum crucifixus fuerat mortis morte deſtructor, nondum ſanguinis pretium erat ſolutum, nondum vectes fracti fuerant infernales, nondum de limbo ſancti educti, nondum patuerat cœlum, nondum Chriſtus loca paraturus aſcenderat. Sed his à Chriſto peractis, miſerante Deo, comitantibus operibus bonis, aſcenſionem Chriſti præcedentes ipſum præaſcendentem ſequuntur, cum ipſo ſedente ad patris dexteram quieſcentes. Sed in quo factum ſequentes & poſteros ad aſcenſionem, audeo inferre ſententiam, ut ſine peccato viventem, Sanctam Sancti Sanctorum matrem non excludamus, ſed dicemus ipſam ſalvari, quia mater Chriſti facta eſt, quia humilis, quia virgo, quia omnibus ornata virtutibus extitit. Et quamvis credamus virginem Dei matrem à peccatorum vinculis liberam, non tamen credimus ipſam ſine Dei miſericordia ex ptopriis virtutibus juſtificatam, cœlòque inſertam. Abſit, neque ipſius bene currentis, ſed Dei miſerentis extitit quòd ſalva fuit. Et ſic abſolvimus, à ſuis operibus non ſalvari Dei matrem, poſt filii ſui aſcenſionem cœleſtia regna petentem, niſi per Deum miſerentem. Quid dicemus de apoſtolis & martyribus, quid de virginibus & confeſſoribus, quid de cæteris juſtis? Quid de parvulis, qui nihil merentur, & in aliena fide captantur, qui poſt Chriſti aſcenſionem ſalvi facti ſunt? Multorum quorum merito patrocinari quærit eccleſia, ipſosque veneratur digna honorificentia, in quorum honore conſtruxit & templa, niſi quia non ſuffecerunt opera juſta, ut eos ſalvaret ſolùm ipſorum juſtitia, ſed Dei miſericordia? Ideo neque volentis, neque currentis, ſed quod quis ſalvus ſit, Dei eſt miſerentis. Fecimus quod debuimus deſupet in nos delapſa virtute, ſervi tamen inutiles ſumus. Nam ſi ſalus ex juſtitia bonorum operum eſſet, fruſtra Chriſtus cructfixus eſt: Et gratia non eſſet gratia, ſi ſalvaret noſtra juſtitia: Miſericordia Dei non eſſet miſericordia, quam pro juſtis & peccatoribus continuò quærit à Deo eccleſia. Ipſam igitur invoce-

1. Cor. 4. Roma. 9.

Thren. 3. 2. Cor. 1.

vocemus; ipſam quæramus, ad ejus curiam à ſententia divinæ juſtitiæ appellemus? ipſi ſubdamur, ſub ejus alis quieſcamus & dicamus: Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti: Nec defecerunt aut deficient miſerationes ejus, qui miſereri non deficiens dedit nobis unigenitum ſuum, qui ſecundùm Apoſtolum factus eſt nobis à Deo ſapientia & juſtitia & ſanctificatio & redemptio, ut non in nobis ſimus confidentes, ſed in ipſo. Sol eſt miſericordia Dei, qui radios ſuper univerſos effundit, nam ipſe omnium pro ſuo modo miſeretur. Miſericordia Domini ſuper angelos, miſericordia Domini ſuper homines bonos & malos, miſericordia Domini ſuper viros & mulieres, ſuper juvenes & ſenes, ſuper fortes & debiles, ſuper ſapientes & inſipientes, ſuper nobiles & ignobiles, ſuper divites & pauperes, ſuper reges & populos, ſuper principes & provincias, ſuper prælatos & ſubditos, ſuper doctores & diſcipulos, ſuper vigilantes & dormientes, ſuper ambulantes & quieſcentes, ſuper artifices & inertes, ſuper conjugatos & monachos, ſuper cœnobitas & anachoritas.

Cap. XXVII.

De divinis beneficiis.

GRata & gratis Dei beneficia ad noſtram revocantor memoriam. Quæ licet penes nos ex effectu ſortiantur diverſa vocabula, unum tamen ſunt in mente divina. Quæ beneficia ideo dicuntur, quia nobis gratis divina beneficentia elargitur. Nam cùm non eramus, deduxit in eſſe. Quid ei dedimus, non entes, ut daret eſſe? Gratis ergo dedit eſſentiæ bonum, ei & multa bona conferet in poſterum. Et tale noſtrum eſſe ſeparavit ab omnibus ſub cœlo tantùm entibus, conferendo vitam, à viventibus ſolùm, Conferendo ſenſum, à ſentientibus ſolùm. Conferendo rationem, à multis rationem habentibus: Conferendo fidem, & à multis fidelibus, aliquos per bonam operationem. Quod donum ſingulare Dei eſt, poſſe bene operari, Ut breviter aliqua beneficia nota fiant, ex quibus Deo animagratias agat, ut gratam ſe Deo faciat, qui hæc legit, intelligat quia creati ſumus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, non ſecundùm corpus, ſed ſecundùm animam. In quo beneficio excedimus in dignitate, nobilitate, virtute, cœlum, ſolem, lunam & ſtellas, quatuor elementa, & omnia elementa corporea, viventia & non viventia, quia omnia facta ſunt propter nos, nun propter ea nos facti. Et ipſa facta eſt anima immortalis, arbitrio libera, imperfecta quantùm ad virtutes, perfecta, quantùm ad potentias naturales. Scilicet memoriam, qua comprehendit præterita, præſentia & futura: Quantùm ad intelligentiam, qua cognoſcit Deum ſupra ſe, ſe in ſe, angelos juxta ſe, quidquid aliud cœli & terræ ambitu continetur, intra ſe. Intelligit tamen cum diſcurſu, quæ ſibi conceſſa ſunt intelligere: Intelligit bona & mala, juſta & injuſta, corporalia & ſpiritualia. Perfecta etiam, per liberam voluntatem, ſuam poteſtatem ad quodcunque voluerit inclinat convertibilem, ad bonum & ad malum, capax virtutis & vitii, ſuſceptibilis pœnæ vel præmii, perfectibilis in virtutibus, caret pondere, figura, colore: Eo magna, quo capax eſt æternitatis: Eo recta, quo appetens eſt bonitatis: eo beata, quo particeps eſt deitatis. Poteſt accipere, & accipiunt multæ ſignaculum fidei, gratiam Spiritus Sancti, fieri ſponſa Chriſti, vocari per adoptionem filia Dei. Et in his nullum noſtrum præceſſit meritum, ut daretur hujuſmodi beneficium. Naſcimur more beſtiarum, poſſumus accipere cœlum, & conſortium expectamus angelorum. Et non ſolùm hæc, dedit etiam poſſe nos diligere ipſum. Et tantæ capacitatis fecit, ut repleri non poſſit anima, niſi per ipſum. Dedit hæc omnia, permiſit cœleſtia, prærogavit majora, imo dedit & maxima, ut quid det ultra & excellentius, non habeat, cùm per nimiam charitatem, qua dilexit nos ab æterno, pater omnium Deus miſit filium ſuum, ut ipſum habeamus doctorem actu & theoria in doctrina ſuperna, non hæreamus in terrena: Ut habeamus in cibum & potum, quem qui manducat, & bibit, vivet in æternum: Et morientem habemus in pretium, quia nos unde poſſemus ſolvere, carebamus: Et reſurgentem, aſcendentemque in cœlum habemus in præmium, qui tota eſt merces & retributio meritorum. Quid enim in omnibus

nibus his, præmiſit humana fragilitas meriti? Quid obtulit obſequii? Nonne nos DEUS prævenit creando? prævenit amando, prævenit beneficia ineffabilia conferendo, prævenit redimendo? Nonne hæc omnia invitantia ſunt ad amorem conſtringentia, ut gratiarum reddamus poſſibilem actionem? Unde bona eſt beneficiorum memoria, ne ſimus ingrati, ſed ad rependendum debita prompti. Nam ingratitudo recepta perdit, promiſſa non recipit, ductum gratiæ infundendæ intercidit. Facit declinare penitus à peccatis beneficiorum DEI jugis memoria. Et qui conſiderat quare dederit, inſiſtit operibus bonis. Omnia namque quæ nobis à DEO data noſcuntur, nos ad DEUM, quaſi quibusdam funibus trahunt, ſicut per Oſee Prophetam dicitur: In funiculis Adam traham eos, & in vinculis charitatis. Funiculi Adam, ſunt beneficia, quæ contulit parentibus primis: Vincula charitatis, ſunt beneficia, quæ contulit naſcentibus cæteris. Non offendit benefactorem memor beneficiorum: quia beneficia naturæ quisque conſiderat animo & actu, non peccat, quia ipſum malum ingratitudo contra naturæ beneficium militat, nec non & dabit bonis operibus operam, ſi quare DEUS tanta nobis contulit, conſiderat cauſam, quia nullum donum DEUS dedit adverſus ſemetipſum. Et dono DEI, modo utitur gratis contra voluntatem DEI, ſi ad ejus honorem omnia non ordinaverit, ad cujus honorem ſunt omnia collata. Utilis eſt igitur beneficiorum memoria. Oſea 11.

LIBER II.

De immaculata Virgine, & ejus proceſſu: Et de his quæ in ipſa, & per ipſam pro noſtra redemptione geſta ſunt, uſque quo Spiritus Sanctus Apoſtolis miſſus eſt.

Cap. I.

De Myſteriis numeri Senarii, & quod in ſexto menſe mittatur angelus ad Virginem in Civitatem Nazareth.

VITA omnium & conditor Deus, datam hominibus nolens deſerere vitam, quam per mulierem antiquitus hoſtis auferre conatus eſt, & primo abſtulit creatricem vitam, quæ dederat vitam: Ante omnia enim in malorum exordio à Deo qui eſt vita, ſeparatio facta eſt, demum vita inſufflata, mortis præmium ſumpſit. Oblatio mortem inferentium, primæ porrecta eſt mulieri, ex qua omnis eſt damnata propago, & pereptuata damnatio, quousque per altitudinem divinæ providentiæ, ſuæque benignitatis, tempore præfinito, adeſſet noviter mundo producta mulier, cui vitæ pretium, imo ipſa vita poſſit offerri. Quæ, cùm ab æterno prædeſtinata, prævisa, præfigurata, propherata fuiſſet, propè finem ſæculorum naſcitura, nuntiatur ab Angelo, & ex utroque ſterili parente concipitur, naturalibus creſcit augmentis, educatur piè, prout decebat futuram Dei ſponſam, filiique matrem. Offertur in templo per legem, ſponſatur ſancto viro. Qua nondum ab ipſo traducta in contubernium, ipſo neſciente, ipſaque vacante divinis, quibus ſolita erat intendere: die, qua mulier prima condita eſt, ſimul & præceptum divinum præteriit, accedente ad ipſam diabolo, in ſerpente horrendo, celebrato dialogo decepta eſt: decurſis ab ipſis protoplaſtis (ſecundùm quosdam) quinque millibus quingentis ſeptem annis: ſecundùm alios, quinque millibus ducentis viginti ſeptem: ſecundùm alios quinque millibus nonaginta octo, ad celebrandum novum commercium, divinumque myſterium ad exordiendam redemptionem perditæ libertatis, ad conſulendum de vita eum fœmina: quia cum ipſa de morte fuerat in dolo proviſum, miſſus eſt angelus ad Mariam. Sic enim Lucas aſſertionem facit, dicens: *In menſe autem ſexto, miſſus eſt Gabriel angelus à DEO in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph de domo David, & nomen virginis Maria* In menſe ſexto à conceptione Joannis, Luc. 1. per cujus mirabilem conceptionem ex ſterili atque ſene, quodammodo aſtruenda erat fides in virgine, per cujus vocem, etiam mundo Chriſtus primo nuntiandus erat. Sexto die creatus eſt homo, qui eodem die deliquit. Sexto die creatura mixta ſub cœlo confabulationem divinam habuit, & funeſtam: duplicem ſiquidem primam, præcepti & argutionis prætermiſſi: alteram deceptionis duntaxat. Sexto die completus eſt mundus, celeberatus eſt eſus, etiam in ſpeciebus operari ceſſavit omnipotens. Sexto die nuditas laudabilis mutavit ſpeciem & ruborem, quæſierunt ſubterfugere, aut ſe abſcondere delinquentes. Sexto die ſunt requiſiti ad veſperam, & celebrata exilia laborioſa, & lignum cuſtoditur. Sexto die, poſt rebellionem ad DEUM, illico & caro adverſus animam rebellavit. Sexto die, imago creatoris ſumpſit ex lapſu ſimilitudinem pecoris, naufragari virginitas cœpit nobile naturæ decus, & libidinoſa facta eſt propagatio humani generis, quæ fuiſſet ex caſtis: & corrupta, quæ fuiſſet ex integris

tegris : & pro honeſtate, verecundia pronuba ſucceſſit. Et ut perſtringam, fons indeficiens omnium malorum ubique derivandus perpetuo, die ſexto exortus eſt. Sexto die, quaſi neſcio unde caſtramentari cœperunt in tam orbe pulcherrimo, conturmatim & globatim cuncta mala corporea, & turbæ phantaſmatum, in cordibus hominum ſimpliciter caſtra poſuerunt : vitia contra naturam, crudeles acies direxerunt. Alterari cœperunt in compoſitis elementa, pœnalitates propè in agonem agmina feſtinarunt : prælia, ſeditiones, homicidia, fraudes, ſua fixere tentoria : terræmotus, tempeſtates, peſtilentiæ, omneque moleſtum, horrendum atque tremendum hoſtili contra hominem obſidio venerunt. Sexto die inhiavit infernus, & triſtia cum ſpiritibus apoſtaticis facta ſunt fœdera, quia divina ſunt fracta : & homo dæmonibus repromiſſus eſt ad pœnale conſortium ante perdens divinum. Limbus paratus eſt, & alius limbus, & omnis menſæ doloroſæ ipſo ſexto die, ad miſerabiliter convivandum præparatio facta eſt. Sexto die, ſub cœlo prima lætitia exorta eſt : quia exultavit rationalis creatura cum Domino, cognoſcens Dominum. Non enim in quinque peractis diebus aliquid creatum legimus, quod lætitiam in Domino accepiſſet, atque ipſum exultando cognoſceret. Neque cœlum & terra, neque lux, neque ignis, aër, aqua, neque ſidera cœli, aut germinantia terræ, non volucres cœli, non narantia maris, non quadrupedia, non repetantia ſuper terram, gaudia de Domino ſuſceperunt, neque illis collatum fuit internè poſſe gaudere. In ſexto die, ſub cœlo prima gaudia ſunt exorta, & ex veſtigio, & ex regione primæ atque ſecundæ triſtitiæ habuerunt initium. Volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris, beſtiæ terræ, & univerſa pecora campi, timori facta ſunt homini, quæ ſub ejus imperio facta erant, & ab ipſorum viribus corporis homo minoratus eſt, quibus in ejusdem ſuperior factus erat. Quid in plura defluimus ? Eximia bona & mala, ſub cœlo in die ſexto ſunt condita : illa à DEO, iſta ab homine, cum operante diabolo introducta. Verumtamen DEI ſapientia edens & calculans tempora, & ad ordinis concentum, cuncta deducens : in menſe ſexto, non prout annus conſtruitur revolutione ſolaris orbis, ſed prout tempus incœpit noſtræ redemptionis, à conceptione Joannis jam elapſa parte temporis. Erat in tempore ſexto ætatis ſexto die, quomodo multis revolutis anni circulis, eodem die, quo primus homo conditus eſt, miſſus eſt angelus ad virginem incorruptam, ut in uno, quod ſibi offerebatur, ſempiterno DEI Verbo, in gratia, quæ evanuerat in natura, provincia Galilæa & civitas Nazarea myſterio prorſus conveniant. Jam apparuerat, & per multa tempora rotata fuerat rota una, erat addenda rota alia, ut rota eſſet in medio rotæ. Galilæa enim, rota interpretatur. Rota veteris teſtamenti, dum rota erat, multos in orbe juſtos effecit, multosque proſcripſit, non tamen juſtos regno cœlorum perficere potuit, alioquin ſuperflua fuiſſet paſſio Salvatoris. Addenda erat & rota meliore orbe volubilis, cujus volubilitate juſtificarentur per omnia peccatores, & regni cœlorum promiſſio certa daretur credentibus & transmigratio indubitata parabatur ad aliam vitam. Proinde ad futurorum bonorum præſagium decebat hanc Virginem, in qua tam alta myſteria condebantur, provinciam incolere Galilæam, ut illo flageremus amore transmigerandi ab iſta miſera vita in aliam vitam. Flos qui aſcenſurus de radice Jeſſe, in flore nuntiandus erat. Et ſimiliter virgultum coram DEO in alta protendendum, ad dominium omnium nationum, unde procederent, vera ſceptra dominantium, initiandum erat in figurativo virgulto. Et ſumma ſanctitas, à qua & per quam omnis ſanctitas & conſecratio bonorum omnium, ex quo conſecrandi erant homines in virtute, in Sacramentis, & in omni ſtatu gratiæ, in ſanctitate & conſecratione prænuntianda erat. Ecce provincia, ecce civitas, ecce virgo ſimplex, pura, recta, timens & diligens DEUM, recedens ab omni malo, adhærens bono, inimica vitiis, amica virtutibus angelicis ſpiritibus ſimilis, ſingulariter electa, nihil relicto ad perficiendam eam, parata in his locis, in quibus erat aptitudo ad celebrandum divina ſponſalia. Humana ſiquidem jam celebrata erant, quia eam Joſeph juſtus acceperat, quam in templo ſponſaverat, ſed necdum eam cognoverat. Cognoverat ipſam mente, non carne : amore caſto, non amore corrupto. Sed ſponſata erat ad evadendum tetros & ad ſigillandum ora obloquentium Judæorum, imo cunctarum nationum, ne, quod naſciturum erat

de Spiritu Sancto ſtuprali turpitudini appropriaretur. Vir juſtus erat ex lege, juſtus ex fide, juſtus ex moribus. Joſeph nomen ejus, cui ſponſata erat. Nomine augmenti erat virginali ſponſo, ſibi congruum, magisque myſterio, quoniam omnia erant augmentanda per gratiam, & mundi detrimenta jam ad incrementa revolvebantur. De domo David propagine ſervata deſcenderat, ut regalis dignitas, pro regimine ſancto virtutis adeſſet. Et quod nihil vagè, nihil præcipitio, nihil irregulare, ſed omnia ſub terminato regimine agebantur, quæ ſpectabant ad redemptionem hominum captivorum. Et ad directivum vitæ hominum factum eſt, quia de regali virtutum deſcenderat progenie, qui ſponſalia præſumpſerit in Mariam. Non in illam dixerim, quæ fuit domini carnis mater, quia hoc duntaxat erat, ſed in illam, quæ ſurſum eſt omnium mater noſtra. Necnon & manu fortis dicebatur David, ut fortitudo ſit in animo & moribus hominum, qui ſupernam vitam, & æternam ſponſam præoccupare contendunt. Aptius tamen hæc progenies terminatur in Chriſtum, ut ipſe ſit regia excellensque majeſtas, ipſe manufortis ipſe decorus, multumque deſiderabilis, ipſe bonorum augmentum. In ipſoque figurata progenies carnis, per virtutem in veritate transfunditur. Nomen verò Virginis, Exod. 19. Maria. Quod ſibi congruit, & myſterio. Inſigne nomen in paucis præterquam in ſorore Moyſi præceſſerat, quæ hanc ſignavit. Decebat enim, ut ex proprio nomine tanto myſterio aptaretur. Etenim filius nomen habuit, competens actionibus ejus. Sic & matrem talem habere voluit, ut intrinſeca & extrinſeca, nomen & geſta in unum concentum concurrent, in unum conflata, unum ens virtutis immaculatum efficerent, unum vas oderetur, in quo reponerentur omnia divina myſteria. Sed angelus eſt, qui mittitur nuntiare ineffabile ſacramentum, nec decebat hominem talia nuntiare: quoniam omnis homo mendax. Et ſi miſſus, non à ſeipſo loqueretur, verum equidem, ſed primo contagio penitus omnes obnoxiii ſubjacebant, Patriarchæ ſimiliter & Prophetæ. Etſi magnæ virtutis viri velut corpore non virgines non comperebant virgini. Et hominum cauſa tractabatur, cujus ipſi advocati fieri pro nullo pacto debebant. Sanctificari prius aliquis potuiſſet in utero, & deinceps ad virginem legatum fieri affirmaverim, ſed nec præter ſemen concipiendus extra naturæ uſum per conceptos ex ſemine debuit in ſua conceptione nuntiari, quamquam natus & paſſus & reſuſcitatus, ſit per conceptos ex ſemine prædicatus. Sed diverſa erant myſteria, illud ſic & iſtud ſic decentiam habuit. Unde regis erat novus adventus, inde debebat eſſe præcedens legatus. De cœlo tunc prior ejus expectabatur adventus, igitur omnino cœleſtis debebat eſſe præcurrens, qui etiam nullis criminibus teneretur obnoxius. Et ex nomine, ex ordine, ex omnibus ad legationem ſuam congruentiam habet, pro eo, quòd ad virginem mittitur omnino impollutam. Virgo ſcilicet in utroque homine, decus naturæ portans, exiſtens quod facta erat, ſulcita optimè in natura, peramplius ex gratia. Una uni apta, ſola ſoli, non multiplicans affectum neque opus, non corpus niſi ab uno, & eundem unum. Virginea enim virtus, Deitatis prima imago. Unus ſiquidem ſolus eſt Deus, nequiens facere alium Deum. Sed ſi Pater gignit Filium, idem cum Patre Filius. Perſonalis enim diſtinctio Deitatis ſubſtantiam non diſtinxit. Virginitas quidem germanè ſe habet ad DEUM, ſeipſa una exiſtens. Virgo primitium fœminæ nomen. Appellavit enim Adam ſuæ naturæ primam conſortem virago, eo quod de viro ſumpta eſſet, ſed ſyncopato verbo, remanſit hoc, quod dicimus virgo, quæ eſt ſecunda pulchritudo humanæ naturæ, ut prima quod ſit, ſecunda quod virgo conſiſtit. Virgo protinus eſt depurata natura, immaculata mens, incorrupta per libidinem caro, affectio unica, ſanctitatis ſtudium, tota dedita Deitati, ſanctuarium Spiritus Sancti, immortalis actio, theoria laudabilis, honeſtas alliciens ſupra naturam ſenſus, pugna propugnans, ſolum ex cœlo ſperans auxilium, cùm ſenſerit ingruere bellum, auxiliatii ſui ſunt ignei ſpiritus, ſplendores ſuperni Luciferi. Sed divina Virgo, Filia Patris æterni, Mater æterni Filii, habitaculum Spiritus Sancti plus habet in occultis ſuis, quàm capiat hominum mens, quam poſſit ſermo perficere, quàm ſcribi membranis, quàm ſibi totam coaptavit ille, qui condidit, ad nil aliud, quàm ad divina præſtruens, ut Dei Mater eſſet & Filia. Moribus exterioribus ſignabatur mirificè, ut nec quidem motus corporis exorbitaret à judicio Genes. 3.

ratio-

rationis. Tota in ſe formoſa erat, & tota in virtutibus & actionibus forma. Exemplar æterni exemplaris, exemplar ut nil artificio cœleſtis myſtery exercendorum morum, capeſſendæ vitæ atque agendæ inveniretur, quod non redderetur compoſibile atque aptum in ædificio aſcenſionis in cœlum. Vitium nihil in ipſa vindicabat, virtus regnabat in pace, non habebat quod expugnaret, nec marcebat virtus ejus hoſte ſopito. Vivificæ virtutes infuſionem fundentes potius, quàm acquiſitione adhærebant ei, ut præter illam internam intuitionem, qua deitas videbitur, quod ſic eſt: communem ſiquidem quempiam in virtute inſignem excederet viatorem. Diſponentes vero ſingulares atque communes hominum mores ad id protenus erant ei, quo melius eſſe non poſſent, nec quiſquam ad magis arduum potuiſſet illas intendere. In illum finem aptitatæ protinus erant, propter quem omnia fiunt, aut fieri deſinunt, qui ad finem alium non conſtituitur. Prudentibus enim cunctis ipſa prudentior, dum ſpecies omnibus id ſolum elegit, quo melius invenuri nequit, præcavens quicquid eſſe potuit minimum ad offenſam, adinveniens quicquid per rationem & virtutem inhæſitanter placet. Juſtitia ex omni ſui perfectione aſſiſtebatur, dum tota ſe reddidit ei, à quo tota in ſubjecto natura procellit: & ei ſuper omnem viatorem operata eſt gratia, quam accepit, ex qua exiſtens quod erat in vacuum non tenuit minimam ſui partem. Fortis omnia vincens, à nulloque victa, nec animo hebes, ad opus decens impellebat & corpus. Nunquam mente fracta ex magnis rerum eventibus, in fide magna nimis, in illa omnibus deficientibus, non defecit. Hoc ſolum, ſed ſanctum & irreprehenſibile habuit imbecille, quod in paſſione mortèque filii doloris gladio diverberata eſt. Fuiſſet enim ſeveræ mentis, non fortis, non fieri illius altiſſimi filii conſociam paſſioni. Et audacter dixerim, ipſam præceteris decebat acriori dolore perfodi, hoc enim amplioris cognitionis & exceſſivi amoris ratio ſuadebat, Regula modeſtiæ tenebatur, ut nihil plus ſibi, nec minus in omnibus, quàm juris ordo poſcebat, adeſſet. Exemplo ejus alias in ſanctimonia virgines alloquamur, oſtendentes quas eſſe oporteat, quæ nuntios ex cœlo ſuſcipiunt, quæ divinas revelationes inquirunt, quæ circa ſe gratulantur Angelos meditare, quæ conſortium, alloquium, auxilium appetunt civium ſupernorum, quæ non carne, ſed ſpiritu volunt fieri Chriſti matres. Non eſt per omnia imitabilis iſta virgo, ut nulla deinceps ſit aut fœcundetur ad tam alta deputanda myſteria. In donis ſupererogationis nulla ſimilis ſibi fiat in his quæ gratificant. Et ſi manet immitabilis, non tamen æqua proportione poſſibilis, cum & ſuarum virtutum meritis Angelorum vicerit dignitatem, quorum prærogativa meritorum non ſolum ex acceptis, ſed etiam ex his quæ rependit, extabat. Sed ſint ſaltem hanc virginem ſectatrices in provincia Galilæa, habitent in civitate quæ dicitur Nazarea, ut rotentur ad Evangelicam rotam. Sed ſecundùm quod quatuor rotæ Evangelicæ elevantur, ſic & ipſæ pariter eleventur ad altitudinem virtutum, ad ſpem ſupernorum, & illa mente ſedula contemplentur, quæ rotæ evangelicæ contemplari docuerunt. Non enim vera extat quæcunque alia contemplatio mentis, ſi ex Evangelio exorta non fuerit. Stent cum ſtantibus, ut ultra Evangelium non procedant. Nil aliud ſapiant nil plus in moribus addant, & cum euntibus vadant, quam ſpiritus vitæ agendæ ſimiliter & ſignificandæ penitus eſt in rotis. Quærant tranſmigrationem virgines, virginem virginum imitantes, ut in nullo viſibili virginalis ligetur affectus. Nil diligat quod caſtiſſimi ſponſi dilectionem impediat, nec quærat diligi, à quo deceat ſeparari, qui non poſſit beare. Et ſi rota cum voluitur, tangit, quod quisquis diligat, proximum ſicut ſemetipſum: quis virginem non diligentem proximum excuſabit? Nemo ſi quidem. Sed comunem neminem proprie diligat. Affectus namque comuniter diligens, nemini alligatur, eo quod omnes diligit, ab omnibus liber manet. Transmigrationibus intendentes non gravantur ponderibus. Virgines Galilæi, nihil terrenum quærant. Animalia ſunt pennata, devitant viſcaria terrenorum, ne pennæ virtutum ac deſideriorum impediantur ex viſco. Paupertas ejus in pretio eſt, & eo amplius, quo ex ipſo major approximatio ſit ad ſponſum, qui pauperes requirit, ſed divites non repellit. Veruntamen virgo pauper propius accedit ad crucem, Nuda rebus temporalibus. Virgo, nudam crucem aſtringit ardentius, & tanto illius arboris fructus guſtat ſapidius, quo ſibi fructum terrenarum arborum interdixit. Convenit dictis Deo virginibus, civitatem Nazareth incolere propter florem campi, & lilium convallium

dominum omnium, Chriſtum, ad florendum per eum & juxta eum ad aliam vitam: quoniam in iſta nihil manet & floret, quod in veſpere non decidat & areſcat vel marceſcat, & ſub virgulto directionis ejus fieri, quoniam virga directionis, virga regni ejus. Exorbitaverunt Angeli, qui non ſteterunt ſub virga directionis ejus, & protoplaſti omiſerunt ſemitas æquitatis. Alia quæcunque virga percutit, ſed non dirigit. Virga verò ejus antequam percutiat, dirigit, & dirrigendo precutit, & percutiendo in vitam rectam deducit. Virga ejus virtutis eſt virga, imo ipſe virtus & virga, quam ex Sion miſit omnipotens Dominus, omnibus dominari ad directionem patriæ, non ad tyrannidem viæ. Conſecratio & ſanctitas ſunt in civitate Nazareth, quam inculit virgo Davidica, imo virgo divina, quæ perficiunt virgines hujus virginis ſectatrices & omnem animam cœleſtia ſuſpirantem & contendentem captare, quod & in virtute perfectum, quod conſecratio & ſanctitas ex ſeipſis parturiunt. Sed non conſecratio ſine ſanctitate, nec ſanctitas ſine conſecratione. Conſecratio autem eſt, cùm aliquid ad Dei cultum ex omnibus ſuis partibus ordinatur. Sed melior conſecratio templi vivi, quam mortui: cùm homo ex omni ſuo ordinatur & offertur ad Deum, nihil retinens ad ſeipſum, nec ſe ipſum, nec ſe convertens ad alium uſum. Fas enim non eſt, vaſa dicata Deo, in alios uſus invertere. Punitus fuit protinus Balthaſar, quia vaſa templi ad communem menſam adduci fecit, ut cum eis biberent convivantes. Nullum majus ſacrilegium reperimus, niſi cùm quis ſemetipſum jam ex fide atque ſacramentis ſanctum abſtulerit à ſancto ſanctorum, ad deteriora converſus. Ex ſacrilegio interdum anathema inter homines incurritur, & præter reſtitutionem ablatæ conſumptæque rei, per pœnitentiam indulgentia invenitur. Conſecratus verò DEO, ad alia revolutus, niſi ad derelicta reverſus, nullam miſericordiam conſequitur. Sed nunquid dicata virgo, deinde ſtuprata, quoquo modo in id quod reliquit, faciat aliquem regreſſum. Nullo modo dixerim. Eſt enim virginitas, ſi perditur, irrecuperabile bonum. Poterit ſiquidem pœnitens miſericordiam conſequi, non autem coronam aſſequi virginalem, neque illud cantare cantucum, quod ſolùm centum quadraginta quatuor millibus coram agno cantare conceditur. Statimque conſecrationi ſanctitas jungitur; quia eo ipſo quis ſanctus efficitur, quod Domino conſecratur. Sed nec virgo ſancta, quia virgo, ſed quia dedicata Deo. Et cum ſanctus aliquis factus, aut ſancta, ſive aliquid ſanctum, ulterius violare non licet, ſicut non vult à Deo diſperdi. Hinc enim Apoſtolus ait: Templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Si quis violaverit templum Dei, diſperdet illum Deus, Non tamen illam appellaverim ſanctitatem, ea quæ vulgo dicimus miracula perfeciſſe, ſed ſuper naturam per gratiam in vita & affectibus atque moribus fidei. Hæ ſunt igitur regiones, hæc civitas, quas virgines debent excolere, quas inhabitare debent, quæ divinas theorias inquirunt, & volunt fieri bonorum atque perfectorum hominum ſectatores. *Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Advocatur à Deo in illa concione intellectualium ſubſtantiarum ſingularis ſpiritus adminiſtratorius Dei factus, & nulla mediatione corporalium vocum ſibi ſecreta panduntur. Exponitur ſibi virgo, quæ quamvis ſuis virtutibus jam in cœleſtibus cognita non tamen ad concipiendum unigenitum Dei filium, clauſum hoc myſterium, ab æterno præviſum, à cognitione omnium Angelorum. Fr quamvis Deitatem omnes Angeli cœleſtes intuerentur, hoc ab eis inapprehenſibile ſtabat, quouſque Deus Pater voluit revelare. Inſinuatur ad creaturam creator velle aſſumptivè procedere, non ad ſpiritualem, ſed ad compoſitam. Et ingreſſus ſummi opificis, ſuum denuntiatur ad opus & tempus miſerendi ejus, quando præfinitum venerat tempus, datur determinata legatio, quod inprehenſibilis virginali claudetur in aluo, & ut eam ſalutet almificè, ſeriosè docetur. Stupet auditor, mirantur omnes inſimul hierarchiæ cœleſtes, quod ad hujusmodi legationem nuntius cœleſtis egreditur, quem illico eſt ſecutura divina majeſtas. Suſpenduntnr illorum altis conſiderationibus mentes, quod Deus ad hominem, immortalis ad mortalem, incorporeus ad corpus, inviſibilis ad viſibilem, ſimplex & incompoſitus ad compoſitam creaturam, infinitus habitator, ad finitam ædem, ad peregrinationem ubique exiſtens, ad miſeriam temporis æternè beatus velit accedere. Plus in admirationibus auget, cùm voluntas omnia poſſit repentè perficere, quod Deus in carne velit fieri actuoſus. Hac legationis inſinuatione intellectuali, para-

1. Cor. 3.

paranymphus ille cœleſtis in forma ſuſcepta properavit ad terras, tunc in ſuperiori hemiſphærio nocturnalibus tenebris occupatas, & in ſolido lumine ſplendens, à tabernaculo virginis tenebras abſtulit & intus irradiavit, ne ipſe phantaſma fortaſſis à virgine crederetur, & ne, quod ſibi explicaturus advenerat, verteretur in dubium, non conſpecto legato. Ingreſſus Angelus ad eam. In conclavi erat virgo, nec tunc lecto cubabat, non eam excitavit à ſomno depreſſam: vigilantem invenit, deditam lectioni, aut orationi vacantem. Nox appendebatur ex medio, nec adhuc tenella virgo, ſua membra inquiete collegerat. Nec prædocta hujuscemodi præſtolabatur ipſa legatum. Nec in iſta fide vivebat, velut Dei citò futura mater, quanquam ex Spiritu Sancto potuiſſet advertere, quampiam virginem Dei matrem eſſe futuram, non tamen velut humilis, & in hoc à Spiritu Sancto limitata, de ſeipſa rem altiſſimam hujusmodi præſumebat. Ecce ingreſſus eſt Angelus, nullo aperto oſtio, nullo dimoto repagulo, nullis ſeris ex aliquo defirmatis, ad honeſtum cubiculum ad virginale reclinatorium, ac pudicæ ſtudium. Nihil obſtabat glorificatæ atque ſpirituali ſubſtantiæ, corpus quod aſſumpſit, ſimiliter introduxit. Aliquam enim formam corporis, juxta mandatum Domini, Angelum credimus aſſumpſiſſe, in quo ſonantibus vocibus, in auribus almæ virginis loqueretur. Ecce in conclavi creaturæ duæ inſignes aſſiſtunt, Angelus & Maria: in majori verò conclavi terreſtris curiæ paradiſi, diabolus & Eva. Præceſſit dialogus, unde ſunt mala omnia ſubſecuta: nunc incipit, unde omnia bona proveniunt. Magnus Angelus, magnàque Maria. Major Angelus majorque Maria. Magnus & magna, quia uterque ut creatura rationalis eſſet accepit. Major Angelus in natura, major Maria ex gratia, quæ in terris exiſtens, viſitaverat internis ſpeculationibus Angelos in cœlis, nunc ab ipſis perſonaliter viſitatur in terris. Cœleſtis & terreſtris, cœleſtem ſuperans, in modico loci ſpatio convenerunt de pace Dei, de ineffabilibus & divinis myſteriis, de reparatione humani generis, absque interpretibus tractaturi. Non ſic locuturus erat Angelus, ut non intelligeretur. Non ſic ignara erat virgo ut non intelligeret. Quis ibi tabellio, ut utriusque dicta notaret, commendaretque ſtylo ad memoriam poſterorum? Quod ſi Lucas ſcripſit, præſens ibi non fuit, qui dicendorum teſtes? Quo decernente iſte dialogus condebatur? Quis interrogationum & reſponſionum juſtus judex? O ſi quis aſtitiſſet, appoſitis auribus ad Verba captanda, quanta potuiſſet exultatione jucundari, cùm ad virginem Angelus orſus eſt, dicens: Ave gratia plena. Ecce in Prætorio virgineo agebantur noſtræ ſalutis myſteria. Ecce dicebantur in occulto, quæ in publico differenda erant. Et quæ pro tyrannorum non erant ſilenda terrore, clandeſtinè atque nocturnis ſilentiis ferebantur. Ecce cœleſtis virginitas, terreſtrem virginitatem alloquitur, ſuperna imam, ſpiritualis utranque ſcilicet ſpiritus & carnis affatur. Exultate, qui creditis: gaudete, qui cognoſcitis: quoniam miſſus eſt Angelus ab omnipotente Deo, ad Mariam virginem. Ingreſſus ad deſponſatam, loquitur Angelus ad Mariam: *Ave gratia plena.* Non apprehenſus Angelus, neque apprehendendus, quia nunquam Deus Angelos apprehendit ad naturarum unionem, ſed ſemen Abrahæ. Quam in qua erat apprehendendum alloquitur, dicens: *Ave gratia plena.* Apparuerunt Angeli Agar, Abrahæ, Jacob, Moyſi, Joſue, Gedeoni, multisque prophetis, pro multisque myſteriis, non autem totius humani generis nuntiavere ſalutem, niſi cùm Galilæam virginem alloquuntur, quorum ſingulariter deſtinatus dixit: *Ave gratia plena.* Omnia plena ſunt ſuis contentis, prout natura vacuum aliquid eſſe non ſinit. Et multa concertatio eſt in rebus, antequam poſſit vacuum ſtatui, aut ſi arte fuerit aliquando ſtatutum, ipſa natura non patitur. Proinde omnia captabilia eſſe plena cernuntur, & ubi plenitudo unius rei adeſſe cognoſcitur, alterius removetur. Alia ſiquidem eſt plenitudo naturæ, alia gratiæ, neutra tamen alteram excludit, alteram altera ſemper admittit. Præcellit autem gratia omnino naturam, & ejus plenitudo perfectionem habet, quam decebat Deificam virginem, & ex hoc Angelus inquit: *Ave gratia plena.* Domus regem peregrinantem hoſpitatura expectans, annona regi apta debet omnino compleri, alioquin rex à tali hoſpitio declinaret. Rex æternus DEUS, futurus peregrinus in terra, primum intrare decreverat hoſpitium virginale, & ne præteriret defectu delectantium regiam majeſtatem, omnibus regi placitis, virgo perfuſa eſt, propter quod Angelus ad eam: *Ave gratia plena.* Multa ſiquidem ſunt, quare virginem oportebat gratia omnino repleri,

ſed

ſed ſalutatio de cœlo præmittitur. Non à ſeipſo angelus ſalutare præſumens, ſed officium ex parte mittentis exequitur, excludens omne væ, præferendo virgini ave. Præter conditionem hoc verbum fuit ad virginem, quoniam præter radicem iniquitatis abjecerat. Ad cœteros autem appoſita eſt conditio, ut, ſi excluderent, propter quod æternum væ infligitur, cum ave omnino manebunt. Omnis ſalutatio, aut ſalutis enuntiatio, triſtitiam removet, adnectens quod poteſt eſſe lætitiæ, tacitè aut expreſsè: duo hæc omnis vera ſalutatio præintendit. Sicut in deceptione primæ mulieris, ſatagebat diabolus ſibi omnem auferre lætitiam, auferendo DEUM: quo derelicto, pœnam omnem inducebat: ſic angelus ſalutando Mariam, excludit omnem triſtitiam, & divinam lætitiam adminiſtrans. Et ſicut ille malignus blandè hoſtis, ſeverè amicus, non ſolum illos primos protoplaſtos his malis, ſed omnem ſoboleſ propagandam ex eis diſponebat involvere, quod & fecit, prævidens acrimonia intelligentiæ ſuæ, quod ex eis per traducem innumerabilis hominum utriusque ſexus erat propaganda propago: ſic Gabriel angelus, non duntaxat virgini pro ſeipſa, ſed ipſam ſalutando, totius mundi ſimul cum illa nuntiat eſſe ſalutem, & æternæ triſtitiæ futuram depulſionem. Minatur Dominus per prophetas ſuos, ob juſtas cauſas hominibus væ, quibus remotis pro omnibus, Mariæ indicitur ave. Iſaiæ 1. Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis. Gens peccatrix, quæ ſemper in fluxu mali peccare non deſinit. Populus autem homo, quilibet iniquitate gravis, qui majora mala peccando ſuperapponit. Semen nequam ſunt, qui malos imitantur, à quibus velut ſemina ſeminantur, & in alios etiam ſemina iniquitatis diffundunt. Scelerati autem filii, ſunt in ſeipſis abſque pudore peccantes, quibus vitæ Dominus, æternum væ minatur. Quibus malis abjectis, ad meliora converſis, videtur virgini pro eis dici ave. Peccaverat Jeruſalem contra Dominum loquens, & adinventiones faciens in peccatis, & ex cognitione peccabat, & peccatum ſuum jactanter extulerat. Cui ſtatim dicitur: Væ animæ eorum, quoniam reddita ſunt eis mala. Iſaiæ 3. Noli ergo exercere linguam tuam contra Dominum, non quærat adinventiones in peccatis: cum cognitio peccatum arguit, omnino de vita non efferas, quod te deliquiſſe cognoveris, & tuis auribus intonabitur ave. Inquit etiam: Væ impio malum, retributio manuum ejus fiat eis. Impius eſt, qui DEUM in veritate non colit, ad. religionem contrariam affectu & opere colligatus, cui æternum væ repromittit, cùm divina dictante juſtitia, malum agens, retributionem manum ſuarum in ultione ſuſcipiat. Sic enim Job aſſerit de ſeipſo: Si impius fuero, væ mihi eſt. Ad religionem verò pietatis converſus, ave allatum virgini ſortietur. Interminabilis ambitio in humanis rebus, & inſatiabilis appetitus ad æternum væ, contraria verò applicantur ad ave. Scriptum eſt enim: Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis. Iſaiæ 5. Nimis ambit, quia aptitudinem naturæ aut artis velit ſub ſuo dominio copulare. Ex aptitudine namque naturæ, omnes cunjuncti ſunt agri, non terræ moles diſcontinuatur in parte, niſi quod maria mediterranea in ejus ſuperficie, ratione profundarum vallium, quæ receptacula ſunt aquarum, interponi videntur. In abyſſalibus verò partibus terra non interdicitur. Et quanquam terra una, moles una, continuatio una, diverſitatem multiplicem ſortitur ex dominis, tamen unitas eſt naturalis elementi. Domûs ædificatio eſt ex arte, materiem præparante natura. Et omnis domus in civitatibus & inhabitationibus, alteri pro uſus commoditate reſpondet. Vellent autem multa, imo cuncta improbi appetentes, omnia ſimul jungere dominio ſuo, prout ſunt ex natura & ex arte conjuncta: his juſtè væ, charitatem verò diligentibus, caſtum ave. Multi ſunt qui ebrietatem ſectantur, non duntaxat vini, ſed amoris pervertentis affectum, quibus per Iſaiam æternum etiam væ dominus cominatur, dicens: Væ! qui manè conſurgitis ad ebrietatem ſectandam. Ebrietas protinus eſt, ubicunque abjicitur, aut non tenetur ordinata menſura, quam prætermittentes ordinantur ad væ: qui verò illam in omnibus ſervant, diſponuntur ad ave. Omnis iniquitatis actor reus eſt coram DEO. Iniquitas autem eſt, ſtante cognitione veritatis & boni, fuga optimi, & ſpontanea contrariorum electio. Contra quos per Iſaiam dicitur: Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & ſicut vinculum plauſtri peccatum. Trahitur iniquitas in funiculis, cùm adduntur peccata peccatis. Iſaiæ 5. Vanitas autem, cùm animus per inania diffunditur, funiculorum facit ipſa contextum. Peccatum verò,

Ibid.

Job. 10.

Ibid.

verò, in vinculati plauſtri ſimilitudinem ducitur, cùm ex conſtitutis malè urgentibus rotis, parte poſteriori elevata, anterion depreſſa, peccator homo detrahitur Qui verò ad contrarium trahendo ſe præſtruit, diſſociabitur à væ, & quod pro omnibus virgo alma percepit, conjungetur ad ave. Pervertentes judicium, perver-
ij, tentur à DEO. Contra quos per Iſaiam Dominus æternum væ comminatur: Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce amarum: In quo amplius perverti poſſet judicium rationis, quàm quod eſt naturaliter bonum, aut ex eo, quod bonum æterna bonitas eſſe decrevit: in malum, quod ſubſtantia & poſitione caret, judicando convertere: aut malum omni bonitati adverſum, in bonitatem malè diſcernendo transferre? Attribuere tenebris habitum lucis, & luci horriditatem tenebrarum inferre ſubverſæ noſcitur judicium rationis. Guſtus infectus, remota excuſatione cenſeretur, ſi amarum dulce, aut dulce amarum omnino judicaret. Ac per hoc bonum dicunt malum, qui in aliquo judicant Patrem omnium Deum, qui de ſua providentia murmurant, qui cùm juſtè punit, ei ſævitiam, ſibique innocentiam tribuunt, qui abyſſum judiciorum ejus non intelligentes, & improvidum, aut acceptorem perſonarum opinantur, qui ſparſas ſuper homines pœnalitates, quibus poſſint ad meliora converti, reprehendunt, qui flagellis ejus piis aut juſtis detrahunt, qui miſericordiam & patientiam ejus in peccatores, & in his malis, quæ continuè fiunt, confundunt. Tenebras verò lucem ponunt, lucemque tenebras: eúm mendacium in veritatem, veritatem in mendacium transferre conantur, cùm, quod habet imaginem tenebrarum, lucis veſtiunt: & quod eſt ad ſimilitudinem lucis, tenebroſitate obvelare contendunt. Amarum verò dulce fore prædicant, cùm ſuavitæ hujus amaritudine, velut à dulcedine miſcuntur illecti. Dulce, amarum dicunt, cùm abdicationem temporalium rerum, cùm ſpirituale ſtudium abominentur decepti. Quibus juſtè donabitur væ. Conſurgens ad contraria, meritò & in perpetuum præſtabitur, quod pro omnibus Mariæ dicitur ave. Sapientia hujus mundi, ſtultitia eſt apud Deum: & prudentia carnis, mors eſt. Et plerique ſapientes ſunt, ut faciant mala, benè autem facere neſcierunt. Non quærit autem Deus hujuſcemodi ſapientes, ſed eis æternam miſeriam comminatur, dicens: Væ! qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobismetipſis prudentes. Sapientes in oculis ſuis ſunt, qui in his quæ cupiunt ſivè agunt, non judicium veritatis, non ſententiam aliorum rectè viventium, ſed proprium ductum attendunt, & uſque adeo ſibi placentes, & conſentanei ſibi ſunt, ut in nullo eis contradici poſſe videatur. Ut ſuam ſapientiam inferant, aſſerunt eſſe ſtultitiam ſapientiam cæterorum. Nec exquirunt à doctoribus honeſta conſilia, oblata reſpuunt: non credentes extra ſeipſos, in aliis ſapientiam inveniri, magis autem ſapientes in propriis oculis eſſe videntur, & prudentes in ſemetipſis: qui ſpreta omni utilitate communi, & proximi, privatis commodis ſtudent, omnem induſtriam, quam poſſident à natura, quam didicerant ex uſu, quam ex aliis tradentibus perceperunt, ſpretis cæteris, ad ſe convertunt, & actione duntaxat reciproca, ſibi provident in futurum. Erit iſtis, niſi reſipiſcant, protinus undique væ, reſipiſcentibus verò, adjicitur ave. Amat in omnibus conſiſtentiam juſtitia, per quam omnia paçata conſiſtunt, nullæ inſurgunt in animo ex moribus paſſiones, non quæſtiones ſorniſecæ: respúbhica in pace quieſcit, non deflet damna miſer, quod adverſùs eum prævaluit malè cauſans, non lachrymabitur quiſpiam de perverſo judicio. Hos autem, qui ob cauſam ordinem juſtitiæ perverterunt, debita pœna conſequitur. Nam Scriptura dicit: Væ! qui juſtificatis Impium pro muneribus, & juſtitiam juſti auferris ab eo. Ad regiminis ſceptra tenentes factum eſt Verbum iſtud, quorum eſt exercere juſtitiam, illamque diſtribuere, auferre ſive conferre. Sed cùm ipſa in obliquitate ſe porrigat ad præmium ſive ſupplicium ſecundùm exigentiam meritorum, ſæpe, quibus incumbit in illa ex authoritate decernere, ex muneribus perverſi, pervertunt & tribuunt ejus cenſuram, cui adverſatur ipſa juſtitia, & quem ipſa condemnat, ipſi abſolvunt: & fit Impius juſtus, qui reus eſt, ipſa juſtitia decernente: à judicio egreditur liber iniquus, ubi remanet innocens condemnatus. Æquè malum dixerim, impium juſtificare in judicio ſubmiſſione munerum; & à juſto debitam ſibi auferre juſtitiam. Supergreditur autem, ſi hæc adderetur iniquitas, quòd impius liberato, juſtus traderetur exitio. Nam quamquam malum ſit, impium juſtum dicere, & juſto auferre juſtitiam, ex

Iſaiæ 5.

Iſaiæ 5.

cedit autem omnino, ſi juſtus & innocens punientur. Differt enim per omnem modum, non ſubvenire juſto de ſibi competenti juſtitia, & ipſum per injuſtitiam lædere: cùm aliud ſit non inferre juvamen, aliud inferre jacturam. Injuſtè juſtitiam pervertentibus apponitur væ, pro ipſa verè laborantibus virgini oblatum eſt ave. Quid autem in moribus hominum damnoſius inveniri poſſit, quàm iniquitatem firmare per leges? Nam quis rector faſces portabit, ſi ſecundùm leges iniquas ſentiat in ſubjectos? Unde Reſpublica ſumet argumentum aucta quomodo ſtabit, ſi ex iniquis legibus præſidentium erit prolata cenſura? Si exorbitatio ex legibus eſt, exorbitantes quomodo reducentur ad æquum? Unde arcebuntur vagi hominum mores? Fiet omnino judicium, authoritatem habebit iniquitas, nunquam æqua erit retributio meritorum. Malus malus erit: deplorabit damna & exilia juſtus: innocens diſcriminibus ſubjacebit. Confuſa erit humana conditio, ad vitia nemo obex: ad virtutes nullus adjutor. Erunt pauperes emolumenta graſſantium, ab eis juſtitiæ judicium procul erit. Oppreſſi, reclamare non poterunt: Vim patientur humiles, inquirentes pacem, improbè vexabuntur: viduæ, præda fient: pupillorum ſubſtantia in direptionem erit. Quamobrem per Iſaiam Dominus dicit: Iſaiæ 10. Væ, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes injuſtitiam. Scripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Clarent iſta, & expoſitione non indigent, & per eos, contra quos per prophetam Dominus loquebatur, futuros ſimiles arguebat, quod ſi ad contrariam relabitur partem, pro væ donabitur ave. Multa væ in Sacra Scriptura reperimus, ac varias maledictiones: habent tamen ſuppoſitis ex malis actibus rationes, quæ ſingula hic annectere faſtidio eſſet opus. Ideo tamen iſta poſuerim, ut ave, quod ab angelo nuntiatum Virgini, primò remotionem ejus, quod væ importat, inſinuat. Attamen ſic, ut id, propter quod infertur, ab effectibus & actibus hominum excludatur. Ex hoc loquendi genere ad alia cuncta, quæ in veteri & novo teſtamento, ſub quacunque comminatione aut interminatione reperiuntur, poteſt eſſe aptitudo & habilitas differendi.

Cap. II.

Benedictio Virginis edita per Angelum.

QUod autem iſta ſalutatio tam mirifica ex cœlo ad Virginem per Angelum in conclavi delata, non ſolùm almæ Virgini, ſed omnium indicet eſſe ſalutem, nomen futuri filii manifeſtat. Et proſequens Angelus ſuæ legationis officium, ſalutans nomen Virginis reticet ab eo, quod plus in eo erat denominans, dicens: *Gratia* Lucæ 1. *plena.* Oſtenderat ei Omnipotens, qui delegaverat eum, quæ & qualis eſſet hæc Virgo, & quibus copiis ditata conſiſteret: cùm omnium abjecta copia rerum, ſolùm polleret plenitudine gratiarum. Rerum naturalium fulgor pallet, compoſitus plenitudini divinorum chariſmatum. Erant ſiquidem in Virgine gratiæ ſuperrogatæ, ad quas nulla ſua merita potuiſſent accedere, ſed ſolùm accepit bonitate donantis, qui ſic eam replere ab æterno decrevit, ut ad theotoconium decentiſſimè aptaretur. Ipſa verò ex acceptis omni virtute ſe gratificavit ad omnium Deum Patrem, & omnimode gratia plena ſalutatur ab iſto cœlicola, qui ad terram miſſus, ad eam tam feſtinè deſcenderat. *Dominus tecum.* Sic quidem, ô Virgo! eſt, nulla plenitudo gratiæ tibi amplior conſiſtere poteſt. Omnis lingua deinceps balbutit, cùm in tuam nititur laudem, venerari te ſilentio decentius eſſet. Si Dominus eſt tecum, & cùm ipſe in omnibus rationibus ſit, diſpari tamen eſſendi modo, tecum tamen intrinſecacius, & diligentius adeſt, ut præter unionem, quam in thalamo ventris tui celebravit cum humana natura, cum nulla creatura Dominus colligatius aſtringatur, ut nec ſolùm ad ſeipſam ſit gratia plena, ſed ut refundat in cœteros exigentes, & detur in illa intelligi, quòd plenitudinem gratiæ futura Chriſtianitas poſſit accipere, quæ numeroſitate ſingulari virgini præferenda erat. Etenim ad totam Chriſtianitatem ordinabatur, quod fiebat in virgine. Sicut una prima virago, non pro ſe ipſa tantùm, ſed pro omnibus plenitudinem culpæ ſuſcepit, nec, ut duntaxat cum hac Virgine Dominus Deus eſſet, ſed ex præſagio monſtraretur,

retur, quantum ad futuram fidelium plebem Dominus potuiſſet aſtringi. Et benedicta tu in mulieribus dicta eſt, propter id, ad quod ordinata eſt, & ob hoc, quia ipſa ſe totam tradidit in placitum eam deſuper eligentis. Neque iſta benedictio ſibi ſoli propter eam ſolam applicata eſt, ſed ut in ea omnium benedicendorum & vocatorum in extremo judicio, ad percipienda regna cœleſtia, ſimiliter & æterna benedictio ante celebraretur, enunciata per Angelum, de numero Angelorum, in quorum ſimilitudinem beatitudinis electi ſunt transferendi. Non bene dicitur ſuper homines, ne Filium diceretur excedere: magis autem in diſtinctionem ſexus iſta in mulieribus benedicitur, quoniam Chriſtus in viris, ipſa in mulieribus: & viri & mulieres in ipſis in benedictionibus cœleſtibus benedicantur, quanquam ex ipſo Chriſto benedictio in omnes homines ſua pietate proveniat.

Cap. III.

Hæſitat tacitè Virgo turbata novitatem Verborum cogitans.

Quæ, cùm audiſſet, turbata eſt in ſermone ejus, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio. Conflavit in unum hæc Verba Virgo in animo ſuo, & quod dicebatur per Angelum, ſibi peregrinum & inſolitum videbatur, maximè, cùm ſe tam humilem reputaret, & ſupra id, quod exiſtimabat de ſe, hujuſcemodi ſalutationem eſſe cognoſceret. Percepit auribus, quod Angelus proferebat in voce. Corde cogitabat, quod audiendo perceperat, qualis eſſet iſta ſalutatio cœleſtis, in terrisque peregrina. Cogitabat mittentem ſimiliter & legatum in ſuis fulgoribus, proceſſibus, & ſermonibus ore notabat. Et cùm in animo verba ſalutationis diſtingueret, ſuperabatur ab eis, & eorum amplitudine vincebatur. Hæſitabat ſecum loquens, & in tanto ſermone Angeli turbabatur. Non turbabatur dolens, non aliquid malè patiens, non ſtomachans Angelum, non abhorrens Verbum, non ullis malis paſſionibus mota, ſed velut ignorans admiransque ſalutationis hujuſcemodi novitatem. Ignorantia enim admirationem & turbationem ſemper conſuevit inducere, velut quis in animo turbaretur, non intelligendo quod legit, ſeu quæ repente accidit, novitatem in animo non advertit, aut non apprehendendo, quod ab aliis audit. Ex pietate turbatio iſta erat, non ex indebita paſſione. Improviſus adventus cœlicolæ, inſolita ſalutatio, magnum myſterium continens, non repentina comprehenſio agendorum, turbationem piam atque prudentem adduxit, & virginalem animum pavidum fecit. Ex his argumento factum eſt, quod Virgo, quamvis plena Spiritu, ſe matrem deiferam ignorabat, aliàs turbationem ex ſermone Angelico in animo non ſenſiſſet, quam nec turbatam, aut ullo modo pavidam ex angelica præſentia ſcriptura commemoret, velut viſionibus Angelicis aſſuetam, & eorum ſingulariter fultam cuſtodiis. Duntaxat ex ſermone Angelico Virgo admirativè turbata eſt, cogitationem ſuam non in aliud, quàm in qualitatem ſalutationis immittens. Qualis erat iſta ſalutatio, removens væ culpæ, ſimiliter & pœnæ, inſerens plenitudinem gratiæ, cui altitudo gloriæ ſubſequa facta eſt? Qualis iſta ſalutatio, quæ creatorem creaturæ, Deum homini, immortalem mortali, beatum miſero connectebat? Quæ in ſalutatione altior qualitas, quam dicere, Dominus tecum? Qualis iſta ſalutatio, quæ omne maledictum antiquum expulit, & omnem benedictionem induxit? Non improvidè Virgo cogitabat, qualis iſta eſſet ſalutatio cœlica, hæc annunciatio tam ſuprema. Non dabat Angelo Virgo reſponſum, nec humano more faceta, vocem reſalutando rependit, aut velut familiaris ex priſtina conſuetudine illi cœlicolæ, aut verecunda cenſura modeſtiæ, magis autem dixerim, occupata in conſideratione dictorum, ſicque turbata reticebat. Mos etiam appoſitus Deo; dedicatis virginibus eſt, ut plus audiant, quàm loquantur, nec proferant ad incerta ſermonem, interrogatæ reſponſum ſuſpendant, niſi prius, quod offertur, intelligant. Admirationi audientium ex raritate loquendi eſſe debet ſermo virgineus. Hinc virgo alma prius vult intelligere, quàm quid loquatur, & ante diſcere, quàm reſpondeat. Idcirco admiratur & cogitat, turbatur & de-

& deliberat, audit & reſervat, & omnia tacitè ſecum confert, & conferendo timet, non pœnam præſentem ſive futuram ſed ignorans timebat, timens turbabatur, quam ſic prænoſcens angelus agitari ſalutatam, tam eximiè declarationem adnexit.

Cap. IV.

Removet Angelus timorem à Virgine, quam gratiam invenerit apud Deum insinuans.

NE *timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum.* In delcaratione nomen virginis exprimitur, quod in prima ſalutatione tacebatur. Nam priusquam Angelus experiretur, quid humilitatis eſſet in virgine, cùm ad theotoconium noſceret aſſuturam, ex eo, quod ab omnipotenti Deo in legationem acceperat, velut altè dignam ipſe indignior nominare ipſam veritus eſt, etiam præintendens gratiæ plenitudinem, qua potior erat, ut ſupra prætulimus. Nunc verò ipſam conſiderans verborum novitate timentem, dubietatis timore turbatam, ſtatim ad propellendum dubium & timorem, ipſam iterum allocutus eſt, dicens: Ne timeas Maria. Fruſtra timore concutitur, quam Deus ex alto ſalutat. Cur alma Virgo times? Supergrederis animo conditionem cœleſtium ſpirituum, quot & in humana natura producti ſunt, tu ſanè præcellis. De cœlo tibi miniſtratur ſalus, & pro omnibus tibi offertur, non ad incutiendam timoris paſſionem de cœlo deſcendi, ſed ut hæc tollerentur de cordibus hominum, & ſi quæ pejores fuerint paſſiones in cauſa tua & omnium, te primò adorſus ſum. Quàm ſacroſanctus proceſſus angeli, qui turbatam virginem, atque verborum novitate timentem, ſic confortat, ſic doctè removet ejus animi paſſiones, dicens: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum: hic erit magnus & filius altissimi vocabitur.* In altiora virginis animum cùm declarare nititur Angelus, ex admiratione ſuſpendit, quod virgo, quæ in domo Domini ſe reputabat abjectam, apud Deum hujuſcemodi gratiam inveniret, ut conciperet Filium, quem ſibi videret in humanitate ſubjectum, pendentem ad ubera, aliorum more vagientem, quem non ſolum conceptura, ſimiliter & paritura erat, ad propriam filiationem atque maternitatem, ſed totius humani generis ſalvationem. Quamobrem pro effectu futuro Angelus nomen nunciando prædicit: Et vocabis nomen ejus Jeſum, quod ab alio Evangeliſta expreſſum eſt: Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Sed quomodo hæc ſerena virgo, gratiam apud DEUM invenit, cùm invenire nil aliud ſit, niſi cùm homo venit in id, quod quærit, aut quaſi cùm ad eum venit? Non hanc gratiam virgo quærebat, non præſiderat ſtudium Dei Filio concipiendo, non oraverat, non jejunaverat, non ſe affecerat vigiliis, non ad hujuſcemodi contemplationem noctes ducebat inſomnes, nil offerebat ex voto, ut hanc gratiam inveniret. Quæ, inquam, mulier à ſæculo præſumpſiſſet hoc inquirere, ut undecunque concipere aut parere potuiſſet hominem, hominum Salvatorem? Quæ, inquam, ſancta Virgo ab humilitatis terminis exceſſiſſet, ut in alto preces porrigeret, ut Filii altiſſimi eſſet mater? Non minor fuiſſet hæc ſuperbia, quàm illa Luciferiana, quæ altiſſimo ſimilis fieri ſatagebat. Ac per hoc, ſi non quæſivit, quomodo invenit? An præter intentionem fuit inventio? Sed quis invénit, quod non intendit? & ſi fortè uſu loquendi multa inveniri dicantur, quæ non exquiruntur, omnino ab inventione eſt aliena proprietas, cùm ad inventionem penitus inquiſitio præferatur. Nam ſi quiſpiam invenit lapidem pretioſum, quem non cognoverit: ſi ſalutiferam herbam, cujus virtutem ipſe ignorat: ſi ægrotans obvium habuit medicum, quem ad ſuam ſanitatem multo labore quæſierat, quem ſolùm audivit ex nomine, faciem ejus intuens non cognoverit: quomodo dixeris invenire, cùm in cognitionem neuter iſtorum venerit, nec ad animam horum, lapidis, herbæ, medici, venerat plena cognitio? Unde igitur hanc invenit gratiam non quæſitam, antequam nulla ratione cognoverat? Veruntamen in hoc, nec more humano facienda eſt diſſertio, quoniam, cùm ab æterno divina Majeſtas diſpoſuerit hanc gratiam generi humano conferre, ut eſſet unio naturarum, divinæ ſcilicet & humanæ, in una electa virgine celebranda

in

in qua Verbum caro fieret, ad habitandum in nobis, ſimiliter & nobiſcum, ad redimendum nos, ad moriendum in carne pro nobis: inventa eſt una virgo ex alto: divinis muneribus fulta, ut tali eſſet apta commercio, quæ non invenit gratiam, quam non quærebat, ſed omnes creaturas, & alias virgines ſuis meritis tranſcendenti, hæc gratia oblata eſt. Quærebat humanum genus redemptoris gratiam, nam validè præmebatur ab hoſte, vita debellabatur à morte, affligebat pœna naturam, nondum gratia redemptionis advenerat, nunc dicitur inveniſſe una virgo hanc gratiam, quam quærebat damnata propago, ex qua ſingulari munere ſervata: quæ gratiam non invenit, quia ipſam in ſeipſa quæſivit: ſed quia ſibi præ omnibus dignè ad hoc dicatæ Deus obtulit, ideo invenit: *Ecce concipies in utero, & paries Filium.* Subticetur adhuc modus, quouſque virgo deposcat. *Et vocabis eum Jeſum.* Non tu nomen impones, non nomen ex genere, ſed ex eventu. Non ex placito cujuscunque, ſed ab effectu, quem ipſe completurus eſt. Impoſitum erat Angelo, antequam de cœlo deſcenderat, cùm legationem à Deo accepiſſet ad Virginem, quod tale nomen, authoritate paterna, imponeret æterno Dei Filio nuper in carne pro hominibus naſcituro. Invariabile autem eſt, quod decernit Pater æternus. *Hic erit magnus.* Hic ſuperflua eſt omnis Verborum diſſertio, ſi de hujus magnitudine diſſeratur. Quid de hujus magnitudine dici poteſt, cùm ſit omnimodè infinitus, quia eſt æternus Filius Dei? Et quamvis ex aſſumpta forma ſit homo, eſt etiam infinitæ virtutis copulatus per omnia Deitati. Non enim de mole corporis Angelus contendit edicere, quæ non exceſſit communem hominum formam, cujus quantitatem multi precelluere gigantes, ſed de illa magnitudine, quæ omnino ineffabilis eſt, Nam magnus Dominus & laudabilis nimis, Pſal. 144. & magnitudinis ejus non eſt finis.

Cap. V.

De dignitate prolis ex patre.

ET *Filius altiſſimi vocabitur.* Non vocaretur niſi eſſet, tamen eſſet, ſi non vocaretur. Porrò res excedens ſenſum hominum, ſimiliter & Angelorum, ut Filius altiſſimi & Filius hominis, eſſet in filiatione communis, non tamen in natura filiationis. Nam alia eſt filiatio, quæ invenitur in natura Deitatis: alia, quæ in humanitate fit virtute traducis. Illa æterna ſine multiplicatione ſubſtantiæ, ut idem in ſubſtantia ſit Filius, qui & Pater: idem cum Patre Filius, Filiusque cùm patre: Iſta verò temporalis cum multiplicatione ſubſtantiæ, ut alius ſit parens, alius filius. Alter in ſubſtantia qui generat, alter qui generatur, ut præter id, quod habet relatio, ſubſtantialiter fiat omnino diviſio. Et nunc indicitur, quod Dei & hominis unus perſonaliter Filius ſit communis. Etſi Virginem Angelus alloqueretur, dicens: Virgo ne timeas, nam ex inventa gratia, quem es conceptura ſimiliter & paritura, non erit filius atque dicetur hominis imi, non ſervi, non proceris humani ſive terreni, ſed vocabitur Filius altiſſimi. Nec ita dicetur Filius tuus, quamvis ſecundùm carnem ex te conceptus & natus, quin prout eſt ab æterno Filius altiſſimi, ſic à verè credentibus appelletur in tempore. Ac per hoc unus Filius eſt, Dei ſimiliter & Mariæ.

Cap. VI.

De dignitate prolis, & anterioritate.

Luce. 1. ET *dabit ei Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Ad formam ſervi, Angelus Verba convertit, ad oſtendendum quantùm potuit illa forma ſubvehi, poſtquam ediſſerit, quantùm altiſſimi forma potuit inclinari. Sed unde pater David, niſi ex forma ſervi? Nam in forma Dei per Spiritum dominum eum vocabat, inquiens: dixit Dominus domino meo, ſede à dextris meis. Quam ſcripturam, cùm à Judæis, quid eis videretur de Chriſto, exquireret, reſpondenti- Pſalm. 109

bus, quia David: ſalvator objecit, quia David Chriſtum ſanè Dominum ante vocaverat, ſed hoc ſecundùm formam Dei, quam Judæi non intelligentes in Chriſto, duntaxat David Filium appellebant. Et verè ſic erat ex carne, quam de Virgine traxit. Proinde Angelus, David ejus nominat patrem: non illa proqinquitate aut effuſione ſeminis, quæ practicatur in carne, ſed ratione deductæ propaginis, qua quis pater generis dicitur ex longa traduce. Ac per hoc promiſſionem factam David de Chriſto Angelus nuntiat jam adeſſe, cùm eum ejus nominat patrem, cujus ſibi Dominus daturus eſt ſedem. Et omne ambiguum procul repellitur, quoniam ex David deſcendit, atque per Mariam genitus ex carne. Sedes autem David regis, data eſt Chriſto, in eo, quod homo erat, ut ipſe ſit rex regnum, Dominus dominantium. Sedes eſt judiciariæ poteſtatis, ut ex typo David, qui judicaret omnem populum circumciſionis: Pater omne judicium Filio ſuo dedit, & poteſtatem plenariè dedit ei judicium facere, quia filius hominis eſt. Necnon ea in hominibus juſtis, in hac vita degentibus, à Deo Filio ſuo Chriſto traditur ſedes: quoniam anima juſti, ſedes eſt ſapientiæ. Porro regnum ejus cum domo Jacob ſcilicet cum eis, qui mundum iſtum in maligno poſitum, virtute gratiæ ſupplantaverunt, erit in æternum: non erit finis, ratione infiniti regis, & beatitudinis interminabilis. Quàm altis promiſſionibus virgo allicitur, ut dictis angelicis præſtet aſſenſum, quàm magnis commerciis ſit adorſio, quàm magna humilitate divinitas, quam altitudine magna humilitas ſit cenſenda, ut trahatur ad id, quod in pretio humanæ redemptionis offertur, ut qui concipiendus atque pariendus prædicitur, effectu & nomine ſit Salvator. Infinitus ſit magnitudine, Filius, quia eſt, vocetur Altiſſimi. Super ſellam ſeſſurus ſit judiciariæ poteſtatis, & regnaturus in æternum in domo Jacob, ſuper illos filios, quos dum moreretur in Ægypto, morti vicinus, dans benedictionem, ænigmaticè manifeſtat. Bipartitur autem regnum æternum, ſicut in hoc ſæculo temporale, atque ſicut in eccleſia myſticum. Et quanquam dicat Apoſtolus, quòd Chriſtus diligat eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, ſed in hac vita eſt macula eſt & ruga. Quoniam ad eccleſiam Dei pertinent omnes baptizati, non tamen omnes facti ſunt ſalvi, omnes credenda credentes, etiamſi mali, ut in arca Noë corvus & columba, homines & animalia. Et in una eccleſia, boni & mali, quamvis credentes inceſſanter reperiuntur, quoniam in eccleſia eſt fides una, & ex regione, ipſa eadem poteſt eſſe mortua, de qua dicitur: Fides ſine operibus mortua eſt. Proinde ſi Chriſtus ſic eccleſiam diligit abſque macula & ruga, hoc eſt, ut ita ſit: non quia ſic ipſa tota conſtitit, aut aliam eccleſiam ſuam ipſe non diligat, ſuper quam Chriſtus in hoc procurſu temporis regnat, etiam ſuper omnes, qui contra ejus eccleſiam dividuntur. Itaque ſuper omnes beatos & reprobos, æqua & una poteſtate regnabit beatificè ſuper bonos, horrendè atque terribiliter ſuper malos, tam æternè quam æternus Deus, ut infinitati finitas nulla ſuccedat. Iſta Davidicæ ſedis donatio ad formam ſervi refertur, nullius novella honoris acceſſio ad formam agitur. Nec de novo regnum accepit æternum æterna Dei forma, quamvis creaturam, ſuper quam regnaret, ex tempore fecerat, non ad augmentum honoris & commodi ſui, ſed profectum conditæ creaturæ. Proinde, ſi creatura eſt ex tempore, regnum eſt ex æternitate, ſed ad hominis formam æterni regni trajicitur ipſa largitio. De imperio hujuſcemodi atque durabilitate tradendis homini Chriſto ſacræ ſcripturæ veteres prædixerunt. Nam in figura dictum, dum ſaltem legimus: Ipſe erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem, firmaboque ſolium regni ſuper Jeruſalem in æternum. Non ſpectat hoc niſi ad formam ſervilem, ipſe erit mihi in filium, quoniam ex forma Dei ſemper cum Patre Filius. Et in Pſalmo LXXI. qui ſcribitur ad Salomonem, & in Pſalmo LXXXVIIII. qui ſcribitur intellectus Ethim Iſraëlitæ, ænigmaticis verbis pleniſſimè ſunt differta. Necnon Spiritus per Iſaiam hoc etiam ſub clariori ænigmate monſtravit de ipſo, qui concipiendus & in mundo naſciturus erat: Parvulus enim natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus. Vocabitur nomen ejus admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud & corroboret in judicio & juſtitia, amodo & uſque in ſempiternum. Tanta luce iſta ſe intellectibus offerunt, quod amplior declaratio potius obvelaret. Ac per omnia ſupradicta corpore abſentes, ſpiritu præſentes, hanc almam Virginem theotocam alloquamur.

Ephes. 3.

Jacob. 2.

1. Pet. 1.

Iſaiæ 9.

Placet

Placet ne tibi Virgo legatus ſacroſanctus cœlicola? Nònne altipendis mittentem? Nam Deus æternus eſt. Nónne tibi ſalutatio eſt in voto? Nova eſt, ſed ad novitatem vitæ: Peregrina eſt, ſed pro patria ſempiterna: Inſolita eſt, ſed pro conſuetudine gratiæ conſequendæ. Nònne ablativa dolorum, & collativa bonorum? Nònne copias habet gratiæ ſurſum agentis? Nònne Dominum tecum offert? Nònne te ſublevat in benedictionibus, ſuper merita mulierum? Quid igitur in tanto ſermone turbaris? Quid cogitas, qualis ſalutatio ſit, quæ nihil habet adverſi? An ignoras quanta munera ſecum defert, quàm ſunt meffabilia dona quæ continet? Ecce tibi Angelus cogitanti aut hæſitanti, & turbatæ in ejus ſermone reſpondet. Hortatur ne metuas vel timeas, nam fruſtra te illa paſſio moleſtabat. An ne tibi placet, quia gratiam inveniſti apud omnium creatorem, non ad te ipſam tantùm vertendam, ſed ad omnem tibi naturæ conſortem? Eja Virgo non tibi præſtat ineffabilis delectationis augmenta, quod conceptura ſis in alvo, paritura etiam utero impolluto Filium, effectu & nomine Salvatorem, infinite magnum, altiſſimi Filium, feſſurum in ſella Davidica, regnaturum ſuper omnia in æternitate Deitatis, cujus regni non erit finis? Nónne iſta omnia tibi ſunt grata Virgo? Reſpondit itaque: Sunt utique per omnia grata, nihilque deteſtor, nihilque abhorreo: ſupra eſſe, ſupra cognitionem, ſupra uſum, ſupra ſenſum ſunt, quæ ab Angelo nunciante percepi Et cùm omnia ſint in placito, duntaxat mihi modus detegatur.

Cap VII.

Cùm omnia Virgini ſunt in placito, modum conceptionis & partus exquirit.

PRotinus jure virgini omnia grata erant, merito ſiquidem, quoniam nunquam ante fuerunt tam alta commercia, neque futura ſuccedent. Et altè cenſura ſilentii agebatur, cùm uſque ad inquiſitionem modi Virgo non loquitur, ſed dixit Maria ad Angelum: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Luc. 1. Virginitati videbatur jam Virgo dicata, cùm modum conceptionis & partus inquirit, ac ſi per omnia plenè ad ſua vota reſpondeant. In modo hæſitatio tantùm erat, cùm ſibi eſſet virginitas ex natura, placeret ex gratia, ex Spiritu Sancto, quo plena erat, agnoſceret, quàm magnis & eximiis eſſet ditanda muneribus, ex illa placere ſtuduerat creatori. Noverat ex ſcientia qua dotata erat, ex uſu humano, ex mulierum damnata propagine, quod non eſſet conceptio ſine corruptione, ſine infuſo ſemine, non portatio ſine gravedine, nec partus ſine dolore, etiam quod abſque viro à primis parentibus, deinceps non fuerat celebrata conceptio. Et quanquam Virgo tam ſancta in hujuſcemodi ſpeculationibus animum non verſaret, divinis ſemper theoriis intenta, non tamen hæc ſubterfugiebant ſcientiam ejus, quod illa præter iſta in decurſu propaganonis humanæ non fuerant. Et ipſa virum non cognoverat ex conjunctione: neque cognoſcitura erat, ex voluntate. Nam quanquam Joſeph deſponſata eſſet cum ea, non tamen ipſam ſecum ad habitandum traduxerat, aut ſibi carne copulandus erat. Nec obſtat, Virginem viro vero præſtitiſſe aſſenſum, cum aliter vera deſponſatio non fuiſſet: ſed nec carne conjungendi erant, quoniam uterque utique virginitatis amator, uterque ſervaturus illam Deo promiſerat, uterque ſubjacens divinis directionibus, & expectans decreta divina: nec de illis duobus conjugibus eſt, ut de cæteris afferendum, ſingulariter quippe divinitùs agebantur. Nec in matrimonio horum & omnium virginum derogatio apponatur, quodſi non interſit corruptio carnis, non ſit veritas conjugalis: quoniam ut audacter affirmem, eo matrimonium dignius, atque honeſtius eſt cenſendum, quo major caſtitas ipſum fovet. Quodſi ſemper gubernat Deo dicata virginitas nihil habet unde cauſetur, magis autem, unde divinis muneribus fulciatur. Hinc virgo inconcuſſè tenens virginitatis propoſitum, manentibus in ſuo placito angelicis dictis, modum conceptionis & partus inquirit, dicens: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Ac ſi præter id, quod ipſa ſervare firmaverit, aliud ſapientia divina decreverit. Virgo ſiquidem ſum, virginitas mihi placet, altipendo eam, pro ea defendenda tormenta ſubirem, virum non cognovi, cognoſcere non decrevi, meipſam Virginem conſecravi altiſſimo: ex illa, credo ineffabilia dona ſortiri: de ipſa mihi Spiritus Sanctus illuxit,

xit, Dei ex omni meo facta ſum. Quid igitur angele de me ordinavit altiſſimus! Fiet iſtud cum viro, an præter virum? A te dicta meo grata ſunt animo, & tacitè mecum verſans, paveſco. Ediſſere modum, quem poſſim mente conſiderando revolvere, an velut expoſitum gratus accedat. Nulla per me tibi erit diffinita reſponſio, niſi claruerit modus factionis. Quàm ſuccincta Virgo verbis, quàm in reſponſione prudens, ut nihil de expoſitis expetat, animum & verba transfert ad ordinem futurorum, ut plenè formet ad inquiſita reſponſum. Connectenda ſunt omnia prius, ſi facta modis, ſi factis modi convenient. Ex his quippe clarefacta ratio, ea quæ novit, reſpondenda pronunciat.

Cap VIII.

Aperit Angelus modum, ut animum Virginis alliciat ad conſenſum.

Luc. 1. *Reſpondens autem Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit tibi.* Jam aderat Spiritus Sanctus, nec cunctandum eſt, cùm ſuperventurus prædicitur. Si verò, quod dicitur, refertur ad locum, ut deſuper Spiritus Sanctus venire diceretur, non aliquem fallat opinio: quoniam Spiritus Sanctus non movetur de loco, ut vadat relictis ſpatiis ad alium locum, ſed Spiritus Sanctus jam aſſiterat ei, cùm eam in primo inſtanti ſuæ Conceptionis ab illo contagio præſervavit, quo tota humana propago tenebatur obnoxia, & quia Spiritus Sanctus non operatur in vanum, nec alicui præcipuam gratiam concedit incaſſum, hinc nec ad prophetiam, nec ad omnem conſolationem, nec ad provectu in perfectionis, nec ad miracula, Spiritum ſanctum ei credimus defuiſſe, quamvis, quod Spiritu prophetico cognoverat ſtylo non commendaverit, nec ſibi obvenerit opportunitas miracula faciendi. Spiritus autem Sanctus, qui nunc ſuperventurus in Virgine dicitur, non refertur ad Virginem ſed ad Filii conceptionem, quæ acta non eſt virtute injecti ſeminis, ſed Spiritus Sancti in ea ſupervenientis. Proinde omnis adventus Spiritus Sancti, uſque ad ſuperventionem ejus fit, ad Virginem præſervandam, & ad divina myſteria coaptandam. Hoc autem quod ſupervenire dicitur, ad conceptionem Filii referatur, quæ Spiritus ſancti operatione, non alia facta eſt, ut cùm modum conceptionis & partus ab Angelo Virgo perquireret, allicatur, ut aſſentiat: propelletur corruptio, libido non aderit, eodem modo ſemper ſe habebit virginitas addetur tamen tam digna, imo divina fœcunditas, ad modum inſinuandum Spiritui Sancto tribuit actionem, cujus eſt propellere vitia, conſervare virtutes, ſeparare repente ſupra id, quod ſperare poteſt mortalis infirmitas ac ſi ab Angelo Virgini diceretur: Omnia dicta ſunt delectantia mentem, ſolùm modus hæſitationem adduxerat. In velamento tibi erat, ediſſero, prout à mittente ſuſcepi, aſſenſum præſtare non differas. Modus nihil habet humanum. ex divinis eſt totus, eſſe nequiret honeſtior, in natura gratior nullus. Ex Spiritu Sancto eſt modus, efficit mox, & præter moleſtiam agit, erit ipſe pro ſemine, congregabit ad ſe puriſſima corporis tui, ſubminiſtrabit creatura materiam. Coagulatio carnis ſubitò, & ex nihilo anima creata & creatrix Deitas, videlicet Verbum Patris illico ſimul erunt. Inexplicabili temporis brevitate in te creabitur homo novus Dei & tuus Filius. Hoc efficiet in te, ſuperveniens Spiritus Sanctus. Non exquiras hujuscemodi rationem, miraculum enim eſt non ſimile in ſæculis temporum, ſingularitatem in omnibus habet, non cauſam. Ipſa enim DEI voluntas incomprehenſibilis eſt cauſa. Sed quamobrem nimia charitas, propter quam DEUS diligens humanam naturam, primæ prævaricationi parentum totam ſubjacentem obnoxiam, in te & per te, mittit filium ſuum in terris, ut mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus, tuus futurus filius, pro æterna reconciliatione ſe offerens intercedat. Sit omnino modus in placito, quoniam & virtus altiſſimi obumbrabit tibi. Non ex hoc quod obumbrare virtus altiſſimi dicitur, in mentem audientium aliquid obſcuritatis obveniat. Nihil enim umbroſitatis eſſe poteſt, ubi lux æterna refulget, ideo propè in carne lux vera veniebat, ut omnem hominem appropinquare volentem, ſuis fulgoribus illuſtraret. Sedhæc virtutis altiſſimi obumbratio, ad protectionem traijcitur, ut à virtute illa ſuper-

ria

ma tota Virgo tegatur, ut nihil ſit in anima ejus & corpore, quod non obtegatur divina virtute. Ad defenſionem & munitionem ab omnibus contrariis obumbratio illa promittitur, ut caro virginis dona naturæ non perdat. Quoniam ex natura etiam ex corruptis omnis naſcitur virgo, ut concipiendo & pariendo, & deinceps ita invariata carne permaneat, ſicut ex materno ventre naſcendo proceſſerat, & ſic undique munita conſiſtat ab illa obumbratione, ut ſibi nihil in virtutibus deſit, expugnans omnia, inexpugnabilis ipſa per omnia. Et ſicut in alis ſupra prætulimus, aliqua Virgo, non ſolum ad ſe ipſam, ſed etiam pro nobis ipſa ſuſcepit quamvis quædam ſic appropiatè ad eam ſint facta, ut nullo modo alicui alteri poſſint eſſe communia, & ita ſunt myſterialia, ut nunquam poſſent eſſe moralia, nec per ſimilitudinem in mores trajici, niſi rei geſtæ veritate mutata, quæ in tropologicis locutionibus omnino ſervanda eſt. Nam eoipſo, quod veritas hiſtorialis in ſuo vigore nun ſtabit, ſenſus tropicus inde ſumptus frivolus erit, ex eo quod ex imitatione hiſtoriæ capitur, quamvis in ſe ſine tranſſumptione bona multa contineat. Aliud enim eſt, bona moralia, quæcunque irrelative dicere, aliud in relatione geſtorum Inculpabile primum, culpabile omnino ſecundùm, ſi non ſtabit hiſtoriæ veritas, ex qua tropicus ſumitur. Quoniam oportet ſecundùm cenſuram divinæ providentiæ, in exponendis ſacris ſcripturis, ex eis ſumpta moralia commenſurari penitus cum eisdem. Hoc ſiquidem pro tanto dixerimus, ut eorum, quæ de Virgine ad Virginem dicta ſunt, aliqua ſibi tantùm, aliqua poſſint ad nos ſine hiſtoriæ præjudicio tropica locutione converti. Nam virtutis obumbratio ſacra, ad Virginem pro conceptione filii ad nos derivanda eſt, in omni protectione ſpiritualis auxilii, ut ab alta virtute obumbremur ad protectionem, ad defenſionem, ad munitionem, ſicut obumbrata Virgo extitit ad Dei conceptionem. Etenim hæc omnia Chriſtus nobis eſt factus, ut ſub umbra alarum ſuarum protegamur à facie impiorum, qui pios affligere conatur. Et ſub umbra divinarum alarum ſperemus, donec tranſeat illa iniquitas, qua noſtrorum affectuum & morum omnis æquitas conturbata eſt. Sumus in bello continuo, nec inimici noſtri ex parte aliqua ſunt pacati. Impugnat nos ex omni parte Satan. Et cùm in ſuis agonibus eſſet David, in ſe noſtram imaginem præferens, velut gratias agens Domino, dicebat: Obumbraſti ſuper caput meum in die belli, ut ereptio ab inimicis aut de illis reportata victoria, niſi obumbratione divinæ virtutis, penitus non fuiſſet. Nec nos de inviſibilibus hoſtibus, niſi obumbraret nobis virtus altiſſimi felicem poſſemus habere victoriam. Altiſſimi namque virtus, ſatan conterit ſub pedibus noſtris, ut victores de hoſtibus, in caſtris triumphalibus ejus æterna beatitudine coronemur. Proinde prærogatum eſt virgini pro conceptione Filii Dei, quod nobis pro auxilio fuerat altè donandum. Sed prout Angeli verba virginem exhortantur ex ſuperventione Spiritus Sancti, ex obumbratione virtutis altiſſimi, adjicitur de naſcituro: *Ideóque quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*, Equidem impoſſibile omnino eſt, ut ex Spiritu Sancto & ex virtute Altiſſimi aliud, quàm quod ſanctum eſt, naſcatur: ſed hoc quod ex Virgine, vocabitur Filius Dei. Supra vocandus Altiſſimi Filius dictus eſt, nunc autem Filius DEI. Diſſonantia hæc verborum, diſſonantia in rei veritate non facit. Idem Altiſſimus & Deus. Non tibi pudori ſit Virgo, quod cum Deo Patre Filium unum habeas, qui tecum ex tua integritate participare diſpoſuit. Nec ad opprobrium tuæ virginitatis concipietur, atque naſcetur. Cùm verò coaleſcet, cùm in notitiam hominum venerit quod ex te natus eſt, cùm appellaberis mater: fortaſſis hæſitas de opinione hominum falſa, quod mater Virgo in veritate conſiſtens, inter corruptas matres à communitet judicantibus deputeris Sed ſpeculare altius Virgo, quid tibi de opinione, ubi apertè veritas claret? Nemo rectus inceſſit, qui opinionibus deſervivit. Gaudium apud ſe poſſidere non valuit, certans in opinionibus hominum vivere. Veritas hæc eſt, quod Virgo & mater es. An te amplius moleſtabit falſa opinio, quod ſis Mater communis, quàm rei veritas, quòd Virgo & Mater exiſtis? An ignoras quoniam veritas hujusmodi apud electos manebit ex fide, falſitas apud reprobos ex opinione commuui? Quoniam præterquam tu, nulla fuit aut erit virgo Mater. Non ergo mireris, ſi vulgare judicium cum ſingulari veritate certabit. Longa experientia pro incredulis, eſt uſus, ratio & corrupta natura. Quid igitur ad te alma Virgo pertinet de judicio reproborum? Ad electos derivatur myſterium, qui tui filii ex adoptione

Pſal. 139.

fratres erunt, quibus cum ipſo tu omnibus pia mater. Cùm complebitur myſteriuu, quod in te Pater adorſus eſt, cùm invalucrit fides hominum, quam in cordibus operabitur, qui hoc in te operatus eſt Spiritus, diceris Virgo Mater, & filius tuus dicetur Filius DEI, quem aliter non decebat, quàm de Virgine naſci. Proinde tuæ virginitatis derogatio redundabit in filium, qui altè ulciſcens, perpetuabit in æternis doloribus contumaces. Si verò alia opinio, quæ erat in hominibus, te confodit, quod ſponſus, qui te non tetegit, qui nil operatus eſt ad conceptum, Altiſſimi Filii reputabitur Pater: excuſatio tua in exordio iſto erit quouſque futura fides hominibus clareſcat qua ſponſus à paternitate pelletur, cujus tu ſola es ex carne Virgo Mater, & Deus æternus ſolus eſt Pater. Evaneſcant igitur iſta ex tua mente Virgo, electi à Filio tuo, ut ſunt in te vera geſta, credent, venerabuntur te pro his, preces tibi ponent, ut intercedas ad filium, poſt quem, ſingulare ſubſidium atque refugium omnibus facta es. Cùm verò totius ſæculi conſumato myſterio, judicium clarum erit, & electi & reprobi matrem virginem te cognoſcent. Illi ad gaudium æternum, iſti verò ad ſupplicium ſempiternum: quia increduli exiſtentes, aut creduli perversè agentes, ſub tuum præſidium confugere correctis moribus neſcierunt.

Cap. IX.

Ut Virgo credat ſe poſſe cum integritate concipere, ſenem & ſterilem introducit.

AD faciliorem credulitatem virginem inducendam, gravida, ſterilis, & ſenex in exemplum inducitur. *Et ecce Eliſabeth cognata tua, & ipſa concepit filium in ſenectute ſua. Et hic menſis eſt ſextus illi, qui vocatur ſterilis: quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum.* Quibus prælocutionibus angelicis Eliſabeth devenerit in conceptum ſupra declaratum eſt. Quæ Virgini ad fidem aſtruendam offertur, cui cognata erat, ex eadem parentela deſcendens, quæ filinm in ſenectute concepit, renitente lege naturæ. Quod ſenex & ſterilis erat, miraculum porro fuit, ubi natura deſtitit, aut non poterat operari, via credendi Virgini monſtratur habilior, quòd & miraculoſè poterit & ipſa concipere, ſicut ſenex & ſterilis ante concepit. Non tamen in ſterili & virgine agitur æqua portione miraculum, quoniam ſi miraculumeſt, quod ſterilis concepit, non tamen præter ſemen, non ſine carnis corruptione præhabita, non ſine gravedine. Neque uno momento in ſterili conceptio & animatio facta eſt, non in momento corporis lineamenta completa ſunt, non partus ſine dolore, neque janua clauſa. Hæc ſiquidem omnia in virgine conceptionis & partus miracula perfecerunt. Sed ſatis erat angelo virgini potuiſſe monſtrare, ut dictis ejus animum inclinaret, quod ſupra naturam in ſene & ſterili potuiſſet hæc conceptio. Valent namque præterita, ut futura credantur. Et unum incredibile aut difficulter factum, aliud arguit poſſe fieri. Et ſextus menſis erat à conceptione ſterilis uſque in illam horam, qua virgo exquirebatur ab angelo ad conceptum divinæ prolis. Ad rationem verò, quæ ex veritate divina eſt, quæ ex authoritate divina eſt, quæ & reſponſum contradictionis non patitur, Virginem Angelus includit: quia non erit impoſſibile apud Deum omne verbum. Si nihil apud DEUM eſt impoſſibile, nec ſterilis conceptus, nec virginis virgineus conceptus & partus. Quod enim potuit, voluit: quod voluit, hoc effecit: nihil præter indecens ſibi, ex impoſſibilitate repugnat. Et in hac fide ipſa nutrita fuerat, quod DEUS erat omnipotens, nec habebat, unde de potentia divina nutaret, ſi hoc crediderat DEUM velle. Ad quod figuræ præcedentes, ſimiliter & prophetiæ ſibi teſtimonio erant, hoc æternus DEUS, & Omnipotens facere dignabatur. Nuperimè verò, ad oſtendendam jam divinam fieri voluntatem, nuncius cœleſtis aſtabat, commefaciens Virginem, ſibique ſuadens per veritatem altiſſimi, ut divinæ voluntati ſine tarditate aſſentiat. Ecce omnis completa eſt nuncii ſuperni delegatio, facta eſt ſalutatio, procul pulſus eſt hæſitationis timor, declaratus eſt modus, quo poſſunt divina humanis, & divinis humana conjungi, inſolubi-

Luce. 1.

inſolubilis ratio appoſita eſt : quoniam nihil impoſſibile erit apud Deum , nihil reſtat fieri ex parte legati , ut Verbum caro fiat : ſolùm ſupereſt, ut reſpondens Virgo tam altæ legationi præſtet aſſenſum. O ! ſi homines hunc dialogum agnoviſſent. O! ſi tempus & locus tunc foret , quando ad quem potuiſſet eſſe acceſſus. O ! ſi divulgatum ſcienter in mundi partibus antè fuiſſet. O ! ſi Adam cum omni ſua progenie ab ipſo uſque ad ipſas pœnaliter propagata ſciviſſet. O! ſi cum omnibus patribus , cum quibus tenebatur incluſus , ad ſecretum cubiculum Virginis , cum corporibus , aut in animabus potuiſſet accedere. O ! ſi Eva , & fæva mater cum cunctis in partus dolore damnatis , ſciens quæ ab Angelo cum Virgine de ſe longè genita agerentur, obtinuiſſet licentiam prodeundi. Acceſſiſſent protinus omnes provolutæ ante cubiculum ejus , preces homines porrexiſſent , dantes in alta voces , profundentes deorſum lachrymas , ſingultibus atque gemitibus non parcentes expoſuiſſent miſeriam , qua premebantur , mala, quæ incurrerant ex prima omnium matre. Quando ſubjugabantur à mortis imperio , & eos tyrannis diabolica includebat,quamdiu extiterant ab amœnis ſedibus exules, quamdiuqúe futuri. Quomodo erat ſpes omnis redemptionis adempta,præterquam in eo , quod Angelus exigebat , & quod clauſa erat vitæ via , repagulata erant undique regna cœleſtia. Inimicitiæ firmè ſtabant contractæ in protoplaſtis , Deus ab homine offenſus erat , à nulloqúe placatus. Cœleſtis exercitus terrenas acies abhorrebat , exterminaſſetqúe caſtra , niſi quia retinebatur ab eo , qui diſponebat eruere. Totales cohortes hoſtiliter in homines privatis auxiliariis ſæviebant. Quaſi confuſis vocibus hæc Virgini differuiſſet humana conditio , ut ſicut rex omnium decorem hujus Virginis ad redemptionem humani generis exquirebat : ſic ipſa in hanc obedientiam ſuum animum inclinaret. Vim fortaſſis feciſſent tabernaculi poſtibus , & dulcem inſultum Virgini, ne differet apologiam facere alloquenti, quoniam per eam hæc pœnalia removenda erant. Omne pondus certaminis ſuper eam vertebatur. In reſponſum ejus incumbebat omnium hominum ſalus , & tollendæ per ejus adorſum inimicitiæ ad creatorem , & ad cives ſupercœleſtes protinus erant,per eam bonamortua rediviva futura , & ab æterno diſpoſita , in tempore per peccatum dilata, reordinabantur in priſcum. Meritò vice neceſſitatis illam natura humana compuliſſet precibus humilibus , ut pro cauſa omnium, quæ agebatur cum ea in ſecreto cubili, ſub æterna ſanctione , ad Deum ſe totam omni exceptione dejecta transferret. Sed quamvis non eſſent qui proclivè huic Virgini ſupplicarent , etiam ſua pietate illi cœlicolæ aſſentire cogebatur,quoniam nec ſanctitas Patrum eximebat illos à limbo , nec intra cœleſtia transtuliſſet , niſi per ſuum aſſenſum , duarum naturarum in ſuo alueo fuiſſet celebrata conjunctio. Ratio flagitabat & cognitio , quam ex DEO acceperat , ut eſſet prima palmaris Virgo prudentior , cui datum erat , ut ipſa omni humano generi provideret. Nam cùm multæ filiæ congregarent divitias , ſola ſupergreſſa eſt univerſas , & in divitiis ſapientiæ cunctas excedens , omnibus conſulens, à ſeipſa ſuaſa prudenter , & ab Angelo , qui tam doctè & divinis promiſſionibus & operationibus ipſam ad expectatam reſponſionem induxerat, quæ omnino erat infinitis pendenda muneribus , & nulli comparanda ſermoni , quàm Virgo Angelo præſtolanti , pia humilitate ſine contradictione, omnium miſerata perfecit , dicens :

Cap. X.

Aſſenſus Virginis in humilitate fundatus.

Luc. 1. *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum.* In profunda ſe dejecit quæ invitabatur ad alta, & ad dominatum , in ancillatum animum convertit & corpus , cùm reſpondit : Ecce ancilla Domini , ſcilicet ſui & omnium. Nihil ſibi Virgo retinuit , totam ſe poſuit in divino famulatu. Noluit ipſa de ſe ipſa decernere , cùm audiſſet factum , intellexiſſetqúe modum, præterquam obedientiam, non amplius habuit quid poſſit objicere , quibus ſe ad ſua vota relatis optabat ſibi fieri , & in ea omnia celebrari ſecundùm angelicum dictum : Fiat mihi ſecundùm verbum tuum, ut concipiam & pariam infinitè magnum , & vocatum altiſſimi Filium,

lium, ſedentem ſuper ſedem David, regnantem in domo Iſrael in æternum, cujus regni etiam non ſit finis. Sed nec aliàs Virgo dediſſet aſſenſum: niſi verbum Angeli per omnia ſervaretur, niſi ſibi ſecundùm verbum Angeli expoſitum, ex parte omnipotentis fieret conceptus & partus. Dixerim non eſſe hic aliquid quæſtionibus hujuſcemodi differendum, cùm Virgo totam ſe dedit in voluntatem Domini. Nec ſibi ad decentiam prudentiæ imputatum fuiſſet, ſi aliter, quàm inquiſita & clarefacta in facto & modo protuliſſet ipſa reſponſum, propheticos enim dialogos in alia non decebeat concluſione terminari. Apprimè namque in omni dialogo agitur, ſi ſecundùm propoſita & quæſita formatur reſponſio: ab eo videlicet, qui finalem apologiam habet reſpondere, quod prudentiſſima omnium Virgo ſanè perfecit.

Cap. XI.

Subita & inſtantanea incarnatio illico poſt aſſenſum Virginis ſubſecuta eſt.

Luc. 1. AD quam complendam, mox ſupervenit Spiritus Sanctus, obumbravit virtus altiſſimi, coagulati ſunt ex Virgine, pro mole carnis, puriſſimi ſanguines: aſſuit Deitas, ſcilicet Verbum Patris æternum, anima ex nihilo creata infuſa eſt, & factus eſt per omnia perfectus, unus novus homo ab illo inſtanti viator & conprehenſor, beatus & miſer, mortalis, & immortalis, moriturus & non moriturus, omnia ſciens, omnia præſpiciens, præterita, præſentia & futura, æqua cognitione complectens: talis conceptus, qualis & natus: talis in utero, qualis dum obverſaretur in ſæculo: qualis in utero, talis in patibulo: qualis in utero, talis & in cœlo: qualis nunc, talis tunc: ut excepta mole corporis, quæ per incrementa temporum crevit, per omnia ſiquidem eſſet æqua perfectio. Nec obſtant pœnalitates aſſumptæ, paſſiones illatæ, tolerata mors, quam aſſumpſit voluntarius, non toleravit invitus. Exquiſivit à puella virgine omnium miſerans pater, quod tunc miſerendi erat & venerat tempus, volens per aſſenſum ejus omnibus miſereri. Et per alloquium factum virgini, cæleſtis nuncius executus eſt. Divinis theoriis alma virgo conſenſit, & emiſſo ſermone vitalis obedientiæ, ſine ulla intercapedine temporis ineffabili atque incomprehenſibili celeritate repentè concepit, & Verbum in ea caro factum eſt, ut deinceps habitaret in nobis ineffabilis. Et miranda conceptio, ubi per auriculam ingreſſo Verbo angelico, per os emiſſo verbo virgineo, Spiritu ſancto inſenſibiliter operante, Verbo Dei æterno non per ſenſus ingreſſo, ipſa ſupercæſtiſſimè facta eſt & inſeparabilis unio naturarum, ut ex una parte Deitas in ſimplo, ex alia humanitas in duplo in ſimul convenirent: ut ſimplum & duplum nulla ratione ſolverentur. Et duplum verò ſemel in divortio factum erat reuniendum inſeparabiliter & æterno. Nondum diſceſſerat Angelus repetiturus ſuperna, & hæc ineffabilis conceptio ex toto perfecta eſt. At ubi omnis ejus completa eſt legatio, diſceſſit ab illa Angelus, non relationem actus, omnia enim noverat, qui illum legaverat, ſed deceſſit, quia cognoverat effectum ſupervenientis & obumbrantis virtutis, & compleram conceptionem, & totius Deitatis adeſſe præſentiam. Quid amplius facturus erat, ubi ſciebat virginem ex omni ſe in myſteria divina migraſſe? Non eum decebat in inferioribus ultra morari, poſtquam juſſa ſuperna perfecerat, & advenerat ad virginalem aulam, cujus fuerat ipſe præcurſor. Sed nec diſceſſit, quin ampliori reverentia illam veneraretur, quàm ſalutando fuerat veneratus: quoniam quod in illa prænunciabat futurum, noverat jam completum: & Deitatem, cujus legatus extiterat, virgineo jam adorabat in aluo illa ſuperna latria, qua divini Spiritus Deum adorant in ſuperis, Gabriel Angelus veneratus eſt in utero Virginis. Et diſceſſit, majori cedens, qui venerat, inſinuans eſſe completum ſecretum æternum, à ſæculis abſconſum tunc in Virgine Maria non tamen relinquens cuſtodiam ejus, ſic cuſtos ejus erat, ſicut annunciator tanti myſterii.

Cap.

Cap. XII.

Aſcenſus Virginis poſt conceptionem, ut ſenem & ſterilem inſpiceret graveſcentem.

ET cùm operationem divinæ virtutis & conceptionem ineffabilem jam in ipſa noviſſet, ad exemplum ſibi poſitum ab Angelo, de cognata viſenda, viſura ſe contulit, non velut in dictis angelicis hæſitans. Majora jam in ipſa celebrata cognoverat, ſed ut miraculum miraculo conjungeret, novitatem novitati ſociaret, & veneratur in ſterili divina myſteria, quæ ſuum conceptum paritura erant. Spiritu enim prophetico multa virgo noverat, & illam ſterilem geſtare præconem, cujus ipſa deferebat judicem. In magno autem myſterio, quoniam lex & Evangelium in magnis montibus hypantare invicem ſe debebant. Proinde *exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione in civitatem Juda: & intravit in domum Zacharie, & ſalutavit Eliſabeth.* Feſtinat Maria montana conſcendere, non voluntate vagandi, aut ad curioſitatem oculorum in montibus dilatandam, ſed ad illam duntaxat civitatem: in domum ingreditur, ubi novi prophetæ ſuique Filii præcurſoris noverat eſſe matrem ſervans humilitatem, ſterilem matrem, mater Virgo præveniens, ut illum naturalem humilem morem, quo junioribus eſt antiquioribus deferendum, ſervaret. Nè tamen crediderim, quod ſi ſterilis cognoviſſet de Virgine, quod Angelo nunciante Virgo cognovit de ſterili, velut altioribus muneribus dotatam, in viſitatione Virginem ſterilis præveniſſet, niſi quia potuiſſet ocyus ambulare juvenior. Attamen protinus ſterilis non illam expectaſſet in domo, potius obviam proceſſiſſet. Sed cognovit ex præſentia viſitantis, quod ante non noverat. Magna nobis documenta exhibentur in iſta viſitatione, quàm Virgo ſterili exhibet, ad ſervandam humilitatem, ad viſendum à quocunque in quocunque inventa fuerint ſemina Sanctitatis, in quo relucent divina myſteria, in quo Deus operatur ſuper naturæ virtutem, ubi plus gratia quàm natura reſulget. Magna eſt contemplatio creaturarum magnarum, cœli atque ſtellarum: magna conſideratio elementorum & elementatorum ex eis, magna ſpeculatio proceſſus naturalis ordinis, ejusque pulchritudinis, & elimatio inde naſcitur ad majora, ut ex contemplatione creaturæ creator poſſit agnoſci. Sed major eſt meditatio, ſpeculari opus divinæ gratiæ ſanctitatem animarum, morumque gravitatem, ſapientiam divinorum, habitum virtutis in anima, quæ naturæ operationes tranſcendunt. Sancta itaque pergit ad Sanctam, & quæ majori Sanctitate reſplendet, humilioribus atque ardentioribus moribus agitur. Sæpe quidem majoris virtutis ſignum eſt actio. Non parvus eſt fructus, etiam cùm electi in hac vita ſymbolum faciunt. Intrat igitur Virgo in Domum Zachariæ, à quo domus poſſeſſio dignius dicebatur, & ſalutavit Eliſabeth cognatam ſuam: non quia cognata, non enim curæ Virgini erat, familiarem ſe præſtare ſecundùm carnem cognatis, quæ jam cognita & cognata cœleſtibus Spiritibus facta erat, & totius Deitatis hoſpinum, avulſus erat ab amicis ſecundùm carnem amor ejus ſolum agebatur ad DEUM Spiritu, quo permota ſalutavit Eliſabeth, quia in ipſa Spiritus Sancti operationes factas agnoverat. Salutavit ſiquidem, ſed neſcimus quibus verbis, fortaſſis ut mos erat ſalutare ludæis, Magis autem fuit adjectum, quoniam tanquam ſterilem atque ſenem divinæ atque miraculoſæ operationis officinam Virgo humilis ſalutavit, velut ſi omnibus, qui bene vixerunt in lege ſterili atque ſene, nunc per eam ſalus adveniat, quæ ſalutat. Reſponſio ſiquidem Eliſabeth, quam in ante expoſito libro prætulimus, ad hoc concidentiam facit, admirans, quòd ad eam mater Domini Salvatoris acceſſerit, & in Spiritu facta, dixit ad Virginem: *Benedicta tu in mulieribus & benedictus fructus ventris tui.* Cum benedictione angelica, Eliſabeth in hac parte conſentit, quòd ſuper omnes mulieres benedicta conſiſtat. Sed ipſa ſterilis, nunc gravida plus adjecit, cùm fructum in Virgine divinum exiſtere prægnovit, benedicens eum: quoniam divina fruitio per illum Sanctis in æterna patria danda erat. Et benedictus fructus ventris tui. Claret illa hora, qua Virgo verbum obedientiæ protulit, concepiſſe: cùm ſtatim aſcenderit & manſerit menſibus tribus cum Eliſabeth, quæ fructum ventris ejus Spiritu prophetico benedixit, & ipſa Virgo partum ſterilis expectavit. A die ſiquidem conceptionis Virginis, uſque ad partum ſterilis, tres numero menſes ſunt.

Luc. 1.

Cap. XIII.

Oraculum Eliſabeth ad Virginem Mariam, ad quam Eliſabeth reverſa eſt.

Luc. 1. ET *beata es, quæ credidiſti, quoniam perficientur in te quæ dicta ſunt tibi à Domino.* Beata Virgo ab Eliſabeth prædicatur, ex eo, quòd credidit angelo nuncianti. Spiritu revelante noverat, quod divina recepiſſet alloquia, quæ credens ad ſe ipſam, & pro omnibus ſalvandis beata erat. Sed quærendum nobis eſt, cùm Angelus dixerit benedictam, & Eliſabeth benedictam & beatam, quid intereſt inter benedictam & beatam, ſeu benedictum & beatum? Sed aliud benedicere Deum, aliud benedici à Deo, aliud benedici ab hominibus. Benedicere Deum, eſt in omnibus, quæ in mundo fiunt, ſibi attribuere bonitatem, nobis autem malitiam vel defectum, ut in camino ignis ardentis fecerunt tres pueri, Daniel. 3. Benedici à Deo eſt, cùm ipſe rebus omnibus tribuit propriam bonitatem quam nos naturalem vocamus, & cum omnibus in his, quæ agunt, aut volunt, tribuit proſperari, ſicut Iob 1. cap Satan Domino de Iob inferebat, dicens: Operibus manuum ejus benedixiſti. Ac ſi diceret: Nec mirum, ſi Iob timeret Deum, quoniam bonitatem & proſperitatem tribuiſti operibus manuum ejus, Et alibi: Benedixit Deus ultimis Iob. Cùm autem die ſexto Deus crearet primos homines, benedixit eis, bonitatem dans, datam inſinuans, ſuper omnes ſuper cœleſtes creaturas. Similiter & diei ſeptimo benedixit ſingulariter, quietis bonitatem illi tribuens. Sic etiam benedicere dicitur, cùm omnes gentes in Chriſto Filio ſuo benedixit, ut poſſint adipiſci ſalutem. Omnibus, qui benedicuntur in Chriſto, illa bonitas tribuitur, qua ſalus tribuatur, quam ipſe acquiſivit in ſanguine. Ab hominibus verò benedici eſt, cùm geſta hominum revocantur in laudabilem rerum partem, aut cùm ex his, quæ à Deo donantur, datarii benedicti vocantur, Ac per hoc, ſi benedictio Virginis, quòd ab Angelo & ab Eliſabeth benedicta in mulieribus prædicatur, àdeo protinus ſic erat, ut illam ei Dominus bonitatem conferret, qua ſibi ſuper omnes poſſet placere, ac Dei Filium generare: ab hominibus etiam talis erat benedictionibus extollenda, ut nihil in ea & ex ea in alteram rerum partem, quam in virtutum bonitatem poſſit inflecti, ut ex ventre ipſius, ille benedictus qui venit in nomine Domini, affluereet ſuper omnes. Beata ſiquidem prædicabatur viatrix exiſtens, quia crediderat angelicis dictis, & quia in ipſa dicta perficienda erant. Virtutis erat exiſtentis in animo iſta beatitudo, ut nil poſſet repugnare futuris, nec ipſa in mente habebat aliquid impacatum. Beatitudo eſt, ſic virtutibus adjici, ut nihil adverſum earum impediat actionem, ad quam beatitudo interminabilis ſequitur, cùm ſit aſſumptio in ſuperna. Inquit igitur Eliſabeth: Beata quæ credidiſti, quoniam perficientur in te, quæ dicta ſunt tibi à Domino, ſcilicet Angelo nunciante.

Job. 42. Geneſ. 3.

Cap. XIV.

Canticum Mariæ coram Eliſabeth.

Luca 1. ET *ait Maria: Magnificat anima mea Dominum* Non magnificat Virgo Deum, ut ipſum magnum efficiat, à quo ipſa etiam magna facta eſt, ſed ſic eum anima Mariæ conſiderat, ut quod vult efficiat, & quod in re parva magna poſſit efficere, ad magna verò ea, quæ ſunt exigua, ſublevare. Magnificabat anima Virginis Domiuum, cum laudabat Dominum internè, atque contemplabatur, quòd magnalia in ſe ancilla perfecerat, & ad infinitatem ejus deficiens, ab illa magnitudine vincebatur. Et propter magna, quæ ſtatuit in re parva: *Exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Exultavit ſpiritus Virginis, quia in eo ſupervenerat Spiritus Sanctus, qui docuit eam, fœcundavit eam, Virginem ſervavit intactam. Ex his nempè, quæ à Spiritu Sancto ſuſcepit, exultavit ſpiritus ejus in DEO ſalutari ſuo, in filio videlicet, quem geſtabat in utero. Non ſic ſuo, quin-

quin etiam omnium. Super quem Simeon propbetavit, cùm natum portavit ad templum: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum. Quare exultavit? *Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Ad quam veritatem Virgo ſe contulit, unde à Domino reſpecta eſt, advertamus: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Virgo hæc noverat, quid gratam coram Domino ipſam potuit efficere. Quod cùm reperiſſet, cunctis viſibilibus prætermiſſis, ſibi aſcivit in voce. Non propinquitatem generis, non pulchritudinem corporis, non artis additamenta, non eloquentiam, non humanam prudentiam, non divitias, non cætera talium, ut à DEO reſpiceretur, enunciat, necnon & quæ majora ſunt reticet, non virginitatem in placito, non orationem, non contemplationem, non ſenſuum cuſtodiam. Alias omnes ſilet ipſa virtutes, duntaxat ſibi de humilitate blanditur, quod illam in ipſa præ omnibus vernantibus bonis, intuitus eſſet altiſſimus. Aptè porrò, quoniam à contraria feneſtra ejus, ſe prima mulier cum omni ſua prole de arce bonitatis dejecerat, & inde Lucifer de altiſſimis ſedibus ad pallidas ſedes cum ſuis ſequacibus potenter ejectus eſt. Mirum in modum non prodit fidem, ſubticet ſpem, non nominat ſuperexcedentem omnia charitatem: cunctæ virtutes in ſilentio factæ ſunt, pro humilitate ſolùm ſe reſpectam á Domino gloriatur, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Non ab re, nam cùm humilitatem dixit, illam obedientiam omnium, & omnis ejus, quod erat, nominavit, qua ſine exceptione creatura DEO ſubjicitur, qua onem voluntatem, intentionem & affectionem & actionem transfert in eum, nihil ſibi pro humanæ complacentiæ voto reſervans. Præit enim dicata obedientia DEO cunctas virtutes, graduturque cum omnibus. Nam quando quis crederet, niſi obeditet vocanti & prædicanti, & captivaret omnem intellectum in obſequium fidei? Nam quando quis ſperaret, niſi obediret? Quando quis diligeret diligenter diligenda, niſi vellet ex obedientia jubentis mandata perficere? Unde ipſorum digna obſervatio, niſi ex obedientia digna? Unde inviſibiles theoriæ in alta tendentes? Unde honeſtæ atque fructiferæ hominum actiones, niſi ex illa humilitate profunda, qua hominum animus ſit ſubditus DEO, factus obediens in malis tolerandis etiam uſque ad mortem, in cavendis vitiis, ſine termino, in bonis agendis quouſque dum vivitur, poſſit eſſe aſcenſio? Eſt enim humilitas illa prima naturæ libertas, qua homo liberè ſine impedimento poterat ſuperioris complere mandata jubentis. Eſt humilitas illa prima creaturæ ſubjectio ad divinè agentem, quam Virgo habens loquitur confidenter: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ut in illa videlicet divinè atque humanè poſſit perficere, quod ab æterno decreverat. *Ecce non ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Fruſtra beatam diceret, niſi eſſet: ſed unde beatam? Quia hujuscemodi humilitatem poſſedit. Unde beata, niſi quia in ea Dominus ineffabilia operatus eſt, cùm in illa æternum DEI Verbum ſit in plenitudine temporis caro factum? Unde Spiritus Virginis etiam exultavit: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt & ſanctum nomen ejus.* Multa magna prætacta ſunt, quæ in illa Dominus operatus eſt, quorum non exquirenda eſt à mortalibus ratio, cùm in his magnis, quæ ſupra ſenſum & apprehenſionem hominum operatur, quia potuit & voluit, illa ratio ſit palmaris. Hinc virgo decantat, qui potens eſt. Ideo mihi magna fecit, qnia omnipotens, & quia ſanctum nomen ejus. Quid hic ad factionem magnalium ſanctitas in nomine, cùm in perſona taceatur? Quis ordo loquendi? Nulla eſt vera potentia, ſi ſanctitate caret, nec præter illam magna poteſt efficere. Veritas potentiæ id exquirat, ut ſibi ſanctitas ſit germana. Et factorum magnalium eſt, ut ſanctitate reſplendeant. Reprehenſibilis eſt omnino potentia, nec laudabilis actus, ſi ſanctitas nòn aſſiſtit. Eſt igitur ſanctitas illa ineffabilis veritatis atque juſtitiæ regula, quæ affectum & intentionem etiam in modico exorbitare atque pigreſcere omnino non ſinit, quæ vires interiores & exteriores exercet, ut omne progrediatur in fas, quæ ſic cuncta diſponit, ut nulla poſſint improbitate cauſari. Sanctitas autem in Deo, Deus eſt. Eſt enim Deus omne quod habet. Sed cùm Deus ad creaturas ſuo ineffabili modo aliquid operando contrahitur, ſanctitas de ipſo eo ſenſu dicitur, quo ſtabiliter, utiliter, irreprehenſibiliter, laudabiliter atque mirabiliter operatur. Competit igitur ſanctitas ad factionem magnorum. Et cùm nomen dicitur ſanctum, ad notitiam refertur, & ad effectum

noſtræ

noſtræ ſalutis : quoniam Jeſus appellabitur nomen ejus. Nomina etiam quæ ſecundùm linguam Hebræam atqùe Græcam habet, omnia ſanctitatem inſinuant. Nec hic ſumpſimus differenda, niſi hoc paululum, ne canticum Virginis indiscuſſum præteriſſe videamur. *Et miſericordia ejus à progenie in progenies, timentibus eum.* Non ſolùm ſibi à Deo magna facta mater virgo commemorat, ſed ut omnibus timentibus eum, à progenie primi hominis, per omnes progenies filiorum hominum, Dei miſericordia magnificè ſit præſtanda. Una ſiquidem fuit hominum prima progenies, quæ deinceps in multas progenies eſt diffuſa. Et ab omni alia progenie diſtincta erat progenies Judæorum, duntaxat unius Dei cultum tenentium, quibus primo credita ſunt eloquia
Matth. 15. Dei. Et ad Iſraëliticas oves primo DEI filius miſſus erat, ut eis prius, deinde
Oſee 4. omnibus miſereretur. Nam per Oſee Do-
Roman. 9. minus dicit, quod etiam Apoſtolus ad Romanos commemorat: Et vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam meam, dilectam meam: & non miſericordiam conſecutam, miſericordiam
Rom. 11. conſecutam. Et alibi: Concluſit enim
Sap. 11. Dominus omnia in credulitate, ut omnium miſereatur. Et in Sap. ſcriptum eſt: Miſereris omnium Domine, quoniam omnia potes, & diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ ſunt & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Cantat Virgo adeſſe Dei miſericordiam omni progeniei, ſed timentibus eum. Nihil exſcuditur à miſericordia Dei, niſi qui Dei miſericordiam per impœnitentiam excluſit. Sed nec ita miſericors, ut judicium non faciat: nec ita juſtus, ut miſericordiam excludat. Competentibus enim competentia facit. Et David proſpiciens decantat, dicens: Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. Sic & Virgo mater poſt miſericordiam ſubjunxit, dicens: *Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Vulgaris uſus loquendi hoc habet, quòd, cùm aliquid magnum quis fecit in hoſtem, ut virtus referatur in brachium. Sed non ſunt hæc verba virginea, imo ex Spiritu Sancto deprompta, non excludenda in anguſtum, altè lateqúe diffundi poſſunt. Brachium quod Virgo commemorat, in quo Deus ſuam potentiam fecit æterni patris, æternus eſt Filius, in corpore Virginis filius factus, unde illum extollit, quem geſtabat in utero. Quod autem brachium ejus ſit unigenitus ab æterno filius ejus, nunc in tempore caro factus, ex mirè factis, atque futuris ſacra ſcriptura commemorat. Nam prima tympaniſtria ad præſagium protulit, quæ nunc ſecunda decantat: Irruat ſuper eos formido, & pavor in magnitudine brachii tui. Adverſus Ægyptios illo in tempore ſoror Moyſi & Aaron intendebat ex verbis cantici ejus. Prævidebat autem in myſterio, quod nunc Maria Virgo recitat de filio ejus. Nam in Exod. 15.
magnitudine divinæ potentiæ, ſuper Ægyptios formido & pavor irruit, ſicut in illo tranſitu maris geſta manifeſtant, ut Ægyptus ſuffocatur. In magnitudine verò Chriſti, ſuper univerſum orbem terrarum pavor irruit & formido, cùm in ortu ejus trepidaverunt reges & genua flexérunt. Alii ne perderent mundi regnum, pavoribus flagellati ſunt. In die mortis ejus totus mundus expavit, reſurgens terruit inimicos. In ſublequis ejus in timore concuſſit reges terræ, aut idololatricum populum omnino idola & fana demoliendo, terrendo turbavit. Dominus cùm Job vellet reprimere, dixit: Et ſi habes Job. 40.
brachiæm ſicut Deus. Brachium Dei, ejus eſt Filius: æternus ex Patre, temporalis ex matre: quod brachium, aut Job, aut nemo hominum habet, ut magna ſicut Deus poſſit efficere. Magna in iſto brachio Virgo Deum feciſſe decantat, quod David ante prævideratt, dicens: Redemiſti in brachio tuo populum tuum, filios Jacob & Joſeph. In quo redemit popu- Pſal. 76.
lum niſi in filio ſuo? Quid igitur brachium ejus, niſi homo natus filius ejus? Quæ hac magnitudine major, quàm redimere populum diabolo ſubjugatum, criminibus abſtractum, per filium cruce ſuſpenſum? Redemit igitur in brachio populum omnium nationum, filios Jacob, aut filios circumciſionis, & filios Joſeph, videlicet gentiles, pro eo quod nati ſunt in Ægypto, filii Joſeph, filii ſunt augmenti, qui pertinent ex ſignificatione ad alias nationes, cùm magis ex eis, quàm ex Judæis ſit eccleſia dilatata. Fecit igitur potentiam in brachio ſuo, cùm in ipſo creavit cœlum & terram. Fecit potentiam in brachio ſuo cùm diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Et in Pſal. ſcriptum eſt: Tu humiliaſti ſicut vulneratum ſuperbum, in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos Pſal. 88.
tuos. Qui autem inimici Dei, niſi dæmones ſuperbi, ac etiam homines qui ejus mandata contemnunt, qui ejus imperium

parvi-

parvipendunt? Dæmones dispersit eripiendo prædam, superbos autem homines humiliat aut damnat. Hoc est brachium, quod spicas scilicet animas electorum legit, brachium, quod omnibus dominatur, brachium, quod difficulter per fidem, & mortem & sanguinem, & in multis miraculis revelatum est. Ad judicium etiam justitiæ suæ pertinet, quod sequitur: *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles.* Neque novum est hoc virginis verbum, longè ante prædictum est, necnon & experientia claret. Ad Dei justitiam pertinet deponere adima, qui nequiter sublimia tenuerunt, & exaltare humiles tenentes virtutem, dum abjecti videbantur,
b. 5. Hinc in Job scriptum est: Qui ponit humiles in sublime, & mœrentes erigit sospitate. Pro humilibus quidem dicta sunt hæc. Pro depositione verò superborum potentum, & exaltatione humilium clarius
10. legitur: Sedes ducum superborum destruxit Dominus, & sedere fecit mites pro eis. Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus. Si per allegoriam vellemus discutere, depositio Judæorum, & gentium exaltatio intelligitur. In moribus etiam talia fieri sæpe videmus. Cùm verò finis vitæ hominis venerit, rota voluetur rationis humanæ infra rotam divinæ justitiæ, ut secundùm virtutes, non secundùm opiniones hominum, merita tribuantur. Et in Evangelio Salvator plerunque verba hujusmodi iteravit: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & omnis qui se humiliat, exaltabitur. Perseverat adhuc in verbis justitiæ Virgo Mater, & illam explicat alio loquendi genere. Inferet equidem: *Esurientes*
h. 25. *implevit bonis, & divites dimisit inanes.*
n 14. Nondum natus erat Christus, & Mater
th. 5. gestans eum prædicabat, quæ ipse prædicaturus erat. Nam factus adultus, aperiens in monte os suum, dixit: Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. De ista esurie Virgo præloquebatur, non de illa, quæ datur panis & vini. Defectum esuries portat, & prout certat cum corpore, vacuitas ejus est. Sed oportet etiam omnino lege naturæ vacuum impleri, natura enim ipsa vacuum abhorret. Sed terrenis vacui cœlestibus replebuntur, insaturati suapte perfunctoriis complebuntur æternis. Esuries animati corporis, est impatiens appetitus eorum, quæ possunt secundùm naturam sustentare naturam. Esuries autem animæ rationalis, est devenire in verum & optimum. Cùm verò animæ rationali fuerit addita gratia, in ampliora tendit esuries, ut etiam impatienter appetat liberari à vitiis, inhærere virtutibus, & pœnis intentatis, & morte appetere non desistat, & semper subjaceat laboribus, quousque obtineat: post istam verò beatitudinem esuriens, quam virtutibus repositam credit. Hujuscemodi esurientes, qui potens est, implevit bonis, & divites dimisit inanes. Dites scilicet in terrenis, qui non in Deo, non in virtutibus, sed in seipsis divites sunt. Consona in Psalmis verba præcesserant his, quæ nunc Virgo decantat. Divites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem Deum non Psal. 33.
minuentur omni bono. Inquirere Dominum, ad esuriem animæ rationalis refertur, quæ, cùm fuerit gratia perdita, ipsum impatienter desiderat. Divites verò mundi egebunt, & esurient, & dimittentur inanes. Et alibi: Animam esurientem satiavit bonis. Meritò anima bona in- Psal. 106.
cessanter desiderans bonis repleta est. Quod Psal. 145.
semper facit ille, qui potens est, qui etiam novit quanto desiderio ad virtutes anima elevetur. Hinc etiam dicitur: Qui dat escam esurientibus. Escam virtutum, quæ animas alit, & escam sui corporis & sanguinis, quam omnibus fidelibus præparavit, in ostensionem amoris ineffabilis, quo diligit nos, & in tutelam à malis, purgationem criminum, in terrorem spirituum nobis adversantium ad salutem. Sed divites sæculi existimantes majores divitias, opes & bona perfunctoria Ægypti, quàm improperium Christi, omnino dimisit inanes. Et hoc habet proprium bonitas, virtus & sapientia, quòd post esum iterum esuries sequitur, & gustata desiderium reaccendunt. Sic per Sapientiam dicitur: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. In argumen- Eccles. 24.
tum inhærentis virtutis ista verba depromuntur, quod amplior bonorum gustatorum esuries illa jam adesse demonstrat. Arguit in anima esse virtutem, ad ipsam desiderium amplius inardescens. Hos esurientes bonis largitas ejus replet, qui cuncta potest, inanitate remanente apud divites insatiabiles, quorum anima terrenis satiari non potest. Post decreta justitiæ, mater misericordiæ ad misericordiam Dei canticum suum iterum reconvertit. *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Pro populo suo hic singulariter loquitur, quod populum Israëlitum quasi

puerum ab eo per multa rudimenta nutriri, velut miſericordiæ recordatus, cujus unquam oblivíſci non potuit, nunc ſalvare dignatur, ſuſcipiens illum in humeris ejus, crucem portans pro peccatis illius. *Sicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham*, quibus facturus talia repromiſit, & *ſemini ejus uſque in finem ſæculi*, quod ſalvare diſpoſuit. Ecce complevit Maria canticum ſuum, plenum laude actionibusque gratiarum, Dei miſericordiam & juſtitiam plenè demonſtrans.

Cap. XV.

De mora Mariæ cum Eliſabeth.

Lucæ 1. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſibus tribus, & reverſa eſt in domum ſuam.* Magna fuit in primo congreſſu iſtarum prophetiſſarum mirabilium verborum celebrata collatio, nec illico in præſentiarum corporum eſt ſecutus abſceſſus. Grata eſt enim iſta ſocietas duarum excellentium mulierum, quæ divinis refectæ muneribus, fœtibus gravidatæ, delatrices operum Spiritus Sancti: quanquam diſpariter, ut alteram altera per omnia excederet, non exceſſa, ut in ſuperna verbis & affectibus inhiabant, & dignum ſuaveque duxerant inſimul ad tempus contubernium facere, ut divinum ad invicem poſſint habere colloquium, quarum mens nihil diſputare noverat de terrenis, quæ dona cœleſtia in anima & corpore geſtabant. Quid & quantum eis credimus adfuiſſe gaudii, dum de divinis ſolæ confabularentur, dum referebant, quòd non propriis meritis, ſed ex divina gratia talium fœtuum factæ fuerant portatrices, tam magnorum filiorum ſe prænoſcerent eſſe matres, tam hoſpitum magnorum hoſpitia, qui non ab hoſpitiis, ſed ab ipſis hoſpitia firmabantur? Neſciebant ſeparari ab invicem, quas amor cœleſtis conjunxerat. Senex non repellebat juvenculam, neque ſuam remittebat in domum. Magis verò illam tanquam Deum geſtantem hortabatur ad moram, altè ditari conſiderans, dum Dei Filium in Virgine ſuo retineret hoſpitio. Nec Virgo libens diſcedebat à ſene, quam feſtinanter animo viſendi acceſſerat, & quousque videre natum, quem miraculoſè audierat ab ipſa ſterili fuiſſe conceptum, quem ſui filii noverat præcurſorem. Non tam citò dimittenda bonorum conſortia, ubi poſſibilitas eſt morandi. Non levitate animi recedendum eſt ab his, in quibus verè virtus adeſſe cugnoſcitur. Hoc enim eſt examen virtuoſorum, libenter ſuffugium facere, ſeparari cum tædio. Si diſcendum eſt aliquid à puritate fulgentibus, non continuò apprehenduntur cuncta, nec ſubitò ad perceptionem veniunt rectè agentium mores, & perſeverare apud virtutis compotes, eſt juſtitiæ vita, & mos incondemnabilis judicatur. Coarctantur ad melius unius ad alterum reflexo exemplo, cùm infimul conveniunt virtutum cœleſtium ſectatores, & unus ab alio plus addiſcit. Specula ſunt unius ab alterum, cùm inſimul conveniunt regere cupientes, & unus in altero videat, quid ſibi in actione deficiat, & quantum poſſit decorari virtutibus, plus agnoſcat. Non quòd iſtæ talibus indigerent, una plena omnium gratiarum, altera gratiam habens: ſed ut poſteris in actionibus hujuſcemodi perfectè agendi præberent exemplum. Et optimæ ſedulitatis eſt, finem præſtolari cœptorum. Hinc Virgo expectat præcurſorem filii naſcirurum. Quo nato, & exhibito ſuæ honeſtatis officio, didicit & cognovit partum communis corruptionis, partum ſterilis, ut amplius exultaret in partu virginitatis: quo expedito per omnia, completis tribus menſibus repeteret domum.

(o)

Cap.

Cap. XVI.

Quia Virgo antequam cohabitaret cum Joſeph, inventa eſt prægnans ex Spiritu Sancto.

1. *Quæ cùm eſſet deſponſata ipſa Maria mater Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto.* Supra diximus Angelum ad deſponſatam Virginem miſſum, & deſponſationis cauſas paucas anneximus. Sed decens erat, ut deſponſata eſſet, non cognita, Virgo paritura Deum: quæ antequam convenirent, illa ſcilicet & Joſeph, non in copula carnali, ſed habitatione communi, & ab ipſo Joſeph inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto. Ecce ſponſus tranſivit in teſtem, cui aptius erat teſtificari de ſponſa ſuſcepta, quoniam Virgo erat, quam ipſe non contigerat, non cognoverat. Sic eam invenit Joſeph habentem fœtum in utero, non de alio, ſed de Spiritu Sancto, & hoc antequam ſimul convenirent, quoniam non ſtatim deſponſatam traduxit ipſam in domum Joſeph. Iterum Angelus myſterium majoris deſponſationis exequitur. Quo perfecto Maria montana conſcendit, ubi cum Eliſabeth manſit menſibus tribus: deinde revertens in domum, ab ipſo gravida per Spiritum Sanctum inventa eſt: non experientia tactûs, ſed quia illam cognovit ex exterioribus geſtis, quod aliquid geſtabat in utero, & ſqualidabatur facies virginis, & attenuebatur in carne. Cognito verò Eliſabeth, per exultantem in utero ſuo filium, in illis tribus menſibus jam ad juſtum pervenerat. Vel fortè ipſe aſcendederat ad montana, ſciturus quid ſua ſponſa ibi ageret, & viſitaturus affinitatem eſt. Unde patuit, data fide dictis, quòd virtute Spiritus Sancti habebat in utero: dubio tamen ſuſpendebatur Joſeph. Nec credendus eſt tantæ Virginis ſponſus, tantæ virginitatis cuſtos & teſtis, excluſus à ſcientia divinorum, quamvis in illorum cognitionem ſucceſſivè devenerit, moderante Spiritu Sancto, & Angelo revelante.

1. 1. *Joſeph autem vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Juſtus ex lege, juſtus ex bona voluntate, juſtus ex bona operatione, & ſi nihil aliud ad teſtimonium ſuæ juſtitiæ, quòd Virgo, quòd Virginis Matris ſponſus, quòd Chriſti nutritius eſt electus, additamentum facit. Et nolebat eam traducere, velut perplexus, neſciens quid futurum eſſet: nam propoſitum virginitatis erat in eo, & Mariam credebat Virginem, ſed ipſo neſcio gravidam: quamvis, ſi res poſtulaſſet de illa differere, ſermo dubius erat. Nam ſi dixiſſet illam Virginem & gravidam, ſicut erat, videbatur inſolitum & incredibile: ſi virginem & non gravidam, alterum horum vertebatur omnino mendacium: ſi neutrum edixiſſet de illa, utrumque ſubjacebat obnoxium falſitati. Proinde in re tam dubia devitabat judicium, teſtimonium proferre nolebat. Meditabatur fugam, & occultè illam dimittere diſponebat. Et hoc quidem, quia juſtus erat, cupiens ſervare juſtitiam, ut non proferret hæſitanter, quod pro certo non noverat, ratus meliorem partem ſecedere, quàm prorę dubia devenire in cauſam. Sancta enim puritas agitabat eum, non aliqua ſiniſtra ſuſpicio de Maria. Non enim permittebat Deus tantum ſponſum, ſenem fidelem, de matre ſua iniqua meditari: aliàs nec juſtus meritò dici poſſet. Obliqua enim, & incerta ſuſpicio contra proximum, injuſtitiam, non juſtitiam arguit. Sed ſupra intellectum ſuum attolebantur geſta, quæ in Virgine videbatur advertere: quamobrem occultè illam dimittere cogitabat. Quomodo occultè? Nemini propalaturus ſui receſſus cauſam, ſic occultè, ut à nemine ſciri poſſet, ut quid, & quo iret. Nolebat enim aliquid conferre cum aliquo de Maria, ipſam divinæ diſpoſitioni committens, quouſque hujus rei veritas aliter eluceſceret, abſentiam meditatus. Expeditioris protinus eſt conſilii explicari, quàm dubiis implicari. *Hæc illo cogitante. ecce Angelus Domini in* Matth. 1. *ſomnis apparuit ei dicens: Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim de ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt.* Argumento palmari factum eſt, quod nulla ſuſpicione iniqua Joſeph ad Virginem movebatur, quoniam ei per Angelum Dominus in ſua perplexitate deſuper & de cœlo ſubvenit. Non enim in ſacris voluminibus invenimus, quòd Dominus iniquis atque nequiter cogitantibus & fingentibus nequia & dubia contra proximum,

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

mum , Spíritus Sancti operationes occultas & ſecretas , & ſecreta myſteria ſemper à ſæculis revelaret. Dum in animo Joſeph pia perplexitas inſideret , apparuit ei Angelus Domini , bonus ſiquidem & non malus , verificans eum , & non eludens : certificans, non in ampliorem hæſitationem deducens, qui eum blando retundit alloquio , incognito tamen , cùm in ſomnis monefaceret eum. Cui apparuit in illa certitudine viſionis , quam ſibi Joſeph indubitatè credere potuiſſet , ut quanquam à ſomno ſenſus illius tenerentur oppreſſi , non tamen ſomniaret , ut ſomnus fidem daret , quoniam qui credit ſomniis , ex toto reprobus eſt. Sed Spiritu ejus jam extaſi factò Angelus ad hoc depulatus à DEO , divina myſteria facta in ſponſa Virgine declaravit, quem præter annunciatorem alium eſſe non credimus. Hic cúm aperit Spiritus Sancti myſteria, Mariæ ſponſum hæſitantem ex nomine & progenie vocat', dicens : Joſeph fili David , ut nomen pro myſterio & virtute dicatur , quoniam omnia erant augmentanda per Jeſum. Ex progenie David, ut de tribu deſcendens regia , in virga ſcrrea , decreto paterno regeret orbem univerſum. Sed quid ? Cúm Joſeph non fuerit Pater Salvatoris ,cúm nihil ſibi concipiendo eontulerit , nempè de Virgine tollitur dubium , ſervatur honeſta conſuetudo ſcripturarum , cùm filii denominantur à patribus. Etſi nihil contulit Joſeph in carne Salvatoris , ita, ut per eum Jeſus non poſſit dici de domo regis David. Nec Virgo , ex qua earnem aſſumpſit , nihil contulit , ut eſſet Rex regum , & Dominus dominantium. Significationes, & imagines iſta ſunt, ut quia deſcendit de progenie David , ut habeat divinum regnum , ſed quia Dei eſt filius , catholicum habet imperium,

Cap XVII.

Removet Angelus dubium à Joſeph , ediſſerens unde concepit Virgo , & quis ſit ipſe conceptus.

POſt removet angelus timorem dubii,quo tenebatur, & qui eum retinebat,ne Mariam conjugem ſuam ad ſecum contubernandum acciperet,quoniam quod ignorabat,unde Maria omnino intacta conceptum haberet,ex Spiritu Sancto protinus eſt. Nam quod in ea natum eſt , de Spiritu Sancto eſt. Nondum natus ex utero Jeſus , & in utero natus dicitur , ut conceptio tam nova dicatur nativitas : ad illam conceptionem, quæ fit ex ſemine , à virgine removendam , ut conceptio & nativitas ejus æqualiter pro mirabilibus attollantur. Quid paritura erat Virgo jam audierat , ſed nec-dum noverat ipſe Joſeph. Proinde Angelus apertè ſubjecit : *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 5. De hoc nomine Virgini Angelus ſupra prædixerat , nunc iterum notificans ſponſo Joſeph , adjecit effectum : Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Horrenda, ſed juſta divinantis, quoniam non ſalvi fient , qui non ſunt de populo Dei. Quem autem appellavit Deus populum ſuum, niſi populum circumciſum , ut ſpirituali circumciſione ſecernat, qui de populo Dei ſatagit numerari ? Sed quis populus Dei , niſi qui flagellatus eſt in Ægypto ? Flagellis erudiri oportet, qui vult eſſe in populo Dei. Populus Dei eſt, qui dimiſit ſpiritualem & obſcuram Ægypticam regionem , qui effugit ſervitutem inviſibilis Pharaonis , qui ceſſavit ab opere laterum , nec terrena igne avaritiæ ſolidat, qui ſequitur Moyſen & Aaron , legem & ſacerdotium , doctrinam & gratiam , evangelium & ſacramenta , qni tranſit mare ſæculi ſicco veſtigio , ne pedes animarum intingantur mala doctrina & luto temperalium rerum , qui mundi diſcrimina tranſit illæſus , qui videt Ægypitios malarum delectationum in littore ſuffocatos , qui per deſerta ſequitur Chriſtum , qui pervenit ad montem divinæ legis , quam ſub policitatione ſervandi accepit : Populus ergo Dei , cuſtodiens mandata Dei,ſabbata Dei , ceremonias Dei. Proinde huic à Domino dictum eſt, facta enumeratione pactorum : Vosqùe eritis populus mihi, ego Dominus Deus veſter. Hinc Moſes in ſua expeditione eommemorat : Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti , ut haberet populum hæreditarium. De hoc eodem populo etiam Levit. 26.

eut. 4.
euc. 7.
euter. 26.

etiam Moyſes : Te elegit Dominus Deus tuus, ut ſis illi populus peculiaris, de cunctis populis, qui ſunt ſuper terram. Igitur populus Dei eſt, qui prompto animo mandata ejus cuſtodit. *Et* rurſum ſcriptum eſt : Et Dominus elegit te hodie, ut ſis ei populus peculiaris, ſicut locutus eſt tibi, ut cuſtodias omnia præcepta ejus. *Et* ſine interciſione verborum de ſua ſalute ſequitur : Et faciet te excelſiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem & nomen & gloriam, ut ſis populus Domini Dei tui, ſicut locutus eſt. Ecce populus Dei dictus electúsque propter cuſtodiam mandatorum ejus : ecce ſalus, ut ſuper omnes, non in hac vita, ſed in alia fiat excelſus. Omnia ſiquidem in figura contingebant illis, ut non terrena, ſed cœleſtis celſitudo credatur. Sæpè Dei populum in terra flagellatum, & afflictum, & ſubactum recolimus. Nec aliquem moveat celſitudo terrena populi Chriſtiani, quoniam non omnes ſalvi fient, ſed illa pars Chriſtiani populi excellentior in ſalute cognoſcitur, quæ hic magis ſubacta jacuit. Interrogemus martyres & pauperes, & reſpondebunt nobis, quàm igitur ſignanter Angelus locutus eſt : *Ipſe* enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Ac per hoc credentes ſalvari condemnabuntur, ſi non ſunt de populo Dei, de cujus numero aliter, quàm per virtutem nemo poteſt eſſe conſcriptus. Hinc etiam Moyſes per nomina filiorum Jacob, populum hunc benedicendo in figura concluſit ? Beatus es tu Iſraël, quis ſimilis tui populo, qui ſalvaris in Domino ? Qui à Virgine geſtabatur, unde eſſet, ignorante Joſeph, ipſe ſalvum faciet omnem populum ſuum à peccatis eorum. Sed angelica verba in admirationem trajiciunt. Si populus DEI, quomodo peccator, cùm à peccatis primo ſalvus fieri debet ? Si peccator, quomodo populus Dei ? populus eſt Dei, peccator eſt populus. Salvabit populum ſuum à peccato ſuo, non mento populi, ſed eo merito quo dignatus eſt naſci & mori. Sed ſi in populo Dei non poſſit eſſe conſcriptio, niſi per virtutem, à quibus peccatis ſalvandus, ubi aſſiſtit & virtus ? Prima nempè ſalvus eſt à criminibus introductione virtutum, quam Jeſus in populo, qui ſuus eſſe ſatagit, operatur. Alia verò, cùm in ſuperna producit. Multi expectant à Domino ſalvari, dicentes, quia ſui ſunt, quorum facta è regione conſiſtunt. De quibus per Moyſen in cantico ſuo, quod edidit paulo antequam moreretur, perſpicacibus animis declaratum eſt. *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem : Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel, quod eſt interpretatum nobiſcum DEUS.* Sæpè diximus, & dum continget ſimiliter edicemus, prophetias non eſſe cauſas eorum, quæ in carne Chriſtus implevit, ſed quia ſic impleturus erat, ipſas ante præmiſit. Hæc prophetia, quam Matthæus allegat, in libro ſcribitur Iſaiæ. *Et* ex hoc ſolvitur objectio Judæorum, dicentium, quod de Virgine non debebat intelligi, cùm in Hebræo ſcriptum ſit alma, & non Virgo : quoniam Evangeliſta Matthæus pro Virgine Chriſti Matre, in ſua editione cùm ſcriberet evangelium, introduxit. Oſtenderat Spiritus Sanctus Iſaiæ prophetæ, cùm Achaz nollet ſignum petere in profundum aut in excelſum, quod Dominus in ſignum liberationis populi ſui daret mundo, Virginem parituram non purum hominem, ſed DEUM & hominem, ut eſſet nobiſcum Deus. Hoc nomen, quo vocandus erat, expreſſit, quia vocabitur nomen eius Emanuel, quod dicitur à nobis, nobiſcum Deus : Deus in ſe, caro factus nobiſcum, æquè cum omnibus eſt in humana natura, prout illam aſſumpſit, quæ, niſi una non eſt, diſpariter autem in virtute nobiſcum ſit, & in gloria maxima differentia erit, prout exigunt merita noſtra, non natura. Studendum eſt igitur rationibus, non viribus ſatagendum, eſſe cum illo, qui vult eſſe nobiſcum, ſine quibus totum eſt, quod eſt, ſine quo nos nihil, aut miſeri ſumus. Præanticipavit ipſe nobis ſocium fieri, & omnibus modis factus eſt ſocius, excepta ſocietate peccati, ut etiam pœnarum noſtrarum & malorum, à quibus nos exonerare quærebat, voluntariè oneratus eſt. Quærit vicem, tenemur illam omnino rependere, & ſimus ſocii ejus, communicantes paſſionibus ejus. Ad hanc ſocietatem Apoſtolus ſatagens actu perfecit, idipſum commonefaciens nos. Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini noſtri, per quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, & inveniar in illo, non habens meam juſtitiam, quæ in lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Jeſu Chriſti, quæ ex Deo eſt juſtitia, in fide ad cognoſcendum illum, & virtutem reſurrectionis ejus, & ſocietatem paſſionis ejus, configuratus

Deut. 39.

Matth. 1. Iſaiæ 7.

Ibidem.

Phil. 3.

figuratus morti ejus per omnia. His verbis Apoſtolus cum Chriſto ſe velle eſſe denunciat, ut alibi ſic Chriſtum ſecum eſſe cognoverit, quod audacter aſſeruit: An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus? Maximè Chriſtus in Paulo, & in Chriſto Paulus erat, cùm ipſe loqueretur, Chriſtum affirmabat audacter in ipſo fuiſſe locutum. Palmarem verò hujuſcemodi ſymboli rationem in Canonica ſua Joannes edocuit, dicens: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Grata Prophetia, & gratior adimpletio, ut Virgo ſic pariat, quod uobiſcum ſit Deus.

2. Cor. 13.

1. Joan. 4.

Cap. XVIII.

Declaratus Joſeph ab Angelo, Virginem ad contubernium accepit.

Matth. 1. *Exſurgens autem Joſeph à ſomno, fecit ſicut præcepit ei Angelus, & accepit Mariam conjugem ſuam. Et non cognovit eam, donec peperit filium ſuum primogenitum.* A dulci ſomno ſurrexit Joſeph, in quo angelica documenta perceperat. Et perfecit tanquam præceptum id, quod ſibi fuerat declaratum. Accepit namque Mariam conjugem ſuam, utique Spiritu Sancto comprobatam atque fœcundatam, in communem habitationem & contubernium honeſtum. Quam agnoſcens ex nomine, ex ſanctitate, atque ipſam factam habitaculum Dei ſuper terram, nec tactu, aut approximatione corporis, nec aliquo motu matrimonii conſummandi per copulam carnis agnoſcebat eam. Etenim Virgo inſigne hoc habuit, cùm eſſet pulcherrima mulierum, quòd nec à viro, nec ab aliquo ipſam aſpiciente, in carnis copulam honeſtè aut turpiter potuit concupiſci. Et ſic Joſeph non cognoſcebat, præſertim ſciens, quòd matrimonium & ſeminalis virtutis bonum, quod eſt proles, de cœlo in uterum ejus prodierat, donec pareret filium ſuum primogenitum. Nec deinceps cognoſciturus erat, quoniam partus Virginis non erat terminus cognoſcendi, quo peracto eſſet Joſeph liberior licentia in Mariam, ſed erat terminus cognoſcendi Dei Filium ſuper terram: quo jam cognito, eſſet in reverentiam omnibus virgineus alvus ſervandus in perpetuum caſtus, ex quo Verbum caro factum prodiit, nec eſſe poſſet acceſſus ad illam virgineam portam, ex qua egrediens Deus homo, reliquit intactam, poſtea velut ante in perpetuum clauſam.

Cap. XIX.

Quo tempore, quo loco, peperit filium ſuum Virgo Mater.

ET, cùm edictum egrederetur ab Auguſto Cæſare de orbis deſcriptione, Joſeph qui traduxerat Mariam ex angelico dicto ad contubernium ſecum, *aſcendit à Galilea civitate Nazareth in Bethlehem, cum Maria deſponſata ſibi uxore prægnante. Factum eſt autem, cùm eſſent ibi, impleti ſunt dies, ut pareret, & peperit filium ſuum primogenitum, & pannis involvit, & reclinavit eum in præſepio, quia non erat ei locus in diverſorio.* Non hoc in loco pro Chriſti nativitate differenda, ſed pro Mariæ geſtis intendimus. Accepit Joſeph ſecum habitare, atque cuſtodire Mariam. Ideo ſecum ducit, dum ad profitendum ſub Cæſare Bethlehem aſcendit, ignarus tamen quòd Virgo ſic eſſet proxima partui, ſimiliter & ipſa non cognoverat tempus: quoniam ſicut præter legem ſuſceperat fœtum, ſic neſciebat, ſi naturali ordine novem menſibus calculatis eſſet editura partum. Et cùm geſtaſſet in utero molem illius divini ineffabilisque conceptus, ponderą ventris, in aliis prægnantibus

gnantibus ſolita ignorabat. Ferebat enim leviter, à quo portabatur. Divina diſpenſatio protinus fuit, quòd Virgo aſcenderet cum Joſeph in civitatem Bethlehem, ut accepta ſocietate laudabili, prophetatum myſterium erat implendum, quòd Virgo in Bethlehem pareret, ex qua dux recturus populum Iſraëlitícum egreſſus erat, non neceſſitate prophetica, ſed ordinatione divina. Non venerunt proviſi, ut ibi Virgo pareret, ſed caſu magni faſtus velut compulſi, quo mundus in hominibus viventibus deſcribebatur. Alte in hoc contemplari docemur, quòd totum erat divinum quod in Virgine agebatur, ut nec ipſa in his, quæ agebantur in ea, eſſet conſcia futurorum. Cujus tempore orbis totius deſcriptionis celebratus eſt partus, qui ſine tabellionibus deſcribentibus, & absque præfectis urgentibus, uno intuitu priſcos, præſentes noverat, & futuros. Nec eſſe poterat latendi locus à cognitione ejus. *Et peperit Filium ſuum primogenitum.* Non tamen ſecundò genitum, aut deinceps Filium habitura, ſed eo ſenſu ſic dictum legimus, quo primogenitus aut unigenitus proferatur. *Et pannis eum involvit*, vilibus ſiquidem. Erat enim Virgo pauper, & in peregrè conſtituta, carpentario indigo conjugata, ope modica fovebatur. Reclinavit in præſepio filium, cùm ſibi non eſſet cum cæteris divitibus locus. Aſpice mundi reginam incedentem peregrè ducatu unius hominis, quamvis juſti ſenis. Sola edidit ex utero filium, nulla pediſſequa, nulla cognata, nulla fœmina ſecum. Ipſa duntaxat ſe coaptat ad partum, veruntamen doloribus non præventa, nullis agitata moleſtiis, anguſtiis nullis arctata, obſtetricum officia ibi penitus non fuerunt. Ipſa primo emiſſum partum in terra jacentem, adoravit primaria ſuper terram. Ipſa eum propriis manibus de terra in gremium & ſuper genua ſuſtulit, ipſa ſola paupercula ſuis pannis involvit, ipſa deficiente cunabulo in præſepio reclinavit. Hæc omnia Virginis paupertatem exaggerant, etiam Chriſti, qui alio ineffabili ordine dicendus eſt pauper. Apta paupercula, aptè Chriſto ſacra eſt Virgo Mater, ut pauperem in terris gentricem haberet: qui cùm eſſet omnium dives, egenus pro omnibus factus eſt.

Cap. XX.

Conſervabat Virgo Mater, quæ de Filio dicebantur.

19. ET cùm de digno digna dicerentur ab angelis atque paſtoribus, *Maria conſervabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo.* Attentè audiebat Maria, quæ de novo partu ſuo mirabili dicebantur, & conſervabat omnia, ne à memoria laberentur. Non auditrix ſurda, neque immemor auditorum, ſed conſervabat delectantia interiorem ſenſum, quoniam auditio divinorum, eſt paſtus ſuavis interiorum. Audit ab angelis Maria, omnium magiſtra virtutum, & velut à ſapientioribus verba deprompta cuſtodit. Audit à paſtoribus, & ipſorum velut maxima ſuſcipit documenta, retinet & conſervat: humilitatem ſuam proteſtatur, quòd audit ab eis, quibus eſt ipſa ſuperior: & affectum movet in prolem, cùm omnia quæ de ipſa noviter dicebantur, ex delectatione captu animi retinebat conferens in corde ſuo. Non cùm Joſeph, non cum aliqua creatura, nova & inſolita verba Virgo conferebat. Nemo ſibi aderat tam ſolers mente, tam vivax eloquio, ad collationem auditorum ſufficiens. Fit ſæpè collatio duorum inter duos aut plures, aut ad inveniendam concordiam eorum, quæ dicuntur, aut ad percipiendam doctrinam, aut ad inquirendam poſſibilem actionem, ſed in corde ſuo conferebat, ubi nullus, niſi ſolus Deus inſpector. Et conferebat angelorum verba, ſimiliter & paſtorum, ſi concentum facerent & ſymphoniam. Conferebat in corde ſuo pleno divino ſpiritu, in corde, ubi veritas interlucet, ubi racita inquiſitio plus invenit, quàm clamoſa. Quid enim eſt conferre in corde, niſi eorum, quæ audiuntur per rationem, aut fidem notitiam invenire? Quid eſt conferre in corde, niſi ſtudioſa meditatio

mentis

mentis in ducatu rationis, vel fidei veritatem rerum potiſſimum inveſtigans? Et ſeipſo prius eſt facienda collatio, ſi dicta ſunt dubia, ſi rectè capi, aut fide poſſunt ab homine comprehendi, ſi quid habent impertinens, vel inhoneſtum, proprium vel annexum, conſulens ſive jubens, myſticum vel morale, temporale ſive perpetuum, divinum ſive humanum, indifferens ſive relatum. Conſeremus igitur verba, quia beati, qui audiunt Verbum DEI, & cuſtodiunt illud. Luc. 11. Illud audiſſe non ſufficit, ſi audita ex memoria elabuntur, maximè, quæ de agenda vita traduntur, & de canone credendorum. Joan. 14. Et conſervatio divinorum Verborum, dilectionem habet ad Chriſtum. Sic enim ipſe teſtatus eſt: Qui habet Verba mea, & ſervat ea, hic eſt, qui me diligit. Conſideremus in cordibus noſtris, quia Virgo conferebat in corde ſuo. Exemplo novæ Virginis Matris animemur, ut interna mente myſteria meitemur, ut fide nos vivificent, ſpe erigant, dilectione paſcant. Conferamus in corde, quæ de Verbo æterno DEI, æterne temporaliterque dicuntur. Joan. 1. Nam æternè: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & DEUS erat Verbum. Siquidem temporaliter, quod hoc idem Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Hic Chriſtus Jeſus, qui cùm in forma DEI eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Philip. 2. Conferamus Dei dignationem & hominis dignitatem, Dei humilitatem & hominis exaltationem, quantùm potuit altitudo divina inclinari, & humana infirmitas provehi, ut illa iſtam ſuſciperet, iſta verò ſuſciperetur in illa, ut Deus homo, & utique homo fieret Deus. Si conferamus, exultabimus & amabimus, & apponetur confidentia, ne aliqua deſperatione frangamur. Et iterum hanc ſententiam de Luc. 2. Maria Matre Domini Lucas commemorat, cùm in duodecim annis Filium in medio doctorum reinveniſſet in templo, quæ ſic ut prima differitur, niſi quod majoribus contemplationibus, & piis ſuſpicionibus eſt appoſita Virgo Mater, cùm audivit à Filio, quòd in his, quæ Patris erant, eum eſſe decebat. De qua re differenda reſtat alius locus.

Cap. XXI.

De purificatione, & oblatione prolis, & hypopanti.

Luc. 2. *Cum verò completi eſſent dies purgationis ejus*, ſcilicet quadragenarius dierum numerus à partu ejus, cum Filio aſcendit in templum, ſervans legem, quæ legi non ſubjacebet, pro eo quod ſemen hominis non ſuſceperat ad conceptum, ſed Spiritu Sancto agebatur, ut hanc conſuetudinem obſervaret, ne in primordio Chriſti naſcentis per legem ut contumax haberetur, & in ſuis initiis Jeſum portavit in templum, in quo docturus erat gentem perfidam Judæorum, ut ſic eum ſuſcipiamus in templo cordis noſtri, ſicut eſt oblatus à matre, nec velimus eum ſupra fidem in majori agnitione ſuſcipere, quàm quòd homo natus eſt, delatus ad templum. Et adhuc parvulus impotens fandi, admonet quales nos ad eum oporteat fieri, ſcilicet malitia parvuli, ſi ſecum in æterno volumus templo verſari. Defert Mater eum velut oblationem novam, pro omnibus mundi criminibus expiandis, & pro ipſo piè obtulit munera paupertatis, inſinuans præſentibus atque poſteris, quod mundi divitias non habebat, & quia nec in magnis muneribus placatur omnium rerum conditor, ſed in affectibus, & in virtutibus magnis, quibus virgo fulgebat. Non ad quantam ordinationem legis, ſed quanto affectu legem implere poſſet, Virgo tentabat. Et altum quidem atque ſecretum, quòd cum oblatione, quæ protinus eſt æterna atque incorruptibilis, temporalia & corruptibilia offeruntur, ſcilicet par turturum, ſeu pullus geminus columbarum. Sed hoc eſt, quod typicus ſenſus habet, ut cum ipſo bona noſtra ſociata fiant, factaque valeant, & nihil reprobationi ſubjaceat, quod cum Chriſto venit in templum, nil repudietur Chriſto ſociatum. Ad noſtræ ſpei auxeſim factum agnovimus, quòd expulſioni non dantur, quæ ſibi Chriſtus aſſociat,

aſſociat, nec ex aliqua deformitate propelletur, quod cum Chriſto & pro Chriſto offertur in templum. Sed nec excludamus caſtum ſponſum à ſponſa caſtiſſima, cùm Chriſtum ad templum manufactum ambo portarent, & non ſubjecti legi, legis juſſa perficerent: quoniam pro quo hujuſcemodi agebantur, legem non venerat ſolvere, ſed adimplere. Joſeph Virgo, putativus pater ex carne, Maria pariter Virgo, vera mater in carne JESUM deducunt cum illis ſignificationibus oblationum, ut gementes per voces, contemplativi per pennas ſimus. Et potior eccleſia, quam Chriſti vicarius: nam ille moritur, iſta in ſuis directionibus remanet. Remanſit ſponſa Virgo poſt mortem Virginis ſponſi, & eccleſia omnibus mortuis præſidentibus ſimpla manet: & etiamſi diu morte præſulis remaneret acephala, non ipſa in fide deficeret. Sed ad adventum Chriſti pueri ſecundùm legem, non ex lege ad templum & delatorum parentum juſtorum obviationes fiunt. Non enim Chriſto exitur obviam aliter, quàm in templo. Et in templo fidei ſibi obviam fieri, & ſibi occurrere, cùm advenit, juſtitia eſt. Quam Apoſtolus, non legis, ad Philippenſes ſcribens, gloriatur habere
3. dicens: Ut inveniar in illo non habens meam juſtitiam, quæ in lege eſt, ſed illam, quæ ex fide eſt Chriſti JESU, quæ ex DEO eſt juſtitia in fide. Per juſtitiam enim fidei ſalvi facti ſunt patres, non legis, quæ ad perfectum neminem duxit. Unde Simeon & Anna Chriſto venienti occurrunt, qui, ut ſiſteretur Domino, ſcribatur. Ad hominem, non ad DEUM iſta ſiſtentia pertinebat. Ab æterno enim ſemper cum Patre Filius.
34. *Sicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quia omne maſculinum adaperiens vulvam ſanctum Domino vocabitur.* Magnum Sacramentum prærogat ſignata diſtincta locutio, ut maſculinum primogenitum, non fœmininum Domino ſiſteretur, quoniam omne, quod virile & forte & firmum eſſe cognoſcitur, eſt Domino conſecrandum: quod verò eſt contrariæ actionis, Domino in ſuo templo deferre non convenit. Nam & lex Domini ſic ſanxit, quàm pro eo, quòd æterna eſt, immutari non licet, & hoſtia per eandem Domini legem offerenda eſt. Non enim offertur aut ſervitur Deo, aut colitur arbitrio noſtræ voluntatis, aut judicio electionis & directionis humanæ, ſed decreto ſuæ legis æternæ. *Et ecce homo erat in Jeruſalem, cui nomen Simeon, & homo iſte juſtus & timoratus, expectans conſolationem Iſraël.* Erat in Jeruſalem obviaturus Chriſto, quæ viſio pacis dicitur, non tamen pax, quoniam in hac vita nullus vivit in pace, undique ſonantibus bellorum fragoribus. Etſi parcitur interdum à bellis hominum, non tamen parcitur à bellis diaboli, atque vitiorum, nec qui juſti ſunt, in pace omnimoda vivunt, etiamſi non turbato animo propulſantur. Habent protinus juſti, ſi non manifeſta, ſaltem occulta certamina, cum quibus inviſè conſligant, & ſi non à vitiis, tamen pro conſervatione virtutis. Sed benè ſunt in viſione pacis, quia cognoſcunt, quale ſit bonum, ad quod temporaliter ſuſpirant æternum. Erat itaque Simeon in viſione pacis, quia per Spiritum Chriſtum veram pacem agnovit. Nam, ut ait Apoſtolus: Ipſe Epheſ. 2.
eſt pax vera, qui fecit utraque unum. Manſio optima in viſione pacis, quoniam ingruente bello mens pace delectata quieſcit. Et cùm inſultus adverſi proveniunt, anima videt pacem. Nulla religioſa & honeſta eſt habitatio, præter pacem. In qua vir obediens habitat: nam præter obedientiam, non habitatur in pace. Hoc enim prænotat vocabulum Simeonis, ſi per interpretationem transfertur. Et homo juſtus iſte erat, qui vivebat ex fide, quoniam juſtus ex fide vivit. Et timoratus erat, quia ut Rom. 1.
ſcriptum legitur, qui ſine timore eſt, Eccl. 1.
non poterit juſtificari. Et non propriam, ſed totius populi expectabat ſalutem. Præferebat commune bonum proprio, velut qui per juſtitiam noverat meliora decernere. Et Spiritus Sanctus erat in eo, ad ſanctificandum, & ad docendum futura. Et quæ ventura erant, ipſe monſtrabat, à quo in animo ſuo abſque teſtimonio alieno reſponſum acceperat: non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini. Non ſolet dare reſponſum, niſi aliquid interroganti. Et ab eo reſponſum dicitur, quod inquirenti rependitur. Sed ubi Simeon interrogaverit, aut quomodo à Spiritu Sancto flagitaverit, ignoramus. Sed incunctanter aſſerimus, quòd de Chriſto prophetias intelligens, eo ſpiritu, qui in ipſo erat, oravit oſtio clauſo in ſecreto loco, magis verò in cubiculo cordis, ut non ſentiret corporis mortem,

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

niſi videret in corpore ominum vitam Chriſtum. Expectans hujuscemodi, non ab homine, non ab angelo, ſed à Spiritu Sancto per occultam infuſionum accepit reſponſum: non viſurum ſe mortem in corpore, niſi videret vitam in carne. In magnam contemplationem trajicitur animus, ſi homo iſte Spiritu Sancto monſtrante in anima ſua Chriſti Sacramenta videbat: cur carneis oculis videre exivit, cur ſic videre reſponſum accepit, cur ſic adimpletum quotidie lectitamus & credimus, maximè, cùm oculis carnis, præterquam Chriſti carnem non potuiſſet aſpicere? Non enim erat oculis ſubjecta incarnata divinitas: nec vita, quæ Chriſtus eſt, poterat corruptibili viſu videri. Quid igitur eſt, quod illa viſione intrinſeca non contentus, forinſecam expectabat? Plus enim eſt mente, quàm corpore quippiam conſpexiſſe. Mente veritas, non oculis eſt facta viſibilis: nec beſtias excedimus & volucres & ſerpentes in viſione corporea, ſed quia mente decernimus aſpecta per corpus. Si jam Simeon totum mente videbat, quod aſpicere gliſcebat in corpore, attamen & ſpiritu venit in templum, ſcilicet quo plenus erat. Et juſtus & timoratus, hoc eſt, ſpiratus ad Chriſti ſciendum adventum, in templo ſibi obviam factus. Ecce juſtus obviat juſtificatori & portatoribus ejus, & in templo conveniunt Infans in carne Verbum, & geſtantes in carne Deum. Et juſtus huic obviat trinitati. Quid Maria, niſi fides? Quid Joſeph, niſi ſpes? Quid Chriſtus delatus, niſi charitas? Procedit à fide & ſpe, vera charitas, velut à Patre & Filio, Spiritus Sanctus. Quid ſenex iſte juſtus, niſi omnis chorus juſtorum, qui ad eccleſiam ſanctam venit, has virtutes animo, & in actionibus ſuſcepturus? Ac per hoc datur intelligi, quid ſenex iſte ſpiritu videns, corpore videre ſatagebat: conformitatem operum exteriorum ad divinas virtutes volebat offere. Et genus humanum peccato veteraſcens, purum in puro puero fieri annuebat, & Chriſti formitatem in corpore hominum fieri erat omnino præſagium. Proinde omni completa conſuetudine legis pro Chriſto ipſe Simeon, non templi ſacerdos, *accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum.* Non erat illud ſacerdotum, tenere in manibus Chriſtum: quia per juſtitiam legis credebant conferri ſalutem, quam etiam non implèverant: ſed alius de Jeruſalem veniens ipſum accepit, translationem templi & ſacerdotii & ſynagogæ prænuncians. Senex erat, antiquior gentilitas, quàm ſynagoga, quæ Chriſtum, ſynagoga reprobante, ſuſcepit. Et benè ſunt impleta vota petentis, qui de ſæculo ærumnoſo exire nolebat, niſi prius videret ſæculi conditorem atque reparatorem, & horrebat mortem, niſi ſpes infallibilis præſtaretur de vita, pro qua conquirenda & tenenda omnem fortitudinis actionem expoſuit. Et eo typo, quo eum Simeon accepit in ulnas, fecit, & facit eccleſia, & in membris ſuis usque in finem ſæculi eſt factura, & benedictura Deum in donis ſuis, quorum nullum altius, quàm, quòd filium dederit terris, ut terrenos redderet cœlis. Nihil tam obligat hominem ad reddendam poſſibilem vicem, & ad ejus ſervanda mandata, quàm quòd ſeipſum Deus hominibus tradidit in carne natum. Proinde, cùm alia non poſſimus rependere, benedictio & laus, de ore atque corde hominum non recedat, juxta propheticum dictum: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus ejus in ore. Et benedicens prorumpit in canticum: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine, ſecundùm Verbum tuum in pace.* Luc. 2. Pſal. 33. Viſo & tacto Chriſto, in pace dimittitur ſervus DEI, magis contemplativa mentis, quàm corporis viſione gauviſus. Dimittitur in pace ſecundùm Verbum, ſcilicet reſurrectionis, quod à Spiritu Sancto ſuſceperat, promittente infallibiliter viſionem. Fidelis enim Deus, in Verbis ſuis ſemper efficit, quod promittit, ſi promiſſarius ſua juſſa cuſtodit. Dimittit in pace ſervum ſuum, non idolorum, aut quorumlibet vitiorum, ſeu rerum temporalium ſervum, nec eum, qui temporalibus Dominis ſervit in peccatis, aut eum, qui in licitis actionibus infideliter ſervit, ſed ſervum ſuum, qui voluntatem ejus novit & facit, qui nihil faciendum omittit, qui unum pro alio non poſtponit, qui, cùm omnia benefecerit, ſe inutilem ſentit, & nihil ſe feciſſe judicat, penſans altitudinem præceptoris, & ſui deficientiam ſervitii, qui non contemnit ad Verbum, nil grave judicans, quod jubetur, cui nullum præceptum diſplicet, qui Domini placitum ſuum facit, qui etſi non poſſit plenè perficere, quod jubetur, non ad impoſſibilitatem præcepti, aut indiſcretionem Domini hoc adſcribit, ſed ſuo defectui deputat, quod non fecit. Et hic eſt ſervus Domini, quem

quem Dominus dimittit in pace. Sed quid eſt, quòd hic ſenex non videbatur ſibi, de hoc ſæculo migrare cum pace, niſi Chriſtum Dominum taliter aſpexiſſet? Nonne & cæteri ſancti patres mortui ſunt in pace? Nónne & cæteri prophetæ Domini, quanquam aliqui fuiſſent crudeli morte perempti? Sed quomodo ad DEI regnum ſpectabant, ſi cum pace mortui non fuiſſent? An iſte pacem dicebat mori morte non ab aliis irrogata? Quid iſte, tantus ſenex, adſcribebat ad pacem? Id profectò dixerim, quod alii longa expectatione viderunt, in fide atque ſpe certiſſimè tenebant, quòd ſic futurum erat; incerti penitus erant, quando majeſtas divina perficeret. Et hinc certi ex fide, ſecuri de ſpe, incerti de tempore ante hunc ſenem patres cæteri deceſſerunt: iſte verò de tempore certus, vitam finivit in pace. Et piè credendum eſt, quòd præter id, quòd Chriſtus puerulus, imo infantulus in ejus brachiis requieverit: quòd in ejus mente aliquid divinum & arcanum oſtenderat, unde ſe fatebatur in pace dimitti. Sed ſi qui hanc gratiam ſortiri cupimus, habitemus in Jeruſalem: quoniam non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem. Veniamus in templum, in domum ſcilicet orationis & obſecrationis & laudis in contemplationem divinorum, quoniam templum à contemplando reperimus, & in locum myſteriorum Chriſti. Et ſuſcipiamus manibus puritatem, excutientes illas ab omni opere malo, ut nobis fiant activa, quæ novimus digna fieri. Magis autem ipſe cauſam ſubrogat, quare ſit dimiſſus in pace: *Quia viderunt occuli mei ſalutare tuum.* Quæ viderunt illius ſenis oculi? Carnem, non Deitatem Chriſti. Sed mente intellexit, quòd ipſe penitus erat ſalus DEI ab æterno cunctis mortalibus hominibus præparata. Unde ſequitur: *Quod parasti ante faciem omnium populorum.* Verè ante faciem poſuit, non à tergo, ut illam aſpiciamus, illamque cognoſcamus in anteriori proficientes, non retrovertentes ad ea, quæ pro melioribus antepoſitis abdicavimus. *Et lumen ad revelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſraël.* Lumen illuminans, poſitum antè conſpectus hominum, ut ſi non rectè ambulatur, non adſcribatur lumini, ſed errare volenti, & oculos claudenti ad ſplendorem ejus, quod revelat gentes ambulantes in tenebris: quoniam gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, & ſedentibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. Et gloria erit Iſraëliticæ plebi, cùm in fine ſæculi Iſraël ſalvus erit. Nec non lumen eſt ad gentes, ſcilicet ad homines peccatores, ut de tenebris revertantur ad lucem. Et ad Iſraëliticos ſcilicet juſtos, ut non aberent à luce, ſed in ipſa interiùs ſplendente proficiant. Hac conditione, omnibus Chriſtus eſt lumen, ut peccator tenebroſus lumen veritatis aſpiciat, deteſtatus tenebras per lumem: & juſtus in lumine proficiat, delectatus lumine, effugiens tenebras. *Et erant pater ejus & mater mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo.* Super his admiratio fit, quæ ſenſum & intellectum hominum omnino tranſcendunt, & quorum veritas intellectui non æquatur, nec ad illam intellectus ſua virtute aſcendit. Super omne, quod humanum eſt, Simeonis verba tonabant, ut etiam parentes ejus in admirationem lætitiæ plenam inducerent. Et quanquam pia Mater, ſpiritum Simeonis excederet, & præ cunctis mortalibus plura videret, atque ſentiret de Filio, attamen non deſinebat admirari, quòd ſic eum ſenex iſte cognoverat, ſicque altè de ipſo pronuntiabat. *Et benedixit illis Simeon*, ſcilicet duobus parentibus, aut tribus cum Filio: non velut ſuperior authoritatem habens, ſed velut devotus gratias agens. *Et dixit ad Mariam matrem ejus.* Non ad patrem Joſeph, quia non tanta dilectione velut mater, ferebatur in Chriſtum. Aut quia ſpiritu prænoverat, ante Chriſti paſſionem eſſe moriturum, nec illi pœnoſæ cruci cum Matre debere aſſiſtere. Solam ergo Matrem in hoc vaticinio alloquitur, quæ crucis futura erat diſciplua, & ſui Filii per omnia conſcia paſſioni. Quid enim hic ſenex de Filio, ad hanc juvenculam Matrem Virginem dixerit, audiamus: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſraël: & in ſignum cui contradicetur.* Lætis triſtitia miſcet, ſupremis ima connectit, & duci bellum parat, & gloriæ ignominiam conjungit, & quæ ſunt DEI, & hominis cantat, & ſimul virtutis, & infirmitatis profequitur actiones, & formam DEI, & hominis; Domini & ſervi adeſſe ſimul in una Chriſti perſona declarat: ut ſic connectantur, quæ ad formam Deitatis, & quæ ad formam humanitatis ordine debito tribuuntur. Salutare & lumen omnium

Iſaiæ 9.

Luc. 2.

gentium & gloria populorum, divinitatis eſt forma. Et quòd ruinam infidelium atque non credentium, & aliorum delinquentium, & peccantium faciat & reſurrectionem in his, qui verè crediderunt, & converſi ad DEUM, fuerint operetur, etiam formæ attribuitur Deitatis. Quòd verò ſignum ſit contradictum, humanitatis eſt forma. Et quod ſignum ſit, eſt hominis, & non DEI. Semper enim ſignum ſignato noſcitur minus. Et quoniam Virgo, in paſſione filii velut pungenti gladio erat fodienda dolore, humanum totum eſſe inſinuat, quòd hic puer crudeliter & innocenter moriturus erat, adjecit enim: *Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.* Vide quanto amoris vinculo matrem ligavit cum Filio, Filiumque cum Matre, ut animam Matris, animam Filii eſſe denunciet, non in una ſubſtantia, ſed in dilectione omninò individua. Et verè anima matris, anima filii erat; prout omnes animæ ſunt: ſed ipſa tanto magis ligata, quanto in ejus amore ferventior eſt reperta, & præ cunctis decentius ornata virtutibus. Aut alia ſit revelatio, ſeu verborum connexio: Et tuam animam gladius ipſius pertranſibit. Sed quomodo verba connectantur, ſententia una elicitur: videlicet, ut anima Virginis Matris in paſſione filii doloris gladio foderetur. Aliter eſſe non poterat, nec debebat, ut tam altè dignèque dilectus, ſine diligentis dolore acutiſſimo, ſic amarè moreretur. Nec ad matris imperfectionem cedit, quòd humanitùs doluit tam acutè pro Filio, quoniam pro omni homine innocenter & injuſtè morti tradito hæc pia Virgo doluiſſet, ſed maximè pro ipſo dolere debuit, ex qua carnem, in qua pateretur eduxerat. Quòd autem adjicitur, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes, ut credentium, & non credentium, juſtorum, atque iniquorum, diligentium, & odiennium futura ſit nota conditio. Paſſio enim Chriſti diſcretavit reprobos & electos. Ecce quomodo beatus Simeon allocutus eſt Virginem, qualia prophetavit de prole, ut poſt proſpera, illico adverſa connecteret, & dulcibus amara ſociaret: ut diſcamus in Filio, & in Matre inter ipſa inculpatè tranſire. Audi, quæ Virgo Mater audit in templo, & eum ipſa Simeonis de Chriſto auſculta præſagia, & mirare, in contemplationem animum dirigentis, & humilitatem agnoſce Mariæ, quæ non velut mundi regina & æterni regis Mater, ſed ut diſcipula accipit verba ſenis, non ſtomachans verbum, non dedignans auditum, æquanimiter læta & triſta recipit: verecunda facie, moribus compta, ommiſſa enim reſponſione, atque repenſione verborum, ut prærogaret omnibus audiendæ veritatis formam, & virginibus loquendi auferat audaciam. Et ut incontradictè audiantur verba, quæ de Chriſto dicuntur: ipſa, & putativus Pater, ſilenter oracula divina ſuſcipiunt: & animo conſtans, ſervansque in lingua cenſuram, non mutata facie in auditis de ſua prole magnis & ſævis paſſionibus, & quòd ſit doloris gladio fodienda, eandem conſiſtentiam conſervavit, ut nec læta de lætis, nec triſtis de triſtibus videretur. Et præſtita fide dictis, diſputationem & cauſarum inquiſitionem abjecit, nam verè intellectis, aut creditis, quæ dicuntur, ſupervacuè contendit auditor, & magnam criminis notam habet, velle diſputare de certis. Sed ſi bona Virgo audiſti, cur gratias non rependis? Si verò indigna, cur hunc ſenem non arguis? Spectat ad cœlicolam Virginem, in omnibus linguæ ſervare modeſtiam, nec in laudes, & verborum blandimenta prorumpere, nec arguere ſeniores. Et quoniam ab omni ætate, & ſimiliter ſexu, Chriſtus erat teſtimonia ſuſcepturus, qui homines utriusque ætatis, & ſexus ſalvaturus erat: Anna longo tempore vidua, ſupervenit Spiritu plena, de Jeſu altiſſimè loquebatur, cauſas ſui adventus exponens, expectantibus redemptionem populi Iſrael, quam ipſe perfecturus advenerat. Et inſonuerunt hæc verba Virgineis auribus, ut jam in templo, in his, quæ ipſa ſentiebat de filio, inveniſſet utriusque ſexus homines, in veritate concordes. Reſonant in templo aptæ prophetiæ, concordes de Chriſto voces: & præterquam in DEI templo, non invenitur iſte concentus. Et unum eſt DEI templum, patres veteres continens, & modernos. Una eſt omnium verorum fidelium eccleſia, eorum ſcilicet, qui de Chriſto æqualiter ſentiunt. Una fides vetrerum, & novorum, una ſpes omnium ſalvandorum, quamvis pro juſta & ordinatiſſima diſtributione temporum fuerint Sacramenta diverſa. Nec mirum, quòd in templo veteres, & annoſi clamant, & prophetant, & juvencula Virgo tacet, quoniam teſtamentum vetus plus extitit in verbo, quàm in facto: novum verò plus facto quàm verbo. Et ſilentio, non verbis

præſta-

præſtatur fides dictis : & corde, non lingua, propheriæ recipiuntur in fide : ſed in moribus vivendi forma prærogatur hominibus. In ſene, forma perfectæ juſtitiæ, boni deſideriique communis : in Anna, forma ſanctæ viduitatis & caſtitatis præſcribitur his, qui poſt nuptias vitam cœlibem tenere decreverint. Hæc à viro, in juvenili ætate ſoluta, monogamiam usque quaquam ſervavit. Quod & Apoſtolus inpoſterum tradidit in conſilium : Soluta es à viro, noli quærere virum. Sed non omnis vidua, verè vidua, ſed quæ pro Chriſto caſtitatem cuſtodit. Et hæc honoranda, ſi expedit, ut alimentis eccleſiæ ipſa paſcatur, ut ad Timotheum ſcribit Apoſtolus : Non eſt Chriſti vidua, niſi viduæ hujus tam antiquæ formam accipiat, ut non diſcedat à templo. Et cùm fas non ſit mulieribus in manufactis eccleſiis ſemper conſiſtere, non tamen recedat cor de templo ſacræ doctrinæ, nec animo communitatem verè credentium intermittat, ne diſcrepet ab eccleſia, extra quam verè ſacrificii & boni alicujus digni præmio non eſt locus. Non vivat delicioſa, quia vidua in deliciis vivens, mortua eſt, ſed jejuniis & abſtinentiis corpus afficiat, ne delicatè vivens, in libidinem exſpumet, & philocapta vivat turpiter, etiam præter virum. Refrenanda ſunt omnino jejuniis incentiva libidinis, nec ſufficit pulla veſtis, ſi exculta caro nitefcat, ſi ex cibo craſſeſcit, ſi ex nimio potu ſomneſcit. Non ſit vaga diſcurſibus, ſed obſecrationibus & orationibus crebris inſiſtat : non ſerviat mundo, ſed Domnino : non ubera, ſed ſterilia proferat, & ejus ſint de DEO, & de virtute ſermones, & aliquid expediens loquatur his, qui ſecum in Chriſtifera virtute participant. Necnon & hujus viduæ nomen & genealogia, ſi in interpretationem deveniant, prout in Evangelio ſcribitur, mores viduis debitos amplius commendabunt. Inquit enim : *Et erat Anna prophetiſſa filia Phanuel de tribu Aſer. Et hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo VII. annis à virginitate ſua, & hæc vidua erat uſque ad annos LXXXIV.* Optimam quadram hæc vidua in annis viduitatis perfecerat, ut ſolida ex omni ſua parte perſiſteret. Et octies decem anni, præcepta decem pro octava verè ſervaſſe inſinuant. Et quatuor reliqui decore quatuor moralium virtutum eſſe fultam : magis verò ad rotas quatuor Evangelii præparatam. Quæ non diſcedebat de templo, in honeſto loco conſiſtens, quoniam decet eligere viduas habitacula honeſtatis, & quæ ſua corpora virtute caſtitatis adſcribunt, ibi habitare præſigant, ubi teſtes devitare non poſſunt. Conſert ad cuſtodiam caſtitatis, ubi humani devitari non poſſunt aſpectus, maximè illorum, qui decentiam templi habent. Surrepit ſæpè importuna tentatio idelinquendi, ubi nullus timetur aſpiciens. Nec deſerenda ſunt loca, quæ conferunt ad officium ſanctitatis. *Jejuniis & obſecrationibus ſerviens Domino die & nocte.* In loco dicato DEO, præter quæ DEI ſunt, omnino facienda non ſunt, quoniam domum DEI decet penitùs ſanctitudo. Væ autem eis, qui domum orationis in fæcularia facta convertunt. Virtutibus ſervitur, & non mechanicis actionibus Domino, ſed impræmiſſè, ſcilicet die ac nocte, ut non dies divino ſervitio, nox verò ſomnolentiæ tribuatur. Nec noctes pro DEO ducantur inſomnes, dies verò in otio culpato aut maculatè pertranſeant. Necnon in die proſperitatis, & noctè cujuscunque adverſitatis ſerviendum eſt Domino. Et beatus eſt vir, qui in lege meditatur die & nocte. *Et hæc ipſa hora ſuperveniens confitebatur Domino.* Supervenit hora, qua Chriſtus advenit, cum quo in templo convenit. Quo autem & quomodo ſupervenit, ſi non diſcedebat de templo? Dum Simeon Virginem alloquebatur, advenit : Et ad deſtinatum locum templi, in quo fiebat primogenitorum oblatio, ſupervenit : & fruſtra tam diu fuiſſet obſervata in templo, ſi cum JESU non convenifſet in æde. Nulla præteritorum patrum ſanctitas, nulla eorum virtus, nulla obſervatio legis ceſſiſſet ad meritum, niſi perveniſſet ad Chriſtum : neque unius confeſſio ſuffeciſſet, niſi Chriſto daretur confeſſionis honor. Et omnia mortua opera priſca erant, niſi revixiſſent in Chriſto. Supervenit igitur anus iſta debita hora, quoniam ante illam veniſſet in caſſum, quia ſcriptum eſt : Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. Vanum porrò cunctis viventibus factum erat ante lucem, quæ eſt Chriſtus, boni aliquid peregiſſe, poſt veniſſe protinus ignavia adſcriberetur. Cœpit hora convenire poſſe cum Chriſto, ab eo tempore quo in mundo incarnatus apparuit, & uſque ad ſæculi terminum perdurabit. Poſt mortem verò, hæc hora in ſuis gradibus finem ſortietur interminum, ut qui cum Chriſto in hac hora,

quòd terrens terrebatur, & territus plus terrebat, qui ob hoc fugiebat, quia ab ipſo terrebatur Herodes. Itaque celebratur fuga pro prole, quæ fugiebat ex matre, & mater pro filio damna exilii ſuſtinebat. Vadit in peregrè angelorum domina, & ſuperna civis civibus ſociata ſupernis, originali relicta patria, quærit extraneum incolatum. Sed nulla patria ſibi erat ad propriam, cui præterquam virtus nihil erat ad proprium, & nihil habere omnino ſibi vendicabat in proprium. Nec aliquam regionem ſibi computabat extraneam, quæ ſolùm habitat in regione virtutum. Quæ patria extranea eſſe poteſt, propriam non habenti? Quæ aliena patria, qui mundum non diligit, qui omnem in hac vita incolatum ducit exilium, qui inceſſanter ad ſuperna ſuſpirat, qui cum ſapientia contubernium fecit? Quæ poteſt eſſe horrenda provincia, cui de ſenſibilibus nihil placet? Quæ grata, cui vivere pœna eſt? Quæ propria, ubi manere non ſinitur? Sed quibus hæc Virgo mater, inexperta conſervandi juvencula, humanis fulciatur auxiliis, quibusvè pediſſequis, aut famulorum copia ſocietur, quibus vecta curribus aut equis, quibus ornata ſchematibus vadat in peregrè: qui apicem Evangelicum ſcrutaris, adverte. Ut pauperis carpentarii uxor paupercula incedebat, ipſo ſolo contenta comite pro cura, & ei familiaris, & in teſtimonium honeſtatis, & nutrimento prolis. Ecce regina mundi Ægyptiacas ingreditur civitates, nullo humano comitata faſtu, ſed nec pediſſequam unam legimus habuiſſe: incognita mundo, ignorata in populo, quam ſi, quæ erat, cognoviſſet Ægyptius, apparatu & magnis copiis occurriſſet. Conducit hoſpitium carpentarius, introducit matrem cum prole fugientem. Congregat ſuppellectilem modicam, ad fovendam matrem & prolem artis carpentariæ inſtrumenta producit. Incipit inquirere, ſi ex illa poſſit captare modicam ſtipem, denunciat ſe in arte peritum. Explorat, ſi quis ad ligna bipennibus & a. dolabris habet opus, facturum ſe dicit placidè pro mercede, ut ſuſtentet Virginem Matrem, ut poſſet alere prolem. Necnon ob id etiam hujuſcemodi artis ſe actuoſum inſinuat, ut evadendi fulcimenta ex illa conquireret, ne otiolus aut in fraudem alicujus videretur ad illam provinciam acceſſiſſe. Non tamen ut Abraham Saram, prænonuit iſte Mariam, ut diceret ſe ipſius eſſe ſororem: veritus propter ejus pulchritudinem mortem, ſi ſe fateretur uxorem: quæ ſpecie ſua, & pulchritudine ſua, Saram & Rebeccam ſuperavit. Nec ipſa ſublata eſt in domo alicujus Ægypti regis, ut Sara in domo Pharaonis, ſciebat enim, quòd melius quàm Sara cuſtodiebatur ab Angelo, à quo ſæpe ipſa reſponſa acceperat. Et talem gratiam in Matre Virgine DEUS poſuit, ut nec propter ejus excedentem pulchritudinem potuiſſet ab aliquo ob immunditiam concupiſci. Noverat hoc Joſeph experimento ſui, qui nunquam ex ipſacamis tentationem ſenſerat, quamvis ſecum pariter habitaret. Stat in Ægypto puerula mater cum puero, ne procedit in publicum, non verita hominum fraude, ſed cuſtodiens honeſtatem, formam præſtans juvenibus, qualiter conſtantes in peregrè converſentur. Net, ſuit, laboratque manibus: & quærit ſic compedia vitæ. Nullas vicinas viſitat ædes. Fit nota omnibus per modeſtiam magis, quàm ſi ingrederetur limina vicinorum. Admirationi fit omnibus, ſermo diffunditur, quòd in Ægypto ſimilis mulier nunquam fuit. Trahit omnes in ſui conſiderationem propter inſitam honeſtatem, quæ velut magnes ad ſe ferrum ſecreto tractu verè trahens, omnes ad ſui admirationem trahebat. Subdita viro, intenta pro filio, & in ſuis quieta negociis ſe poſitam in peregrè lætabatur, abjectui faciens quicquid de prima potuiſſet amœnum. A nexibus ſolura, quibus ferè omnes humanus nectit amor. Non incipit aliquando titillare virum, ſi jam redeundi tempus adeſſet: Non proferens quid delectabile reliquiſſet in patria, nec quid amplius cum cognatis reverſa poſſidere potuiſſet. Non ſubinfert peregrinationis incommoda, quæ citò ſolent in patriam revocare peregrinos, ſed quid pater æternus decernat, expectat. Non conturbat virum velut inſolens, non infeſtat more mulierum, multa requirens, non querulatur, tantùm intenta ſupernis, ut juſſionibus divinis obediat.

Cap.

Cap. XXIII.

De reditu Virginis cum Puero in Judæam.

Matth. 2. ITaque Angelus iterum ejus virum affatur in ſomnis, ut redeat in in Judæam. Non alloquitur eam de cura viæ, ne videretur mulieri ſupra virum præſtare velle ducatum. Nec omnium agendorum notitia ſibi refulſit in animo: quanquam ſuper homines plus noviſſet, ut innoteſceret, nemini viam ejus commiſiſſe, ſed ſibi reſervaſſe de Filio. Non decens erat, quod plena eſſet in terris notitia myſteriorum, quæ Filio Pater ab æterno decreverat: & ut in futura eccleſia ſervaretur iſta cenſura, ut non viri à mulieribus, ſed mulieres à viris agendorum documenta ſuſciperent. Revertitur in Judæam cum prole, ſed adhuc ipſa cum viro timoribus angitur. Regnante Archelao pro patre ſuo Herode defuncto, ex angelica admonitione ipſa & vir ſuus non vadunt in Judæam, ſed ſecedunt in Galilæam in civitatem Nazareth, ubi conſenſu ſuo in ventre DEI Filius fuerat incarnatus. Et eandem ſuæ vitæ morumque cenſuram, ſicut in peregrè in patria retinebat, nec exultavit amplius in patria, quàm in peregrè lætata fuiſſet. Non enim variabatur in animo per loca, per tempora, ubique eandem conſiſtentiam ſervans, tota intenta pro Filio, qui apud eam DEUS exiſtens, ut puer ſub cura materna conſtitutus degebat.

Cap. XXIV.

Quòd Virgo Mater in XII. ætatis Filii anno perdens eum alloquitur inventum.

Luc. 2. QUem in duodennis annis deducens in templum, ad tempus amiſit: pro quo, velut impatiens ob abſentiam ejus, inter cognatos & notos DEI Filium quærita-bat. Anxia ſemper erat Mater pro Filio, & abſentia modica prodibat in longum, nec à quæſtione deſiſtens ipſa cum viro redit in templum, ubi reperit eum altè agentem in medio ſeniorum atque doctorum. Stupet in prole mater, & exultat ad proventum ejus. Non impedit verba doctorum, ſermonibus filii ſedulum præſtat auditum, diligens & admirans, conſiderans & exultans: ſed dato fine verbis, pia Mater piè alloquitur Filium, ex honore præferens virum, dicens: *Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce, pater tuus & ego dolentes quærebamus te.* Maternali authoritate uſa eſt Virgo, cùm DEI Filium ſuum appellavit, non in Deitatem, ſed in humanitatem præſumens, quamvis unus ſit DEI Filius & Mariæ. Non potuit amplius continere affectum, cùm in verba exceſſivi amoris erumpit. Non aliundè ipſum denominans, niſi quòd ipſe ſit Filius, ipſa Mater. Stupor & gaudium, humanis mentibus miniſtratur: quòd Virgo Mater DEI Filium nomine filiationis appellat. Omnis amoris ſignum in iſto Verbo ſuperatur, Fili. Lingua in amore manifeſtare plus nequit, dicens: Fili. Nihil ex amore brevius, nihil efficacius ad proferendum, quàm cùm dicitur: Fili. Tota commoventur viſcera Matrum, cùm prolem nomine filiali denominat. Nulla loquendi copia plus appoſuit, quàm filiale nomen. Diffunditur anima Matris in Filium, quem videt de ſuis puris humoribus generatum. Amat protinus præ cunctis Filium Mater, à quo præ cæteris ſe novit amari. Sed nec Virgo Mater, per comparationem ad alios, hunc Filium diligebat, præter quem alium non habebat: ſed ipſa præ cunctis diligebatur ab ipſo, ab æterno prælecta Mater. Præſtatur nobis magna ſecuritas, cùm Virgo ſic ſuum natum alloquitur, cùm talis Filius ſic ſe patitur nominari ſine fœdere noſtro quoniam eſt frater noſter. Quid feciſti nobis ſic? Non increpat Mater, nec hoc increpationis eſt Verbum, ſed quærit cauſam, cur ſe ab eis diſtraxerit. Defert humilis Virgo viro, quem in loquendo

quendo præponit, ſeqúe ſubmittit, ut ſæpè de ipſa diximus: quoniam omnium bonorum, atque virtutum eſt norma, ut diſcant mulieres ſuis deferre maritis, & non ſolùm in aliis, ſed etiam in loquendo præferre. Dolorem Virgo proteſtatur, non inquirendo Filium, ſed paſſa ſolicitudinem & laborem, ſcilicet non reperiens pro voto quæſitum. Non fit dolor in actionibus piis, etiamſi laborare contingat, ſed cùm juſta & pia deſideria defraudantur: quanquam, ſi perſeverant, differri poſſunt, fraudari non poſſunt. Dolor ubicunque in corporibus adeſt, bonæ naturæ teſtimonium eſt. Nam bonum eſt, quod natura dolet, quamvis poſſet eſſe malum, propter quod dolet. In animabus autem dolor, aut bonæ, aut malæ voluntatis eſt teſtis. Nam dolor pro amiſſo bono, pro malo commiſſo, pro non habendo, quod habendum eſt, bonam voluntatem inſinuat: ſic à contrariis dolor fallacem arguit voluntatem. Bonus erat Virginis dolor, quia quærens JESUM inter cognatos & notos, non inveniebat amiſſum. Ex virtute dolet, qui ob peccata conterritur, qui agitur impatientia, quouſqúe bonum vel æquè quod amiſit, inveniat: quouſqúe poſſideat, ſine quo ſe non exiſtimat felicem. Sed mirum quippe, quod nunquam Matrem Virginem legimus JESUM Chriſtum, præterquam hic filiali vocabulo nominaſſe. Ad magnum myſterium res ipſa reducitur, quòd reinventus Chriſtus à Matre Virgine Filius appellatur: ut ſit ſpes noſtra ſolidior, quòd velut piam Matrem impoſſibile ſit à pio Filio derelinqui: ſic qui cùm piè & purè dilexerint Chriſtum, impoſſibile protinùs eſt ad inferna demergi. Et vehementius eſt gaudium, cùm invenitur deperditum, quod antequam perderetur, quaſi non curabatur: ut velut majori fiducia Mater præſumat in Filium, quòd ad extremum non permiſerit contriſtari. Quærant ex hac prærogata materia virgines cum Virgine Matre Filium: etenim ipſe magis eſt virginitatis Filius, quàm Virginis, cujus omnes ſibi dicatæ virgines poſſunt eſſe participes, ſed non inter cognatos & notos ſecundùm carnem: quia in carne ſupra carnem eſt Chriſtus, non traductus ex ſemine ſed divina virtute. Non noverunt hi, qui ſecundùm carnem vivunt, qui ſolùm, quæ terrena ſunt ſapiunt, nutriri Chriſto, ſed mundo; non illam ornare pro DEI Filio, ſed pro hominis Filio fucare criminaliter didicerunt. Non immortali ſponſo conſecrant, ſed mortali ſæpe ad perditionem adjiciunt: & pro mortalibus nuptiis, magna impendunt munera, longo tempore parta, diſpergunt, exhauriunt crumenas, accipiunt ſæpe ſub fœnore, quæ habent chariora ſuppignorant, ut tradant virgines ſervituti hominum, ut conjungant matrimonia diſſolvenda per mortem. Et ex his, quæ non prævisa proveniunt, ſi poſſent, vellent retractare jam factum, ut Chriſti ſint, etiam ſecum habitare non ſinunt. Non quòd matrimonium dixerim criminoſum, ſed illum, per omnem modum præfero, ubi pro Chriſto ſervatur integritas. Igitur virgines, cognatos & notos ſecundùm carnem dimittite, ſi Chriſtum cupitis invenire. Redite ad templum animæ veſtræ, ubi Chriſtus inhabitat, non extra vos inquiſitio ſit de Chriſto, intra vos citius invenitur. Sed non carne matres, ſpiritu matres ſponſæqúe fieri poteſtis. Et reſponſione peracta, *deſcendit JESUS cum illis Nazareth, & erat ſubditus illis.* Pro Virgine Matre ſumpſimus diſſerendum, nam in hac parte de Chriſto alibi diſſertum eſt. Ecce habet Virgo Mater ſubditum, quem univerſitas Dominum habet, & virtutum omnium cœleſtium cunctorumqúe regem exercituum ſupernorum in humanitate Virgo Mater, ſuis moderatur habenis, & præfertur Virgo Filio in eo, quòd ei ſe ſubjicit, & ejus facta eſt abbatiſſa, qui omnia fecit. Eum gubernat, qui ſua ſapientia formam & differentias omnibus dedit. Eum dirigit in carne natum, cujus bonitate, ne in nihilum redeant, omnia conſervantur, & deperdita reſtaurantur. Erant enim in illa ætate puerili, omnes theſauri ſapientiæ abſconditi: nec ſibi aliquando ſcientia crevit ex tempore. Proinde mentem in alta ſuſpendit, quòd eum ſubditum ſic una Virgo poſſedit. Magna virginibus eſt dignitas prærogata, quòd Chriſtus duobus virginibus factus eſt ſubditus: ut noverint hoc ſacramentum homines, quòd illorum Chriſtus complet vota, deſideria perficit, qui ſe puritati & munditiæ tradiderunt. Et ſpes magna facta eſt amantibus cœlibem vitam, quanta eis ſit Chriſtus in illa patria familiaritate donandus, qui duobus caſtis hac vita factus eſt ſubditus. Quali quantoqúe ſtudio, quanto ſincero affectu Virgo Mater tendebat in prolem, cui ſubditus in humanitate DEI Filius factus erat: qua ſolicitudine agebatur in illum, quis enarrae præſumat;

cùm videret ipſum ad ſe proclivum, nil puerile gerentem, expectantem tempora præfinita, pro implenda voluntate paterna, in quem Mater ſolum ferebat pietatis officia, & illam curam ad natum, ad quam deputatam ſe noverat. Nec in eum credatur præſumpſiſſe blanditiis, aut eum geſtibus palpaſſe communibus & humanis, ut aſſolent matres, quæ amore fervent ad filios. Sed quamvis ſe matrem in humanitate cognoſceret, tamen quia Deus erat in omnibus ſe fatebatur ancillam, ſtupensque quòd in terris erat ſocia perſonæ Deiferæ, atque quòd ſimul cum homine DEO ſibi contuberium erat. Non ſupetebant merita, quibus ſibi tanta neceſſitudo erat ad filium. Suſpendebatur animo in aſpectu ejus, & ſemper in contemplationibus erat, videns apud ſe divinam degere majeſtatem, & introrſus mirabatur vehementer, non comprehendens DEUM, quem in humanitate habebat ſubjectum. Potrò defeciſſet in ſe, niſi noverat illam æternam & inſallibilem providentiam in Filio, qua nil agebat impertinens: & quòd ſine myſterio non loquebatur neque tacebat. Erat profuſus amor ejus in prolem, & nihil ad ſeipſam Virgo, ſed tota erat ad Filium, & amplius ferebatur in eum, quia DEUS, quàm quia Filius: quia JESUS, quàm quia natus: amplius communitate naturæ, quàm quia illa caro ex proprio ventre. Tota in rationibus & virtutibus erat nec vincebatur affectu carnis, quam ſpiritus infunderat. Nec animus ejus feſtinabat ad prolis augmentum, prænoſcens, quòd illa humanitate omnia progrediebantur divinè. Non interrogantibus agitabat eum, velut curioſa parens ſæpè facit ad Filium, quid fecerit, aut quid ſit facturus interrogans: tacens intendebat in eum, & in ſilentio audiens, ſi quippiam aliquanado loqueretur. Servabat ad ipſum pudorem virgineum, & verecundiæ moderamina firma cenſura tenebat, nullo impertinenti verbo, nullo geſtu, nullo motu, neque viſu, præterquam ſub cenſura Spiritus Sancti fiebat ad eum. Erat enim præſentia Majeſtatis divinæ, quàm effugere nullus poteſt, ſed aliter, quàm omnes ipſa ſentiebat, & ſuper hoc, divini Filii verebatur aſpectum, quem ſecum corporaliter habitantem habebat. Nil agebat argutione dignum, nihil ſibi placebat de Sæculo, non implicabatur mens ejus, ſolum contenta de Filio, cui aliunde delectatio nulla erat, nulla placita veniebant. Huic matri Virgini omnia Filius erat, hic amor ejus, hic ſolamen ejus, hic deſiderium ejus, hic contemplatio ejus, hic quæſtus ejus, hic ſolicitudo ejus, hic beatitudo ejus, Extra Filium nihil ſe habere noverat, omnia Virgo Mater poſſidebat in Filio, & in omnibus dives erat in illo. Intendite virgines, & reginæ Virginum coaptate mores, omnis veſter ornatus interior Chriſtus exiſtat, & tota jucunditas, & ad ipſum exemplo Virginis Matris inculpatè veſtros mores dirigite, in illo factæ divites, cui corpus & animam dedicaſtis.

Cap. XXV.

Quòd Virgo Mater nuptiis interfuit, & obedire omnes ſuo Filio verbo prædocuit.

IN nuptiis, ac ſi paranympha, ſeu pronuba foret, ſe invenit Virgo Mater, non velut apta convivio, ſed apta myſterio, prænonorans ſua præſentia nuptias, quoniam ex nuptiis nata erat. Non eligens illas ex animo, quia ipſa Mater Virgo. Nec quia tanto dedicata virginitatis decore, videretur abjicere conjungatas, quoniam & pro conjugatis, talis Filius ſibi erat. Cui nihil videbatur indignum, quod de divino proceſſerat Sacramento, & divina providentia conjugium noverat ordinatum, quanquam ex Chriſtianiſmo ſeu ex paganiſmo ſint ordinata conjugia, acſi nec ex gratia, nec ex circumciſione, aut ex præputio conjugia ſunt inſtructa. Solum quod tali Sacramento in individuis propagaretur humanitas, & homini viro ſimile adjutorium eſſet ad prolem, non libertate vagandi & appetendi, ſed debita certitudinis lege, ne ſi eſſet in conjunctione maris & fœminæ voluptas effrænis, multa ſequerentur, ſicut in libro de Chriſtiana juſtitia monſtratum eſt. Nam conjugium non ob hoc inſtitutum eſt, quia Chriſtianitas eſt, neque quia circumciſio, neque quia præputium,

Joan. 2.

putium. Ante hæc omnia, & ante præputii diſcretionem conjugium novimus inſtitutum, quod tam diu percelebre mundo fuit, quouſque cœpit clarere virginitas, cujus ſereniſſima conſervatrix nuptias non abhorruit, cùm inter bona ipſarum, ex ipſis naſcatur virginitas, quæ non ſolùm ex licito coïtu, ſed ex turpi concubitu ipſa utero gravidato deſcendit. Non tamen de concupiſcentia & libidine, quæ regnat in membris, ſed de bono naturæ quod conditor ille creavit. Stabat Virgo in nuptiis, non oblectata convivio, ſed ſociata Filio, cui amore individuo jungebatur, cujus nun ſatiabatur aſpectu, cujus velut illiobilitæ memuriæ verba captabat, & altè conſiderabat, quid illa divinitas humanè operabatur in terris. Et pro magno Sacramento in nuptiis aſſiſtit Filio, in opportuno tempore intercеſſura pro nuptiis, cùm defectus vini, videlicet internæ lætitiæ atque ſupernæ conſolationis adeſſet. Nam deficiente illo materiali vino, Mater ad ſupplendum defectum pia ſecuritate interceſſit ad Filium, id quod minus erat, aut quòd deficiebat enuncians, ut ipſe, qui erat omnipotens, illico quæ voluiſſet facturus, nulla temporis intermiſſa capedine liberaret ab illa opportunitate convivas, ſponſi revelans inopiam, verecundiam propulſans, quibus confundebatur nuptiarum author. Noverat Virgo Mater, omnem creaturam ſubjacere defectui, expugnari ab inopia, debitam non habere lætitiam, turpiſſimis ſubjacere pudoribus, & confundi ex defectu veri boni, dum in perfunctoriis nuptiis lætaretur. Quamobrem interceſſit ad Filium, dicens: *Vinum non habent.* Non faciens ipſum memorem, quia omnia noverat, ſed interpellans locuta eſt, acſi ad eam cura omnium pertineret. Et omnium hominum advocatam ſe ſciens, quæ pro omnibus creatoris cunctorum facta fuerat Virgo Mater, officium advocationis & piæ auxiliatricis aſſumpſit, cùm videret inopiam, quæ nec rogata prævenit, acſi opus non ſit, ipſam precibus excitare, quæ omnem oculum ſuæ pietatis direxit in nos, præſciens indigentiam noſtram, & ſe cunctorum omnium matrem pietatis agnoſcens, ſolicita pro Filiis, irrequiſita etiam ad divinum Filium interceſſit. Non expectat ſedula Mater, & propenſa in Filios, quòd clamoribus excitetur, cùm eos cognoverit ſubjacere defectui, ab amore inhærente fortius urgetur in illorum revelationem intendere.

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

Amplius angit quemplam diligentem internus amor, quàm proſecuta foris infecta. Compellit omnino vehemens amor in occultis exire in publicum, cùm dilectus ſuos habet, aut ſi eum adverſa perturbant, & deducit in officia ſenſus, ut ferant opem ei, quem amor fecit objectum. Hinc Virgo Mater, internè commota, prorumpit in verbum, ut præſtaretur jucunditas hominibus, quos amabat, quos indigere cognoverat. Nihil reboans in auribus corporis ejus, à DEO commoviſſet, ſicut inviſus amor. Si hoc non rogata perfecit, quid rogata perficiet? Si hoc viatrix exiſtens, quid cùm regnat in patria? Si hoc apud Filium morti temporali ſubjectum, quid cùm mortem ſuperavit, carnem immortalem revocavit à tumulo, collocavit in cœlo, paternam ſedet ad dextram, tenens totius & omnis regionis & poteſtatis imperium. Prærogat in terris, quid ſit pro nobis in cœlo factura. Et magna ſibi erat de Filio inſerta fiducia, ut nullis precibus terjectis, patefacta rei carentia, ſe à Filio credebat audiri. Noverat benignitatem ejus amplius ſe velle infundi, quàm ſuſcipi poſſe, ſeu quàm auderent opportuni gratia poſtulare. Sed recompingit Filius verbum Matris non iratus ad eam, aut indignatione factus, ſed docens illam, pariter & aſtantes, ſi quo jure Virgo præſumpſiſſet in eum, dicens: *Quid mihi & tibi mulier? Nondum venit hora mea.* Non appellavit matrem ex carne, qui tantum virtutes in hominibus quærit. Ac ſi dicere voluiſſet, quid tu mihi es, ad condenda miracula? Nihil. Quid à te, in ſupernaturalibus habeo? Nihil. Quid à te ſeorſum à communi natura? Nihil. Quod à te habeo non ſplendet miraculis, ſed ſubjectum opprobriis eſt. Nondum venit hora mea, in qua daturus ſum genen humano lætitiam. Nondum venit hora mea, ut oſtendam quòd Deus ſum. Quæ verba, velut maximi ſacramenti, virgo mater accepit ad ſui documentum, atque cunctorum, & in profunda humilitate degens, interna pace potita, ſciens in certitudine mentis ſuæ, quòd nihil niſi ſanctum & juſtum ex ore filii laberetur. Optima diſcipula filii virgo mater verba, quæ videbantur in conceptu aſtantium reſonare repulſam, in humilitate audivit, pro doctrina recepit, cur hæc diceret, à filio non exigit. Habet hoc proprium mens profectibus anxia, humilitatis orna-

Προσαχὴ, id eſt, oratio quæ ad Deum funditur.

nata decore, ſine contradictione cogitationis, atque verborum ſubjicere animum veritati, etiam ſi videatur noſtris volitis atque ſenſibus adverſari. Proinde, virgo mater ſic leniter increpata majorem fiduciam ſumpſit in filio : Non quia filius carnis erat, ſed quia Deus indeficiens virtus advenerat ad indigentes, ad miniſtros verba convertit : In certitudine facta, quia ſumma bonitas, in neceſſariis non deeſſet. Inquit eis : *Quodcunque dixerit vobis, facite.* Per obedientiam eos præparat ad gratiam capeſſendam. Nihil ſic proprie gratiam Dei meruit atque ſuſcipit, quàm decretis obtemperare divinis. Sine exceptione prænonet virgo mater, ut omne quòd infinita ſapientia præcipit, faciamus. Nihil eſt excipiendum à præceptis dominicis. Irreprehenſibilia quidem ſunt omnia, impoſſibilia nulla. Unde novit ſapientiam filii, virgo quæ genuit, & indigentiam hominum non ignorat, quam niſi per obedientiam revelandam, aliter non decrevit. Lucerna mentium omnium humanarum eſt deifera virgo, quæ per executionem omnium mandatorum nos parat ad filium, ſi calamitates volumus à nobis excludere deprimentes. Et ſua modeſtia nos inſtruit, cùm non diſceptat cum filio : Quales divinorum verborum eſſe debeant auditores. Et præſtat nobis de ſeipſa fiduciam, cùm à ſe mota interceſſit. Dat ſanam doctrinam, cùm obedire prædocuit, dicens : Quodcunque dixerit vobis, facite. Videbitis mirabilia, ſi obtemperabitis huic, qui velut homo in hac menſa recumbit, qui ſuper omnem creaturam, menſam uberem in omnibus altè tenet. Qui humanè ad humanas nuptias invitatus, ſi ejus juſſa complebitis, divinè ad divinas & effabiles nuptias invitabit. Prævia exiſtente matre, ad rogandum pro æternis nuptiis, quæ pro temporalibus non requiſita, etiam interceſſit : Facilior ſpes erigitur, in ſuperna poſſe conſcendere ad nuptias veri & immaculati agni, qui pro nobis per virginem in iſta inferiora deſcendit.

Nec ob aliud filii æterni temporaliter facta eſt virgo mater, per quam ejus & nos ſumus fratres, niſi ut interpellet beatum filium pro fratribus ejus miſeris, æternè ſtantem pro caducis, juſtum pro iniquis, Deum pro hominibus, verum filium pro filiis adoptatis.

Cap. XXVI.

Quòd Virgo Mater filii requirebat præſentiam, cujus non ferebat abſentiam.

ALtè diligens dilecti ægrè abſentiam ſuſtinet, & percunctatur teparare præſentiam, cùm in iſta quietem, in illa turbationem experimento præſenſerit. Et infirmitas eſt, patienter ſe habere in abſentia optimorum : Virtus autem, requiſiſſe propenſius. Hinc Virgo Mater, filii requirebat præſentiam, damnum nimium rata, ſi diu pateretur, ſine quo bene eſſe non poterat. Quòd Evangeliſta refert, denunciatum eſſe ſalvatori : *Ecce Mater tua & fratres tui foris ſtant, quærentes loqui tibi.* Matth. 12. Nemini, niſi filio Virginis amor inhæſerat, nihil autem amare didicerat, quam virtutem. Nec Spiritus Sanctus, in illam ſua operatione deſcendens, aliquem terrenum amorem abegit ex ea. Neſcit viles amores inducere. Nec erat humanis amoribus apta, quam Spiritus Sanctus amoribus divinis aptaverat. Sola ſolum diligere, quem divinè concepérat atque genuerat, alio non vinculabatur amore, unici ejus dilectione contenta. Præter quem amare neſciebat, privari nolens ad modicum, quin requireret filium, ſemper alloquius inſatiata manens. Miſer eſt animus hominum, ineptis amoribus deditus, quos & conſuetudine ſæpe requirit, & difficulter divellitur hujuſcemodi colligatus. Nulla vincula corpora magis nectunt, quàm animi primitivi amores, ſive honeſti ſive inhoneſti exiſtant, à quibus ſolvi habet mortis imaginem, in his, quæ honeſtate carent, & turpitudinem habet : Quos velut deceptas aves laqueus, ſic illos amoris hamus invaſit, à quo rarò quis ſolvitur, niſi amplioris dilectionis vehementia, ſive humana ſive divina dilectio illa conſtiterit. In his verò, qui Chriſti charitate nectuntur, ſi palmaris fuerit, neque blandimenta, neque tormenta, neque ſi qua ſunt quæ habent aſperum ſenſum,

ſum, dulces ejus nexus ſolvere potuerunt. Et ipſa terribilis mors, potius quàm à Chriſto, à corpore animam ſeparavit. Hinc Apoſtolus ad Romanos ait: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Et cùm multa enumeraſſet, nihil quod ſeparare poſſet, invenit. Quàm bonum, ut à primævo anima, primitias honeſti amoris depaſcat, illo ſe imbuat, cum illo pariter coaleſcat, ut ex uſu amor juſtus, in naturæ potentiam tranſeat. Quo aſſolita Virgo, ab aliis actionibus vacans, jura honeſtiſſimæ dilectionis exequitur: Equirens juſtè dilectum, non tamen, quia ſuus filius erat ex carne quàm quia Dei erat ex deitate. Talis uniuſcujusque amor, quale amoris objectum. Divinum erat, in quod amor Virginis ferebatur: Pura in purum, munda in mundum, caſta in caſtum, Virgo in virginem, humilis in humilem, prudens in ſapientiam, paupercula in pauperem, virtuoſa in virtutem ignitis amoribus agebatur. Et operibus oſtendebat, quibus interius ignibus æſtuabat, à quibus ſuccenſa, motibus corporis prodibat in publicum, quæ conſueverat ſemper tenere ſecretum, nihil reprehenſione arbitrans dignum in requirendo virtutem. Fiat interdum in exteriora proceſſus, ſi quàm domi utilitas potior, ſi neceſſitas exigit, ſi charitas vera compellit, ſi fructuoſior poteſt eſſe perventio ad requirendum Chriſtum. Non tempus, non locus, non natura, non generoſitas, non ætas, non ſexus, non religio poteſt eſſe pudori. Honeſtus eſt ille diſcurſus, qui debitum pervenit in finem: Nam finis omnium Chriſtus, ad quem omnis religioſa feſtinat intentio. Non verebatur Chriſtifera & Chriſticola Virgo Chriſtum expectare præ foribus, & inter multitudinem diſciplinabilem exhibere formam, una ſuper cæteros, æquanimiter tamen auditura Chriſtum cum cæteris aſſiſtebat, & inter auditores humiles, ipſa in humilitate proclivior, nec auſa in filium, ut eum authoritate materna depoſceret, ſed profundè ſubdita, ſilenter ſtabat ad verbum, cedens doctrinæ publicæ, pro publica utilitate, potius, quàm vellet ſibi filium reducere in privatum. Non violavit divinam doctrinam, quam ipſa toto hauſtu pectoris dulciſonè capiebat, potius abſtrahebatur in verbis ad ſanitatem verberantibus animos, quorum doctorem ſupra naturam ipſa genuerat. Nec ipſa dixit, quòd ille Judæus protulit, qui ei loqui vellet, ſed aut Chriſtum increpare ſatagens, qui ex paupercula natus eſſet, etiam alta docens, aut humanè diſcretus ad matrem, autumans ipſam aſſiſtere præ foribus præſtolantem, ut filio loqueretur. Sed ipſe aut dolos advertens, aut altè decernens, maternitatem Spiritus carni perpoſuit. Non autem dedignata mater in hoc judicio, quaſi ſe denegatam agnoſcens, ſeu poſtpoſitam matrem carnis, ei matri, quæ per divinum Spiritum efficitur: Quinimo altius verba Chriſti intelligens, ſe cognovit duplicem matrem, carnis videlicet, quia verè ſic erat, & Spiritus ſuper omnes animas, quoniam amplius Dei voluntatem ipſa perfecerat, quæ plenè perfecta, juxta ſententiam ſalvatoris, eam animam, quæ fecerit, efficit Chriſti matrem. In qua maternitate perfectius Virgo profecit, quàm in illa, quæ ſolùm eſt carnis, magisque in illa grata facta filio, quàm in illa, per quam ipſum geſtavit in alvo, natum nutrivit in gremio, poſuit in cunabulo.

Cap. XXVII.

Quòd Virgo fuit Filii conſocia paſſioni, & compaſſivè & contemplativè aſtitit cruci.

Sillet de Virgine alma Evangelicus textus, quouſque ad aſſiſtentiam crucis: quamvis piè credatur, velut diſcipula Filii prima, inter, primam illam diſcipulorum & diſcipularum modicam turbam ſemper magiſtro filio aſtitiſſe, converſantemque cum eo, prout decebat cum Dei incarnato filio converſari, poſtpoſita omni authoritate materna, tacitè ſub eo degens, admirans & laudans mirabiles actiones ejus: Non inquirens cauſam actionum ejus, indubitata fide ad eum eniſtens, quod omnia divinè atque inculpatè, voluntate non coactione, noſtra non ſua re, in aſſumpta humanitate faciebat. Nullum ſibi ad

eum auſum vendicabat, quia in carne filius, ſed profundè reverebatur, quia in humana natura Deus: Et optimè noverat jura humani ſeminis, quibus ipſum, nec ipſa conceperat: Et jura virtutis altiſſimi, qua in alvo geſtaverat, incorrupta enixa fuerat. Quamobrem divina jura, mente adorabat, nihil ex his vendicabat in proprium, ſicut corrupta mater quandam authoritatem habet in filium, quia ſemina corrupta ſuſcepit, quia graveſcuit, quia pondera ſenſit, quia elanguit, quia cum dolore parturivit, quia moleſtiam plurimam tulit; velut moleſtum lactans, quia ſomnos perdidit ad improbos clamores parvuli, quia vigilias multas exercuit, excubans ne læderetur ad cunas. Iſta & ſimilia pro Filio non ſenſerat Virgo Mater, quem ſciebat eſſe Dei filium: Etſi incarnatum, tamen divinitus Angelicis & ſpiritibus cuſtoditum. Verè protinus Mater erat, ſed lege altiore illuſtrior, ad quam quicquid eſt naturæ, quicquid eſt humanæ potentiæ, quicquid inviſibilis virtutis atque viſibilis, non potuiſſet, attingere, niſi ſe divinitas inclinaſſet. Huic ſubditur Virgo Mater, nihil ſibi approprians ex carne de Filio, in nullo audens in eum, niſi quòd ante conceptum & partum, & poſt partum ſibi ancilla ſubſiſtat, ut hæc duntaxat ſit ſua virtus, ſit ejus gloriatio in filio, ſit poteſtas, hæc ſibi ſint jura materna. Id unde grata facta Deo, Mater facta filio. Attamen, quanquam Virginis geſta cum filio, ſilentio multa prætereant magnorum morum, magnique myſterii ſunt credenda, quia uſque ad expirationem filii pendentis in cruce, ſubdita doctrinæ, conformis verbis, dedita moribus, tandem conſocia paſſioni, quam Chriſtus in cruce pendens, ipſam Virginem, cuidam Virgini diſcipulo comendavit, indicendo novam filiationem atque maternitatem, non alternando naturam, ſed præferendo gratiam, cujus nova proceſſio agebatur ſub cruce. Sic quippe cui commendatio facta eſt, Evangeliſta deſcribit: Stabant autem juxta crucem JESU, Mater ejus, &c. Comitata fuerat Filium Virgo Mater, & tota facta erat conſocia paſſionis, alta mente contractans eas, quibus ſe ſubjecerat Filius paſſiones, plus ſpiritu indiviſa, quàm corpore. Illa, ſcilicet hora, ſe comitem tremebundam, nimiumque dolentem, ſe cum illa turba occidentali, quæ vocibus Chriſtum morti adjudicaverat, tradidit, ſicut decuit moderamina Spiritus Sancti: quanquam in illa turba eſſet quædam mulierum naturalis humanitas, ex qua compaſſione quadam animo fodiebantur, in conſideratione juſti & adjudicari juvenis, curantis infirmos earum, & inſtruentis animos imperitos, neminemque lædentis. Necnon & illa ſententia ſuſpecta ferè omnibus erat, cùm illorum invidia in cauſa fuerit, non Chriſti culpa. Et conſpicabantur Virginem, ſed ut honeſtam, modeſtam, pauperculamque Matrem, non fultam cognatorum auxilio, ſed unico mirabili Pilati ſententia jam privatam. Et profundis agitata doloribus cunctis, id quòd erat incognita, cum triſtibus triſtior, & cum lætis privata lætitia, ſequebatur aſpiciens crudele ſpectaculum, erudelius & ſpectura, affectiori animo intendens in hunc innocentem & juſtum, quia DEI Filius, cùm ſciret ex luce fidei, quòd nec patiebatur, nec erat paſſura Deitas paſſiones, nec ſubitura mortem. Et illa ſocietate, partim honeſta, partimque funeſta, in nullo juſta, incedens ſuper oculis cordis & corporis, intendens in Filium, pervenit ad locum ſupplicii deſtinatum, intuitura ſeveritatem ſuper illam carnem, quàm ex Spiritu Sancto genuerat. Multa contemplabilia fidelibus conſiderationibus objiciuntur, ſi mens fidelium niteretur piè perquirere, quid ex tanto cruore Filii ageretur in Matre. Vidit namque affigi patibulo, & ſuper clavos audivit valide malleari, & poſt erectum patibulum, mœſta & flebilis aſtabat ipſa cruci. Hic evangeliſta conſocius, verba reſumit, de cruciformitate Virginis, dicens: Stabat autem juxta crucem JESU, Mater ejus. Ad quid Mater JESU, juxta crucem ejus? Inſolitus mulieribus mos, quòd filiorum ſequantur corpora damnatorum, quamvis ipſis aſſiſtant ſedulò, ſi in domibus & lectis propriis moriantur. Vitant humanæ matres videre crudelia exitia filiorum, & atrocem ab atrocibus illatam mortem aſpicere repudiant, & ferè ſuſtinere poſſunt, ipſos inter manus proprias animas exhalare. Si erat in hac Matre crudelitas, aberat ab ipſa materna compaſſio, non aderat humanitas. Quæ mentis fortitudo? Quæ animi virtus? Quæ interna conſtantia? Quid iſta ſtatio juxta crucem? Quæ mater ſecuta filium, ad truncationem capitis, mutilationem membrorum, ad effuſionem oculorum, ad incendium

Joan. 19.

ad ſi

ad ſi qua crudeliter per aſperum ſenſum, & tenerum ſenſum, juſtè vel injuſtè hominibus à potentioribus judiciaria, ſeu authoritate tyrannica inferuntur? Karam vel nullam dixerim. Et hæc Virgo Mater, videre Filii ſupplicia non veretur, quibus nec ſeipſam potuiſſet avertere, usqúe ad crucem Filium profecuta. Intonabant auribus ejus malleri ferientes, confodientes clavos immaculatam carnem, & virgineum tenerumqúe cor ejus altè percutiebant. Et clamorem intercelſionis ejus, quo pro crucifigentibus interpellebat ad Patrem, ſuſpenſo animo audiebat, admirans crudelitatem & incomprehenſibilem benignitatem Filii patientis. Sortionem veſtimentorum ejus, & ſortem deſuper miſſam, ipſa conſpexit, contemplans quid ageretur, præautumans quid futurum. Sed magis intenta Chriſti paſſionibus, ex earum confixa doloribus, nihili pendebat & veſtes: nec aliquid de Filii rebus repetebat in ſortem, ad ſuam ſuſtentandam pauperiem, more matrum bona repetentium Filiorum. Aſpiciebat in Filium impendentem pro hominibus vitam, multò magis & veſtes, quæ ad futura ſignanda myſteria ſunt diviſa, & inconſutilis magnæ fidei & charitatis, pro integritatis myſterio, indiviſa ex ſorte venit in ſortem. Non ſtabat Virgo Mater otioſa intelligentia, ſed contemplatione altiſſima juxta crucem, doloris confodienda gladio, ex præacto Simeonis vaticinio, per mortem atrocem, & mirabatur compatiens, & compatiebatur admirans in Filium DEI & ſuum, decreta paterna tam ſævè in Illa carne per miniſtros mortis impenſa. Et lætabatur dolens, & lætabunda dolebat, quòd offerebatur ſacrificium veſpertinum in redemptionem omnium nationum, quo placabatur iratus, quia non pecuris, ſed juſti ſanguinis immolabatur innoxius, & pretium ſolvebatur in illo ligno divinum, quo genus liberabatur humanum. Alteqùe dolebat, contemplans cruciatum & crucem, quod de carne ipſius erat redemptio omnium. Ad cumulum doloris vergebat, quod de carne, quam ipſa contulerat Filio humani generis liberatio per mortem & ſanguinem procedebat. Et poſt illas dignationes. Unde proxima cruci ſtabat, non amore arbotis, ſed dilectione pendentis, velut prima diſcipula hujus hominis cruciati, & magiſtra ſequentium, ut ſtent juxta crucem, ex qua ſalus animarum, & peccatorum occaſus, & inferni clauſura, & apertio cœli, non juxta mundi delicias, & delectantia ſenſum, quæ ſubvertunt mentes mortalium, & à Chriſto avertunt, & tandem ad inferna demergunt. Cruci debet aſſiſtere omnis vita mortalium, poſtquam finivit per crucem immortalis, pro nobis factus mortalis, non ut maneret mortalis, ſed ut mortalis fieret immortalis. Et commorari eum Virgine juxta crucem in altitudine contemplationis, ipſa charitas ducet, ſuadet veritas, neceſſitas omnino compellit. Rependenda gratitudo nos trahit, ut contemplemur, quantæ dignitatis homo extiterit, qui DEUM imitari potuit, talibus inimicitiis non ſulvendis, niſi per crucem intereuntem. Quantum Deo peccatum diſplicuit, quàm magni ponderis fuerit, ut pro illo, per DEI Filium deveniretur ad crucem. Quàm homo fuerit dilectus, ut requireretur per crucem. Quæ dignatio, quæ humilitas, quæ charitas ineffabilis, ut voluntariè DEI Filius in carne, pro nobis pateretur crucem? Et quòd omnis alius moriendi modus deviratus eſt, cùm multi eſſent, duntaxat voluit ſubire crucem. Quæ lex, quæ juſtitia, juſtum pro injuſto, ſanctum pro iniquo judicavit ad crucem? Stat juxta crucem Virgo Chriſti Mater: quia Eva juxta vetitam arborem ſtetit, non verita pœnas futuras, ſi tangeret. Illa verò intuita poſteriores glorias, ſi quispiam in illam aſcenderet, contemplatur, & nos cum illa. Quidſibi vult tale ſignum in fine appoſitum Evangelio ſancto Chriſti, niſi quòd Evangelica doctrina hoc docet, ut vita ſequentium Chriſtum agatur in cruce: terminetur in cruce, decidente delectantis ſenſum, propter ſuperna excedentia ſenſum. Intuebatur animo, quomodo ſupernaturali ordine, Chriſtianis de cruce pœnali delectatio naſcitur, de opprobrio ejus honor immenſus, & de cruce tantùm necativa corpus, corporis & animæ vita vitalis exoritur. Vicinabatur Virgo arbori decore fructus ejus, qui non naturali ordine, ſed ſuperna virtute in illa erat inſertus. Stabat juxta crucem, cum qua & nos pariter aſſiſtamus. Adhuc enim in virtute ſtat, quanquam illud lignum, ex Monte Calvariæ ſit defixum, quæ licet pœnæ vocabulum teneat, necnon hominem exteriorem conturbat, & ſæpè interimat, piè tamen tolerata delet culpam, gratiam auget, paratqúe amatoribus ſuis gloriam tortura ejus. Sed nec ob hoc diligendam, quia torquet & necat,

cat, cùm nec ex natura ſeu lege aliqua ſit indictum, ut tortores & tortorum inſtrumenta quærantur, ut torqueant, ſed ut injecta patienter tolerentur, quia ſi pro pietate, ſupernam gloriam parant. Stemus juxta crucem, velut juxta apothecam aromatum, ex qua, vulneribus noſtris vera medicina defluxit. Et velut juxta lucem, qua fulgente in mentibus hominum, nunquam ambulatur in tenebris. Velut juxta fontem, in qno abluti ſumus, quo inundante potamur. Velut ſub umbra, ſub qua requieſcere poteſt malis ardoribus æſtuatus. Stemus juxta crucem, corpore ſimiliter & mente, imo magis mente quàm corpore. Solus quidem Chriſtus ſtetit in cruce, ſed Deiformiter, intacta Deitate, & anima imperturbata circa lædentes, & ſine delicto & peccato: non viator ſolùm, ſed comprehenſor exiſtens: non ſpe præmii, ut mercede promiſſa pateretur, ſed quia hominum creatorum ſupernaturaliter erat amator, ut moriendo, vitam mortuis omnino tribueret. Virgo, & eccleſia orthodoxa ſtare noſcitur, non in cruce, ſed juxta crucem: & ſuas pœnas, cruciatus & merita illi approximat in ea fide, qua reformamur ad gratiam, & pro Chriſto animamur ad pœnas. Stat juxta crucem altigena Virgo Mater, ad intuendum unde fecit exortum, nam ex duobus lignis, uno contempto, ſcilicet vitali, altero, ſcilicet ſcibili, contra inhibitionem tacto, ipſa velut ex duabus amaris radicibus prodiit. Nec alia genimina fecere crucem, in qua Chriſtus pœnaliter & divinè ſtetit, juxta quam Virgo Mater ſtetit, niſi negligere debitum, & operari prohibitum. Nec non, ut juxta virtutis exercendæ imaginem, ipſa ſtetit. Quadrifaria enim virtus, & comprehenſio optimi in illa conſiſtit, ſublimitatis, longitudinis, latitudinis & profundi: quæ dimenſiones, dum indagatæ comprehenduntur, juxta crucis virtutem non otioſè conſiſtitur, prolixæ diſſertionis exiſtentes, inexquiſitæ prætereunt. Igitur facta per omnia Chriſtiformis & cruciformis, ſtat diligens & diligenter juxta crucem, auditura loquentem Filium, verba doctrinæ atque gratiæ ſeptiformis, & novam gratiæ filiationem, dum audit: Mulier, non Mater, ecce filius tuus, & velut alteri aſſignata: Ecce mater tua: Et hinc, de Virgine Scriptura Sacra filet: quanquam multa deduci poſſent in piam narrationem usque quòd expectabat, cum cæteris Apoſtolis Spiritum Sanctum quo plena jam erat, qui in eam iterum ſupervenerat, qui eam ſolam divinis myſteriis aptaverat, ab humanis ineptans, ipſam ſuper Angelos cœlo parans.

LIBER

LIBER III.

De Parentibus, Ortu, atque progreſſu Præcurſoris.

Cap. I.

De Nativitate, Prædicatione, ac Baptiſmo Joannis.

1. *FUIT in diebus Herodis regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia. Et uxor ejus de filiabus Aaron, & nomen illius Eliſabeth. Erant autem juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini, ſine querela.* Ut ad Chriſtum, & ad geſta ejus, & verba veniatur, prout à Spiritu ſancto acceperunt Evangeliſtæ, narrationis ordinem prætulerunt. Et quoniam Sanctus Sanctorum ipſe Chriſtus qui venerat, præco Sanctus præmittendus erat, non ſolùm laudabilis propria, ſed etiam ſanctitate parentum, qui nec etiam origine incognitus eſſe debebat, illum annunciaturus, qui omnia novit, quem nihil latet, qui omnibus volentibus venerat ſui dare notitiam. Quamobrem Lucas incipit à fama parentum Domini præcurſoris, notans illos per tempora terreni regis maximè gentilis, quia jam Judæa regibus proprii generis privata erat. Et chronica incipienda fuit ſub illis regibus de geſtis Domini Salvatoris, ejuſque præcurſoris, quorum facta inter gentiles Romanorum decreto in libris annalibus magno ſtudio ſcribebantur, ut certiſſima geſtorum memoria ex tempore præfinito poſteris traderetur. Et quædam prærogabatur congruitas, ut Evangelium prædicandum ocyus à gentilibus reciperetur, quorum regnantibus regibus illa incarnati verbi condebatur hiſtoria, & illuceſcebat ſuperna doctrina. Fuit igitur Zacharias Sacerdos juſtus ex nomine, juſtus ex officio, juſtus ex vice familiæ, de qua erat, quorum interpretatio nominum congruit myſterio præcurſoris. Sed nec ex uno parente duntaxat præcurſor tanti regis commendandus erat, niſi & adderetur alterius fama notabilis, nam & uxor Sacerdotis, præcurſorisq; mater de proximo aſſutura, erat de filiabus Aaron, cujus nomen etiam ipſam extollebat, quæ Eliſabeth vocabatur. Bene incœpta progenies præcurſori cedebat in famam, magis verò moralis vita parentum, quoniam erant juſti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela. Bonitas parentum præcurſorem attollebat laudibus naſciturum, ſed ipſis tantùm retorquebatur in præmium. Non enim quorumcunque ſanctitas in alios ad meritum gloriæ transfunditur, niſi duntaxat ſanctitas Chriſti, quæ meritum eſt omnium, ſine qua enam nil meretur ſanctitas ſingulorum. Siquidem ambo juſti erant, non ut unius ab alterius progrederetur juſtitia, nec quod alter ad alterum juſtitiæ cauſa eſſet, quamvis unus alteri ad juſtitiam poſſit præſtare juvamen: ſed ipſi mutua voluntate in illa convenerant, facti ſancta conventione concordes, ut neuter vellet quod ad bonitatem alterum impediret, uterque alteri præſtaret quod virtutis poſſet eſſe compendium. Hæc eſt enim omnium vera ſocietas veráque ſodalium amicitia, & optima converſatio cæterorum, ut in juſtitia illa ſectanda conveniant, qua reciſa de medio, turpis eſt omnis converſatio hominum, fœda eſt dilectio animorum & amicorum amicitia in damnationem venit. Ipſa enim eſt quæ reprehenſione caret. Sed neque bonum eſſet, ſi ſolùm otiis hominum deſeruirent, niſi ante Deum incedant in placito ſancto ſuo, qui ejus ſplendoribus veſtiuntur. Proinde ſubſequitur: *Ante Deum incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus ſine querela.* Ecce totum quod habet perfecta juſtitia, ecce in quo verſatur juſta hominum vita, hic præfigitur, hic eſt inceſſus ejus. Viæ cæteræ ſunt diſtortæ, cuncti ad inferos inceſſus hominum penetrant, niſi per juſtitiam Divina mandata ſerventur, niſi ante Deum ſuo placito, non huma-

humano in mandatis omnibus incedatur. Unum enim aut plura ſervaſſe non ſufficit, ſi cætera vel minimùm negligantur: quoniam qui in uno offenderit, factus eſt omnium reus, & exceptionem aliquam Divina mandata non ſuſtinent. Addebatur autem, quod in omnibus juſtificationibus dirigebantur. Juſtificationes Domini ſunt omnia, quæ à delictis retrahunt virtutibusque coaptant, in quibus rectè converſantem oportet incedere. His porro mandatis, talibúsque juſtificationibus agebatur
Pſalm. 118. David, cùm ſæpe dicebat: In mandatis tuis exercebor, & conſiderabo vias tuas. In juſtificationibus tuis meditabor, non obliviſcar ſermones tuos. Optimum exercitium Domini mandatorum viasque conſiderare divinas, quæ protinus ad nos ſunt miſericordia & ventas. Infinita protinus eſt conſideratio viarum Dei, nullaque contemplatio mortalibus aptior, quàm mente in ipſis intendere, cùm miſericordia hominem retinet ne labatur, revocatque labentem, erigit ſpe lapſum, qua omne aſpexit genus humanum, qua deductus ipſe plaſmator ad plaſma, qua qui erat immortalis ſe mortalitate veſtivit, & in veritate fieri ſpeculatorem, cultus eſt deitatis. Etenim ipſa docet, dirigit, conducit & introducit in potiora, quàm à quibus eſt excluſus Adam, quia omnis homo mendax, niſi ex Divina voluntate fiat per omnia verax. Et unicuique ſua mentitur iniquitas, niſi Divina veritas illam excludat, qua pro nobis in ſoribus aſſiſtente judicii, non eſt unde cauſetur adversùs animam noſtram, quæ omnino in obſcura loca detrudit, cum ſibi repererit adverſantem. Quamobrem
Pſalm. 100. alio loco David ipſe prædixerat: Miſericordiam & judicium cantabo tibi Domine. In juſtificationibus verò Domini meditari ſe dicebat Pſalmiſta, in quibus hi juſti conjuges incedebant, in quibus omnis humanæ mentis actio eſt ducenda: quoniam in omnibus fruſtratur ſtudium mentium humanarum, præterquam cùm juſtificationes Domini meditantur. Hoc enim omnis ſedulò meditando agat, ut juſtificatus exiſtat. Vera ſui cognitio, & debita confeſſio peccatorum, & cum intenſione interni pectoris Deum invocando propitium: indignum omnino ſe reputare cœleſtibus, neque præſumptè appropinquare Divinis, ſed humiliter: non deſperatè longè fieri ab eisdem, obice inſpecto peccati, juſtificatum hominem facit. His enim regulationibus, publicanus Evangelicus à phariſæo juſtificatus deſcendit in ſuæ conſcientiæ atque Eccleſiæ ſanctæ domum. His meditationibus actus, ſermonum Domini non fiat immemor: etenim & ipſi juſtificant & mundant, Salvatore dicente: Vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis. Joann. 15. In ipſis ſiquidem conſiſtit juſtificatio animarum: in his, præcurſoris genitores eorum Domino incedebant, ut etiam nulla in eorum operibus poſſet eſſe querela. Optima quæque virtus, ſive hominum vita, eùm ſic graditur coram Deo, ut etiam hominibus non paret materiam querendi, & ſic ſe continet infra temperantiæ gremium, ut nihil unde jure calumniam patiatur, efficiat, quamvis injuſtè poſſint facta quæque bona hominem à malè judicantibus reprehendi. Sed nec rimenda eſt injuſta querela, unde querelæ juſtæ non præſtatur occaſio. *Sed his duobus ſic juſtis non erat Filius,* Lucæ 1. *eo quod eſſet Eliſabeth ſterilis, & ambo proceſſiſſent in diebus ſuis.* Poturſiet eſſe ante Filius Zachariæ, ſi ei uxor fœcunda, non ſterilis aſtitiſſet, quoniam non ipſe, ſed uxor de ſterilitate cauſatur. Nam animus hominis ſemper aptus eſſet fructus educere, niſi caro ſterilis repugnaret. Sed proceſſerant ambo jam in diebus ſuis, & unus propter ſterilitatem & præmortuam ſenectutem, aliter ob ſenectutem Filiis privarentur. Ecce, uni ætas & ſterilitas, alteri tantùm in eauſa noſcitur ætas, quod ſæpe in moribus hominum agitur, ut qui ſterili vitæ in juventute ſe ſociat, niſi ſpeciali munere gratiæ, bonum non poſſit agere cùm ſeneſcit. Sed *factum eſt in altero iſtorum bonorum, cum Sacerdotio ſungeretur Zacharias in ordine vicis ſuæ ante Deum, ſecundum conſuetudinem Sacerdotii ſorte exiit ut incenſum poneret, ingreſſus in templum Domini*, & *omnis multitudo populi erat orans foras.* Sacerdotio ſungebatur Zacharias, quia Sacerdotium veteris teſtamenti erat, neque uſque in finem ſæculi duraturum, ante finem debitum poſt ſæculum accepturum. Hoc tamen erat bonum diſponens ad melius, quod ſecunùdm ordinem agebatur. Nam qui ordinem omiſit in rebus, optatum ſibi finem ademit: ſervatus autem, ordinatos in menſa refectionis diſcumbere fecit. Non invertendus eſt ordo, ſed exercendum eſt myſterium, etiam miniſterium, cùm in ſua vice, ordine diſponente, unumquemque contingit. Ante Deum Sacerdotium eſt in ordine miniſtrandum, non enim flamines papaganorum ante Deum verum, ſed ante Deos quos finxerant miniſtrabant. Et quicunque ex ſacerdotio humana fulcimenta conquirit, ante Deum ſuo ſacerdotio non fungitur, ſed ante id quod ex illo affectu ſectatur. Væ! qui ante homines & propter lucra ſectanda, non ante Deum, ſacerdotio fungitur: utilius porro eſſet ligonibus, quàm ſacerdotio captare ſtipendia.

dia. Inretroverſo aſpectu & inobliquato penitus ad mercedes ſacris oportet inſiſtere : quamvis altaribus fideliter ſervientes juſtè conſequi poſſint neceſſariam vitæ ſtipem. Ante Deum & propter Deum, ut ipſe ſacerdotalis myſterii præmium fiat, & hujuſcemodi etiam & cuncta ſunt exercenda myſteria. *Secundum conſuetudinem Sacerdotii ſorte exiit, ut incenſum poneret.* Traditio erat hominum ex antiqua conſuetudine introducta, ut ſorte ſacerdos thurificaret pro populo : ſed ſubmittuntur electiones & humana judicia, cum in agendis ſortes obveniunt, quarum, quæ ſit approbatio in conſpectu altiſſimi, diffinire non poſſumus. *Et Zacharia ingrediente templum, multitudo populi foris erat.* Non enim vulgaribus pandenda ſunt ſecreta myſteria, & imperitia vulgaris à notitia occultorum excluditur ut amplius vereatur, quæ minùs agnovit, & ne Divina vileſcant apud indoctos. Audiant moralia populi, extraque maneant : ſcripturarum ſecreta rimentur ſedulò Sacerdotes, plura & ſpeculabilia oportet ſcire docentem, quam populum audientem. Hoc tamen populus addat, ut juvet orationibus ſacerdotem, auxilietur precibus prædicantem. Non eſt populi conficere ſacramenta, neque cognoſcere, ſed credere quæ aguntur. Non eſt ex authoritate, ſed ex participio accedere ad altare, neque ipſorum eſt ſcripturarum inquirere altiſſimos intellectus. Orent duntaxat, & jungant orationes eorum precibus ſacerdotum, & preces doctrinalibus addant. Et dum hora eſt acceptabilis incenſi, populus non diſcurrat, ſed oret, extra videlicet illud, quod apprehendere nequit : non tamen expedit in Eccleſiæ novitate ſecludi corpore ab ædibus ubi Divina myſteria celebrantur, ſed in hoc tantùm extra fieri, ne in eis, plus Deo decernente præſumat. Oret ſiquidem corde, veneretur corpore, lingua laudet. Cùm autem Zacharias ageret quod ſibi ex officio competebat, & ex ſorte provenerat & populus ſuo modo clamaret orationibus in auribus Domini Sabaoth, hora incenſi. *Apparuit enim ei Angelus Domini ſtans à dextris altaris incenſi. Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum.* Hora incenſi appsruit Angelus, & cum extra populus moraretur in laudibus, ut oſtenderet omnipotens, fiduciamque præſtaret, quia orationem humilem non reſpuit Sacerdotum, ſed acceptat etiam preces populorum : maximè autem cum utrorumque in juſtis petitionibus & in humili Spiritu facta eſt connexio. Forma verò apparitionis talis fuit, qualem decebat eum, qui alloqui venerat ſacerdotem, qualemq; ſacerdos tolerare potuiſſet. Ecce prima ſupernorum ſpirituum apparitio, quæ noſtræ ſalutis intravit exordium, ex qua, ſupra ſperatum, exauditum ſe Zacharias agnovit, & populus ultra petitum conſequi poterat libertatem. A dextris apparuit altaris incenſi, quoniam omnia erant in meliora mutanda, & à dexteris ponendi omnes credentes ea, quæ ipſe nunciaturus advenerat. Stabat ſiquidem à dextris, non diſcurrebat, quoniam futurum ſacerdotium non erat amplius nutabundum, & ſtabilitas firma donanda erat his, qui de leva in dexteram vocabuntur. Sed Zacharias ex repentina viſione turbatur, quoniam turbandum erat Sacerdotium & omne miniſterium Judæorum, illuceſcente Chriſtiana veritate, quam ex ſcriptura ſic repente advenire non noverat, neque cognoſcebat, quia eſſent omnia tanta novitate donanda. Ac etiam ſenſu alio turbabatur, quoniam ad inſolita & quæ ſupra ipſam ſunt, cum repente provenerint, ſubitò expaveſcit humanitas, neque Zacharias his viſionibus aſſuetus erat. Semper corda & ſenſus hominum quouſque intelligant ſuperna, novitate terrentur. Propter quod cùm vidiſſet Zacharias, timor irruit ſuper eum. Præſagium enim erat, quonium omnes terruit, & ſuper omnem orbem timor magnus incubuit, cùm magni conſilii Angelus apparuit. Sed nec culpabilis hujuſcemodi timor fuit, aut de pœna peccati, cum ordo præeminentiæ inſitus creaturis expoſcat, ut minor à potiori, cùm ſubitò & improviſè aderit, terreatur. Nec non inculpabiliter agitur, cum ipſa natura ſecum ferat, unde ab inſolitis expaveſcat. Bonorum tamen ſpirituum, cùm ad ſolamen apparuerint, ſemper proprium eſt confortare paventes, ſed contraria omnino eſt conditio adverſorum. Proinde *dicit ad illum Angelus : Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & uxor tua pariet tibi Filium, & vocabis nomen ejus Joannem.* Mirum prorſus, quoniam Zacharias pro Filio illo tunc non fuerat deprecatus, cùm jam deſperaſſet pro ſterilitate uxoris, ac etiam ex utriusque aſſiſtentia ſenectutis, cùm Angelus in pariendo Filio nunciat exauditum. Salutem quidem ſuam & populi tunc ſciſcitabatur à Domino, pro peccatis propriis & populi incenſa porrexerat : quid eſt, quia in Filio ejus deprecatio exaudita perhibetur ? Sed ne hæſitatio corda conturbet, quoniam fideles ad utilitatem exaudiuntur potius, quàm ad votum, & aliter quàm petatur Divina Providentia, petentibus præſtat auxilium, ut cùm ſacerdos & populus poſtularent à Domino libertatem, hanc orationem de Cœlo exaudivit altiſſimus, & per Angelum precem nun-

ciavit admiſſam, eo videlicet ordine, quod præco primo naſciturus erat, non in quo populi ſalus eſſet, non qui libertaturus, non in quo ponenda eſſet hominum ſpes, ſed qui præcederet prædicando, clamando neceſſario venturum illius & omnium ſalvatorem. Sed præcurſori nomen non homo, ſed cœlica virtus impoſuit: cùm dixit: Et vocabis nomen ejus Joannem. Congruum enim erat, ut nomen à cœleſtibus ſumeret, qui ad tanta myſteria parabatur: nec omne nomen, ſed gratiæ, quæ ſola Chriſto deſuper venienti animos præparat, & tali receptui, quantùm fas noſcitur, dignos facit. Et ſubintulit Angelus quid conferret juſti ortus. *Et erit tibi gaudium & exultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt.* Patri promittitur gaudere in filio, quoniam gloria eſt Patris Filius ſapiens, magis autem filius virtutibus fulgens. Sed nec commune bonum unius dundaxat debet eſſe lætitia, ſed etiam plurimorum. Et tanto bonum melius, quanto diffuſius: & tanto minoratur, quanto ad privatum redigitur. Unde multi in nativitate ejus gaudebunt. Gaudium & exultatio parentibus in ejus origine parabatur gaudium multis ejus nativitas fuerat allatura. Nil enim hominibus tam deberet eſſe ad gaudium, quam cum ex voluntate, aut ex carne, uxorio jure, in virtute ſubjecta gratiam pariant, & quod ex eis fructus egrediatur acceptus, maximè cum vitæ hujus appropinquat occaſus. Sed nemo à Deo mittitur ad unius tantùm auxilium ſive gaudium, quin etiam ex eo efficiat, quòd bonum poſſit eſſe multorum. Gaviſuri ſiquidem multi erant in nativitate ejus, non ex eo, quia naſciturus erat, ſed in his, propter quæ miſſus fuerat. Sic enim alius Evangeliſta teſtatur: *Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Stabat præſens ſæculum ignorantiæ, peccatorúmq; tenebris obvolutum, quas cum adſunt, unusquisque feſtinat pro poſſe depellere, & dum patienti aderit impoſſibiliras removendi, utique magno gaudio exultaret, ſi removere valentis nunciaretur adventus. Hic patri & pluribus naſcituri Præcurſoris exultatio & gaudium præſto erat, quoniam in teſtimonium miſſus erat luminis ſempiterni: non tamen ipſe lumen poteſtativè fontale, aut lux originalis exiſtens, ſed ut omnes, qui ſedebant in regione umbræ mortis, magis autem in peſſimis tenebris, per ipſum crederent indefectibilem lucem. Porro lux ipſe non erat, ut gaudium & exultatio ex ex ipſo, tanquam à radice procederent; ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine, quod ſeipſo in ſeipſo, per ſeipſum, & ad alios, velut lux vera diffunditur, illuminans in hunc mundum omnem hominem venientem, obtenebrans diligentem, obſcurans quempiam manere volentem. Igitur in hac vita umbratica viventibus, præterquam de ortu gratiæ, de nullo ſit gaudium. Et in tenebris ignorantiæ peccatorúmque ſedentes non lætentur, niſi cùm lux affutura nunciatur. Etenim Tobias dicebat: Quale gaudium eſt mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen Cœli non video? Non eſt, nec hominibus eſſe debet ex aliquo gaudium, niſi cùm gratia & virtus in anima incœperit vigere. Proinde multis erit in ejus nativitate jucunditas, quonim æternæ lucis affuturæ veriſſimum teſtimonium erit. Radius eſt lucis, qui lucem annunciat. Habet ſuam aurora lucem, quæ ſequentis lucis eſt prævia, & eo amplius inclareſcit, quo propinquius lux illam inſequitur. Propterea cœleſtis nuncius ſubjungebat, dicens: *Erit enim magnus coram Domino.* Parum fuiſſet eſſe magnum, niſi coram Domino: imo nec magnus nunciaretur, niſi eſſet coram Divino conſpectu. Porro magnus futurus erat famâ, præconiô, vitâ, fugâ ſæculi, collatione baptiſmi, animi conſtantiâ mitis, quod plus eſt, ſublimitate virtutis. Apud Deum nulla penſatur magnitudo, niſi quæ de virtute grandeſcit, & quæ inviſibiliter in faſtigiis ſuis attollitur. Soli Domino nota eſt magnitudo virtutis, qui non fallitur in ſciendis. Homines verò ſæpe falluntur, cùm plus in homines autumnant, quàm virturis inhæreat, aut quod minus, quàm ipſa deſiſtat. Beatus igitur, qui coram Domino in virtute magnus agnoſcitur maximè cùm exiſtit: non huic oberunt derogationes mortalium, nec erit neceſſaria fama viventium, quod de ipſo ſit in opinionibus hominum, ſibi non cedit in cauſam, nec ſibi curæ fuerint, cùm deſpicitur. Habet unde cuncta deſpiciat, habet unde cuncta contemnat, habet unde deſideria compleantur, qui coram Domino magnus exiſtit. Omnia, quæ infra creatorem, in omni alio magnitudinis genere magna dici poſſunt, huic magnitudini protinus incomparabilia ſunt: non huic magnitudo cœli æquabitur, non Gyganteorum aut excelſorum & ſenſibilium corporum, non ſcientiæ aut pecuniæ, non imperii magnitudo, non chiliadica & bina & trina ætas, non locorum immenſa magnitudo, non quorumcunque corruptibilium bonorum magna congeries componetur virtutis magnitudini coram Deo. Non potuit amplius præcurſor nondum natus extolli, quàm ut coram Domino magnus eſſet. Quam magnitudinem per comparationem ad cæteros magnos judex, quem præcurrebat, prænunciaturus erat, atque dicturus: Inter natos mulierum non ſurrexit ma-

Tobiæ 5.

Lucæ 1.

Joann. 1.

jor Joanne Baptiſta. Feſtinandum eſt igitur nobis, ut ſecundùm illud dignum exemplar magni fiamus in virtute, ſine qua omnis eſt parvus, puſillus & abjectus: & quamquam in eadem magnitudine fieri æqua portione non poſſumus, nihilominus unusquisque ſtudeat, ne deſes maneat, cùm poſſit proficere. Ecce, jam in parte Angelus magnitudinem naſcituri præcurſoris denunciat, dicens: *Vinum & ſiceram non bibet.* Scimus in corpore ab hujuscemodi abſtinuiſſe Joannem, & qui deſerta ferè à cunabulis adiit, corporis renunciaſſe deliciis. Magis autem atque præſtantius à ſe abjeciſſe ſignificata mala per vinum, & abdicaſſe figurata per ſiceram, ut nulla ei ebrietas humani amoris adeſſet, nulla concupiſcentia lætitiæ temporalis, nulla hilaritas mundanæ dulcedinis cor ejus vel in modico propulſaret, cum alia inviſibilis magnitudo, qua replendus erat, iſtam excluderet. *Quoniam & Spiritu Sancto replebitur ex utero matris ſuæ.* Quod Apoſtoli jam ætate perfecti, vocati à Domino, exercitati de Chriſto, inſtructi ſalutaribus diſciplinis, ſupernaturalia ſpeculati, quinquagenario reſurrectionis Dominicæ die habuerunt, iſte nondum natus obtinuit. Nec de ipſis Apoſtolis amplius fertur, niſi quia repleti ſunt Spiritu Sancto. Illi in conclavi, iſte in utero: illi cum linguis, iſte exiſtens elinguis: illi cum ſonitu, iſte nondum aurium officio fungens: illi cum igne, iſte dahuc maternis viſceribrs involutus, quorum calore fovebatur. Hæc eſt protinus incomparabilis in hominibus magnitudo, cui quæque alia omnino ſubjicitur, cùm quis Spiritus Sancti plenitudinem habet. Vide aliam officii magnitudinem, & ad quid repletio Spiritus Sancti detur, agnoſce. *Quia multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum.* Erat oportunum mundo, ut averſi convertentur ad Dominum, & medius interponendus erat, nam perſeverans averſio in inferna detrudit. Duo igitur mediatores adveniuri erant, unus qui corda filiorum Iſrael converteret ad Chriſtum, Deum & Dominum, omnium nationum, & alius qui reconciliat ad Patrem. Proinde Joannes mediator erat, & corda hominum, prout in ipſo erat, converſurus ad Chriſtum: Chriſtus vero reconciliaturus ad Patrem omnium Deum. Rectus uſquequo proceſſus, quod primo gratia homines diſponat ad Chriſtum: Chriſtus verò alia & majori mediationis lege ad Deum ad ſe converſos plenè conciliet. Igitur nullus in hac vita præſumptione degat, quoniam niſi gratia primò ad Chriſtum reduxerit hominem, ipſe nunquam reconciliabitur ad Patrem. Hoc de Elia longè ante prophetarum fuerat. *Et ipſe Joannes præcedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda Patrum in Filios, & incredulos, ad prudentiam juſtorum.* Quem præcedet Joannes? Chriſtum. In quo Spiritu? In qua virtute? Eliæ. Textus, imo nuncians Angelus videtur aſſererere, ſed adhibendus eſt cautior intellectus: quoniam unus ſpiritus tam ille, qui dicitur anima, non tranſit in alterum, nec ille, qui infunditur homine medio, in quocunque tranſfertur. Hoc Joannes ex utero repletus Spiritu Sancto nunciabatur, absque illo, quod in eo Spiritus effunderetur Eliæ. Virtus enim unius non poteſt eſſe alterius, nec jure hæreditatio à decedente homine derelinqui, quamvis multi poſſint Divini Spiritus & unius virtutis eſſe particlpes. Terenarum poſſeſſionum poſſunt hæredes inſtitui, non virtutum, & nullus efficitur qualis qualitate præmortui. Sed hoc ad ſimilitudinem trahitur datæ proportionis, ut in ea menſura Spiritus atque virtutis præeat Joannes Chriſtum, in qua Elias præceſſit, ſperatur iterúmque venturus. Sed quid facturus præco redemptoris? Quid feciſſe ſcribitur præco judicis? Convertere ſcilicet corda Patrum in Filios. Sed quis Pater tam ferus, qui cor ad filium de ſe natum non habeat uſquequo converſum? Filii quidem ſunt omnes, qui renovantur in gratia novi teſtamenti. Patres ſunt, qui præceſſerunt, illi tantummodo applicandi, qui Domino ſine exceptione placuerunt. De quibus utrisque Pſalmiſta: Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii Pro Patribus veteris teſtamenti, novi teſtamenti filii ſunt exorti. Corda igitur patrum ad filios convertenda ſunt, ut illa credamus, quæ illi credicerunt, ſperemus, quæ ſperaverunt, diligamus, quæ dilexerunt, & creatori placeamus illa ſyncritate cordis, qua ipſi placuerunt: inhæſitanter incedentes ad omne imperium ſanctum ejus. Nam omnes patres ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari & omnes eandem eſcam ſpiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum biberunt, immobili fide, inconcuſſa ſpe, nec ſibi ipſis in laboribus & actionibus pepercerunt. Quid autem in fide fecerint, quanta conſtantia præditi fuerint Patres veteris teſtamenti, quorum corda in filios novi teſtamenti Joannes ſcilicet gratia nova data, converſurus erat: qui Epiſtolam Pauli ad Hebræos ad plenum legerit, omnino intelliget, ab illa ſcilicet parte, qua hortatur ad patientim, dicens: Patientia enim vobis neceſſaria eſt; uſque quaſi per tantam nubem teſtum eos, quibus ſcripſerit, duxerit

Pſalm. 44.

Hebr. 10.

Hebr. 12.

xerit confirmatos. Ideóque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam nos curamus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei, & conſumatorem Jeſum. Ecce corda Patrum, ecce fides ipſorum, ecce actiones venientes de ſoliditate cordium, quæ convertenda ſunt in animos filiorum, quæ tunc converſa fuerunt in filios, cùm filii iisdem directionibus aguntur in novo teſtamento, quibus illi in veteri agebantur. Fuit enim ipſorum una credulitas expectantium Chriſtum, quæ & novorum filiorum, qui eum præceſſiſſe jam credunt. Nec à vero abſonat intellectus, ut gratia id efficiat, quod qui priores ſunt, eos, qui minores, tanquam filios facta pietate gubernent. Satis autem catholicæ veritati ſe ſociat, quia Patres auctoritate ad filios, intuitu gratiæ inclinentur. Nulla diſſonantia in Eccleſia turpior, nulla damnoſior poſſit eſſe ſciſſura, quàm ſi Patres in ſpiritualibus præſidentes, filios ſubditos non ducerent regia via, non inſtituerent ſacra doctrina, ſeu ſi ſe non præberent ſanctæ imitationis exemplum, ſi non revocarent errores, ſi non ſolidarent infirmos, ſi puſillanimes non conſortarent, ſi non corriperent inquietos, ſi non compaterentur egentibus, ſi indigentibus non ſubvenirent, ſi non tractarent ſingulos affectu paterno; ſi amor rectus non traheret ad corda filiorum. Sed hoc bonum ſuadet gratia, hoc fieri ipſa ſolicitat, quam ſignat præcurſor, quam Joannes in omni ſua imagine præfigurat, qui converſurus nunciabatur ab Angelo incredulos ad prudentiam juſtorum. Omnis incredulus inſipiens eſt, & omnis inſipiens incredulus eſt; quoniam dixit inſipiens in corde ſuo: non eſt Deus. Unde inſipiens? Quia incredulus, dicens in corde ſuo: quia non eſt Deus omnium creator atque in humanitate redemptor. Et quia non eſt ille, qui homo natus humilia geſſit, docuit, & miracula operatus eſt, qui ſic humiliatus eſt, ut tanta opprobria pateretur, ut crucem tandem mortémque ſubiret. Æque autem incredulus, niſi quia inſipiens in inſipientia perſiſtens, nolens humiliari ad credendum: nam inſipientia oſtendit incredulitatem, incredulitas verò pandit inſipientem. Sed eſt gratiæ myſterium, ut incredulos ducat ad prudentiam juſtorum. Proinde cognoſcat unusquisque incredulitatem, inſipientiam, imò ſtultitiam eſſe, cui juſtorum prudentia ex adverſo objicitur. Proinde relicta incredulitate, in ſapientiam atque intelligentiam pervenitur, Iſaia dicente: Niſi credideritis, non intelligetis. Qui non credit: non intelligit, qui non intelligit, inſipiens eſt, aut ſapiens eſſe non poteſt. Juſtorum autem prudentia, credulitas vera eſt, quoniam juſtus ex fide vivit. Unde vivit juſtus? Ex eo, quod credit. Quæ juſti vita? Ipſa eſt ſapientia. Porro id agit gratia, ut ad juſtorum prudentiam veniatur. Verumtamen ſi diſcutimus, eſt prudentia paganorum, qui non juſti, quoniam cervices idolis inclinabant. Eſt & mundanorum, quæ teſte Apoſtolo, ſtultitia eſt apud Deum. 1. Cor. 1. Eſt & carnalium, quo etiam tradente dicitur: Prudentia carnis mors eſt. Rom. 8. Eſt & ſæcularium, ſæcularia quæque ſectantium, de quibus Salvator comparativè diſſeruit: Dico vobis, quia filii hujus ſæculi prudentiores filiis lucis in generatione ſua ſunt. Luc. 10. Et filii Agar exquiſierunt prudentiam, quæ de terra eſt. Juſtorum verò prudentia illa eſt, quæ in Divinis providum facit, juxta quem intellectum loquebatur David: Super inimicos meos prudentem me feciſti mandatò tuô, quia in æternum mihi eſt. Pſalm. 118. Ille, qui Chriſti eſt amicus, inimicos habet inviſibiles teuros, qui omnibus inimici ſunt Chriſti ſervis, nullo interpoſito feciali ad Patrem, qui ſuper omnes ſunt atrociſſimi, penitus inſatiabiles, & quod nefandius eſt, nefarii deceptores, fulgentes adhuc ingenii ſubtiliſſimi clantate, imagine plerumque virtutum ſucantes mala, quæ ſuggerunt, ut invadant hoſtilius, hoſtilius ſæpè cædunt, qui aut trahunt in baratra vitiorum aut extollunt, aut contriſtantur, aut ſallunt in actione virtutum. Sed ſatis factus eſt prudens ſuper hujuscemodi inimicos, qui eos potuit præcavere, qui eorum laqueos devitavit. Propemodum exceſſit Adam, qui ſupra inimicos inviſibiles factus eſt prudens: quorum fortitudo pervalida, ſapientia non obtuſa. Sed nemo fit prudens, niſi mandatô Domini: non quia mandat, ſed obſervando, quod jubet. Inimicus mundus, inimica caro, inimica noverca natura, inimici hominis domeſtici ejus. Perſtat prudentia, ſtultus eſt, qui ad horum declinat inſidias. Ab ipſis ullæſum exiſtere, prudentia coronanda eſt. Siquidem mandato Domini hæc prudentia dirigitur, prudentémque facit authorem: hæc enim initium prudentiæ eſt juſtorum. Plena verò eſt theoria & actu virtutibus peromari, maximè illis, quæ animam reviviſcere faciunt à morte infidelitatis, & à mortuis curis vitæ habentis, ejicientes poſſeſſorem in eum, qui per mortem liberavit à morte. Hæc protinus eſt juſtorum prudentia, ut ab omni diſſolvat viſibili ad inviſibilem Deum in carne viſibilem factum ſuum contubernalem inducat, propter quem ſtultum mundo fieri pars eſt prudentiæ. Quid igitur hac diſſertione Angelus intendebat, cùm Joannem dicebat, ad

Pſalm. 13.

pruden-

prudentiam juſtorum incredulos converſurum, niſi prudentiam illam edicere cum actione præconis, quæ omnem ab ea ſtultitiam appellat. Humana prudentia uſquequo tranſcendit, cùm crucifixum ſtultum, crucem ſtultitiam, ſequaces crucifixi terrena ſapientes dixerint eſſe vesanos. Sed quod ſtultum eſt dei, ſapientius eſt hominibus. Ad quam ſtultitiam gratia & intelligentia veritatis, quæ in Joanne ſignatur, invitat: ut in hoc illa conveniant, ut populus in conſpectu Dei fiat in veritate perfectus. Quod angelus ſubſequenter adjunxit, dicens: *Parare Domino plebem perfectam.* Nullus perfectus eſt populus, concio nulla recta, omnis congregatio, publica res hebeſcit, niſi omnium Domino ſit parata: in illa perfectione duntaxat, qua propter Chriſtum majoribus præſtatur ſancta obedientia, conſulitur propensè minoribus, ut exigit indigentia ſubvenitur, qua tollantur injuriæ, qua fides vera eſt vades, qua juſtitia eſt communis, qua nulli venditur, quod ſibi de jure debetur, qua propulſatur iniquitas, qua innocentia non ſuccumbit, qua regnum non tenet nequitia, qua honore invicem homines ſe præveniunt, qua plus attollit ſanctitas quàm ſcientia, qua virtutes verbis & eloquentiis præteruntur, qua populus congregatur in Nomine Domini, qua divinæ virtuti condita civitas commendatur, qua nihil ſtatuitur legibus, quod divinam legem effugiat, qua plus morum quàm meritorum cavetur perditio, qua cor unum & anima una plebeorum omnium eſt in Domino, qua non in hoc mundo, aut in ſeipſa tantùm, ſed in Chriſto Domino gloriatur, qua nil ad profectum vendicatur, nilque ad defectum eveniſſe cauſatur, præterquam in ratione virtutis, qua propter illam non timetur vulgare judicium, qua deridetur exempta machæra, minæ ut inania, tormenta velut ſomnia æſtimantur, qua verum non terrore ſiletur, qua eſt omnium quod ſingulorum, & ſingulis offertur in commune deductum, qua intenditur, ut numeroſitate virtutum populus augeatur. Sed quæ cæleſtis cœleſtúmque nuncius arcanorum terreno ſacerdoti nunciabat optimè ſibi placuere: ſed ſuam & uxoris præcognitans ſenectutem, poſſe fieri hæſitavit, propterea dubitans exquiſivit ab angelo *Cui dixit Zacharias: Quomodo? Unde hoc ſciam? Ego enim ſum ſenex, & uxor mea proceſſit in diebus ſuis.* Humana ſapiens rationes pertendebat humanas, cùm ſupra naturam penitus non aſpiceret, quam in ſeipſo & in uxore ad conditionem prolis deſeciſſe cauſatur. Sed ſupra naturæ virtutem ex ſterili atque ſene naſcenturus erat Joannes: quoniam non de lumbis naturæ, ſed de virtute ſupernæ potentiæ virtus & gratia ipſa procedit. Sæpe quoque in hominibus agitur, ut ſpiritus inveteraverit in terra non ſua, & caro proceſſerit in delectationibus ſuis: quamobrem difficile videatur poſſe gratiam promereri. Sed optimus arcanorum & impoſitorum diſſertor non ſua, ſed poſſe fieri aſſerit virtute mittentis, cùm dicit: *Ego ſum Gabriel, qui aſto ante Dominum, & miſſus ſum loqui ad te, & hæc tibi Evangelizare* Non ſua voluntate aut authoritate angelus ſe veniſſe dicebat, cùm ſuam aſſiſtentiam eſſe dixerit ante Deum ad jucundam fruitionem, & ad obedientiam exequendam: nec ſe veniſſe, ſed miſſum fuiſſe dicit, ut loqueretur Zachariæ in Templo à dextris altaris incenſi, & evangelizaret. id eſt talia bona non ſperata, non petita nunciaret. Prætulit ad certitudinẽ reſpondendo angelus ſuum nomen, quod Dei fortitudo interpretatur, ut id efficiat divina potentia, non virtus angelica. Et quæſtioni exhæſitatione poſitæ, ut quod dicebatur, unde fieri poſſet agnoſceret, pro ſigno futuræ rei, & pro multatione increduli, taciturnitas eſt annexa *Et eris tacens, & non poteris loqui uſque in diem illum, quo hæc fiant, pro eo quia non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo* Quoniam omnia tempus habent, quæ ſuis diſpoſitionibus currunt, univerſa ſub ſole: alium locum diſſertionis habet incredulitatis iſta multatio. Sed vera taciturnitas competebat, quouſque prænunciatus Joannes ab angelo naſceretur: quoniam imponendum erat ſynagogæ ſilentium, & legis ceremoniæ abolendæ, cùm nova mundo figura gratia parabatur. Magis autem eſſe vetus teſtamentum tacendo conſtabat, quouſque novi teſtamenti gratia deſuper illuxiſſet, aperuiſſétque labia elinguium, & diſertas faceret linguas mutorum. Siluiſſe dicitur loquens non exaudibus, & qui poſtulata non obtinet, acſi tacuiſſet. Nam clamor Moyſaicæ legis, omnis exclamatio propheterum, tota precatio veteris ſacerdotii, omnis beſtiarum oblatio, taciturnitas quædam erat, cùm uſque in id tempus Dominus inexorabilis exitiſſet, & nubem oppoſuiſſet, ne tranſiret oratio peccatorum. Necnon & juſtorum preces repudiabantur ad gloriam, quouſque plenitudo temporis adveniſſet, in quo ſignanter ſacerdos multaretur ſilentio: quia non erat ille ſummus ſacerdos, qui ſemel per proprium ſanguinem intraturus erat in interiora velaminis, per quem erat ſolvenda captivitas peccatorum, danda remiſſio adoptionis, præſtanda libertas, & ſupernæ patriæ petitio admittenda. Non erat illud ſacrificium occiſi pecoris oſferendum in pretium, ſed ſanguis Chriſti, clamaturus de terra, pro omnibus exaudiendus in cruce. Intrante veritate novi teſta-

teſtamenti merito taciturnitate ſacerdotium erat plectendum, quaſi ſemper in ſilentio permanſiſſet, donec mundo pateretur, qui in lachrymis & clamore valido, pro ſua reverentia exaudiretur in cruce. Et unum eſſet, ſacerdos & hoſtia, æternus uterque: uno clamore uterque pro æternis exauditus æternè. *Interea erat populus expectans Zachariam, & mirabatur quod tardaret ipſe in templo.* Laudabilis mos eſt, tandiu expectare Sacerdotem, quamdiu ſacrificare perficiat, ut ſit perſeverantia utrorumque. Sed miratur populus Divinorum neſcius Arcanorum, cùm moram facit, qui Divinas ſuſcipit theorias. *Et egreſſus, non poterat loqui ad illos.* In templo multatus, egreſſus extra, non loquitur: ut virtus alia, quàm humana credatur aſtitiſſe in templo: complens ſilentio veterem ſacerdotem, in quo ſcilicet Chriſtus, novus nova docens, ſuperna promulgans reprobandus erat, acſi tacuiſſet, aut ſi fuiſſet locutus inania. Egreſſus extra non loquitur, pœnam poſſidens quam accepit, quaſi populo innueretur, quod Sacerdotum oratio ad exhaurienda peccata invalida extitiſſet, & quod ad novum alium ſe pararent, cùm à veteri non potuiſſent habere reſponſum: & deſperatio indicebatur, cùm à muto doctrina non poſſet egredi, neque conſilium. Sed ſpes ex adverſo conſtabat, ut in ſe rediret populus meditans, quomodo ſperare poſſet in alium. *Et cognoverunt, quod viſionem vidiſſet in templo.* Cognoverunt quod vidiſſet, ſed ignoraverunt quid viderat: ut reparentur extrorſus in meditatione Spiritus, quod à conditione templi nunquam ſimile extitiſſet, qui velut rudes, terrenis adhuc implicati, neſciebant ex parvis eximia cogitare, nec ſe transferre in altitudinem futurorum. Sed illis innuens, permanſit mutus. Aliorum membrorum ſigno & motu notum fecit, ut populus à templo recederet, nec amplius expectaret, quoniam ipſi pro ſua vice incenſa poſuerat, & quod ipſe impotens loqui erat. Nam quanquam lingua differens muta conſiſtat, tamen multis aliis ſignis atque figuris teſtamenti veteris, cuncta myſteria receſſum innuebant à templo, ne amplius redemptio expectaretur ab illo, & quod in Spiritu & veritate locus orationis & exauditionis futurus erat omnino, & quod omni poſito incenſo veteris teſtamenti, protinus erat Chriſtus. *Et factum eſt, ut impleti ſunt dies officii ejus, abiit in domum ſuam.* Redeat unusquisque ad ſeipſum, vacet utilitatibus propriis, otio non marceſcat, qui eſt amotus à publicis. Poſt hos autem dies, uxoris corpore fungens, non excitatus ardore libidinis, ſed promiſſæ motus deſiderio prolis, uxor ejus Eliſabeth caſta mente, non corporis excitata libidine, immiſſione ſeminis, in originali culpa concepit, quem Spiritus ſanctus paulo poſt anima infuſa corpori, penitus expiavit, ut Gabrielis verificaret promiſſum, quoniam Spiritu ſancto adhuc exiſtens in utero replendus erat. Et occultabat ſe Eliſabeth menſibus quinque: pudicitia repreſſa ſenili, eo quia in ſenectute aufugiſſet ſterilitas, & transacta inventute, adeſſet fœcunditas. Bonus eſt pudor, ſed non operibus creatoris. Bonus eſt pudor, ſcilicet quo culpa cavetur, non quo virtutis opus obtunditur. Laudabilis erubeſcentia, quæ ita refrenat, ne procedatur in nimium, ne in id, quod non expedit, declinetur: ne id quod eſt impertinens, in actionem deveniat. Sed nec quiſque debet erubeſcere à ſuperiori impoſitam actionem: aut quod eſt miraculi ſeu bene conſtitutæ naturæ. Nec quiſquam plus ſibi in honeſtate tribuere, quàm decreverit juſti amoris authoritas. Plus debito ſibi arrogat, qui in ſeipſo magis cavet inſolitam, quàm Domini facilem actionem. Habebat ſiquidem talis occultatio aliquid humani reſpectus, & porrigebat audientium riſus, quia ſteriles & ſenes carnalibus actionibus ſe dediſſent. Timebat adhuc infamiam, & famam amabat humanam, cùm ſe quinque menſibus occultavit, tacitè ſecum conferens, & dicens: *Quia ſic fecit mihi Dominus, in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines.* Vir mutus effectus, uxori quod viderat & audierat in templo, nuntiare non poterat: idcirco Eliſabeth talibus ſuſpicionibus laborabat, à quo, ſi audiviſſet myſterium, non talibus anguſtiis angeretur, aut perplexitatibus turbaret. Sed quid eſt quod dicit, quia ſic fecit mihi Dominus? Sic ut in ſenectute atque ſterilis exiſtens conciperet, ut duo naturæ ordine penitus obviarent, ne conceptio fieret, ſed in his, quæ ſupra naturam facta noſcuntur, ſiquidem reputatur quod concepit ætate grandæva, & ſterilitati ſubjecta. Sed hoc majus credendum prærogabatur myſterium, quoniam virgo erat conceptura, pariter & paritura omnium ſalutare. Sed fecit hoc, quando diſpoſuit illi auferri opprobrium inter homines. Opprobrium inter homines infœcunditas erat, ſed non apud Deum damnabatur approbrio: cùm non ſit in hominis poteſtate, ſed in Domini voluntate, poſſe concipere. Sterilitas atque fœcunditas ſolùm à creatore dependent. Proinde multa velut opprobrium in conceptu ſunt hominum, quæ apud Deum defectuum nota carent. Sed cùm Deus hoc voluit removere opprobrium,

brium, ſterili dedit ipſe conceptum, quæ virgini virginum ad faciliorem credulitatem ab Angelo eodem inſertur, dum ſibi Salvatorem omnium concepturæ atque partutæ nuntiatur. Quam, cùm ſe quinque menſibus occultaret, Maria ab Angelo nuntiatam in ſexto menſe detexit, cùm montana conſcendit. *Et intravit domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. Et factum eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ecce enim, ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in gaudio in utero meo. Non hic aliquid ſumpſimus diſſerendum pro parte Mariæ, ſed pro myſteriis præcurſoris & matris. Detegitur Eliſabeth, ne amplius deliteſcat, cùm Maria virgo illam viſitatura proceſſit, cùm hæc mirabilia in eis non fecerit natura, ſed Dei diſcreta potentia, quod ſterilis & ſenex præconem, & quod virgo ſine ſemine conceperit judicem. In illa mirum, quòd ſenex & ſterilis: in illa mirandum, quòd fœcunda, ſed præter virtutem feminis. Sed ſalutatur Eliſabeth, jam onerata præcone à virgine, quæ Salvatorem ſine pondere geſtabat, ut ſalus à novis myſteriis referatur ad priſcos, & per virtutem novi conceptus vetera liberentur. Antiquior mundo fuerat Eliſabeth, quàm Maria, & Joannes Chriſtum in conceptione præceſſerat, ſed ſalus proceſſit à lege nova, per nominem novum in eos, qui præceſſerant ad ſalutem prædeſtinatos. Qua ſalutatione ſuſcepta, conceptus ſexti menſis agnovit myſterium: dum exultat in utero antequam naſcatur, & officium peragit, ad quod erat, & gaudio adoritur, cùm voce non poſſit edicere. Impotens fandi exultatione Dominum profiteretur, nondum percepto uſu lucis corporeæ etiam in carne velatam inviſibilem lucem mundo advenisſe cognovit, & occultus occultum, ſervus Dominum, miles Regem, præco judicem, præcurſor Imperatorem, ſine ullo ſuum argumento prævidit, & proprium vidit in eo ſenſum Divina potentia, quem ante nemo habuerat ex natura. Vide quanta ſimul ex omni parte conveniunt, ut tanta mirabilia oriantur. Hinc Eliſabeth, inde Maria gratia plena: hinc uxor Sacerdotis, ſed ab eo caſtè cognita: hinc uxor libri, ab illo intacta: hinc ſenex, inde juvencula: hinc ſterilis, inde fœcunda: hinc ſanctificati parens, inde Sancti Sanctorum Mater: hinc juſtorum Filius, inde ab æterno ex Deo Patre progenitus: hinc salvatus, inde ſalus: hinc creatus, inde creator duplici carne velatus. Proinde ad exultationem Joannis prophetica virtus adnectitur, cùm Eliſabeth continuò Spiritu Sancto repletur, quo concitata, prorumpit in vocem magnam affectu, magnam novitate myſterii, magnam ſtudio diſſerendi, magnam utilitate credendi, magnam conſideratione ſui: quia Mater pari hominis, magnam exiſtimatione matris omnium redemptoris ad eam venientis, magnam prorinus ex veritate, quam Spiritu dictante prænuntiat. Ait enim: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Sed nec ut major, quamvis antiquior Eliſabeth Mariæ benedicit, quam ex Spiritu Sancto Matrem Domini eſſe cognovit. Non ex authoritate illi dedit benedictionem, acſi eſſet illi aliquo jure prælata, nec prophetat futurum, quod mente conſpicit factum, ſed extollit laudibus virginem, eo quod benedicta priùs à Domino exiterit, quem geſtabat, quo virginaliter gravida erat, non benedictione communi, ſed illa, quæ omnes exceſſit penitus mulieres. Ac etiam fructum, quem abſconsè virgo geſtabat, agnovit. Cui nec etiam benedictionem inſerens benedicit, ſed enuntiat, quod ſibi Spiritus Sanctus oſtendit. Non autem benedicit fructum ex arbore, ſed arborem ex benedicto fructu aſſerit benedictam. Ecce duæ arbores fructuoſæ, nova poma ferentes in fructibus: ut una gratiam, altera ferret gratiæ largitorem. Sed unius magis benedictus ſuaviorque fructus, & uſquequaque profuſior, in quo erat omnium ſalus, per quem ſolum omnium humanorum fructus eſſet acceptus, præter quem omnium eſſet ineptus. Et ſecum mirans Eliſabeth, quaſi mentis pateretur exceſſum, quia regina mundi ipſam viſitatura conſcenderet, etiam clamando adjecit: Unde hoc mihi, ut Mater Domini mei veniat ad me? aſſerens ea, quæ infans, quem geſtabat in utero, exultando perfecerat propter fidem Mariæ, quia credit denuntians eſſe beatam, unde perficiantur in illa ea, quæ perficienda reſtabant; hinc prophetico Spiritu Eliſabeth jam facta pariter & futura nuntiabat. *Quæ, cùm impletum eſſet tempus pariendi, peperit Filium. Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Deus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabuntur ei.* In lege veteri, velut Joannes in ventre, gratia & veritatis intelligentia claudebatur: revelanda tamen in tempore ſuo. In cujus completione myſterii jam plena diebus Joannem peperit Eliſabeth. Hoc etiam contingit in moribus hominum, ut ſæpe bona mente concipiant, ſed non ſemper tempus agendi, cùm verò diſponente altiſſimo tempus

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

adfuerit, concepta in animo virtus procedit in actum. Non parvum eſt bonum, cùm concipientibus virtus aderit pariendi. Nam concepiſſe quid proderit, ſi partus defecerit? Nec enim boni agendi ſufficit deſiderium, niſi cùm poſſit, ſuccedat effectus. Filium, non filiam peperit: ut tam pro myſterio, quàm pro agendæ vitæ ſtudio cognoſcamus, quantùm ſacra ſcriptura demonſtrat, nunquam angelo revelante, neque ſupra naturam in conceptu mirabili fœminam eſſe conceptam, aut prodiiſſe de partu: ſed ſemper prædicente virtute ſuperna, conceptus fuiſſe mirabiles, & partus fuiſſe viriles, ut non effœminatæ, ſed fortes fiant hominum actiones. Nec ex hoc velut reprobata teneatur natura fœminea, ſed in ſignificatione plus attollitur. *Et audierunt vicini & cognati ejus, quia magnificavit Dominus miſericordiam ſuam cum illa, & congratulabantur ei.* Verè ſic geſta ſunt hæc, ſiquidem fama novi ortus diffunditur, quia per omnem orbem diffundenda erat fama majoris, quem Joannes ordinatis diſpoſitionibus præcedebat, & quod commune naſcitur bonum ubique reboatur, ut ſiat participium amatoribus bonitatis, & cognoſcantur ex publico hominum affectus, qui lætantur ad gratiam, & cùm fructus juſtitiæ prodeunt, nam juſta parens juſtum fructum produxit. Sed vicini ſunt & cognati qui audiunt: hi etiam qui lætantur. Expedit ſiquidem, propinquum fieri vitæ Sanctorum, & juſtitiæ converſatione, & velut generis propinquitate conjungi, ſi volumus audire mirabiles, ac etiam ſalutiferas novitates, & congratulari his, quibus Deus ſua magnalia conferre diſpoſuit. Nec credatur Deus denuo ſuam magnificare miſericordiam, quæ ſemper utique magna eſt, ſed cum Eliſabeth nunc magnam oſtendit dando conceptum, educendo ad partum, cujus vulvam ante concluſerat. Miris modis agit in hominibus Divina potentia, vel cùm Peccatores miſerando convertit, aut cùm juſtos in altiora opera provehit: & ubique miſericordia magna, donis Divinis noſtris meritis non æquatis. Et pars eſt ſupernæ vitæ, aliorum proſperitatibus collætari, & congratulari eis, quibus alludit Divina poteſtas. Hinc videtur invidia tranſmigraſſe, ac in extremum profeciſſe, ſuppreſſum odium, vera charitas illuxiſſe. Hinc in beatitudinis confinia feceſſiſſe, ubi non eſt gratulatio de proventibus proximorum. Nam quod eſt unius læta feſtivitas, dicitur omnium, & quod eſt omnium, eſſe noſcitur ſingulorum. Ea in quàm bono examine poſiti noſcuntur, qui aliorum virtutibus & beneficiis gratulantur. Habet in ſe quisque profecto, quod in aliis amat, nec virtute privatur, qui in veritate diligit virtuoſos. *Et factum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum Nomine patris ſui Zachariam.* Circumciſio diei octavi, quæ non ex lege, ſed ex patribus erat, includebat myſterium, ſcilicet à quibus malis in octava reſurrectionis futura ſit plebs fidelium circumciſa. In morali hominum vita caſtitatem & continentiam notat ex membro, necnon abdicationem placiti, & deciſionem ſuperflui. Quòd autem eum nomine paterno vocabant, deferebant origini naturali, & dignitati paternæ, ſecundùm conſuetudinem multarum nationum, quòd primogenitus nomine paterno cenſetur. Sed quoniam natura jam defecerat in parentibus, ut per naturæ legem venire potuiſſet ad ortum, magis verò gratia præſtabatur, decens non erat ut nomen ſortiretur paternum, neque alicujus cognati. *Proinde Mater ejus reſpondit, dicens: Nequaquam, ſed vocabitur Joannes.* Adhuc Eliſabeth Spiritus Sancti virtute prophetabat, imo à Spiritu didicit, quod non didicerat à marito. Non ipſa in templo audierat de nomine præcurſoris, nec maritus mutus exiſtens poterat nuntiare: ſed hoc ſciebat ſuperna revelante virtute quod ſic jam diffinitum erat, ut Joannes filius ejus vocaretur, quod nomen non erat ab hominibus inventum, ſed ab æterno præviſum, & per Angelum tempore congruo revelatum. Etenim ſæpe novimus, ſacras ſcripturas acutè ſcrutantes, nomina multis competere ratione bonitatis atque myſterii, ac etiam ſic à primævo fuiſſe poſita, in pluribusque mutata, quod in poſterum rerum monſtravit eventus. Cùm autem prophetica mater ſic filium vocari aſſereret, cognati ex humana conſuetudine reſponderunt, ignorantes gratiam tali conſuetudine non teneri, dicentes: *Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine.* Igitur magis congruum erat, ut nomen non habitum haberetur, quàm in alio repeteretur, quo quis antea cenſebatur. Et quippe verum erat, quòd in cognatione carnali tantùm exiſtens nomen à cœleſtibus non accepit. Quam cognationem carnalibus fieri expedit adeptione gratiæ, non extinctione naturæ, in cognatione ſpirituali cognatum eſſe virtutibus, qui privilegia nominum quærit: quoniam non ſecundùm nomen, quod ab hominibus imponitur, adſcribimur in libro viventium, ſed ſecundùm nomen, quod ſortimur in cognatione virtutum. Sed hi cognati ex carne, nondum ſupra ipſam facti: *Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum.* Innuebant patri ejus, ut ipſe innueret,

nueret, quoniam adhuc mutus: Innuebant, cui jure naturæ major erat poteſtas in Filio, ut ipſe diſſereret, quo nomine natus Filius vocaretur, non contenti, quod ſua Mater edixerat. Qui voce privatus, ſigno aliquo poſtulans pugillarem, ſcripſit dicens: *Joannes eſt nomen ejus.* Scripſit in pugillari in aliqua ſcilicet tabella, quæ infra manum portabilis erat, ipſorum more, qui notare ad firmiorem memoriam aliqua conſueverunt. Sed nec ipſe ſcribendo nomen impoſuit, ſed quod ab Angelo audierat in templo, reſeravit. Joannes eſt nomen ejus. Ac ſi apertè dicat: Non Mater, non ego potior parens, huic nomen imponimus, ſed hoc eſt penitus nomen ejus. Nos ſi non damus, vosque cognati more ſolito in aliis, nato huic nomen non imponetis: habet nomen, tenet nomen, de cœlis non de terris eſt nomen. Fruſtra de huic imponendo vocabulo litigatis, quod de ſuperis eſt ſancitum, humanis judiciis non transfertur, velléque transferri, criminis damnabilis notam habet. Igitur *Joannes eſt nomen ejus.* Ad quam ſcripturam, nomen hujuſcemodi diſſerentem, *mirati ſunt univerſi.* Quare mirati? Novitate geſtorum, quæ illorum non penetrabat acumen intellectus. Novum enim atque incognitum ſemper conſuevit homines in admirationem adducere. Sed major admirationis occaſio ſubdebatur. *Quia apertum eſt illico os ejus, & loquebatur benedicens Deum.* Videte mirum, corde annotate quod geritur. Prædixerat angelus Zachariam voce privandum, quouſque hoc, quod dixerat, compleretur: ſed jam completum erat, quoniam natus erat, cur igitur in nativitate aut in ipſo ortu Joannis os Zachariæ non fuit apertum, ſed uſque in octavam diem dilatum? Quia naſcendo noſcebatur, quia Filius: in nomine verò ejus myſterium pandebatur, cujus nati dignitas attollebatur ex myſterio plus, quàm quia natus eſſet homo. Et ex hoc, non credimus Zachariam mutitate punitum, eo quod incredulus eſſet de filio, ſed quod ad tantum pararetur myſterium, hæſitavit. Proinde Filio naſcente linqua non ſolvitur, ſed declarato Joannis nomine in octavo die os increduli aperitur. Ecce poteſtas cœlici nominis, ut quod hæſitatio claudit, ipſa reſolvit. Et ab eo liberatus eſt pater, pro quo multatus extiterat: ut quod eſt cauſa culpæ, ſit veniæ: quod pœnæ, ſit præmii, ſi in partem contrariam transferatur. O magnum nomen, quod patri vocem, concivem civibus, vicinum vicinis, populo Sacerdotem, uxori virum, per uſum loquelæ reſtituit. Et magno factum eſt hoc præſagio futurorum, quoniam ſola gratia linguas hominum facit in veritate diſertas, ſola gratia miracula operatur, ſola gratia eſt prævia Salvatoris, ſine qua plectimur, qua inhærente liberamur. Sed bene die octavo, quo puer circumciditur, quo ejus nomen venit in publicum, ſenis hominis, veteriſque Sacerdotii lingua reſolvitur, cùm muta fuerit omnis antiqua conditio, & miniſtratio veteris teſtamenti, cujus os & lingua in adventu novi hominis, in ortu novæ ſucis, reconciliantiſque gratiæ mox reſonet in laudem. Et hoc fuit teſtamenti tota perfectio, quoniam præfiguraverat Chriſtum, quæ reſolutis vocibus & magnis laudum præconiis reſonabat benedicens Deum, quia fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. *Factus eſt autem timor ſuper omnes vicinos: & ſuper omnia montana Judææ divulgabantur omnia verba hæc.* Timor terrenis incutitur, cùm ſuperna clareſcunt, qui aut terret incredulos, aut commovet ad credendum, ſed contingit vicinos corpore, ut plus mente virtutibus accedant. Semper enim timor, qui de mirandis virtutibus exit, ad veritatem intelligendam virtutémque peragendam invitat. Et fit timor ſuper omnia montana Judææ, quoniam omne, quod altum in mundo creditur, virtus Divina deterret, & timere facit, dum clangit. Sed nec credatur timor immiſſus, magis autem ex conſideratione mirandorum exortus, quoniam Filius ex veteraneis ultra naturalem virtutem prodierat: quoniam nomen ab Angelo, non ab homine acceperat, in cujus virtute ſolutum erat linguæ vinculum ſenis hominis, jam octo diebus & novem menſibus mutescentis. Hæc in admirationem homines induxerunt, hæc fecerunt pio timore paventes, quoniam iſta tam inſolita per montana Judææ, & per loca vicina vulgabantur, & fecerunt homines redire introrſus ad conſpicuam conſiderationem geſtorum. *Nam & poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes: Quis putas puer iſte erit? Etenim manus Domini erat cum illo.* Quid poſuerunt in corde ſuo? Ea, quæ audierant. Quare? Ut conſiderarent, ut memoriter tenentes qui vivere poſſent, mirabilem rerum expectarent eventum. Ea, quæ divinis doctrinis audivimus omnino ſunt in corde ponenda. Etenim cor noſtrum ſic creatum eſt, ut ſit in terra quoddam armarium atque repoſitorium divinorum. Ponenda ſunt in corde ſancta myſteria, verbáque Divina, ut credamus & diligamus, ut in illis ſeduló mediteмur, & ex eis fiat directio greſſuum noſtrorum: ne à vero deviantes, in aſpera incidamus. Etenim hoc ſenſu propheta dicebat: In corde meo abſcondi eloquia tua, ut non peccem tibi. Pſalm. 118.

Et hi de Joanne verba hujuſcemodi audientes poſuerunt in corde, ut intra ſe dicerent, aut foris loquendo condicerent: Quis putas puer iſte erit? Admirantes loquebantur, rerum neſcientes eventum, exiſtimantes tamen ex ipſo atque ſperantes, magnum evenire proventum, quoniam manus Domini, virtus ſcilicet Dei, poteſtas altiſſimi erat cum illo in operatione futuri myſterii, & operatione tanti miraculi, paterni oris in ſuo nomine reſoluti. *Et Zacharias pater ejus impletus eſt Spiritu Sancto, & prophetavit, dicens: Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Multa & excedentia ſenſum ſunt donata parentibus, in hujus virtute naſcentis, ut Eliſabeth & Zacharias Spiritu Sancto replerentur: repleti verò in verba prophetica prorumperent. Nam pater mutitate depulſa, Spiritu afflatus, in altitudinem prophetiæ verba depromit, à laude atque benedictione incipiens creatoris: Benedictus Dominus DEUS Iſrael. Non dii gentium, ſed ille duntaxat, quem populus Iſraeliticus à principio ſuæ inſtitutionis colverat. Et quamquam eſſet Deus & Dominus omnium nationum: Deus Iſraël tamen latrio cultu erat, in quo multa miranda perfecerat ab eo, quo eum diſpoſuit educere de Ægypto, quem inſuper viſitavit, & fecit redemptionem illius per unigenituum Filium ejus. Viſitavit ſæpe Dominus plebem ſuam: ſed adhuc redemptionem non fecerat. Sed nunc Zacharias ex certitudine, quàm habebat, verbis expreſſit ut factum. Et benedixit, quia benedictus eſt ab æterno. Benedixit eum qui in cœleſtibus benedixit, cujus benedicti omnes electi. Benedixit, qui omnibus benedicit. *Quia viſitavit* à creatione hominis, uſque in præſens viſitare non deſiit: *plebem ſuam* quam etiam proprio ſanguine in cruce redemit. Et viſitationem protinus noſtræ oportunitati connexit. Nam poſt peccatum illico viſitavit Adam, dicens: ubi es? ut ad ſemetipſum pœnitendo rediret, qui juſſum contemnendo, à ſeipſo ac etiam à Deo diſcerpſerat. Viſitavit Cain ante actum criminis, quod operari decreverat, ne perficeret: viſitavit poſt ſcelus, ut pœniteret. Viſitavit Noë, ut à diluvio eripiendus intenderet, poſt diluvium quomodo viveret. Abraham, Iſaac, & Jacob ſæpe ſæpius, nec non & eorum uxores per Angelos & oracula, per non ſperatos conceptus, docendo revelando viſitavit. Necnon Moyſen in deſerto per rubum. Et populum in Ægypto, Pharaonem per Moyſen & Aaron, demum ipſum & Ægyptum, per validas mirabiles plagas. Sæpe populum in deſerto, Gedeonem, Samſonem, Annam in conceptu, Heli per reprehenſionem, & alterius Sacerdotii prædicendo ſucceſſionem. Samuel dirigendo quid ageret, David, Salomonem, plurimósque reges. Prophetas per Spiritum Sanctum, & populos in clamoribus prophetarum. In plenitudine quoque temporum Zachariam per Angelum ipſum, & uxorem ejus per novum Filium. Et omnem populum univerſúmq; mundum per redemptorem omnium Chriſtum, æternum Dei Filium, in tempore Filium hominis factum, miſericorditer viſitavit. Proinde Zacharias à mutitate jam liberatus, Spiritu Sancto repletus, exclamabat: Benedictus Dominus DEUS Iſrael, quia viſitavit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Quod etiam David longè ante prædixerat: Redemptionem miſit Dominus populo ſuo, mandavit in æternum teſtamentum ſuum. Hoc idem Salvator, cùm prædicaret aſſeruit, dicens: Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam in redemptionem pro multis. Et Apoſtolus ad Corinthios, jam factum exclamat, dicens de Dei Filio, quia facta ſit nobis ab ipſo noſtra redemptio. Et alibi: In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus. Et ad Timotheum de hujuſcemodi Fide, inſtruxit: Unus enim Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus JEſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro nobis. Qui introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa. *Et erexit cornu ſalutis nobis, in domo Davıd pueri ſui,* Erectum eſſe cornu ſalutis in domo David aſſerit Zacharias, & novo loquendi genere monſtrat adeſſe ſalutem. Et velamentum eſt in oratione verborum, quod ſtatim auferetur, cùm tranſimus in Chriſtum. Cornu quaſi oſeſt, & diſcreta origine ab aliis oſſibus procedere perſpicuum eſt: quoniam cætera corio & carne velantur, cornu verò carnem excedit, præter corium & ſupra corium ſe protendit, & alicui animali præterquam in capite, non apparet. Arma ſunt animalium cornua in capitibus orta. Cornu ſignatur regia poteſtas: quoniam in veteri teſtamento oleum, quo ungebantur reges, ferebatur in cornu: juxta quod dictum eſt Samueli, cùm reprobatus eſſet Saul: imple cornu tuum oleo, & mittam te ad Iſai Bethleemitem, providi enim in Filiis ejus mihi regem. Quod Samuel uſquequaque perfecit. Proinde cornu erectum in domo David eſt regia Chriſti poteſtas, qui ſecundùm carnem de lumbis David ſcriptura tradente, genealogia diligenter inſpecta (ut Matthæus & Lucas commemorant) mundo natus apparuit. Erecta eſt Chriſti poteſtas, quoniam omnis depreſſa erat

Pſalm. 100.

Matth. 20.

1. Cor. 1. Ephes. 1.

1. Tim. 2.

1. Reg. 19.

erat potentia Judæorum, quibus omnis ſpes ſalutis erat adempta, niſi redderetur per Chriſtum, & omnis humana poteſtas, malè peſſundata vitiis ſubjacebat, quamquam etiam humano faſtu Romana eſſet diffuſa orbem. Nulla prorſus eſt erecta poteſtas, niſi engatur ſuper vitia, niſi ad cœleſtia ſublevetur. Nempe depreſſa erit omnis poteſtas, in moribus nequiter ſubjecta dæmonibus, poſt hanc vitam ſuis includenda carcerbus. Quæ regalis hominum, quæ imperialis poteſtas mortalium, quæ nec ſeipſam neque ſubditos poterat à poteſtate tartarea liberare? Sed Chriſto ut Dei Filio, quamvis eſſet ab æterno ſumma poteſtas, in plenitudine verò temporum erecta dicitur in domo David: ex cujus ſemine, per incorruptam virginem factus eſt homo ſecundùm carnem, antiqua promiſſione nunc tradita veritati, cùm ibi legimus: Et ponam in ſæculum ſæculi ſemen ejus. Et iterum: Semel juravi in ſancto meo, ſi David mentiar, ſemen ejus in æternum manebit. Et alibi dictum inveni-mus: De fructu ventris tui, ponam ſuper ſedem tuam. O quàm erectum cornu ſalutis noſtræ! cùm ſemen David in Filio Dei ſedeat ſuper ſedem omnipotentis Dei. Omniſariè cornu ſalutis noſtræ erectum dicitur, cùm Dei Filius Davidica carne veſtitus, cœlos penetraverit, ſuperna conſcenderit, & à dextris ſedeat altiſſimi Dei. Et velut cornu excedit carnem & corium, ſic Chriſtus terram exceſſit omnéque cœlum, cui à patre in cœlo & in terra omnis eſt collata poteſtas. Hoc Anna prophetico Spiritu longè ante prævi-derat, dicens: Dominus dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit cornu Chriſti ſui. Erectum eſt cornu, ſublimatum eſt cornu. Salutem dat Chriſtus in ſuo cornu, liberat à dæmonibus in ſuo cornu. Nam & David ante prævidit, quod nunc Zacharias in ortu Filii de Chriſto nondum nato prophetavit, dicens: Protector meus, & cornu ſalutis meæ. Protector eſt Chriſtus, ab omnibus incurſantibus malis, & omnibus ſperantibus in eum eſt cornu ſalutis: & in eo meritò ſubveniens nobis, quo de lumbis ſecundùm carnem deſcendit, in qua paſſus, mortuus, ſanguinem fudit; & reſurgens à mortuis ſuperna conſcendit. Hoc per David Deus pater ante prædixerat: cùm introducturus eſſet Filium in orbem terrarum ad confringendum omnia cornua ſuperborum, quod cornu ejus eſſet engendum, & ſuper omnia exaltandum. Et omnia cornua peccatorum confringam, & exultabuntur cornua juſti. Nemo juſtus inter homines, niſi qui peccare non potuit. Et quanquam multi dicantur juſti, non tamen proprio, ſed iſtius juſti merito ſunt facti participes, cujus exaltata ſunt cornua, videlicet crucis, quæ propheta Habac. 3. dicente, fuerunt in manibus, in quibus ſtat abſcondita fortitudo illius. Et ut ad aliud loquendi genus me transferam: Chriſtiana poteſtas in cornu natura ſignatur. De carne cornu conſurgit, ſed carnem omnino eſſe negamus. Qui cornu nunc utitur in carne vivens ſuper carnem factus agnoſcitur. Cornu utitur, qui à carnalibus vitiis omnino receſſit, qui in virtute ſolidatus non mollcſcit terrenis deliciis, qui mundum ventilat, à ſcipſo excutiens, qui repugnat impugnantibus, qui cornu petit inviſibiles dæmonum poteſtates, qui velut cornu ſuſtinet aereas poteſtates, qui carnem per omnia ſuperat, qui temporalium rerum pellem, per omnia ſupplantare contendit, qui manet impaſſibilis ad forinſecas actiones. Etenim cornu in his impaſſibilis dicitur eſſe naturæ, ut neque pluviam, neque aeris qualemcunque pro tempore intemperiem expaveſcat, quamvis & beſtiarum pili hac impaſſibilitate potiantur, ſed carent virtute, qua poſſint violenter aut ultro adverſa depellere. Dicam cuique, quàm ei ſit bene, ſi exiſtens in carne ipſam exceſſit: degens in corpore, ipſam ſuperavit: corporali pondere preſſus, ſpiritualiter vixit: in terrenis habitans in cœleſtibus mente converſatus eſt. Sed hoc cornu non inſurgit à natura corrupta, non à nobis radicatur in capite, erectum eſt nobis in domo David pueri ſui, ſervi Dei, famuli Dei, ſcilicet in Chriſto, in ejúsque domo, in Eccleſia ſancta ejus, ubi eſt omnis ſanctitas ejus. Domus Chriſti Eccleſia Chriſti. Extra illam, nemini erectum eſt cornu ſalutis. Nulli ſalus, qui de ipſo non erit. Domus Chriſti, Domus virtutum, domúsque donorum, ubi nobis erecta ſunt cornua. Nam Apocal. 5. & Joannes vidit agnum tanquam occiſum, in cujus capite cornua ſeptem. Cornua ſeptem, virtutes ſeptem, dona ſeptem, beatitudines ſeptem, quibus omne ad ſalutem nobis oppoſitum impugnemus, non in noſtra, ſed in agni virtute, qui tollit peccata mundi, ut non condemnetur, ſed ſalvetur mundus per ipſum. *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt prophetarum ejus.* Non quaſi de novo per eum prophetatum hoc loquitur Zacharias, ſed aſſerit multifariè ante dictum per ora prophetarum: Et ut fides dictis indubitanter accommodetur, ſanctos fuiſſe teſtatur, non autem à ſeipſis miſſos, ſed ab ipſo deo directos: quoniam multi prophetaverunt non miſſi non vera, ſed falſa prædicentes, in ſeipſis decepti. Sed ſan-

n. 88. em. m. 131. Reg 2. Pſalm. 17. Pſalm. 74.

ĕti prophetæ, ab eo ſæculo Chriſti adventum incipientes prædicere, in quo Deo Patri placuit revelare. Nam Moyſes ſcripſit quid ante ſe de Chriſti viſitatione, in qua incarnatio ejus atque nativitas, & omnis ejus converſatio apprehenditur, extitisse prænuntiatum, quidve ſibi fuerit ſcire commiſſum. Scripſit nempe, quòd
Geneſis. 2. fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum, Chriſtum videlicet, in ullo egreſſu commemorans, quem miſit pater ad viſitandum hoc ſæculum. Et Abraham deſcendit in Ægyptum, ut peregrinaretur ibi. Unigenitus Dei ex Pater-
Geneſ. 12. no præcepto deſcendit quaſi peregrinus, viſitare hunc mundum. Et viſitavit Do-
Geneſ. 21. minus Saram, ſicut promiſerat: & implevit, quæ locutuſeſt. Concepit & peperit Filium in ſenectute ſua. Viſitando autem Saram, ſynagogam in futuro viſitaturus erat. Quæ, cùm ſenescens deficeret, concepit in virgine Filium, & mundo edidit almum partum: Hoc idem Jacob Judam Filium benedicens prophetavit: Non auferetur ſceptrum de Juda, neque dux de
Geneſ. 49. fœmore ejus, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium. Clara eſt in his prophetia, quòd Chriſtus prophetabatur mittendus, qui nunc miſſus, Judæorum populum & gentium viſitavit. Et impletum eſt in Chriſto, quod Moyſes
Exod. 3. à Deo popoſcit, dicens: Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es. Ipſe protinus de quo Zacharias loquitur, erat mittendus, hicque miſſus, omnem populum viſitaturus apparuit. Et palam ſub nomine ſtellæ ad illuminationem orbis Jeſum mundum viſitaturum, in ipſo naſciturum oſtendit, & velut virgam correctionis & directionis & plenæ dominationis aſſeruit: Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget virga
Numer. 24. ex Iſrael. Stella ex Jacob Chriſtus eſt: ex ipſo per David ordinata, & non prætermiſſa propagine: uſque dum peccatorum atque ignorantiæ tenebras fugaturus apparuit. Et virga juſtitiæ in manibus ejus, ad dirigendos bonos in viam ejus, perimendósque inevitabiliter rebelles ſermonibus ejus. Multa ſunt teſtimonia prophetarum, per quorum os locutus eſt Deus, quæ ſi per ſingula vellemus diſſerere, longa volumina ederentur. Sed ut breviter absque alia declaratione perſtringam, ad affirmationem ejus, quod de Chriſto protulit Zacharias, etiam Da-
Pſalm. 2. vid locutus eſt, dicens: Dixit Dominus ad me: Filius meus es tu, ego hodie
Pſalm. 71. genui te. Qui deſcendit ſicut pluvia in vellus. Et ipſe veritas exiſtens, de terra
Pſalm. 84. orta eſt, quia ut homo natus eſt in Sionituco populo. Et lux orta eſt. Et notum fecit Dominus ſalutare ſuum. Et redemptionem miſit Dominus populo ſuo. Et exortum eſt in tenebris lumen rectis corde. Et Dei Filius cœlos inclinavit & deſcendit. Et emiſit manum ſuam de alto altiſsimus Deus, cùm Filium manifeſtavit in carne, ad oſtendendam ſuæ virtutis potentiam, ad conferendum bona bonis, & & ſupplicia digna dignis. Et Iſaias ſuo modo teſtimonia dedit, quæ fuerunt prophetiæ penitus futurorum. Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus. Et erit in noviſſimis diebus mons, Domus Domini, præparatus in vertice montium. Et confluent ad eum omnes gentes. Idem: Apprehendent ſeptem mulieres virum unum. Et alibi: Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel. Idem: Parvulus natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis. Et quæ ſequuntur, quod intenditur, exprimunt. Et alibi, ut factum jam agnoſcamus: Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti ad montem Filiæ Sion. Et Jeremias: Novum fecit Dominus ſuper terram, & mulier circumdabit virum. Daniel. 3. Lapis præciſus eſt de monte ſine manibus. Quid enim juvat omnes prophetas percurrere? Ac etiam omnes prophetias ſuis modis obvelatas reperire difficillimum eſſet. Sed hoc nemini divinas ſcripturas ſcrutanti in dubium veniat, quia omnes veri prophetæ, ſicut Zacharias in ſuo cantico protulit, de viſitatione Domini verè atque myſticè ſunt locuti. *Et ſalutem* erexit ſcilicet nobis, *ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Erectum eſt cornu: ſed nec fruſtra, quoniam in ipſo nobis erecta eſt ſalus ab inimicis noſtris inviſibilibus, ne ultra violenter animas raperent, ne juſtas animas Patrum amplius detinerent. Ipſe ſalvat de manu implacabiliter odientium. Ipſe cornu petit omnes homines, ſuos electos cornu perſecutionis & ſuperbiæ impetentes. Erectum eſt cornu ſalutis: *ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris, & memorari teſtamenti ſui Sancti.* Tempus erat miſerendi, quia venit tempus, quo Sancti Patres excluderentur à poteſtate tartarea, quo præda Sanctorum ab injuſtis raptoribus tolleretur. Erat amodò celebranda miſericordia cum antiquo Patre Adam, qui fletibus, & pœnis culpam ad poſſe diluerat. Necnon & cum miſera prole ſua, quam â paradiſi ſedibus, à Divina gratia, per inobedientiam propriam fecerat exulare. Danda erat Noe miſericordia, qui evadendi ſpe pro reparationis humanæ munimine, centenariam arcam conſtruxit, à quo condita ſunt ſæculi teſta-

Pſalm. 97. Pſalm. 110. Pſalm. 111. Pſalm. 17. Pſalm. 145. Iſaiæ 1. Iſaiæ 2. Iſaiæ 5. Iſaiæ 7. Iſaiæ 9. Iſaiæ 11. Jerem. 31. Daniel. 3. Lucæ 1.

Digitized by Google

men-

menta. Facienda erat cum omnibus patribus misericordia, qui fidem veram, obedientiam promptam Domino servaverunt. Et cum omnibus sanctis prophetis, qui vera hæc futura prædixerunt, & pro veritate ludibria & mortes & vincula passi sunt. Dilata erat misericordia, non ablata: protogata, non denegata. Sed nunc canit præ gaudio Zacharias: quoniam Deus visitavit, & fecit redemptionem, & cornu salutis erexit, ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui Sancti. Testamentum sanctum est promissio futurorum, promissio Filii sui Sancti Sanctorum, & firma pollicitatio supernorum, cujus memoratus est, cùm plenitudo temporis venit. Hæc jam in figura expetiverat David: Memor esto
Psalm. 118. verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti. Spes divinorum duntaxat datur ex verbo. Nunquam aliter spes in divinis, præterquam ex verbis innascitur. In humanis autem ex verbis, quæ adinvicem homines pollicitando conferunt, aut ex consuetudine naturæ, qua semina ex seminibus, fructus ex arboribus capiuntur. Proinde David spem tenebat ex verbo, cujus memorem pollicitatorem Dominum esse quærit. Sed est testamentum sanctum, & est testamentum sancti sui. Testamentum sanctum vetus est, juxta quod si nobiscum incedit, nihil aliud imo minus, quàm patres nostri suscipiemus. Sed inquit David:
Psalm. 73. Respice in testamentum tuum: In id videlicet, quod disposuit per Filium sanctum suum, cujus Zacharias dicit Dominum memorari. Etiam Jeremias longè ante de
Jerem. 11. testamento hujuscemodi prophetavit: Ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Israël & domui Juda pactum novum, (alias testamentum novum) Non secundùm pactum quod pepigi cum Patribus vestris in die, qua apprehendi manum, ut educerem eos de terra Ægypti. Et quæ sequuntur, in hac declaratione conveniunt. Novum pactum, novumque testamentum non est, sicut ex quo in hæreditatem præterquam temporalia non cedebant, sed est quo morte testatoris confirmato, cœlestis atque superna confertur hæreditas, non quo terrena salus corporalisque sanitas, sed quo æterna, spiritualisque prosperitas confertur. Testamentum sanctum sanguinem habet hircorum, vitulorum & aliorum animalium. Testamentum sui sancti, sanguinem proprium habet Filii Dei. Neque salus erat in sanguine animalium, nec liberatio captivorum, sed in sanguine testamenti sancti Dei, prout per alium Zachariam prophetam fuerat ante prædictum: Tu quoque in sanguine testamenti tui, emisisti vinctos tuos de lacu in quo non erat
Zachar. 9. aqua. Qui sanguis ante passionem impassibiliter datur discipulis, quibus salvator dicit: Bibite ex hoc omnes: hic enim est
Matth. 26. Sanguis meus novi testamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et ideò Christus sui novi sanctique testamenti mediator existens,
Hebt. 9. quod confirmatur suæ mortis intercessione, ut in redemptione earum prævaricationum, quæ erant sub priore testamento, remissionem accipiant omnes, qui vocati & electi essent participes hæreditatis æternæ. Ubi enim novum testamentum est, mors necesse est ut intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Quod spiritu propheticò videbat Zacharias, Deum memorari hujuscemodi testamenti, quod ab æterno disposuerat, per prophetas promiserat, in quo salus, in cujus sanguine liberatio, in quo suprema hæreditas vocatis & electis tribuitur. Quod morte confirmandum ipse videbat, nósque in fide inhæsitante aspicimus confirmatum, de quo *jusjurandum quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.* Quoniam in semine suo benedictionem constituit omnium gentium. *Ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi.* Porro nisi à dæmonum dominatu liberemur, Deo in veritate servire non possumus. Prius enim à dæmonibus est habenda libertas: ante sunt solvenda vincula peccatorum, quibus voluntariè nosmetipsos
Lucæ 1. inexcimus. Prius à carceribus oportet dimitti: quàm justum Deo famulatum exhibere possumus. *In sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Quibus in timore ac miserè vivimus super terram. Ecce à quibus est habenda libertas. Ecce in quibus constituitur pietas. Libertas ab inimicis, evasio à peccatis. Pietas verò, qua Deo servitur, in sanctitate & justitia plenè consistit. Ad hæc pro moribus Christi agebatur adventus, ut liberaremur ab inimicis, & à criminum nexibus solveremur, ut sibi in sanctitate & justitia diebus omnibus serviremus. Connectuntur tria hæc adinvicem in ordine rectè agendi, quorum uno deficiente, moralis acceptáque latria non consistit. Primum liberari à maligno, secundum in justitia & sanctitate servire, tertium sit omnibus perseverare diebus. Sed ubi Spiritus, ibi sancta libertas. Et quoniam inimici semper impugnant, ideò Salvator docuit nos quotidie dicere: Sed libera nos à malo. Et ut liberet, ipse nobis factus est cornu. Fit libertas, cùm
Matth. 6. à visibilibus & corruptibilibus expeditur affectus, cùm amor rerum non allicit, cùm timor non inflectit ad nefas. Sibique in sancti-

ſanctitate ſervitur, cùm ſupra ſenſum hominum agitur vita, cùm affectiones in ſuperna aſcendunt, eùm mores aguntur in omni directione virtutum. In juſtitia porro altiſſimo famulamur, cùm dilectio eſt digniorum uſus & debitorum. Sed in his omnibus perſeverantia opus eſt, ſine qua nemo boni operis præmium apprehendit. Et poſt hæc convertit ad puerum propheta ſermonem, & vates de vate vaticinium earuit. Major ætate minor miniſterio, de minore per tempus, & majore per gratiam exhibet prophetiam. *Et tu puer propheta altiſſimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Acceperat Zacharias in templo per oraculum ab Angelo, qualis eſſet iſte futurus, & quòd præiturus eſſet Dominium in Spiritu & virtute Eliæ: unde hoc quod de puero nato die octava dicit ſoluto vinculo linguæ, magis eſt pateſactio ſuſcepti oraculi, quam canticum prophetiæ, quamquam ipſe ſpiritu prophetico loqueretur. Puer vocandus erat Joannes, quando hoc promebatur à patre, quòd vocandus eſſet propheta aluſſimi. Sed parum erat, quia vocandus erat niſi evidens & Index propheta ſuiſſet. Qui etiam ut Angelus dixit, parare viam Chriſto in cordibus hominum, baptizando & prædicando præivit. Laudatur omnino præire ad honorem & præparationem Domini ſubſequentis. Vituperatur autem, qui propria directione præambulat. Subſequitur Dominus, quos ipſe præmittit: & prædicatores, qui viam Chriſto parare omni virtute contendunt, ſovendo ſequitur. Ad quid etiam præiturus Joannes? *Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus, in remiſſionem peccatorum eorum.* Plebs Dei proximæ ſalutis ſcientiam non habebat, & per quem futura erat, jam latebat in utero, & de longinquo adhuc expectabatur à plebe. Salus autem prima tendebat in remiſſionem omnium peccatorum, cujus tunc Joannes ſcientiam plebi dedit, cùm dixit: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Prædicatorum officium & intentio in his, quæ Zacharias de puero vaticinatur, aut edicit, oſtenditur præire Chriſtum: non à ſeipſis, ſed miſſi ab ipſo, aut ab authoritatem habente. Præire ante faciem ejus, ut ſemper Chriſti notitia ſubſequatur. Parare vias ejus, ſcilicet prædicare virtutes, quibus iter eſt, quo ad homines veniat altiſſimus Filius altiſſimi Dei. Et ut dent auditoribus ſcientiam de ſalute, ut oſtendant plebi, non in quibus corporis, ſed in quibus animæ ſalus vera conſiſtit, ut inſtruant populum, in quibus ſit tota remiſſio peccatorum. Quo autem affectu fiat ipſa remiſſio, adhuc vaticinando profert: *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitavit nos oriens ex alto.* Per illa interiora ſui cordis vitalia, ſcilicet amores inviſibiles miſericordiæ ſuæ, quibus motus ex alto veniens, nos viſitare dignatus eſt, ut in illa ſua ineffabili & incomprehenſibili dilectione peccatorum hominibus tribuatur remiſſio: qua incarnari, naſci, viſitare, converſari, docere, pati, mori pro nobis voluit. Quibus viſceribus, qua dilectione, *illuminare* diſpoſuit his, *qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos* etiam *pedes noſtros in viam pacis.* Hoc Iſaias multo prædixerat tempore: Populus gentium, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: ſedentibus in regione umbræ mortis lux orta eis. Corporales tenebræ illic ſunt, ubi omnis eſt privatio lucis, ejus ſiquidem abſentia regnum conſtituitur tenebrarum. Quanquam nihil ponatur in rerum natura, tamen ſic eſt ordo loquendi, ut privatione lucis tenebrarum poſſit eſſe cognitio. Ipſæ lucem apprehendere nunquam poſſunt, quæ per privationem fiunt. Tunc fugantur à luce, qua recedente veniunt. In tenebris verò ſedere, non ſituliter dicimus, ſitum enim ipſæ non faciunt, ſed in locis ubi nulla eſt præſentia lucis. Sed nec de his corporalibus tenebris, ſeu de corporali luce, iſtorum prophetarum fuit intentio, ſed de tenebris ignorantiæ atque peccatorum, quibus animæ involvuntur. In quibus ſedebant Judæi & populi nationum, pro eo quod in his poſiti erant ſedentes, velut qui corporalibus tenebris circumſepti, cùm, quo pergant, neſciunt, etiam inviti ſedendo quieſcunt. Nec lux iſta veritas jam orta fuerat, quam ſequi poſſent, ne in tenebris ambularent. Quæ cùm exorta fuiſſet, & apparere cœpiſſet, in moribus & in verbo elamavit, dicens: Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ: quam qui ſecuti ſunt, tenebras evaſerunt, tam ex Judæis, quàm ex populis nationum. Hinc etiam Jeruſalem dicebatur: Surge illuminare Jeruſalem, quia venit lumen tuum. Et poſt: Et ambulabunt gentes in lumine tuo. Ut Zachariæ vaticinium de illuminatione illorum, qui ſedebant in tenebris, non ſolùm ad Judæos, ſed etiam referatur ad gentes. Quòd verò umbram mortis adjungit in quandam ſecretiorem conſiderationem immittit. Eſt enim mors, & eſſe dicitur umbra mortis, & ut à corporalibus ad ſpiritualia tranſeamus, in his differendi ſumamus exordium. Mors eſt privatio vitæ, aut ſeparatio animæ vitalis à corpore vitam habente, quæ à mordendo nomen accepit, aut quia

Lucæ 1.

Iſaiæ 9.

Joann. 8.

Iſaiæ 60.

nimis

nimis mordet, aut quia morſum ſolum facit in parte, non enim in toto compoſito mors poteſt habere dominium. Non de animalibus ratione carentibus, ſed de hominibus loquimur, in quibus mors, virtute præcedentis doloris, corpori ſenſum adimit, unde anima ipſa recedit, in qua mors non poteſt amplius deſævire, ut illi ſenſum adimat, & ad nihilum redigat. Proinde mors in parte mordet, in mortem totum vendicare non poteſt. Umbra verò mortis eſt ſomnus ſive dormitio, quæ propriè dicitur mortis imago. Eſt etiam umbra mortis, omnis infirmitas, qua vehementer corpus opprimitur, quando extaſis aut ſenſuum alienatio invaleſcit. Nam ſicut umbra, prout in corporibus agitur, eſt aer carens ſole, ſic cùm de hominibus dicitur, eſt quædam vita ſine uſu rationis & ſenſuum corporis. Sic in ſpiritualibus, reperimus mortem, & umbram mortis. Mors ſpiritualis animæ, cùm peccando ſeparatur à Deo, qui eſt omnium vita, & cùm æternè in infernu detruditur. Umbra verò hujuſcemodi mortis, eſt carentia veræ cognitionis, carentia veritatis & fidei & lucis æternæ. Fit umbra in aere ab objecto corpore luci, quo remoto, aeris pars illa clareſcit. Sic aliquid fit in animabus hominum, quod ſupernæ atque internæ luci objicitur, unde illa umbra mortis generatur. Sed removeri dum vivitur poteſt, quouſque detrudantur animæ in infernum, omne, quod luci opponitur, ut umbra generetur. Hinc Zacharias diſſerendo fatur: Illuminare his, qui in tenebris & in umbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Claret de corporali luce, ac corporalibus tenebris non loqui Zachariam, ſed de ſpiritualibus, ut tenebris hujuſcemodi jam depulſis, umbra mortis abjecta, pedes noſtri, affectus pariter & intellectus, pacis dirigantur in viam, illius ſcilicet, quam mundus ignorat, qua carens, aliis conferre non poteſt: ſed in illam, quæ ſuperat omnem ſenſum, quam proximus paſſioni ſuis diſcipulis Chriſtus dereliquit. Deinde redit evangeliſta in declarationem præcurſoris, ob quem ſupra poſita ſunt contexta, dicens: *Puer autem creſcebat*, Luc. 3. ſcilicet mole ſui corporis, & *confortabatur Spiritu*, ſcilicet ſancto, quo ex utero plenus erat. *Qui acceſſit ad deſertum, in quo moratus eſt uſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.* Tempus acceſſionis, ſcriptura non explicat, ſed à puerilibus annis deſertum incoluiſſe credendus eſt, & loca quæſiviſſe cuſtodiæ remotioris conſilentiæ, apta contemplationi, orationi congruentia, & amica mœroribus, ubi tamdiu ſtetit divinis revelationibus vacans, & ex omni ſe divinis theoriis intendens, quouſque mandato Domini ad Iſrael in opere ſacri myſterii monſtraretur. *Et habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ejus. Eſca autem ejus, erant locuſtæ & mel ſylveſtre.* Agreſtis erat vita Joannis, neque deliciis aliquando legimus ſtuduiſſe, qui ex teneris annis deſerti incola factus eſt. Qui contempta carnis mollitie, hiſpida veſte ac ripoſa indutus eſt, de pilis ſcilicet camelorum. Decens veſtimentum cuilibet Chriſtiano, ut vanitate careat, ut non paſcat oculos intuentium, ut ſit ſine nota laſciviæ, ut carnem delicatè non tegat, ut ſignet hujus vitæ contemptum, ut vilitati & abjectioni conveniat, neceſſitati non voluptati commenſuratum. Maximè autem ei competit veſtis inculta, qui ſuperna doret, qui catechizat indoctos, qui ad concionem profert rudimenta ſalutis: zona verò pellicea circa lumbos ex adverſo confundit Baltheos ſuperborum, qui etiam in zonis vanitatem oſtendunt, & in cingulis extollentiam pandunt: & quæ prohibiturus erat, quem præcurrebat, in ſe carendo damnavit. Quoniam Salvator dicit: Nolite portare aurum, neque argen- Lucæ 3. tum in zonis veſtris. Cibus ejus, non eſca electa, ſed vagæ locuſtæ, ut etiam pene famelicis comedere ſit horrori. Sylveſtre, mel illud erat, quod ex ſylveſtribus apibus condebatur, non hominum ſtudio, aut apparatu receptaculorum, ſed prout in concavitatibus arborum his aviculis natura dictabat. Igitur admirando conſiderate hunc puerum adoleſcentem, quanta inedia corporali continuò laborabat, qui Chriſtum imitabatur, ante quem factus erat, quem vita & prædicatione præibat. Paternas ædes abhorrens, deſertum horridum cœpit incolere, parentum blandimenta devitans, divinis directionibus agebatur, cognationem omnem dimiſit, proprios lares derelinquens. In deſerto, cælum pro tecto ſuſcepit, cui ad impreſſiones aereas, penitus obex non erat. Familiaritas hominum non eum vinculavit in ſæculo, ſed in deſerto beſtiis domeſticus erat: non lecto recubuit, non operatonis uſus eſt, ſed gubernationi Divinæ totus expoſitus ſubjacebat. Apparatus ciborum, ſolicitudo rerum, commoda corporis, à ſuo animo & moribus exulabant. O amabilis & admirabilis adoleſcens, ſpiritu plene, ſanctitate in utero immaculatè conſtans, quæ te trajecit neceſſitas in deſertum? Quid te adversùm te tam rigidum fecit? Quæ te culpa premebat, ut ad illam abſtergendam tot pœnis ſubdereris? Multa tibi jam erat de te mittente nontia, pro quo cuncta ſic aſpernabaris. Porro ſuſpurabas indubitata

fide in aliam vitam, pro qua iſtam ſic paruipendebas. Erat tibi pro ſtercore mundus, cui repudii libellum iam ſubitò intuliſti. In membris adhuc rebellionem non ſenſeras, & ipſa quaſi ab infantia cruciatibus mancipaſti, tibi nullam alimoniam carni delectabilem præſtans. Suſpenſo in cælo ſpes humanæ vitæ viluerat. Noveras certè myſterium tuum, ad quod prædeſtinatus atque miſſus eras Proinde te ſervabas in deſertis immaculatum, ut purus puriſſimo occurreres venienti, cujus propheta altiſſimi diceberis: & qui debebas aquis intingere ſalvatorem, ne te macula contingeret, præcaviſti. Ad contemplandum hunc juvenem, ſacra Evangelii ſcriptura offert omnibus ſectatoribus veritatis, Chriſtianæque virtutis, ut ſit forma vivendi valentioribus in Chriſti amore, atque forma humilitatis his, qui ad tam arduа manum mittere nequiverunt, aut velut tepidi noluerunt: Qui ab ipſis primordiis, quibus ætas hominum absque adminiculo itinerare non poteſt, habitator deſerti factus eſt, hirſuta veſte utens, qua magis caro pungeretur ad tactum, quàm ad ſolamen acciperet. Inſolitus cibus & aſper, & potus amnis erat Et hoc is, qui non peccaverat, qui à Spiritu Sancto ablutus erat in aluo. Quid autem ex iſto ſumendo normam, facere deberent hi, qui peccaverunt? Qui tamdiu hæc in deſertis agebat, quoulque in juſſu Domini mundo ad myſteria complenda pateſceret, non tamen vitæ agreſtis mutata cenſura. Tempus verò manifeſtationis, Evangeliſta ſenoſa narratione deſcripſit, dicens:

Lucæ 3. *Anno quintodecimo Imperii Tyberii Cæſaris, procurante Pontio Pilato Judæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre ejus tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lyſania Abilenæ tetrarcha, ſub principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum eſt Verbi Domini ſuper Joannem Zacharie Filium in deſerto.* Quia hic fuit miſſus à Deo. Hic venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet de lumine, ut omnes

Joann. 11. crederent per illum. Non erat ille lux, ſed ut teſtimonium perhiberet de lumine.

Lucæ 3. *Et venit in omnem regionem Jordanis.* Deſcriptio temporis, ad evidentiam eſt factorum, ſimiliter & futurorum. Habet etiam incluſum myſterium: mores verò intendimus, niſi per violentiam non contineret. Manifeſtatio tamen præcurſoris ſe fidelium obtutibus magis offert, quæ niſi per mandatum Dei facta non eſſet, ad omnium volentium verba proferre exemplum, ne præter mandatum Domini foris loquendo procedant. Superbia eſt, velle notum fieri, & per virtutem prodire in publicum, non paruæ temeritatis, niſi deſuper juſſio veniat, & directio, ubi ſemina Divina jaciantur. Virtus in neceſſitate eſt cuilibet ad ſeipſum: Verbum verò, ad alios habet oportunitatem: non tamen ex propria voluntate, ſed ex alterius directione: ſed ubi voluntas & neceſſitas pari modo aut diſpari quandoque concertant, neceſſitas prævaleat, non voluntas. Hic verò fuit miſſus à Deo, & venit in teſtimonium æterni luminis, quod mundo apparuerat, ut de ipſo perhiberet teſtimonium eorum, quæ viſurus erat. Et verè Agnus Dei erat, qui mundi venerat auferre peccata. Et teſtimonium erat daturus ſupervenientis Spiritus, in ſpecie columbina, & paternæ vocis, quæ intonuit ſuper eum. Proinde tot virtutibus præditus erat Joannes, & à teneris annis, diſponente Domino, deſerti incola factus erat, ut ocyus recipereretur teſtimonium ejus de Chriſto à populo Judæorum. Lux verò fontalis Joannes non erat, nec ſua virtute refulgens, quanquam plurimum participaret de lumine, ſed Chriſtus, cui teſtimonium dabat, erat lux vera: non alterius participio, ſed ſuo ortu proprio & æterno. *Venit igitur juſſu Domini in omnem regionem Jordanis.* In quo Chriſtum intitecturus erat, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Et ut pœnitentiam agerent, *quoniam approbinquabat regnum cœlorum.* Hæc ſiquidem verba de pœnitentia Salvator etiam dixit, quæ jam ſunt differta per modicum. Sed diverſitas videtur in verbis, cùm unus referat dixiſſe Joannem, agite pœnitentiam: alius dicere videatur, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Etiam ex Evangelio plenè colligimus, quòd ipſe perſonaliter baptizabat. Dabat Joannes baptiſmum in prævium baptiſmi Chriſti quem prædicabat: non tamen baptiſmus Joannis poterat peccata diluere. Expediebat enim ſuos innectos baptiſmo Chriſti ablui, ut ſequeretur remiſſio peccatorum. Diſponebat porro Joannes verbo illos, qui baptiſmo Chriſti abluendi erant: actu verò, etiam corpora præparabat. Baptiſmum verò Chriſti & pœnitentiam prædicabat in remiſſionem peccatorum, tam baptiſmus pœnitentiam includit: pœnitentia verò ad baptiſmum perducit, ut nemo ad baptiſmum accedat, niſi primò pœniteat: pœnitentia non valeat, niſi aqua perfundat. Et verbum intemè factum ſuper Joannem, dum morabatur in deſerto ſolitariè, ipſum illico inſtruxit, ut virtutem dandam elementis per verbum prolatum agnoſceret: nec ſalus hominibus eſſet, niſi corporalis eſſet intinctio, quæ per virtutem

tem inditam verbo invisibiliter animas lavat: his duotaxat exceptis, qui in sanguine aut flamine abluuntur. Duo protinus ad initiandum homines ad aliam vitam prædicabat Joannes, pœnitentiam & baptismum: pœnitentiam scilicet & recessum à vitiis, ab erroribus, ad infidelitatibus, quibus homines tenebantur: & ablutionem, qua ab hujusmodi contagiis lavarentur initiati ad actionem virtutum. Sic enim Petrus dicebat his, qui timuerunt, quærentes de evadendo consilium: Pœ-
Actuum 2. nitentiam (inquit) agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JEsu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum. Hæc prædicatio semper in necessitate consistit, etiam his, qui ab originali contagio sunt abluti, si aliis contagiis sunt infecti, ut videlicet pœnitentiam agant, & iterum baptizentur, non tamen rebaptizentur:
Hebræ. 8. quoniam, ut ait Apostolus: Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti: gustaverunt nihilominus bonum Dei Verbum, virtutésque futuri sæculi, & prolapsi sunt, renouari rursus ad pœnitentiam: renovari scilicet baptismo, quo culpa duntaxat originalis deletur, & omne crimen, quo intingendus illa hora esset infectus. Sed à posterioribus vitiis post illam primam ablutionem, non est renovatio per eandem. Attamen sunt alia baptismata, in quibus reabluitur, qui resorduit, cùm pœnitentiam egerit. Omnia siquidem sacramenta, excepto propagationis humanæ ablutoria sunt, baptismi sunt. Virtutes etiam lavatoria sunt, quibus lavari possunt hi, qui primam ablutionem, posterioribus peccatorum maculis fœdaverunt. Confirmatur autem prædicatio Joannis vaticinio Isaiæ, cùm
Isaiæ 40. Lucæ 1. Lucæ 14. Jacob. 4. dicitur: *Sicut scriptum est in libris sermonum Isaiæ prophetæ: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Et erunt prava in directa, & aspera in vias planas.* Implerio vallium, exaltatio est humilium. Humiliatio montium & collium, depressio est superborum. Qui deposuit potentes de Sede, & exaltavit humiles. Et alibi: Omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Et Jacobus Apostolus: Superbis Deus resistit: humilibus autem dat gratiam. Et Isaiæ textus sic continet: Omnis vallis exaltabitur. Hæc siquidem per Adventum Domini, & per operationem Christi hominibus provenire denuntiat. Et erunt prava in directa, & aspera in vias planas. Et videbit omnis caro salutare Dei. Obliquati erant homines, & pravi facti erant, nec erat in eis rectitudinem reperire, cùm synagoga recesserit ab observantia præceptorum, & cultibus idolorum erat dicata gentilitas: quamvis in populo Judæorum pauci reperirentur adhuc zelum legis habentes. Et incessanter homines in pravitate cordis sui ambulabant, nec erat, qui ad veritatem dirigeret, neque qui ad rectitudinem homines revocaret. Nuntiabat Joannes illam mundo advenisse justitiam, quæ pravum revocaret ad rectum, & asperum sua virtute molliret. Nam quid pravum & asperum sit in rebus, ipsa evidentia docet, & loquendi consuetudo demonstrat. In moribus alius se objicit intellectus. Nam pravus est omnis, qui ex usu longo, & consuetudine mala didicit malè agere, rectitudinem rationis & justitiæ ut animo & moribus prætermittens. Corrigitur autem per justitiam, quoniam ipsa est, quæ de pravo rectum facit: sive justitia fidei, quæ pravos per incredulitatem dirigit: sive moralis, quæ homines in perditis moribus depravatos ad recta facienda reducit. Pravus est perversus ab aliquo vitio in tantùm, ut intentionem pariter & actionem in seipso pervertit. Pravus est omnis, qui se obstinatè tuetur malo, & adversùs id, quod est bonum, obduratè consistit. Asper est autem omnis, qui inæqualitatem habet, & qui est rigidus eloquio, & conversatione molestus, qui aspernatur salutis monita, & plus rigidè increpat eum justissimè increpantem, quàm fuerit increpatus. Erunt igitur prava in directa, & aspera in vias planas: cùm perversi per justitiam dirigentur, & iniqui ambulabunt vias & semitas æquitatis. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Salutare Lucæ 3.
Dei est Dei Filius ostensus in carne. Aliter oculus carneus videre non potuisset, nisi esset ab eo nostra susceptа natura. Sed Genes. 6.
omnis caro rationalis hominis, non irrationalis animalis: omnis caro Judæi & Græci: quoniam carnis nomine in hoc loco signatus est homo. Sic & in Genesi legitur: Omnis caro corruperat viam suam. Non enim Deus de carne animalium irrationabilium dicit, quoniam eorum merito Deus non disposuerat diluvium inducere super terram, quæ peccare, aut aliquid in virtute agere rectè non poterant. Sed propter peccata hominum volebat Deus mundum universaliter baptizare, ut apertè totum diceretur: Omnis caro, id est, omnis homo corruperat viam suam. Sic & apertè totum in dicto prophetico, quòd allegat Joannes, accipitur, ut omnis caro, id est, omnis homo, videat salutare Dei, scilicet in carne natum Filium Dei. Et quamquam in hac vita singulariter eum omnis homo non viderat, attamen, si unus duntaxat vidisset, rectè dici potest, quòd

omnis vidit, cùm nec ſunt plus omnes homines, quàm unus homo. Etiamſi dum vixit, abomnibus hominibus non eſt viſus, videbitur ab omnibus, dum veniat judicaturus : non tamen in deitate ſua, ſed humanitate ſuſcepta, juxta illam ſententiam, qua dicitur: Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. In hoc Joannes de Iſaia teſtimonium protulit, quòd videbit omnis caro ſalutare Dei, quædam quæſtiuncula me conſtringit, videlicet, quòd hoc non ſequitur ad id, quòd primò allegavit. Nam cùm dicitur: erunt prava in directa, & aſpera in vias planas, ſtatim ſequitur: Et revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quòd os Domini locutum eſt. Et hoc quidem dicitur, cùm Jeruſalem eſſet in Babylone futura captivitas, ne deſperatione Jeroſolyma frangeretur. Quod autem in Evangelio communiter ſcribitur, etiam ex Iſaia ſumptum eſt, ſed multis myſteriis interpolitis, pro illo tempore, quo populus in Ægyptum deſcendit, Aſſyriorum calumniam paſſus. Non tamen omnibus verbis, quibus in Evangelio ſcribitur, ſic enim illa ſcriptura dicit: Et videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Sed eſt ſanè concordia, concentuſque verborum, ſi connexio ſententiarum & cauſa intellectu perſpicaci colligitur. Verùm tamen, ut ſententiarum concordiam poſſimus agnoſcere, prius verborum diſſonantiam videamus. In Iſaia ſcribitur: Et videbit omnis caro, quòd os Domini pariter locutum eſt. Idem Iſaias dicit: Videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. In Evangelio autem: Videbit omnis caro ſalutare Dei. Quod ſequitur continuò ad id, quod Joannes allegat, ſcilicet quoniam os Domini pariter locutum eſt, idem eſt, quod ſalutare Dei: hoc enim os Domini locutum fuerat, quod in plenitudine temporum voluit ipſe Deus mundo revelare. Juxta quam ſententiam etiam Simeon ſenex benedicens Dominum, dixit: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quòd paraſti ante faciem omnium populorum. Quod dicit omnis caro, idem eſt, quod omnes fines terræ, ſcilicet homines, qui ſunt in omnibus finibus terræ: ſenſum verborum, non ſeriem accepit aut Joannea allegans: aut Evangeliſta ſcribens. De viſione verè Fidei atque gluriæ, non eſt per ſingula differendum. *Tunc exibat ad eum Jeroſolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem, & baptizabantur in Jordane ab eo, confitentes peccata ſua.* Ecce prædicatio Joannis ſortiebatur effectum, quia pœnitentiam agebant, confitentes peccata ſua. Et quærebant remiſſionem, cùm baptiſma ſuſciperent. Et jam latè diſperſa erat fama Joannis, cùm ſolùm in regione Jordanis exiſtens, non ſolùm illa regio, ſed etiam de Jeroſolymâ & de Judæa, ut prædicationem audirent, & baptiſma ſuſciperent, properabant etiam peccata confitentes. Sed hæc omnia diſpoſitiones erant ad Chriſtum, & illam ſacramentorum formam, quæ poſt Spiritum Sanctum tradita eſt Eccleſiæ orthodoxæ. Nam prædicatio Joannis, quamquam ex omnibus vera eſſet, attamen ad condendum Evangelium diſponebat baptiſmus ejus, ad eum, quem Chriſtus daturus erat. Confeſſio verò turbarum diſtincta non erat, ut ſinguli ſingulariter peccata Joanni confiterentur, velut Eccleſia Spiritu Sancto prædita, tradidit omnibus fidelibus in præceptum, ut, ſi delinquunt recepto baptiſmate, ad illam veniant iterum abluendi. Et nec Joannes hujusmodi confeſſioni potuiſſet intendere, cùm turbarum multitudine vallaretur. Sed audientes prædicationem ejus, compungebantur, & confitebantur publicè in legis peccaſſe juſtitiam: non in juſtitiam fidei, quam nondum ſuſceperant, cùm Chriſtus adhuc prædicare, atque palam fieri non fuiſſet oxorſus. *Videns autem multos Phariſæorum & Saducæorum venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis: Progenies ſive genimina viperarum, quis demonſtrabit ſeu oſtendet vobis fugere à ventura ira?* Phariſæi ſunt, qui ob aliquid inſigne foris oſtenſum, magis religioſi à cæteriſque diviſi videbantur, Saducæi etiam juſtitiam, quàm non habebant, prætendebant: negantes reſurrectionem, abrenuntiantes prophetis, tantùm quinque libros Moyſi recipientes, & aſſerunt animas cum corporibus interire. Qui an recto zelo, an fallaci venerunt ad baptiſma Joannis, non immeritò dubitatur ex eo, quod Joannes eos tam audacter argueret: dicens: Progenies ſeu genimina viperarum. Diverſitas eſt vocabulorum, non ſententiæ, quoniam progenies & genimina idem in ſignificato & effectu rei conveniunt. Quare autem hos appellaverit filios ſerpentis, eſt quærendum, ne nos poſteri in hanc nequitiam veniamus, aut ſi venimus, abſcedamus: quamvis hoc pluribus ſit diſſertum. Filii autem ſerpentis, qui peſſimos & fraudulentos imitantur, qui terrena ſectantur: quoniam terra illius eſt cibus, qui anfractuosè procedunt, qui humanam habent prudentiam, non divinam, non cœleſtem, ſed omnino terrenam. Proinde Joannes ſic eos arguendo confundit, imò, ne in poſterum confundantur, in conſiderationem cavendorum immiſit. Quis demonſtrabit aut oſtendet vobis fugere à ventura ira? Parum enim vobis ad me pro baptiſmo veniſſe, niſi

Apocal. 1.

Iſaiæ 40.

Luc. 1.

Matth. 3.

niſi vobis melius provideatis in futurum. Sed oſtenſum eſt vobis, ut ad me purificandi veniretis, ſi tremuiſtis ad verbum meum, ſi vos, qui ſapientes & juſti videbamini, vobis omnino non proderit, niſi ut ab ira ventura fugitatis, ab aliquo oſtendatur. Quis ergo oſtendet vobis, ſi fictè veoiſtis, ſi animo contemnitis quod opere diligere demonſtratis, quòd cùm multitudine turbarum curritis: ſi fidem ſequioni plebeiorum, ne diſcordantes ab eis, enam iniqui haberemini, qui quæritis juſti videri, vobis non cedit in proſperum, niſi futurum judicium caveatis, à quo ſententialiter & æternaliter non involui, quis monſtrabit vobis? Sed quia pœnitentiam prædicavi, compuncti eſtis, niſi pœnitentiæ veritatem intus agatis, non ſufficit vobis
Lucæ 3. exterius abluì, *ſed facite fructus dignos pœnitentiæ*, in hoc protinus oſtendetur vobis fugere à ventura ira. Prudens & pia prædicatoris conditio, cùm audacter de vitiis arguerit auditores, ut illico curam adhibeat, ut ſtatim apponat remedia, ne peccatores deſperatione frangantur. Opportunè prædicatori hæc debet adeſſe prudentia, cùm viva voce ventura mala & æterna fuit comminatus, ut ſine intercapedine temporis inferat de cavendo ſcientiam. In foveam deſperationis continuò animus caderet, inevitabiliter ire ſe credens in æternum ſupplicium, ſi nullum poſſet eſſe remedium. Aut Deus judicaretur impius, ſi inevitabiliter ſupplicia peccatoribus ſtatuiſſet. Porro nunquam eſſet Dei miſericordia prædicanda, ſi vitari nullo modo poſſet decernentis juſtitiæ pœna. At quia ſciebat Joannes Dei eſſe juſtitiam ſimul & miſericordiam, noverat etiam mundo oon defore peccatores, & per pœnitentiam poſſe indulgentiam reportare, ac per pœnitentiæ dignos fructus venturam iram faciliter devitare. Sanctus prædicator non odit homines, quamvis opportunè & importunè arguat de peccaos: imò ſi peccatores mordaciter pungit, in eo tamen quòd ſunt homines diligit. Proinde ſtatim ad argutionem ſcelerum annectit remedium agendorum: Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ. Multi multa hic dixerunt, cùm vellent fructus dignos pœnitentiæ declarare. Aliqui comicè, aliqui prolixè, utríque tamen optimè differentes. Ego verò neſcio, qualiter ſum trajectus in alium ordinem diſſerendi. Supra Joannes dixerat: Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnum cœlorum. Similiter & Chriſtus hanc eandem ſententiam protulit, cùm prædicare cœpiſſet, addentes quid ad pœnitentiam ſubſequatur, baptiſmum ſcilicet & credulitatem Evangelii, & regnum cœlorum in præmium pœnitentium. Nunc verò Joannes aliter orſus, pro devitanda ira ventura, fructus pœnitentiæ adjecit, acſi aliud eſſet pœnitentia, aliud fructus ejus. Sed cùm ſæpe pœnitentiam diffiniamus, ad præſens tantùm de fructibus diſſeramus. Omnis quippe virtus proprios habet fructus, quorum primus eſt idem feciſſe quòd eſt. Nam primus fructus fidei eſt credere: ſpei ſperare: charitatis, diligere: humilitatis, humiliari: obedientiæ, obedire: ſicquidem eſt de omnibus virtutibus reperire. Nec primum fructum virtus extra ſeipſam habet, ad ſeipſam per actum ejus fructificando reflectitur. Sicut & in artibus reperitur, ut artis nauticæ navigare primus ſit fructus, lucrum verò, quod ex navigatione venit, non eſt fructus artis, ſed hominis navigantis: & medicinalis artis fructus ſit ſanitatem inducere, lucrum verò fructus eſt medici, non medicinæ. In ſenſibus etiam hominum, fructus viſus eſt videre, quamquam ſit alia hominis videntis intentio, ſic & in cæteris ſenſibus fructus eſt propria objecta ſenſiſſe. Primus igitur pœnitentiæ fructus, eſt in veritate pœnitere: fructus itaque dignus, ſcilicet conveniens eſt pœnitentiæ, ut in veritate in animo fiat. Ventas igitur pœnitentiæ omne placitum, parvum ſive magnum, mundanæ delectationis excludit, & tam viam iniquitatis, quàm mortem corporis plus abhorret. Nullus fructus viſus ſibi eſt indignior, quàm in veritate vidiſſe, cui ſi omnis corporis moles, in quo eſt, deperiret, ſibi non eſſet periculum, dum ipſe poſſet in ſua veritate conſiſtere. Primus fructus & amor naturalis omnium rerum eſt, in proprio eſſe poſſe manere. Porrò fructus pœnitentiæ, cùm ſit pœnitentiam ſcilicet cognitionem peccati & damnú averſionis Divinæ, dolorem malè actorum, odium iniquitatis, cautelam omnimodam futurorum veraciter intus in animo ſuſcepiſſe, iſta in veritate perficiet, contraria quæque devitans, nihil, quàm ſic oon eſſe amplius pertimeſcens. Et cùm præterquam de peccato non ſit in hominibus pœnitentia indita, & præterquam peccatum nihil ſit pœnitentia dignum, expedit, ut dignè alterum altera compenſetur. Dignum ſiquidem peccatum pœnitentia, & ipſa peccato dignè debetur. Erit igitur pœnitentiæ dignus alius fructus, cum ipſa æquabit delictum, aut quòd perperam eſt commiſſum. Dignior autem, ſi omnino ſuperaret. Sed hoc omnino me in ſcientia præterit, quia aliqua pœnitentia poſſet ſuperare peccatum, cùm ſit infinitum pro eo, quo infinito Deo diſplicuit. Audacter dixerim, ſi potuiſſet homo delicta, & peccata per pœnitentiam

ſuperare, gratis fuiſſet crucifixio Salvatoris. Sed quia homo per pœnitentiam peccatum ſuperare non potuit, nec poſſet, etiamſi mala omnia in unum conflata paterentur, ideo infinitus Deus per aſſumptam carnem pro omnibus in cruce pœnitentiam egit. Æquari autem pœnitentia poſſit, ſi tantus eſſet dolor animi, quanta fuit delectatio commiſſi peccati: & æqua futurorum cautela, ſicut fuit prolapſio in commiſſis. Dignè pœnitet, dignisque dicitur pœnitentiæ fructus, cùm ipſa dolendo æquatur ad crimen. Alium fructum pœnitentiæ dignum attentius judicavi, ſi virtutis amor prævaluerit amori, quem quis habuit in his, quibus ante peccavit, & delectatio bonitatis delectationem nequam exuperet, & tantùm ad id, quod nefas eſt, odium degeneret, quanta exuit delectatio, in quibus anima culpatè delectata jacebat. Necnon per abſtinentiam licitorum fructus dignus pœnitentiæ agitur, cùm quis abſtinet ab his, quibus ante peccatum liberè absque culpa uti potuiſſet. Apoſtolus autem in miniſterium juſtitiæ, fructum dignum juſtitiæ poſuit, cùm de liberatis à peccato loquereturdicens: Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ. Sicut enim exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ,& iniquitati ad iniquitatem,ita & nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem. Hæc enim eſt opportunitas Apoſtolicæ ſententiæ, ut ſicut membra hominis, quæ accommodata ſunt animæ, ut ſint inſtrumenta virtutum, quæ anima nequam ſemper convertit ad actionem culpabilem vitiorum: cùm verò per pœnitentiam reſipiſcit, ita convertat in obſequium Divinæ juſtitiæ, ſicut iniquitati per omnia mancipavit. Nec impoſſibilitatem alleget ſectando juſtitiam, valetudinem habens operandu nequitiam, ut ſecundùm menſuram humanitatis fiat, ne minor ſit valetudo membrorum obſequendo juſtitiæ, quàm fuerat obtemperando nequitiæ. Hic protinus eſt ultimus pœnitentiæ dignus fructus, cùm actio in executione virtutis atque juſtitiæ, iniquitatis æquabitur actioni. Sed qui malè agendo veteravit, cujus omnino membra tabeſcunt, animo tamen & upere à peccatn reſiſtit, quid faciet? cùm non poſſit membra ſua tam valide operibus exhibere juſtitiæ, ſicut in iniquitatis obſequium ante conſtituit, & denarium diurnum ſicut matutinus, ita & veſpertinus accepit? Reſponderim, quoniam, quòd membra non poſſunt, à poſitore agonum in actionibus non exigitur, & dives effectus operum ſupplet omnino defectus. Verùmtamen, quoniam multi credunt ſibi deberi veniam bonitate parentum, continuò excludit Joannes, dicens: *Ne cœperitis dicere, patrem habemus Abraham.* Quia ſicut nec iniquitas, ita nec juſtitia denvatur in filios, & ſua quæque merita pro præmio ſive ſupplicio, non alia ſeu paterna hominibus in divino examine reſpondebunt. Nam ſicut Filius non portabit iniquitatem patris, ſic nec paterna juſtitia fulcietur. Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur, ut juſtitiæ unius in alium non poſſit eſſe transfuſio. Nemo igitur confidat in prædeceſſoris juſtitia, ſi ſibi dominatur iniquitas. Nemo ſibi de ſanctitate alterius blandiatur, niſi & ipſe velit ſe in virtutibus exercere. Ut incunctanter affirmen, nec Chriſti miſericordia, & omne meritum ejus, ac etiam totius ſuæ ſanctæ Eccleſiæ, opem poſſit hominibus ferre, niſi ab iniquitatibus reſipiſcant, & quantùm permittitur, dignos pœnitentiæ fructus agant. Decrevit ab æterno Divina juſtitia, ut voluntariè malè agentibus & inpœnitentibus merita nulla ſubveniant. Proinde Joannes hanc præſumptionem interlmit, ut Filiis merita paterna ſubveniant: quoniam Filii Abrahæ non computantur in ſemine, ſed in fide ac imitatione morum, & directione virtutum. *Dico enim vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare Filios Abrahæ.* Qui ſecundùm repromiſſionem ſibi factam non ſunt traduce carnis, ſed infuſione virtutis. Ac per hoc undecunque homines ad fidem Chriſti veniant, ſunt Filii Abrahæ. Nam Zachæus, qui gentilis erat, ne de populo circumciſo fuit natus, à Chriſto, in domo ſua recumbente, appellatus eſt Filius Abrahæ, pro eo, quòd fidem Abrahæ imitabatur. Hanc etiam concertationem Apoſtolus ad Galatas apertè diſſeruit: Abraham credidit Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt, hi ſunt Filii Abrahæ. Providens autem ſcriptura, quia ex fide juſtificat gentes Deus, prænuntiavit Abrahæ: Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham, cujus filii ſecundùm Joannis Bapniſtæ ſententiam poſſent de lapidibus, imo de quibuscunque creatis à Domino ſuſcitari. Sed intendebat Joannes his verbis in eos, qui de gentilibus aderant, & idololatrico cultu lapides adorabant, qui credentes in Chriſtum, facti ſunt Filii Abrahæ, cùm fidem, quàm Abraham tenuit, ſunt profeſſi. Non poterant juſtificari Phariſæi & Saducæi ex operibus legis, nec Abrahæ merita eis prodeſſe potuiſſent, niſi fidem Abrahæ oſtenſam in Chriſto, animo & moribus profiterentur. Et transfertur in omnes gentes, omnésque Judæos, quòd Joannes adverſùs Phariſæos protulit & Saducæos. Gentiles

Roman. 6.

Matth. 3. Lucæ 3.

Gal. 3.

tiles verò', qui à Joanne lapides appellati ſunt, ſic & Apoſtolus ad Galatas ſubſequenter ad prædicta dicit, qui gentiles & Græci fuerant: Omnes enim Filii Dei eſtis, qui Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus neque Græcus, neque ſervus, neque liber, nun eſt maſculus, neque fœmina, omnes enim vos unum eſtis in Chriſto JEſu. Si ergo vos unum in Chriſto JEſu, ſi autem vos Chriſti, ergo Abrahæ ſemen eſtis, ſecundùm promiſſionem hæredes. Verbum autem Joannis de ſuſcitatione filiorum Abrahæ, enunciativum erat D.vinæ potentiæ, nec non & propheticum: quoniam ſic in poſterum factum eſt, ut orthodoxa Eccleſia Chriſti, ubi ſunt ſecundùm repromiſſionem & fidem Filii Abrahæ, de gentibus ſit collecta. Nullus igitur dona Divina deſperet, nullus cauſetur de potentia Salvatoris, quoniam, ſi non repugnabit (quamvis ut lapis appareat durus & inſenſibilis) ſi Divinæ vocationi ſubjacebit, ut lapis permittet ſe manuduci ad formam fidei & cæterarum virtutum inviſibiliter inducendam, fidelabitur in Filium Dei: quia quòd impoſſibile videtur homnibus, Divinæ ſubjacet poteſtati. Et ideò dicit Joannes: Facite fructus dignos pœnitentiæ. Ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham, credentes in ejus ſalvari juſtitia, ejus fidem penitus non habentes. *Quoniam jam ſecuris ad radicem poſita eſt. Omnis ergo arbor non faciens fructum bonum, excidetur & in ignem mittetur.* Similitudo eſt, ſecundùm quam Joannes loquitur, non per proprietatem. Unde ſicut ſecuris ad radicem ſterilis arboris judicio Domini ponitur, ut excidatur ad combuſtionem ignis: ſic ſententia Divinæ juſtitiæ ad voluntatem hominis poſita eſt, ut homo ſterilis excidatur de congregatione verorum fidelium electorum, æternis ignibus inconſumptibiliter mancipandus. Ad radicem ſiquidem, quoniam omnis virtus arboris eſt principaliter à radice, qua evulſa, incrementum arboris non ſubſiſtit, nec fructus germinare amplius poteſt. Illud, propter quod homo fructificat, ipſa eſt ei voluntas, quæ ſic eſt in homine, ſicut radix in arbore. Igitur meritò ſententia Divinæ juſtitiæ ponitur ad voluntatem, quia nemo ex eo quod malè egit, ſed ex eo, quòd malè voluit, quo fructificare in virtutibus pro beatitudine noluit, judicatur. Quòd verò jam dicit, tempus inſinuat, ſed ab æterno fuit Divina juſtitia. Tunc verò detur poſita, cùm creatura illius capax condita eſt, ut bene agens præmiaretur, & puniretur delinquens. Magis de proximo videtur Joannes aſſiſtere, in Chriſtum duntaxat intendens, quia Pater omne judicium dedit Filio, & poteſtatem dedit ei judicium facere, quia Filius hominis eſt qui bonas præſervet arbores, ad meliora commutans, ſteriles verò ignibus tradat. Ad cujus Verbum paveſcebant turbæ, incipientes quærere copiam evadendi. Nam ſequitur: *Et interrogabant turbæ dicentes: Quid ergo faciemus?* Si Dei Verbum in veritate à concionatore proceſſit, ſi verè ad audientium corda pervenit, protinus timorem incuſſit. Timor verò cautelam à periculis fecit inquirere. Signum evidentiſſimum eſt profectus verbi, timor & compunctio audientium: quoniam ſtatim ſe conferunt, unde æterna poſſint cavere pericula. Evidentius autem eſſet, ſi ad actionem virtutum ſe per omnia dedicarent: quoniam initium timoris eſt velle culpam ſuccidere, unde homo torquetur: medium verò ejus, id velle perficere, unde quieſcat: tota ejus perfectio cùm abceſſerit, ſedemque omnimodam in anima reliquerit charitati. Quærunt ergo turbæ, quomodo poſſint divinam ſecurim effugere, ne velut ſterilis arbor mittantur in ignem, dicentes: Quid ergo faciemus? Soleti & terrenti verbo Joannes locutus eſt, ad quod etiam eſt ſolertiſſimè vigilandum. Nam non dixit Joannes ſecurim poſitam ad radicem arboris malos fructus utique producentis, ſed quia bonos non produxit ſit pro ignibus evellenda. Quid ergo de his, qui operati ſunt iniquitatem, qui tyrannidem exercuerunt, qui bella finitimis perperam intulerunt, qui in minùs potentes debacchati ſunt, qui pauperes & innocentes indebitè vexaverunt, qui divites facti ſunt ſpoliis alienis, & ut perſtringam, qui ſunt cæteris ſceleribus & criminibus irretiti. Nempe à minoribus factus eſt alcenſus ad pœnam, ut ſi is, qui bona non fecerit, cibus ignis efficietur: quid fiet his, qui omni contempta Divina lege Domino peccaverunt? Sed turbæ tantùm audientes à Joanne de non faciendo bonum poſſiam ultionem, ut in illam non veniant, quid ſit faciendum inquirunt. Juxta quòd quæſitum eruditio eſt Joannis, qui reſpondens, dicebat illis: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.* Non dat hic de non faciendo malo cautelam, ſed de benefaciendo doctrinam: quoniam ad benefaciendum actio iniquitatis excluditur, tanquam bonum non poſſit procedere ab iniquo. Etſi bonum interdum proficit opus iniquo facienti non cedit in meritum. Hinc bene Iſaias, cùm populum inſtitueret, pnùs mundationem à ſceleribus, & quietem à vitiis poſuit, quàm intuliſſet de benefaciendo ſcientiam, dicens: Manus veſtræ plenæ ſunt ſanguine, lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitatio-

Ibidem.

Matth. 9.

Lucæ 3.

Iſaiæ 1.

tationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere perversè, diſcite benefacere. Sic Joannes quaſi jam ſuſtuliſſet per Verbum ab hominibus vitia, de opere miſericordiæ ad proximum protulit diſciplinam: Qui habet duas tunicas, det non habenti, in remedium ſcelerum jam factorum: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Hoc nempe conſilium dederat Daniel regi Chaldæorum, ut ſibi ſuper peccatis ſuis indulgentia præſtaretur, dicens: Quamobrem
Dan. 4. conſilium meum O! Rex, placeat tibi, & peccata tua Eleemoſynis redime, & iniquitates tuas in miſericordiis pauperum. Sed nec Joannes per indiſcretionem, aut per difficultatem jubet turbis eleemoſynas elargiri, cùm de eo quòd ſupereſt, mandat fieri compendia indigentium, & de ſuper copiam habentibus, non habentibus fieri ſupplementum. Nulla erit excuſatio jam fulcitis, ſi non fovent de ſuperfluis indigentes. Charitatem & compaſſionem ad proximum in verbis ſuis includebat Joannes, & effugere futuram ſententiam per Charitatem proximi fieri poſſe monſtravit: quoniam charitas ad proximum adeſſe inſinuat charitatem ad Deum: & charitas, quæ operit multitudinem peccatorum, ſine qua nemo juſtus, cùm qua omnis manet ſecurus. Huic alius Joannes quaſi ſimili ſententia correſpondet, licèt communem
1. Joan. 3. videantur induere: Qui habet ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? At ſi charitas Dei non manet in homine, quomodo ſibi ab incidenti ſecuri & ab intruſione gehennæ poteſt eſſe ſuffragium? Quamobrem quòd conſulit præcurſor, exequatur auditor, & ſi non de neceſſario, ſaltem de ſuperfluo indigentibus tribuat.
Lucæ 3. *Venerunt autem & publicani ut baptizarentur, & dixerunt ad ipſum: Magiſter, quid faciemus?* Virtute plenus erat ſermo Joannis, hujuſcemodi homines ad ſe trahens, ut publicani, qui erant ab Imperatore in publicis exactionibus conſtituti pro remedio ſalutis accederent. Quibus Joannes non damnans officium dat exigendi cenſuram, cùm dixit ad eos: *Nihil amplius quàm quòd conſtitutum eſt, faciatis.* Hoc nomen non maculam portat, ſed à Publio Scipione Romano conſule, qui ad exactionem hujuſcemodi primo homines poſuit, initium ſumpſit, ac etiam, quia talis exactio in utilitatem reipublicæ vertebatur, unde publicanum nomen in poſterum inolevit. Non damnat Joannes exactiones principum, cùm fiſcalem interdum exigunt pro communi utilitate pecuniam. Et principibus mundi expedit rempublicam in tranquillitate tueri, & pro eventuum varietate in proviſionibus & agendis fiſcum regium decet ſemper eſſe refertum, velut fons in ſe continens originalis aquæ abundantiam, qui diverſis rivulis ad diverſa loca derivatur. Sed hi, quibus eſt exigere conſtitutum, nihil amplius exigant, quàm quod prima dictavit authoritas. Nec ſuo conſilio ſuaſit Joannes publicanis à reipublicæ exactione recedere, ſed ipſam exercere ſecundùm juſtitiam conſtitutam. Indiget gubernatione principum, & legum conſtitutione mundus, ne malorum inſurgat improbitas, inſurgens prævaleat, ne ſuccumbat innocentia non defenſa, ne impiè perturbetur bene civitas conſtituta, ne hominum mores impunita iniquitate procedant, ex quo fit opportuna exactio fiſcalium rerum, dum tranſit vera & juſta intentio, & actio exigentium, ne publica exercentes officia damnum patiantur ratione privati. Nam hæc eſt recta ordinatio quorumcúnque hominum, ut juſtè perficiant ad quod ſunt per publicam juſtitiam inſtituti. *Interrogabant autem eum milites dicentes: Quid* Lucæ 3.
faciemus & nos? Et ait illis: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis. Contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Non abrogat Joannes militiam, quæ reipublicæ ſervit, ſed illam non tanquam malum vituperans, quid in illa ſit cavendum edocuit. Nam bonum eſt ſub juſto principe militare, juſtè bella movente atque propulſante improbitatem hominum, ut in pace agatur vita bonorum. Bonum ex militare, ut tuta maneat imbecillitas, ne ipſam opprimat fera potentia. Feliciter militatur, & juſtè arma moventur contra eos, qui vexant hominum pacem, qui contra quietos inſurgunt ad necem: magis laudabiliter militatur, ubi pro fide bellum indicitur. Porro expedit ſecundùm rei eventus neceſſario militare, maximè ſub juſto duce, juſtam cauſam tuente, ita duntaxat, ut nullus concutiatur injuſtè ſub velamine juſtæ militiæ, nec inferantur damna eis, quibus militia debuit eſſe protectio. Et ſi non protegi debuerunt, aut non indiguerunt, tamen ex ipſa non debentes reportare, ne velint ditari alienis emolumentis, ſed contenti maneant ſtipendiis conſtitutis. Indignum enim eſt, & omnino in monbus intolerabile, ut juſtitiæ fautores fiant graſſando prædones, & reipublicæ cura illico deſtruitur, cùm militaris ordo graſſatur. Et inemendabiliter mala nocent, cùm tutor prædo efficitur, cùm miles per improbitatem accipit, quæ per probitatem defendere debuit, ne ab hoſtibus tollerentur. Perperam protinus cùm damnóque tenetur gladius militaris, cùm ordinatur ad æmulos, debacchatur in ſuos.

Proinde

Proinde Joannes milites admonet, ut neminem aliquo modo concutiant, cùm ad hoc constituti sint, ne indebitè ab aliis concutiantur, ne inferant calumniam, cùm debeant propellere inferentes. Sint contenti constitutis stipendiis. Quæ, ut Imperator daret, ab hominibus defendendis accepit. Et publicani constituti ad exigendum insinuant, quod ad fiscum implendum pro militibus exhauriendum exigebant. Non ergo fas est, ut qui constitutum censum dedit in obsequium reipublicæ, iterum exigendo vexetur à milite facto prædone. Atque videtur esse justa militia, cùm Joannes non reprehenderit milites, sed tantùm dissuaserit, quòd in militia tribui posset ad crimen. Sed utique justa, imò necessaria ex tunc, ut lex exorta divinitus, non dico tantùm Moysaica aut Evangelica, sed cum lege naturæ militia sociatur. Nam lege originalis justitiæ licitum est perversos homines propulsare, ac resistere illis, qui bella pacificis & innocentibus indicere tentaverunt. Et quamquam Salvator tolerare sine reprehensione vicissitudinis dixerat mala, quæ posset inferre, quicúnque aliis vellet esse molestus, ut non reperat authoritate sua ille, qui patitur, tamen voluit, ut per rectores reipublicæ iniquitas hominum arceatur: nam nec fuisset necessarium militare, nisi homo alium hominem vi opprimere prætentasset. Et sicut Lex Moysaica omnisque alia Lex propter prævaricatores posita est, ita propter reprimendum infestos debuit esse militia: nam Deus per suos Angelos sæpe militat adversùs malos, & boni contra superbos in cœlo victricem militiam perfecerunt. Et
Genes. 14. Abraham postquam promissionem terræ Cananæorum accepit, & cùm esset Dei electus, pro defensione oppressorum innocentium militavit, ordinans ad expeditiones suas trecentos decem & octo vernaculos, cum quibus ordinatis in bellum irruit super reges, qui alios per rapinam potenter oppresserant, & reduxit prædam, & retraxit spolia, restituit spoliatis, nec præter victum quippiam plus accepit. Dedit tamen victimas Melchisedech Sacerdoti Dei, & ipse ab eo accepit benedictionem, & panem & vinum in figuram futuri mysterii. Nihilominus tamen illi in tunc sibi fuit licita ratio militandi, reprimendo improbos, tuendo quietos. Militavit Moyses, cùm interfecit Ægyptium, qui injustè opprimebat Hebræum. Militavit in eremo, cùm adversùm se videbat injusta bella consurgere. Militaverunt, ducésque militando fuerunt, Josue, Gedeon, Barach, Samson, Jepthe, Samuel, David, multique reges veteris testamenti, quos rectè incessisse dicimus, & salvos esse fide tenemus. Militaverunt Machabæi, militaverunt etiam justè quàm multi principes & populi Christiani, in honorem Dei & Zelo legis, amore virtutis, odio iniquitatis, ad coercendam humanam audaciam, ad ruendam innocentiam, & ut sedaretur Respublica & Scipio esset omnibus vera justitia. Et quamquam multi fungantur militiæ nomine, illorum tantùm est vera militia, qui adversùs perversa & turpia bella movent: cæterorum verò non est militia, sed aut violenta prædatio, quod juris est alieni, aut indignati animi odiosa vindicta.

Existimante populo, & cogitantibus omnibus Luc. 3.
in cordibus suis de Joanne, ne fortè ipse esset Joan. 1.
Christus, miserunt Judæi à Jerosolymis Sacerdotes & Levitas ad eum, ut interrogarent eum: Tu quis es? Pia, sed non vera erat ista existimatio populi de Joanne, qui taliter seipsum in virtute monstrabat. Sic prædicabat veritatem atque justitiam, ut nondum innotesceret Christus, quod sic non immeritò crederetur. Sed hæc existimatio in eorum judicium vertebatur, quia cognitionem per fidem de Christo venturo habebant, quem jam in Joanne venisse credebant. Et nimirum ipsorum damnatio cumulatur, cùm tanta esset existimatio de Joanne, ut Christus esset crederetur, quòd ei de Christo vera dicenti nulla ratione credebant. Sic unusquisque, quantùm sibi permittitur, bonus sit virtutis amator, non ut de ipso bonitatis fama glorietur, sed ne infamiam incurrat, omnino devitet. Si verò fama virtutem excesserit, caveat, ne super id, quod est, rapiatur. Nam & Joannes se infra claustra humilitatis tenebat, cùm plus, quàm esset, de ipso crederetur, nec præsumebat rapere, quod sibi inperitum vulgus videbatur offerre. Si autem sopito virtutis nomine infamia quisque tabescere, constantia opus est, ne virtus elidatur in animo, & ne animus atteratur per infamiam depressa virtute: quoniam néque fama bonos, nec infamia potuit facere criminosos. Et justus judex meritorúmque liberator non secundùm famam, aut infamiam, sed secundùm veritatem virtutis & vitii homines judicabit. Proinde quid Joannes interrogatus à Levitis & Sacerdotibus responderit, audiatis: *Et confessus est, & non negavit: confessus est, quia non sum ego Christus.* Omnis servi est, & cujuscúnque legati, sibi non appropriare, quòd novit esse Domini sui, & si quippiam offeretur, dare repudium. Nemo ut stultus supra seipsum opinione hominum rapiatur, si novit sibi omnino deesse, quod creditur. Spectat ad mentis constantiam existimatione magna hominum non ex-

tolli, etiamſi adeſſet, quod fama vulgarium clamat, intra humilitatis & vilitatis clauſtra ſe famoſus includat. Ecce Joannes Divina non rapit, oblata reſpuit, quod novit eſſe Chriſti, non arrogat ſibi. Suſpenduntur patibulis, qui temporalia diripiunt, qui Domino inuito aliena contrectant: quid autem erit eis, qui Divina rapiunt, qui divinos honores inquirunt, qui etiam impertinenter oblatos non reſpuunt? Formam præſcripſit Joannes, ne quisquam ſupra id, quod eſt, rapiatur. *Et iterum interrogant eum: Elias es tu? Qui dicit: Non ſum.* Lucæ 3. Matth. 11. Prædixerat Angelus Zachariæ, quòd Joannes JEſum in Spiritu Eliæ præiturus erat, non tamen quòd perſonaliter Joannes eſſet Elias. Salvator etiam proteſtatus eſt: Si vultis recipere eum, ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Ac per hoc, ſi vera eſt ſententia Domini Salvatoris, quòd ipſe ſit Elias, quomodo ſtabit reſponſio præcurſoris, non ſum Elias? Sed ipſa verba ſacræ ſcripturæ perconſiderata propenſius ipſorum dubia ſolvunt. Dicit namque JEſus de Joanne: Ipſe eſt Elias, qui venturus eſt. Quomodo Joannes, qui jam venerat, fuit Elias, qui venturus erat, niſi quia Joannes, qui jam venerat re non erat Elias, ſed Spiritum habebat ejus, qui jam tempore regum venerat, & ante judicium iterum venturus erat. Firmam igitur tenet Joannes veritatis cenſuram, quòd neque Chriſtus, neque ſit Elias inſinuans. *Iterum interrogant: Prophetа es tu? Qui reſpondit: Non.* Joann. 4. Propheta Elias erat, quem eſſe ſe denegat. Quid igitur, an ſit propheta ulterius interrogatur. Reſpondetur: Erat propheta Elias, & ſingulos tamen habebat inceſſus, & more Joannis deſerta incoluit: aut Joannes imitando Eliam, in deſertis quaſi ab infantia ſolitudinariè habitavit. Poſteros namque prophetas ſic peregiſſe non legimus. Quamobrem ſi non eſt Chriſtus, aut Elias, an ſit aliquis ex priſcis prophetis, inquiritur. Et hoc quoque denegat, quia duntaxat præſens propheta exiſtens, aliquis ex priſcis eſſe non poterat, qui nedum propheta, ſed plusquam propheta fuiſſe commendabatur à Chriſto. *Dixerunt enim ei ſcilicet hi qui miſſi fuerant: Quis ergo? ut reſponſum demus his, qui miſerunt nos. Quid dicis de teipſo? Ait: Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domino, ſicut dixit Iſaias propheta.* Iſaiæ 10. Hoc, quod de Iſaia inducitur, prædixerat turbis, ſed nunc ſenò interrogatus replicat Sacerdotibus & Levitis. Aliter rei geſtæ veritas & ſeries verborum Joannis, ordine recto contexi non poſſent, Ego verò initium verborum Iſaiæ hic differendum diſtuli, pro eo, quòd nuncius Judæorum dederat in reſponſum. Turbis verò non interrogantibus quis eſſet, gratis aperuit, ad quid ipſe veniſſet. Verùm tamen turbis, Sacerdotibus atque Levitis oſtendit ſuæ legationis & officii veritatem, nil ſupra id, quod erat inſinuans. Ego vox, non mea dicendi authoritate, ſed habilitate loquendi. Ego vox illius duntaxat in deſerto clamantis, Chriſti videlicet, qui de proximo in deſerto mundo clamaturus erat. Vox non ſem etipſam format, nec ſua virtute invenit verba differenda, ſed aliunde virtus eſt, unde vox ipſa formatur. Non à ſeipſo Joannes erat, ſed ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. Joannes verba differenda non invenerat, quia vox erat, cujus officium eſt, verba jam in animo inventa depromere, non invenire. Erat vox articulata Joannes, non ullius animalis, quæ ſecundùm naturam à Deo eis inſitam voces inarticulatas emittunt. Sed diſertè pronunciabat, ad quod miſſus erat, ut voce præmiſſa verbi concepti in animo intelligentia ſequeretur. Erat porro ad hoc vox omnium prophetarum quaſi vehiculum, quo Chriſtus per fidem in animas hominum ferretur. An fortè ad ſeipſum referebatur, qui in deſerto clamabat præiens Chriſtum ad corda hominum cito venturum, ut ſerie debita ſubſequatur: Dirigite viam Domino. Non eſt in hominum poteſtate dirigere viam Domino, etenim directa eſt ab æterno. Si Chriſtus eſt via, ſic illam viam dixerim dirigendam, per quam Chriſti fides ingreditur: hæc ſiquidem eſt noſtra voluntas, quæ tunc dirigitur, cùm ad credere velle inclinatur, & ſuo imperio in obſequium fidei vinculat intellectum. Obliqua protinus erat via hominum voluntatis, cùm id quærebat, quod deviabat ab hominum conditore, quod tandem urgebat in pœnam, cùm in diverſa concupiſcibilia inhiabat, & ſemper plura eſuriens velut impaſta manebat. Obliquabatur voluntas hominum à perverſa & erronea intelligentia veritatis, cùm pro deo idola coleret, cùm hi, qui divina ſcripta receperant, prophetásque habebant, & in illis venturum Chriſtum non intelligebant: à veris averſi, ad falſa converſi: excluſi ab æternis, temporalibus involuti; privati virtutibus, vitiis irretiti eſſent. Quam viam tunc homines direxerunt, cùm fide, theoria & actu ſe converterunt ad Chriſtum. Non autem quis abhorreat, quòd viam dirigendam dixerim voluntatem, quoniam internarum virium ipſa eſt Imperatrix, quamquam non ſit ipſa Directrix, ſed vera ratio ipſam ad rectè concupiſcenda deduxit. Verumtamen magis voluntas cogit rationem, ut recta perquirat, ut credenda intelligentia credat, quàm ipſæ poſſint augere voluntatem, ut ſe ab

eo,

eo, quòd bene aut malè velit, avertat. Sæpe quipe voluntas appetit, quòd ratio denegat, & quòd ratio protulit ipſa refugit: nec intelligentia poteſt quidpiam credere, ſi voluntas noluerit aſſentire: igitur directio voluntatis, eſt directio viæ Domini. *Et qui miſſi fuerant erant ex phariſæis.* Quibus aderat ex invidia cunctitas inquirendi, non tamen ex voluntate credendi. Proinde ſic ad improbationis argumenta convertunt. *Et interrogaverunt eum & dixerunt: Quid ergo baptizas, ſi non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* Bona interrogatio in veritate erat, ſed dolo animi tenebantur: quoniam nullus ablutionem poteſt dare animabus, neque Sacramenta Divina conferre, niſi authoritatem habeat propriam, vel communicatam. Propria
3. Reg. in Chriſto: communicata in Elia ſive propheta.
4 Reg. Duæ ſunt protinus Eccleſiæ claves, poteſtas in Elia, ſcientia in propheta. Elias poteſtate traditæ cœlum clauſit, idémque aperuit & ſuper duos quinquagenarios juſtam ultionem induxit. Eliæus verò propheta lepram cognovit aliter non curandam, quàm
4 Reg. in baptiſmo Jordanis: omnésque alii veri Dei prophetæ, diſcernendi inter bonum & malum ſcientiam habuerunt. Porrò inexcuſabiles ſunt Judæi de Chriſto ignorantiam allegantes: nam ſi Chriſtum non credidiſſent eſſe venturum, habiturúmque ſuper crimina hominum poteſtatem, atque ſacramenta ex authoritate debere conferre, Joanni protinus non diciſſent: quid ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus? tanquam ſi Chriſto hoc agendi adeſſet plena poteſtas. Verumtamen hic arguuntur omnes, qui non conceſſam accipiunt poteſtatem. Proinde Joannes, acſi juſta fuiſſet, quanquam ex ignorantia reſultans ilerata interrogatio nunciorum, apologiam adjecit. Unde reſpondit eis, dicens: *Ego baptizo in aqua in pœnitentiam, medius autem veſtrum ſtetit, quem vos neſcitis, ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, & fortior me eſt, cujus non ſum dignus calceamenta portare, aut procumbens corrigiam calceamentorum ejus ſolvere, ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne. Cujus ventilabrum in manu ſua, & purgabit aream ſuam.* Quoniam nuncii noverant, ſimiliter & omnis ſynagoga Judæorum, quòd ſolus Deus poteſt peccata diluere, amplius autem noverat & Joannes, idcirco non in remiſſionem peccatorum, ſed in pœnitentiam in aqua ſe aſſentes baptizare. Chriſtus verò, quem ipſi neſciebant, qui inter Judæos natus erat, qui mediaturus inter Deum & hominem venerat, baptizabat in Spiritu Sancto, in quo remiſſio conceditur peccatorum, necnon & in igne charitatis, quæ ſimiliter poterit operire peccata. Hoc non puri hominis, ſed ſolius Chriſti eſt, Dei & hominis, Spiritum Sanctum poſſe conferre, & hanc charitatis virtutem in cordibus hominum operari. Abnegat Joannes ſibi nihil arrogaſſe Divinum, in Chriſtum ſolum retulit jura ſua, quem ad ſe facta comparatione deſcribit: Ipſe eſt, qui poſt me venturus eſt. Acſi diceret: Præco ſum, ſequetur ipſe Judex: vox ſum ego, Verbum eſt. Prius eſt verbum conceptum, quàm vox enuncians verbum, præcedit tamen vox verbum ad alios declaratum. *Ipſe ante me factus eſt.* Quomodo factus, per quem omnia facta ſunt? Nunc deitate factus, exiſtens ante omnia ſæcula Deus: carne non ante factus, cùm ſexto menſe poſt Joannem fuerit conceptus ille, ſed ante me factus etiam ut homo, ad majora myſteria ordinatus. Græca namque editio, ante, pro coram dicit, acſi in conſpectu Joannis omnia de Chriſto ſine nube clarèſcant. Ante me factus, poteſtate ſcilicet beneficia conferendi, & ad ſolvenda vincula peccatorum, ad confringendum regna tartarea, & ut electos ſuos provehat in ſuperna. Unde Joannes adjecit: *Et fortior me eſt.* Non erat iſta compoſitio deitatis, quoniam inter Deum & hominem comparatio aboletur, ſed & hominis erat: quia Chriſto homini omnis erat donata poteſtas, quam ut Deus ab æterno habebat. Non erat Joannes illo fortior, qui fortis armati potuiſſet introire hoſpitium, ac ejus vaſa diripere. Chriſtus verò fortior illo erat, qui forti debebat indicere bellum, ſibíque inferre conflictum, vaſa diripere, ipſúmque ſua poteſtate ligare, ac eo fortior, quo paſſus vicit, moriens ſuperavit, ſepultus propria virtute ſurrexit, & terrenum corpus, non aliena, ſed propria virtute in cœli ſuperiora ſubvexit. Indignitas verò calceamenta portandi, aut ſolvendi corrigiam, per quandam ſervi ſimilitudinem ad humilitatem refertur. Nam portare calceamenta, in obſequium dominorum, & corrigiam ſolvere inter vilia ſervitia deputatur: quamquam & nobilis ſervus poſſet hoc agere humili amore inclinatus ad Dominum. Quam ſimilitudinem ad ſeipſum reprimendum, cùm tanta fama ipſum extolleret, Joannes aſſumpſit. Verumtamen hic multi multa dixerunt, quæ tacentes noſtra deſcripſimus. Equidem ex hoc in ſe ſtandi & non aſcendendi, unde caſus horrendus eveniat, omnibus forma monſtratur, ut quanto quis per famam ab aliis reputatur, tanto magis ſe ad ima dejiciat. Et per ſimilitudinem humanarum actionum habitum humilitatis inſinuat, ut ab exteriobus ad interiora capeſſendo

Matth. 3. Lucæ 3. Marci 1.

Joan. 1.

virtutes, fiat acceſſus. In Chriſtum verò judiciariam ſtatuit authoritatem, pro eo, quod Pater omne judicium dedit filio. Unde ſubjungit: *Cujus ventilabrum in manu ejus, & purgabit aream ſuam.* Etiam ad oſtendendam authoritatem, ſimilitudinem eorum, quæ ab hominibus aguntur, accepit. Conſuetudo artificialis meſſonibus eſt, cùm meſſis delata in aream fuerit, variis tunſionibus cædere, aut animalia ſupermducere ad terendum, deinde accipere ventilabra, ut granum cum paleis & ariſtis in area eleveni, ad experientiam inſufflationis venti paleas extra aream deferentis ratione levitatis, granu ratione gravitatis in area remanente. Quo typo Chriſtus ſuam mundabit Eccleſiam, juſtis granis ex fide per plenitudinem gratiæ tribuens præmia meritorum, congregans in ſuum ſupernum horreum, & grata vacuis conferens tormenta pœnarum. Proinde ſequitur: *Et congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igne inextinguibili.* De judicio extremo protinus locutus eſt, cùm de meſſe ventilata ſimilitudinem poſuit, & ignem inextinguibilem adjecit damnandis. Et meritò per venti ſimilitudinem adjicitur pœna, quoniam circumlati ſunt hi cum vento doctrinæ, ſanam doctrinam animo & moribus contemnentes. Et nec inventi ſunt in fide ſtabiles, nec in opere efficaces, à vanitatibus, & cupiditatibus mundi, velut paleæ aridæ à ventis validis agitati, quibus erit inextinguibilis ignis: quia ipſis viventibus ignis malæ concupiſcentiæ non defecit. Nam anima calida, quaſi ignis ardens, & non extinguetur, donec aliquid degluriat. Mixta eſt bonis & malis area Chriſti Dei, nec apparet, quanta electis ſit tribuenda felicitas, aut impiis ſæva damnatio. Mixta ſunt grana cum paleis, mutua eſt converſatio utrorúmque, qui ad ſuperna gaudia, & qui ſpectant ad regna tanarea. Protinus ultimum ventilabrum expectatur, quamvis in omni decedente à vita, cauſa ſua æquiſſimè ventiletur. Multa quidem & alia evangelizabat populo, quæ poſſent in credulitatem illius dumtaxat, quem præcedebat, inducere. Omnis protinus ſermo Joannis intendebat in Chriſtum, ad quem convertere nitebatur corda populorum. *Hæc facta ſunt in Bethania trans Jordanem, ubi erat Joannes baptizans.* Joann. 1.
Non in illa, quæ prope Jeruſalem erat: in utraque tamen obedientia deſignatur, quæ mortem facit & vitam. Nam prope unam celebratur baptiſmus, ubi baptizatus moritur & reſurgit: in altera etiam mortuus, Chriſti potentia, reſurrexit. *Tunc venit JEſus à Nazareth Galilææ, in Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo. Joannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Geſta præcurſoris, non ſalvatoris ſumpſimus diſſerenda, qui virtutem ſibi humilitatis inſenam, in omnibus ſervat, & pia contentione alloquitur Chriſtum, quòd non ſit baptizandus ab eo: quoniam quotquot Joannes baptizabat, ad Chriſti baptiſmum diſponebat, & ipſe baptizando, peccata tollebat: Chriſtum baptizare judicavit incongruum, qui ſuo baptiſmo levare venerat peccata cunctorum. Et vice verſa ratus eſt fieri, quòd ipſe ab eo deberet potius baptizari. Noverat Joannes, quòd in baptiſmo peccata lavantur, qui quamquam ſanctificatus eſſet in utero, non ſe ab eis, ſed Chriſtum aſſerebat immunem? Proinde contendit, quòd non Chriſtus ab eo, ſed ipſe à Chriſto debeat baptiſma ſuſcipere. Sed ne Joannes aliqua macula fœdabatur ab illa ſanctificatione, quam accepit in utero, quæ aquarum immerſione deberet abſtergi, omnino negaverim. Nam ſi omnia ſcelera commiſiſſet, non erat iterum baptizandus, quem in materno utero ab originali contagio abluerat Spiritus Sanctus: nec ultra conceditur aquarum ſacramentalis immerſio, ubi per Spiritum Sanctum culpa originalis eſt terſa, quia pro illa duntaxat noſcitur inſtituta. Et velut non iteratur baptiſmus, ſic non conceditur, ubi primo modo abluit Spiritus. Quid igitur eſt, quòd Joannes cum Salvatore contendit, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me. Porro Joannes in Chriſti ſanguine intendebat, prænoſcens ſe deſcenſurum ad inferos, ibíque manſurum, niſi ad ſuperos Chriſti paſſio revocaret. Unde quanquam Joannes immunis dici potuiſſet à tali contagio, quod per baptiſma ablui debet, non tamen potuiſſet in ſuperna conſcendere, niſi Chriſti paſſio, qua humani generis peccata donantur, cujus merito conceditur regnum cœlorum, & mors & reſurrectio, & aſcenſio præceſſiſſet. Nnn abs re Joannes cum Chriſto contendit, quòd ab ipſo debeat baptizari, qui jam à ſpiritu baptizatus erat, ſed nec ſic, quòd ſine Chriſti Sanguine omnium peccata tergente, trajici potuiſſet in regnum. Verumtamen ſic decrementem Jeſum, non amplius reluctans Joannes, aquis immerſit. Et vidit Spiritum Sanctum in columba, & audivit vocem paternam, & totius trinitatis accepit Chriſtum baptizando, notitiam. Magnus Joannes totius trinitatis miniſter, imò totius deitatis amicus, qui patrem Deum audivit in voce, filium Deum baptizavit in carne, Spiritum Sanctum DEum aſpexit in columbina ſpecie, nec aliud, quàm unum DEum in ſubſtantia, & trinum Luc. 3. Matth. 3.

in

in perſonis credidit, & opera trinitatis eſſe omnino indiviſa cognovit. Et cùm Chriſtus in deſertum abiiſſet, Joannes ſuæ legationis agebat officia, nec recedebat à regione Jordanis baptizans & prædicans, ut etiam expectaret Chriſtum à deſerto regreſſum, qui quadrageno expleto jejunio, & diaboli peracto conflictu, inde diſcedens, perrexit iterum ad Joannem. Quem Joannes videns ad ſe venientem, his qui ſecum aſtabant, ait: *Ecce Agnus DEI, ecce*
Joann. 1. *qui tollit peccata mundi.* Omnem cauſam Chriſti adventus, Joannes ſuis auditoribus aperit, quoniam venit tollere noſtra peccata. Sed Agnus eſt Dei, agnitor Dei & omnium quæ ſunt, & quæ fiunt, bonorum atque malorum, & nihil eſt quòd ſuam agnitionem effugiat. Agnus DEI, agnitus à Deo, & cui Pater dixit: Hic eſt Filius meus dilectus. Agnus Dei, manſuetus Dei. Agnus innocens. Agnus inter lupos, in brevi occidendus à lupis. Credamus cum priſcis prophetis concordiam habuiſſe Joannem, & unum Spiritum propheticum ſuſcepiſſe. Nam ut Agnum, quem modo digito demonſtrabat, prophetæ prædixerunt eſſe venturum, roganies
Iſaiæ 11. & affuturum. Inquit enim Iſaias: Habitabit lupus cum agno. Inſolitum eſt lupum cum agno velle habitare, quem feſtinat occidere: ſed Agnus Dei, de quo ſic prophetabatur, hoc habuit proprium, ut cum ipſo voluerint habitare lupi rapaces. Nónne lupus rapax Saulus, cum agno iſto habitavit in cœlo, cùm arcana Divina conſpexit? Nónne habitavit cum Agno Dei, pro quo ſibi mundus crucifixus eſt, ipſéq; mundo? Nónne cum ipſo habitaverunt multi lupi rapaces, divinos rapientes honores, cùm rapacitate depoſita facti ſunt agni cum agno, habitantes cum ipſo? Quotquot enim quæ ſua ſunt quærunt, lupi rapaces ſunt, ſed cùm reſipiſcunt, ad bona converſi, facti agni novelli, contubernant in virtutibus cum agno Dei, demum habitantes æternè cum eo in altioribus partibus cœli. Hunc eundem Iſaias expete-
Iſaiæ 16. bat venturum, dicens: Emitte agnum Domine dominatorem terræ, de petra deſerti, ad montem Filiæ Sion. Agnina manſuetudine diaboli ſuperbia propulſanda erat, ne videretur potentia ſolum humanæ naturæ viciſſe victorem. Quaſi ad excuſationem ſuam aſſumeret callidus hoſtis, quòd non æquo certamine eſſet devictus, ſed ſuperioris violentia ſuſcepiſſet conflictum. contra quem ut agnus emiſſus eſt Dei Filius inire certamen, qui eum vicit paſſus, & peccata tulit occiſus. Ecce Agnus Dei ſimilitudine, non proprietate, qui quaſi Agnus coram tondente obmutuit, ut cùm ſibi auferretur vita, ipſe à nobis auferat noſtra peccata. Hunc eundem agnum ſive ipſum Chriſtum, in ſimilitudine agni, multis ænigmatibus alius aſpexit Joannes. Sic enim inquit: Et vidi, & ecce in medio throni & Apocal. 5. quatuor animalium, & in medio ſeniorum agnum ſtantem tanquam occiſum, & habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptem, qui ſunt Spiritus Dei, miſſi in omnem terram. In medio ſtabat agnus tanquam occiſus, quia quamvis reſurrexit, tanquam occiſus ſtat cum merito mortis uſque ad finem ſæculi pro omnibus qui unam fidem de Chriſto tenuerunt. Animalia verò, ad Evangelicos viros: Seniores, ad eos, qui in originali duntaxat juſtitia, ſive in circumciſione, ſive in lege Moſaica deceſſerunt, omnium ſanè iſtorum Agnus occiſus, peccata in ſe purgaturus accepit, in quem Joannes Baptiſta intendens, digito indicavit. Et cornua ſeptem videbatur habere, univerſalem videlicet poteſtatem, ad repugnandas omnes adverſantes poteſtates. Et oculos ſeptem univerſæ viſionis, ut ejus ſcientiam nihil poſſit effugere. Qui Spiritus Dei, dicuntur improhibiles atque inviſibiles ad agenda, necnon & ſeptem dona Spiritus, quæ ut mundus poſſit accipere, ipſe meruit Agnus, qui Eccleſiam orthodoxam accepit uxorem. Et nuptiæ agni venerunt, & uxor ejus præparavit ſe, quam cooperuit byſſino ſplendido & candido, quod nequaquam feciſſet, niſi priùs ejus peccata lavanda in ſuo ſanguine abſtuliſſet, ut juſtificari à Domino mereretur. Quod idem Joannes ſecundus adjunxit: Byſſinum enim, juſtificationes Apoc. 19. Sanctorum ſunt. Et ipſe Agnus hujus mundi conſummato myſterio, lucerna ejus erit in gloria æternæ claritatis. Sed magno ſtudio præcavendum eſt, ne, qui nunc ipſe agnus eſt omnibus manſetus, in fine ſæculi fiat iratus. Quod Joannes prævidit, cùm diceret quosdam rogaturos montes & colles, ut ſub eis, ab ira agni in illo tremendo examine, abſcondantur. Ecce Agnus Dei. Ad intellectum noſtrum, demonſtratio iſta refertur. Qui peccata tollit, invitatio peccatorum eſt, & omnes vocantur ad veniam, ut ad agnum hunc veniant, qui ab omnibus poteſt homines exonerare peccatis. Qui, ne credatur abjectus, altius teſtimonium ſubintuli ipſe Joannes, dicens: *Hic eſt, de quo dixi, qui*
Joann. 1. *poſt me venit, ante me factus eſt, quia prior me erat, & ego neſciebam eum. Sed ut manifeſtaretur in Iſrael, propterea veni in aqua baptizans.* Quod dixit de prioritate, jam expoſitum eſt. Sed hæc de Chriſto ignorantia Joannis non ex omnibus pendet, quem adhuc exiſtens in utero, Spiritu Sancto docente, cognoverat eſſe Filium Dei:

Sed Spiritus Sanctus moderatur ſua myſteria in prophetis, ut ſimul omnia non intelligant, ſed ſucceſſivè percipienda percipiant. Et quamvis prophetæ fuerint & videntes, non ſemper prophetaverunt atque viderunt, ſed cùm Spiritus Sanctus deſuper eorum animos interius illuſtrabat. Quod Eliſæus de ſeipſo manifeſtat, qui, cùm eſſet prophetа, etiam aliqua Deus ſibi celaverat. Nam cùm Sunamitis illa hoſpita ejus pro morte Filii acceſſiſſet ad eum, teneretque pedes ejus, & ſervus prophetæ illam amo-
4. Reg. 4. vere niteretur, Eliſæus ait: Dimitte eam, anima ejus in amaritudine eſt, & Dominus celavit à me, & non indicavit mihi. Erat in amaritudine anima illius pro morte Filii ſui, quam mortem propheta ignorabat, nec Spiritus Sanctus ſibi revelaverat, niſi Sunamitis illa prodidiſſet. Ad humilitatem eſt prophetarum, quòd non omnia noſcant, maxima eſt providentia Dei, quòd non ſemper eos affatur. Et plura credimus, quàm prophetæ poſſint agnoſcere. Revelat autem pro loco & tempore, nec ſtatim aut utilitate, ſicut ad Corinthios Apoſtolus
1. Cor. 19. dicit: Omnis manifeſtatio Spiritus, datur ad utilitatem. Ita Joannes Baptiſta ſciebat & neſciebat: ſciebat porro, quòd jam perceperat ex utero: neſciebat, quod JEſus ad tanta myſteria pararetur, & quod ad populos nationum ejus eſſet derivanda redemptio, & quod ipſe aqua ipſe deberet culpam originalem diluere. Porro ſupra ſenſum hominum erat, nec credibile videbatur, quòd ſubjectio fidelis, & immerſio in fluido elemento, culpam originalem abſtergeret. Sed ideo tantùm venit in aqua baptizans, ut manifeſtaretur in Iſrael, ad quem duntaxat populum, Chriſtum datum eſſe credebat. Connectit Evangeliſta ordinem dictorum, ut teſtimoniorum Joannis ſerics habeatur. Et teſtimonium perJoan. 1. hibuit Joannes, dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum, ſed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei. Clara ſunt hæc ex alio Evangeliſta, quòd Spiritus Sanctus ſuper Chriſtum in ſpecie columbina deſcendit, quem Joannes ſe aſſerebat ad aliqua ignorare, niſi ille, cujus verbum in deſerto factum eſt ſuper eum, ſibi interius illuxiſſet, & diceret, quòd, qui tanta teſtimonia ex cœlo ſuſciperet, erat Filius Dei, qui in virtute Spiritus Sancti venerat baptizare, peccata tollere, veniam peccatoribus dare. Aſſerit ſe vidiſſe Joannes, non tantùm oculo corporis ſpeciem columbinam, & aure capitis vocem audiſſe paternam, ſed fideli mentis intuitu conſpexiſſe teſtimonium, quod reddebat de Filio Dei. Stabat Joannes ad contemplandum de Chriſto. Unde, *altera die iterum ſtabat Joannes, & ex diſcipulis ejus duo, & reſpiciens JEſum ambulantem, ait: Ecce Agnus Dei.* Teſtis, & teſtarius convenichant, ut ille daret, ille acciperet teſtimonium, ut fieret Joanne relicto, juſtior ſequela poſt Chriſtum, ad quod omnibus viribus nitebatur. Et volebat deſpici, propter honorem Chriſti, ſalutémque credentium, quam ipſe conferre non poterat. Ex omni ſe præconiſte tendebat in judicem, & omnem gloriam & honorem, tanquam regi ſæculorum Chriſto Domino tribuebat, ſuis ſuadens diſcipulis, ut in Chriſti diſcipulatum feſtine tranſirent. Pædagogum ſe dicebat, ſuos ſublequos in ſequelam Chriſti trajiciens, proinde repetebat de Agno Dei, quod & factum eſt. Nam cùm audiſſent duo ex diſcipulis Joannis JEſum loquentem, Joanne relicto, in Chriſti ſequelam continuò ſunt converſi, ut figura in ventatem, umbra in claritatem, vox in intellectum verbi, præco in judicem, ſervus in Dominum, via in terminum, navis in portum, & ſi qua ſenſu percipi, intellecta conſpici poſſunt, in Chriſtum nos plenè trajiciant. Ad hæc quidem nititur omnis ſeries divinarum ſcripturarum, patriarcharum geſta, ſimiliter & oracula prophetarum, ſi qua categoria in theoriis, ſi qua exemplaria, ut ad eum veniamus, impellant. Peracto jam anno prædicationis Chriſti, nec Joanne à prædicatione ceſſante, nec deſiſtente à baptiſmate accedentium, & utroque baptizante, Chriſto per Apoſtolos, Joanne per ſeipſum: Chriſto authoritate plena, Joanne authoritate prævia, à diſcipulis de utroque quæ- Joan. 3.
ſtio exorta eſt: *Erat autem Joannes baptizans in Ennon juxta Salim, quia aqua multa erant illic, & veniebant & baptizabantur. Nondum enim miſſus fuerat in carcerem Joannes. Facta eſt ergo quæſtio ex diſcipulis Joannis cum Judæis de purificatione. Et venerunt ad Joannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Baptizabat adhuc Joannes in baptiſmo, quo primo cœperat, ſed non baptiſmo Chriſti: quamvis Chriſtus jam per annum prædicaverit, & baptizaverit per manus diſcipulorum eos, qui credebant, quia nondum ex toto innotuerat veritas, ut umbra ceſſarer, magis autem, quia nec præcurſoris irritandum erat officium,

ficium, quoſque in carne degiſſet, quin animas diſponeret prædicatione verbi, & baptiſmum pœnitentiæ, ad Baptiſmum & credulitatem Chriſti. Magnum enim adminiculum Joannes erat ad Chriſtum, dum ipſum conſtanter, id quod erat, aſſereret: quamquam Chriſtus aliter potuiſſet hominum corda diſponere. Locus autem congruebat myſterio, quia ibi multæ aquæ erant. Sic enim Ennon interpretatur. Semper enim aptitudo loci & temporis captanda virtutibus. Solertius etiam locum evangeliſta differuit, qui juxta Salim erat oppidum, & trans Jordanem, ubi Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi, longè ante regnaverat, qui panem & vinum Abrahæ, à cæde regum revertenti, obtulit, & ab ipſo decimas oblatas accepit, ut & ſacramenta in unum convenire credantur, & expedire omnia in ſalutem, & veteres figuræ detectæque veritates ad ſeinvicem verſa vice conveniant. Et copioſa ſe offert loquendi materia, ſi quis vellet diſſerere, quid in ſe myſterii habeat, quòd, ubi præceſſit figura Corporis & Sanguinis Chriſti, & benedictio Sacerdotis, & decimarum oblatio, baptiſma pœnitentiæ celebretur. Quod autem Evangeliſta de Joanne aſſerit, quòd nondum miſſus fuerat in carcerem, valet ad ordinem rei geſtæ, ut ſciatur, quia nec primo anno prædicationis Chriſti Joannes mancipatus eſt carceri, & quòd Chriſti facta & dicta præceſſerint multa Joannem incluſum. Poſt cujus incluſionem, Matthæus, Marcus & Lucas videntur Chriſti prædicationem, & aperta geſta velle contexere, prætermittentes, quæ ante facta ſunt. Facta quæſtio ex diſcipulis cum Judæis, de curioſitate atque incredulitate, atque fortaſſis ex calumnia procedebat, quoniam aliqui præferebant purificationem ſcilicet Joannis eſſe meliorem, taliter ſe tuentes, quòd Joannes Chriſtum baptizaverat: aliqui baptiſmum Chriſti, quia ipſe plures baptizabat. Et multi ex diſcipulis & turbis, relicto Joanne, Chriſtum ſequebantur, etiam à Joanne dimiſſi, quia ipſe omnes mittebat ad baptiſmum Chriſti. Infirmitatis etiam erat iſta contentio, & argumentum oblivionis, aut non conſpecti teſtimonii de Chriſto exhibiti à Joanne, magis autem non intellectæ veritatis: nam ubicunque non eſt firma veritatis adhæſio, ſemper quæſtio & contentio & hæſitatio locum habent. Sed optimum eſt in moribus hominum, & laudanda proviſio, quòd in ſubortis quæſtionibus, qui poteſt illas decidere, inquiratur, & quòd habentes dubia, veniant ad eum, qui certam ſcit, & valet proferre ſententiam. Diſcipuli languentes in pugnis verbórum veniant ad magiſtrum, in opinionibus concertantes, ad judicem veritatis. Accedant per comparationem ſpiritualia ventilantes, ſe ſubjiciant melius decernenti. Venerunt ergo ad Joannem, tanquam ad magiſtrum, qui hujuſcemodi quæſtionem decideret, & imponeret ſilentium his, qui minus debitè ſentiebant. Et dixerunt ei, ſcilicet titulum quæſtionis: Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem, cui teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Quod hoc videtur innuere: Cujus veſtrum eſt melior purificatio? an baptiſmus tuus, qui eum baptizaſti, & teſtimonium ei perhibuiſti: an illius, qui à te baptizatus eſt, & à te teſtimonium acepit, cùm uterque veſtrum baptizet, ſed omnes veniunt ad eum? Soluta protinus quæſtio ipſa fuiſſet, ſi prolato teſtimonio credidiſſent. Igitur incredulitas quæſtionum & omnium ſpiritualium malorum eſt cauſa. Sed in hoc, quod quæritur, aut diſcipulorum Joannis, aut Judæorum animi fatigantur, ut alteri in Chriſtum, alteri velint impingere in Joannem. Quòd ſi diſcipuli ab invidia commoventur, ſi Judæi à ſenſori malitia detinentur. Sed nec credendum, quòd tantus præco, tantus ſanctus, tam magni adorator myſterii, diſcipulos retinere voluiſſet, hæſitantes de Chriſto, cùm ipſe totus eſſet ad Chriſtum, omnésque vellent confeſtim in ipſum trajicere. Sed quærentibus & quæſitis reſpondit Joannes, & dixit: *Non poteſt homo accipere quicquam, niſi* Joan. 3. *fuerit ei datum de cœlo.* Quaſi dicat: Melior eſt purificatio Chriſti, quia baptiſmus ejus efficit remiſſionem peccatorum. Ego autem homo ſum, nihil à meipſo habens, niſi prout ab ipſo accepi, ſed non accepi, ut poſſim baptizando peccata remittere, ſed baptiſmum in pœnitentiam prædicare. Nec quisquam poteſt aliquid virtutis in ſe ipſo, aut in alio efficere, niſi ei deſuper tribuatur. Licet enim ad ſeipſum Joannes hanc voluerit referre ſententiam, ad omnes tamen æqua portione reſpondet, quòd homo non poteſt accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo. Hinc Apoſtolus ait: Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Et Jacobus dicit: Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum. Nihil enim, præter iniquitatem & negligentiam, homo habet ex propriis. Nemo ſibi virtutem, nemo ſibi laudabilem appropriet actionem. Nullus arroget propria authoritate, quod poſſit in alium aliquid boni transfundere, duntaxat ex Deo, ſi qua ſunt expeditionis optimæ, capiunturi

Jacobi 1. Roman. 4.

Admi-

Administrant plurimi sacramenta, prout corporaliter, & in rebus visibilibus peraguntur, effectus autem eorum, quòd ita sint, quòd alios mundent atque sanctificent, ex cœlo descendit. Abnegat omnino Joannes, quòd nihil est, aut habet à seipso. Asserit, quòd, quicquid habet, accepit. Confitetur Christum esse propriæ potestatis, quòd ipse ab æterno est, quod est, & quod habet, habuit, & quòd ab alio non accepit, scilicet ex forma dei: quoniam ex forma servi confitetur etiam ipse à patre omnia accepisse. Etiam ipsos, qui venerant responsionem super quæstionem positam, accepturi, allegat in testes, dicens: *Ipsi vos mihi testimonium perhibebitis, quod dixerim: Non sum ego Christus, sed quoniam missus sum ante illum.* Hæc ideo intulit, quia ipsis nunc noviter interrogantibus, à principio idem de Christo dixerat, de quo præsens percurrit, & quod nunquam variatum est testimonium præcursoris. Proinde quod audistis, audite: quod dixi, dico: nec retracto dictum, quia verum est, quod protuli testimonium, vos ipsi testimonium perhibebitis testimonio quod perhibui: quia dico, quod dixi: nec à meipso, sed ab eo, ut dicerem sic, accepi. Non potest homo quicquam accipere, nisi fuerit ei datum de cœlo. Semper Joannes se Christum esse negavit, semper asseruit se ipsius esse præconem, & ante illum missum ad viam Christo in cordibus hominum præparandam. Firmam tenet Joannes doctrinam, eo quòd se verum dixisse cognoscat. Semper ejus sunt uniformia verba, neque obliquat à recto. Idem animo à principio, quo exorsus est exultare in utero, & in prædicatione publica fuit, ex quo ejus erat invariatum Verbum. Multa sit evangelizantibus cura, ut taliter ordiantur, ne nitantur mutare decretum, nec sit opportunum aliis doctrinis mentes imbuere, reprobatis exordiis. Et si addendum est eventu temporis ad doctrinam, talis sit initians, quod illam reprobare non liceat. Hujusmodi enim decet esse theoricum verbum, ut etiam intentata morte, in suo robore teneatur: quanquam malè dictum, semper sit corrigendum: sed sic assistat doctori provisio, ut ea proferat, quæ iterum inquisitus, affirmare non pudeat. Soliditas enim doctrinæ, cùm invariata consistit, stabilimentum est credentium, quæ verò pellis est serpentinæ, induxit errorem. Hinc verò, cùm Joannes reaffirmaret, quod ante prædixerat, scilicet quid Christus erat, quid ipse non erat, etiam quid erat, nunc se à Christo alia minoratione designat, dicens: *Qui habet sponsam, sponsus est. Amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Jam condebatur Ecclesia, sumens initia in Judæis, sed in gentibus dilatanda. Et hæc sponsa Christi erat, nulli alteri ante desponsata, nec in posterum desponsanda. De qua Paulus ait: Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo. Cujus duntaxat Christus est sponsus, electi verò cæteri sunt amici, quamvis Joannes hoc nomen amici, sibi singulariter vendicaverit. Differt sponsus ab amico, nam sponsus sponsam habet, cum qua contraxit, quam comit & protegit: amicus, aut pronubus, aut in nuptiis minister assistit. Amicus erat Joannes, & ut in sponsam Christi omnis Judæa, omnis natio crederet, ut pronubus satagebat. Stat amicus sponsi & sponsæ, quia unius sine altero non posset esse amicus: & audit sponsum loquentem ad sponsam, & similiter ad seipsum. Et gaudio gaudet propter vocem sponsi. Vox sponsi, vox argutionis est, ne sponsa semetipsam ignoret, ne vilis existat, ut semetipsam, ad quid sit ordinata, conspiciat. Unde in Cantitis dicitur: Si ignoras te o! pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum, & pasce hœdos juxta tabernacula pastorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea. Velut si sponsus Ecclesiam animámque alloquitur: Pulchra es decore imaginis & similitudinis, ad quam facta es: pulchra decore naturæ, quo multis superior facta es: pulchra decore legis & gratiæ. Si hanc pulchritudinem tu ignoras, maximè illam legis & gratiæ & mundationis in sanguine sponsi tui, egredere à me, vade post vestigia gregum, illarum videlicet nationum, quæ animaliter vivunt, & pasce tui corporis sensus, juxta tabernacula pastorum, qui pascunt carnaliter & idololatricè suos greges. Neque præceptum per hanc vocem sponsus dedisse credatur, ut sponsæ suæ à seipso mandet egressum, ut insequatur vestigia nationum, sed vilitatem, in quam devenire digna facta est, ante prædicit, si suam pulchritudinem non agnoscit. Alio enim sensu, vox ista sponsi ad aures sponsæ insonare videtur, ut si pulchritudinem contemplationis ignorat, servitutem exerceat actionum. Ipsa verò ad hoc facta est. Et ex hac imagine innotescit, ut amica vera sit in equitatu angelico, ad submergendum carnis exercitum Pharaonis. Hæc sit virtus Ecclesiastica, hoc habet quælibet anima Christiana, ut gratia sponsi favente, Angelico fulta præsidio, mare sæculi securè transeat, illæsa consistat, & in eodem Ægyptios invisibiles videat suffocatos. Iterum vox sponsi, quæ facit gaudere

Joan. 3.

1. Cor. 12.

Cant. 2.

dere Joannem ad pulchritudinem ſponſæ proclamitat: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, occuli tui columbarum. Si amica, pulchra: Si pulchra, igitur & amica. Non eſt ſponſa pulchra, niſi verè fuerit ſui ſponſi amica. Et ſi amica, nunquam erit non pulchra. Hæc eſt eccleſiæ, atque animarum omnium pulchritudo, ut amica ſit Chriſti: Ex illa enim amicitia, perfecta pulchritudo progreditur. Proinde non eſt pulchra, niſi amica: Non eſt amica, niſi pulchra: Et in quantùm pulchra, amica eſt, & in quantùm amica, pulchra eſt. Quòd in hoc fit, ſi ſimplex fuerit intentio noſtræ mentis. Unde ſequitur: Oculi tui columbarum. In quo ſponſus à ſponſa per internam vocem, & per prolationem in foro, aſpectus ſimplices requiſivit. Vox ſponſi ad ſponſam, adſe inter agones & turbinem comparantis illam: Ego flos campi, & lilium convallium. Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Notum facit ſponſus inter quos habitat, ne, inter quos habitat, ſponſa langueſcat. Aperit, quantum ipſa præcedit alias filias, ſicut lilium ſpinas. Vox ſponſi ad quietem ſponſæ: Adiuro vos Filiæ Jeruſalem, per capreas ceruosque camporum, ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, quoadusque ipſa velit. Vox ſponſi ad exercitium ſanctum ſponſæ, quoniam tempus benefaciendi dedit ei ſponſus, ne ſegniter tranſeat. ſponſam invitat: Surge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea. Verba iſta ſunt infertarum virtutum faciles actiones. Flores apparuerunt in terra noſtra, qui tempore hyemis & inundationis imbrium apparere nequibant, incœperunt ſiquidem ſancta deſideria pro ſuperis apparere. Tempus putationis advenit, quo peccata & actiones impertinentes, velut à vite infructuoſi palmites, ab eccleſia decidantur. Vox ſponſi invitantis ſponſam ad paſſionem ſuam, & affectantis fidem ejus in experientia, & vocem in oratione atque doctrina: Surge amica mea, ſponſa mea, & veni columba mea, in foraminibus petræ, in caverna maceriæ. Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Foramina petræ, plagæ ſunt corporis: Caverna maceriæ, apertio eſt lateris: Facies, fidei probata notitia: Vox, oratio, gratiarum actio, & impenſa doctrina. Vox ſponſi ad declarationem ſponſæ: Quàm pulchra eſt amica mea. Et quæ ſequuntur, prolixam habentia diſſertionem, vox ſponſi ad ſponſam, velut ad cognatam ex ſimilitudine carnis. Vox ſponſi invitantis ipſam ad regulam & conſiderationem geſtorum: Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. Vox ſponſi ad ſponſam multiplex eſt, inenarrabilis protinus. Veruntamen omne quòd ipſam erudit, quòd monet, quòd dirigit in ſuperna, quòd allicit per promiſſa, quod terret, ne labatur, vox eſt ſponſi, ad quam Joannes exultat, & in paſſione pro Chriſto lætatur. Habebat alios amicos Chriſtus, qui ſic gaudere dicerant. Inquit enim ſalvator omnium Chriſtus: Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ ego præcipio vobis. Ecce amicitia verorum amicorum ad ſponſum. Ecce gaudium amicorum, quod dicerunt à ſponſo. Et alibi: Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine JEſu contumeliam pati. Simus amici ſponſi, & gaudeamus ad vocem ejus. Amicitia ſponſi, ejus adverſariorum inimicitias habet annexas, neque fieri poteſt amicitia vera, ſine odio vero. Æqua portione amicitia in aliam, & inimicitiæ in ejus adverſarium peraguntur. Si diligimus Chriſtum, odio habeamus & mundum: Etenim mundus eum non cognovit, mundus ipſum crucifixit. Odiamus peccatum, pro quo crucifixus eſt. Odiamus diabolum, qui adverſum eum ſemper contumaci cervice extollitur. Quomodo quis diabolum odit, ſi ejus ſuggeſtionibus acquieſcat? Si amici fuerimus ſponſi, non indigebimus advocatis. Per ipſum verus amicus ad regem habet acceſſum, imo & amicus ſit mediator ad cæteros. Non indiget amicus quopiam, ut pro ipſo interpellet ad principem. Ipſe ſuam exponit cauſam, ipſe loquitur in auribus regis, ipſe læta facie egreditur exauditus. Faciamus ergo præcepta ejus, & erimus amici ejus, in hoc omnem amicitiæ ſuæ regulam definivit. Et præcepta ejus gravia non ſunt, honeſta ſunt, dulcia ſunt. Hinc ſcriptura dicit: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Et ſtatim ſequitur, quòd hæc eloquia, ſunt mandata. A mandatis tuis intellexi, propterea odivi omnem viam iniquitatis. Gaudemus ad vocem ejus, quæ notam facit voluntatem ejus. In hoc ſit gaudium verorum fidelium, noſcere domini voluntatem, ut deducant in actionem, quam inexcuſatè cognovimus, per ſponſi Chriſti domini noſtri vocem. Proinde autem Joannes Chriſtum ſponſum, eccleſiam ſponſam, ſe amicum ſponſi appellavit, ne ipſe crederetur ſponſus, qui erat amicus:

Cant. 1.
Cant. 2.
Ibidem.
Cant. 4.
Cant. 5.
Joan. 15.
Acto. 5.
Pſal. 118.

Ne ipſe caput, qui erat membrum: Ne ipſe fundamentum, qui lapis in parietibus erat: Ne ipſe Dominus, qui erat ſervus: Ne ipſe redemptor, qui erat redemptus: Ne ipſe Chriſtus, qui erat homo purus: Ne plebs aberraret, credendo falſa pro veris. Etenim veri præcones hoc præcipuum habeant, ne currat opinio falſa, ne ſubintret mala doctrina, ne in fide atque moribus ejus obrepat. *In hoc gaudium meum impletum eſt.* Joan. 3. Gaudium Joannis in hoc impletum erat, & quòd Chriſtus erat ſponſus, & ipſe verus amicus. Satis ſibi ſufficere computabat gratiam, quam de cœlo ſuſceperat, videlicet quòd Chriſtum baptizaret, & amicus ejus ageret, ut paranymphus, & quòd audiret vocem ejus. Maximè autem gaudebat de eo, quod ſequenter adjungit: *Illum oportet creſcere, me autem minui.* Quàmvis plurimi hoc exponunt, quod JEſus eſſet exaltandus in cruce, Joannes autem in capite mutilandus, ordinem temporis ſubmittentes, in ſignum quòd Chriſtus natus eſſet luce creſcente, die verò decreſcente Joannes. Sed ad aliud me hujus verbi ſenſus attollit: Quoniam fama Joannis ſuerat amplè proſuſa, etiam ut famam Chriſti jam initiantis excederet, ut eum Chriſtum eſſe populus exiſtimaret. Sed Chriſtus ex fama illum incipiebat excedere, cùm de virtutis exceſſu non ſit opus differere. Quamobrem minuebatur fama Joannis, quòd Chriſtus æſtimabatur à populo, cùm Chriſtus moribus, & doctrina, & virtute miraculorum apparuiſſet in plebe. Odor famæ Chriſti omnem excedebat odorem, & ſi qua bonæ famæ ſuiſſent, ad comparationem famæ ejus meritò vileſcebant. Et quanquam uterque fuerit magnæ, Chriſtus tamen exceſſit. Et cùm uterque dæmonium habere diceretur, alter vitæ communis, manducans & bibens: Alter vitæ arctioris, ut non manducaret neque biberet communibus & humanis uſibus deputata, ſed locuſtas, melque ſylveſtre: Tamen Chriſtus, de cujus virtute differere, ſermo minueret potius, quæ probaſſet, in fama omnem hominem ab initio mundi, cujuſcuuque virtutis, exceſſit, ut præter id, quòd fuerit filius Dei, ex eo quod ſic natus eſt, ſicque declaratus, ſic converſatus, ſic locutus ſicque operatus, ſic paſſus, & mortuus, & ſepultus, omnes virtute, famaque præceſſit. Et ſi utroque vivente, in fama & virtute divideretur opinio, tamen Joanne mortuo, Chriſtus ſuperſtitit, inſolita mundo faciens. Joanne moriente, omnis novitas ſiluit: Chriſto moriente, omnis terra contremuit, ſol palluit, ſciſſa ſunt ſaxa, monumenta reſerata, ut ex his confiteretur paganus Centurio: Verè filius Dei erat iſte. Figuram legis geſtabat Joannes, quæ omninò erat Chriſti gratia ſuperanda. Pædagogus erat Joannes, vincendus erat authoritate magiſtri. Adveniente judice, præco non clamat. Cùm ſedet in throno majeſtas, ſuccumbunt, quæ paraverunt. Signo imperiali apparente in caſtris, regulorum & militum ſigna minorantur. Omnis umbra, veritate apparente, defugit. Subnectit Joannes rationabiles differentias ejus ad Chriſtum, ut fides de Chriſto vera ſubſiſtat, & de ipſo ſupra id, quod eſt, opinio nulla conſiſtat. *Qui deſurſum venit*, & carnem aſſumpſit, qui meritò *eſt ſuper omnes*, non ſolùm ſuper homines, qui in terris degunt, ſed etiam ſuper Angelos, qui in cœlis conſiſtunt. Acſi apertè diceret: Ego de deorſum ſum, ex humano ſemine natus: Ille Dei filius deſurſum venit, & Spiritu Sancto conceptus, qui cùm ſuper omnes ſit, etiam ſuper me penitus eſt. Joan. 3. *Qui de terra eſt, de terra loquitur:* Et qui de cœlo venit ſuper omnes eſt. Concordant verba iſta, ut expreſſior ſententia capiatur. De terra ſe aſſerit eſſe Joannes, de terreniſque loqui: Quamquam non terrena diligeret neque ſectaret, neque de ipſis more hominum loqueretur, ſed dicit ſe eſſe de terra, quia ex corruptibili ſemine natus, licèt recti fuerant ſui parentes. Sed qui de cœlo venit, non ſic conceptus, pater ejus nullo modo in terrenis, non temporalis, ſed ab æterno Deus: quamvis puerpera eſſet ex humana carne, non tamen in illam introivit in ſemine. Natus eſt, non ſatus, & Mater Virgo remanſit. Joannes autem ſatus & natus, in utroque parente, nulla corporis Virginitate ſervata. De terra loquebatur Joannes eo jure, quo erat de terra, nec loqui aliter potuiſſet, niſi accepiſſet de cœlo. Supra dixit enim, non poteſt homo accipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cœlo: proinde in eo, quòd de terra erat Joannes, loquebatur de terra, ſed quoniam accepit dona de cœlo, ut luce clarius patet, de Chriſto altiſſimè diſſerebat. Sed qui de cœlo venit, ſuper omnes & poteſtate ſubſiſtendi, & propria virtute loquendi: & ſuper me eſt, qui quod ſum, quod ago, quod loquor: ab ipſo accepi, qui ab aliquo nihil accepit. *Et quod vidit & quod audivit, hoc teſtatur, & teſtimonium ejus nemo accipit. Qui acceperit teſtimonium ejus, ſignavit, quia Deus verax eſt.* Alta profert de Chriſto Joannes, per omnia ſe ab ipſo minorans, omnesque ſatagens ad ejus fidem convertere, cùm Chriſtum dicat illa loqui atque teſtificari, quæ vidit ab æterno apud patrem, quæ audivit Matth. 27.

divit à patre, cujus ipſe æternus eſt filius. Sed teſtimonium ejus nemo accipit, regnante adhuc duritia incredulitatis. Erat enim Chriſti teſtimonium adverſùs hoc ſæculum ut contemneretur : adverſùs idololatriam , ut abjiceretur , contra peccatum , ne committeretur : contra legis imperfectionem, ut induceret vitæ evangelicæ novitatem. Erat teſtimonium omnino teſtificans aliud regnum , aſſerens unum & omnipotentem DEUM , qui pro omnibus mortuis in peccatis unicum in mortem tradidit Filium. Sed hoc teſtimonium contemnebatur , nec accipiebatur ab his , qui mundo ex animo copulati erant. Erat teſtimonium Chriſti etiam teſtificans de ſeipſo , quòd erat Filius Dei, & in hoc verum erat teſtimonium ejus : quia duntaxat dicebat , quæ vidit apud Patrem , & quod ab æterno audivit à Patre , quamobrem teſtimonium Chriſti, erat teſtimonium Dei. Sed væ nun accipientibus teſtimonium ejus , væ contemnentibus , etenim in diſtricto examine, teſtimonio Chriſti carebunt , nullo alio præbente remedium. Sed qui accipit ſignum fidei , certum in eorde ſuſcepit, quuniam DEUS verax eſt. Solidat amplius Joannes Chriſti teſtimonium eſſe verum , quia verè Chriſtus miſſus à Deo, qui alia non loquitur , niſi quod ab æterno audivit ab ipſo. *Quem enim miſit DEUS, Verba DEI loquitur.* Equidem Verba Dei præterquam vera eſſe non poſſunt. Mentiri veritas nequit : & DEUS fallere nullo modo poteſt. Super omnes angelos, & omnem creaturam , Joannes præfert Chriſtum in acceptione donorum , nec eum eum aliqua creatura metitur. Attollit eum verbo , re autem ipſum non poterat. Erat enim ab æterno DEUS , etiam ut homo ſuper omnia conſtitutus. Sed dicit ipſum à Patre ſuper cœteros donorum prærogativa tractari. *Non enim ad menſuram dat DEUS Spiritum.* Cunctis dignis accipere DEI dona , Pater diſtribuit ad menſuram , ſcilicet donationis ejus, & ſecundùm capacitatem eorum, qui divinis donis ornantur : ſed Chriſto Pater non dedit Spiritum ad menſuram , cui totam infudit Spiritus Sancti gratiam , qui non ſolum hæc , aut illa Spiritus Sancti dona , ſed ipſum Spiritum Sanctum usque quaque ſuſcepit. *Quoniam Pater diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.* Matth. 11. Joan. 13. Matth. 28. De hoc idemipſe Filius aſſerebat : Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Et alibi : Sciens , quoniam omnia ſibi dedit Pater in manus. Et alibi : Data eſt mihi omnis poteſtas , in cœlo , & in terra. Sed quid eſt , quod Joannes dicit de Chriſto : Pater diligit Filium, niſi æterna illa dilectione, qua ſeparari non poſſunt , quia unum ſunt, & quia per omnia in eis extat æqualitas , ubi nullus altero minor. Quid eſt , quòd omnia dedit in manus , niſi quia nihil eſt , quòd habeat Pater , quòd non habeat etiam & Filius , excepto, quòd ipſe genitus eſt. Propterea cùm omnia Filius habeat ſicut & Pater , adjunctum eſt : *Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Qui autem incredulus eſt Filio , non videbit vitam, ſed ira DEI manet ſuper eum.* Joan. 3. Habet vitam æternam , qui credit in Filium , quia omnia dedit Pater in manus ejus , ut etiam illam poſſet conferre credentibus. Sed ſi habet credulitas vitam æternam , fides & viſio , nulla ratione differunt. Non autem hoc commoveat auditorem , quoniam vita æterna eſt in fide atque viſione. In fide , ſicut ſcriptum eſt : Hæc eſt vita æterna , ut cognoſcant te verum DEUM , & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, videlicet cognoſcant, ſicut & ipſe cognitus eſt , per explicitam viſionem. Et tanta eſt adhæſio fidei Chriſtianæ , ut ſpe gaudeat , acſi poſſideat , & actu habeat etiam , quod expectat. Et fide vivens anima , tamdiu in ſpe vitam ſupernam inhæſitanter poſſidetur æterna. Hinc ad incredulos ſæva , ſed juſta ſententia derivatur : Qui autem incredulus eſt , non videbit vitam , ſed ira DEI manet ſuper eum. Joan. 17. Hebr. 10. Fides quippe temporalis eſt æterna. Temporalis , quia in tempore agitur , donec viſio ipſa ſuccedat, Æterna verò , quia æterna ſunt , quæ credit , quæ cùm in præmium vitam æternam , imo ipſum authorem habeat , divinam iram in ultionem æternam incredulitas portat. Credere in Filium habet vitam æternam : non credere in Filio , iram æternam : nam ira DEI non eſt , cùm temporaliter punit, ſed cùm damnat æternè. Differentia tamen cauſalium dictionum , ad diſſerendum aliquid parat. Nam credit in Filium , qui prius non crediderit Filio , ſed multi credunt Filio , qui in Filium non crediderunt. Præit omnino credere Filio id, quod eſt in Filium credere. Nam credere Filio , eſt omnem ejus credendo ſuſcepiſſe doctrinam : in Filium credere , eſt omnem tradidiſſe amorem , omnemque virtutem, necnon & virtutis poſſibilem actionem. Diligere rectè cupiens , addiſcat quid diligendum : agere juſtè volentem , oportet prius inſtrui quid agendum , deinde ſequitur dilectio recta , & actio inobliquata. Non ergo dixit , qui non credit in Filium, ſed

qui credit in filium : quoniam non ſufficit ad ſalutem credere Filio in promulgatione doctrinæ, niſi credatur in Filium, tanquam in finem omnium, omnem amorem, & intentionem, & actionem, & omnia viſibilia & inviſibilia referendo. Sed ſufficit ad perditionem, non credere Filio, absque quòd in Filium non referatur credulitas. Quamobrem dixit: Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus eſt Filio, vita privabitur, & merebitur iram. De Patre, nulla fit à Joanne diſſertio, quoniam omnes Judæi credunt omnium DEUM Patrem, qui unitatem divinæ ſubſtantiæ in tribus perſonis, aut tres eſſe unam ſubſtantiam, per fidem intelligere non valentes, tuentes ſuis aſſertionibus unitatem creatoris, genuiſſe Filium negant, & Spiritus Sancti proceſſionem omnino non ſuſtinent. Quibus aſſiſtit ſubſequa incredulitas, quòd in mundum hunc venerit, quòd carnem aſſumpſerit, quòd ſit viſibiliter inter homines converſatus, quòd ſit paſſus, mortuus & ſepultus, in quo robur noſtræ fidei, noſtræque ſalutis uſque quaquam conſiſtit. Proinde Joannes ſic de Filio aſſerit cum Judæis.

Cap. II.

De incarceratione Joannis, & cauſa, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

Matth. 14. Marc. 6. Luc. 3.

VEre juſtus, juſteque verax, timori non ſubjacet, nec terretur ex aliquo, quin impudentiam arguat tyranorum, & pro veritate atque juſtitia, nihilipendit corporis ſui vitam, & quod iniquum, ſaltem arguitione non ſinit inultum.. Pervenerat ad aures Joannis, quam vis non converſaretur ſedulò in ædibus regis, quòd Herodes Galilææ tetracha, ſcelus nefarium committebat, videlicet, quod fratris ſui uxorem, ſibi fecerat concubinam, & contra honeſtatis juſtitiam, fraternum thorum fœdaverat. Conſenſus utique malefidæ uxoris affuerat, quæ omnem amorem viri transtulerat in fratrem, cujus amore capta, odiebat ex animo eum, qui Herodi juſtum divortium ſuadebat: ex quo criminoſior, quo ardentior in amore funeſto: quo inimicitior per juſtitiam arguenti, quo eum habebat exoſum, quem debebat diligere: quo pati non poterat medicum, qui ſanabat: quo fecit includi, ne poſſet audire, ne loqueretur Herodi, à quo nolebat benè ſejungi, cum quo volebat inhoneſtè ſe conjungi. Talibus namque proceſſibus illarum malitia graditur, in quibus ſic ardet tam funeſtus amor. Sed etiam in hoc plus Herodis exceſſit iniquitas, præter id, quòd Joannem dedit exitio, qui ſi honeſtatis juſtitia vituperaſſet in alia muliere zelare, protinus debuit in fratris uxore, qui ſi thoros omnium ex libidine revelaſſet, ſaltem fraterni debuit eſſe tutor. Apud quem commendatio ad cuſtodiam fiet uxoris, ſi frater fratris dehoneſtat uxorem? Apud quem talium rerum fides, ſi frater decipit, ſi germanus rejicit fidem, & ſi uterinus honeſtum non ſervat amorem? Fit in Herode amplius augmentum ex crimine, quia iſte vir, illa mulier: iſte abſciderat, illa conſenſerat: iſte juſtitiæ miniſter, ſi hujuscemodi turpitudinem in quocunque ſibi ſubdito reperiſſet, ex officio debuiſſet ulciſci, ac per hoc comparatus ad ſubditos in facinore, ipſe ſceleratior exiſtit. In omnibus enim ſceleratius à ſuis ſubditis peccat, qui committit ex malè agendi libidine, quòd in alio punire debuiſſet ex authoritate juſtitiæ. In ſimili quidem crimine, princeps & ſubditus, in ordine divinæ juſtitiæ, ſemper ad paria non tenentur, aliquando princeps, aliquando ſubditus plus excedit. Tamen ad rei geſtæ ordinem veniamus, cùm illa ſuppletione verborum, quam etiàm textus evangelicus prætermittit. Herodes audita fama Joannis, eum ad ſe accerſiri fecit, audiendi & videndi aviditate commotus. Ad quem Joannes non fruſtranter acceſſit, ſed ſuadens ei, quæ juſtæ vitæ ſunt & maximè, quæ ad principem in republica pertinebant. Quem libenter audiebat Herodes, & præter pietatem, multa bona in humanis moribus faciebat, non tamen digna & decentia regno DEI. Nulla ſiquidem bona conveniunt illi regno DEI, quæ in fide Chriſti non ſiunt. Diſſuadebat ei facinus, quod non ſolùm lex data, ſed ipſa naturalis juſtitia reprehendit, & conſuetudo, & mores hominum maximè deteſtantur, quem Herodes malè ſuaſus ab amore in carcerem detruſit. Et mirum, quòd eum audiebat in bonis, ſed in cavendo ſcelere includebat. Mos enim eſt quorundam hominum reproborum, ut aliquos pacificè audiant,

audiant, pro quibuſdam humanis bonis operibus exercendis, in cavendis autem criminibus aures avertant, & quod nequius, Herodem imitantes, affligant.

Marci 6. Hinc Evangeliſta proclamat: *Ipſe enim Herodes miſit ac tenuit Joannem, & vinxit eum in carcerem, propter Herodiadem uxorem Philippi fratris ſui, quia duxerat eam. Dicebat enim Joannes Herodi: Non licet tibi habere conjugem fratris tui.* Facere quod non licet, omnino peccatum eſt: Facere quod licet, nullam habet mercedem, nullumque crimen: Facere quod veritas jubet vel conſulit, culpa caret, virtutis eſt actio, vitatque gehennam, & nanciſcitur gloriam. Non licebat Herodi uxorem fratris ſui habere, imo nullius; nequo cum aliqua fornicari, uti verò ſua licebat, & accipere, ſi carebat: Sed uxorem proximi nec dum habere, nec etiam concupiſcere licet, divino prohibente mandato: Non deſiderabis uxorem proximi tui. Et de uxore fraterna, expreſſa prohi-

Deut. 5. Levi. 18. bitio facta eſt: Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpido fratris tui eſt. Neſcio quid majoris criminis habeat concumbere cum ſorore, quàm cum fratris uxore, cùm vir & uxor ſint, dicente domino, caro una. Sed unde arguebat Joannes Herodem? Si dixerim, ex non licito legis, Herodes Romanus & paganus erat, Dei legem non noverat, Chriſti Evangelium nondum audierat. Qua igitur ratione prohibente vel lege, Joannes Herodem arguebat, qui lege divina carebat? Erat quippe præter hoc, quo ipſum audebat arguere, ipſa naturalis juſtitia, qua hoc facinus omnibus hominibus inhibetur. Et leges Perſarum atque Medorum, Græcorum & Romanorum, hoc magnis decretis caverunt, ne quis alterius uxorem invadat. Et ipſa ratio apertè ſuadet, quia homines in magis proximis, majorem cuſtodiant honeſtatem, & quia Herodi non licet, nemini licet. Nec licet eccleſiaſtico viro, juſtitiam ſæcularem uxorem, jam factam fratris ſæcularis accipere: Nec principi ſæculari licet jurisdictionem eccleſiaſtici principis in aliquo vendicare: Quod ſi propriis hujuſcemodi principes contentarentur uxoribus, non tot ſtragibus Chriſtiani populi quaterentur. Uſurpatio protinus juris alieni bella in mundo commovit: Publicam juſtitiam in privatam tyrannidem vertit: Et ordinem rectè vivendi tradidit confuſioni, & nihil rectum agitur: Inquietantur hominum mores, cùm per iniquitatem uſurpatur, atque tranſfertur æquitas dominandi. Excepto, quod à natura condita ſumpſimus, nihil tam juris eſt hominum, quàm propria uxor, quoniam cum viro efficitur una caro. Et cujuſcunque neceſſitudinis ſeparatio ſit facilior, quàm uxoris, ut ita vir ſibi vendicet ex divina lege corpus uxoris: Sicque uxor in viro jus ſui corporis nanciſcatur, ut neuter ſui, ſed alter alterius habeat poteſtatem. Hoc aperta ſententia 1. Cor. 7. Paulus ad Corinthios clamat, dicens: Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir. Similiter autem & vir poteſtatem ſui corporis non habet, ſed mulier. Ac per hoc, in hac uxore Philippi, quam Herodes inceſtuoſus fratri abſtulerat, omne jus homini propriè competens, quocunque juſtitiæ titulo ſignificari arbitror, quod nemini licet alteri auferre, nec quod ſic abſtulit, retinere.

Cap. III.

De pertinaci odio Herodiadis in Joannem.

Sed Herodias inſidiabatur illi, & volebat occidere eum, nec poterat. Impatiens eſt mulierum amor, & ſibi inſidiari metuens, ſemper inſidias machinatur, & nolens ſeparari ab eo, à quo ligatur amore venereo ei, qui hoc arguebat, machinatur mortem: Quoniam non eſt nequitia, ſuper nequitiam mulieris. Et quantùm diligit, tantùm odit adverſum, necnon & odium dilectionis eſt ſignum. Animadvertendum igitur, quantùm Herodias inceſtuoſum adulterium diligebat, quæ Joannem hoc ſcelus arguentem quærebat ad mortem. Nihil in hominibus nequius, nihil ad damnationem proclivius, quàm odire ad mortem, ſcelera arguentes. Quid in infirmo magis infirmum, quàm medici necem inquirere, qui quærit omnino ſanare? Contra quos per prophetam dicitur: Odio habuerunt in Amos 5. porta corripientem, & loquentem perfectè abominati ſunt. Hoc proprium animæ depravatæ, ut ad ultimum odiat, qui ſuis nefariis placitis obicem conatur opponere. Pernitioſa libertate gaudere exoptat, in ſe cæca, neminem ſui ſceleris vellet eſſe videntem. Non ſufficit egiſſe, quod omnino noſcitur nefas, niſi velit extinguere veritatem. Quòd autem affectus damnatus, in effectum non venit,

Marci 6.

Eccl. 25.

rion pœnitentia, ſed impotentia fecit. Hinc Evangeliſta dicit: Et volebat eum occidere, nec poterat. *Herodes enim metuebat Joannem, ſciens eum virum juſtum & ſanctum, & cuſtodiebat eum. Et audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Hæc omnia, quæ Herodes de Joanne noverat, crimen ejus atque fraternæ uxoris exaggerant: Tum, quia nec propter ſanctum & juſtum ſe averterunt: Tum, quia ipſum tam nequiter tradiderunt exitio. Non in veritate timebat Joannem, ſed melius ſibi, ſi timuiſſet dominum in Joanne: Quoniam timor domini, expellit peccatum, & timor domini cuſtodia legum. Protinus avertiſſet judicium à perditione Joannis, ſi verè timuiſſet dominum in Joanne. Nec profuit, quia ſciebat eum virum juſtum & ſanctum, niſi dilexiſſet in ipſo juſtitiam & ſanctitatem. Nec ſatis eſt in ordine rectè agendi ſcire viros juſtos & ſanctos, & noſſe juſtitiam & ſanctitatem, niſi amore animus contrahatur. Animus ſanctis viris amore contractus, imitationem adnectit. Dilecta ſanctitas atque juſtitia mutavit in melius animum diligentis: Mutato animo, illico eſt mutatio in opere ſubſecuta. Novimus enim ſanctos, novimus multos juſtos: Scimus quid ſit juſtitia: Nec quid ſit ſanctitas ignoramus, ſed quid hæc ſcientia prodeſt? Profecto, ad demerita plus accreſcit, niſi accedat dilectio cognoſcentis, niſi ſubſequatur actio diligentis. Quid utilitatis accedebat Herodi, quod audiendo Joannem multa boni faciebat, ſi facinus ejus, ſiqua benefaceret, ſuperabat? Non eſt corruptela in juſtitia juſti Dei, ut ex aliquibus bonis, malum adeſſe concedat. Niſi recedatur à peccato, quod generat mortem, bona quæ fiunt, non proſunt ad vitam. Non poteſt egiſſe juſtitiæ opera, ſi ad malè agendum adhuc ſuſpirat affectus. Ad nihilum valet operum bonorum novella plantatio, niſi malorum prius fiat eradicatio veterum. Quid conferebat Herodi, quod multa faciebat audito Joanne, cùm de quo ab eo arguebatur, non recedebat? Bona quæ faciebat, malo facinore confundebat. Facinus quod perpetrabat, bonis illis operibus non delebat. Nullis enim bonis peccata delentur, niſi prior pœnitentia & eorum abdicatio antecedat. Voluntariè ſemper peccantibus nulla bona facta ſubveniunt. Nemo ſibi de bonis operibus blandiatur, ſi ad prohibita ſponte prolabitur. Et quod Herodes libenter eum audiebat, adſcribendum eſt deriſioni potius, quàm virtuti, cùm non reſipiſcebat à vitio. Similes ſunt libenter audientibus cantilenas & fabulas poetarum, homines audientes verba juſtorum, & prædicationes veritatis, ſi pedes non avertunt ab itineribus pravitatis: Auditio vera ſermonum Domini veritatis atque juſtitiæ, protinus habet emendationem criminum, profectumque virtutum. Libens auditio docentis juſtitiam, ſi ex humili & contrito corde procedit, deſideria facit alia, & mutat hominum mores. Sed nihil hæc omnia pro Joanne, quin detineretur in vinculis: *In quibus cùm audiſſet opera Chriſti, mittens duos de diſcipulis ſuis, ait illi: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Non hæſitabat Joannes de Chriſto, ad quem exultavit in utero, quem baptizavit in flumine, ſuper quem teſtimonia divina ſuſcepit eſſe filium Dei, de quo ipſe teſtificatus eſt, quia erat agnus Dei, qui tollere venerat peccata mundi, ſed curam agebat diſcipulorum ſuorum, quos (ut ſæpe diximus) omni ſtudio remittebat ad Chriſtum, ut ipſi ab ipſo audirent, ipſi viderent quid Chriſtus docebat, quid agebat, quid ex his comprehendere poterant, ut ipſi ex ipſo, præter doctrinam Joannis, in Chriſto crederent deitatem & redemptionem eſſe, quam miſit Dominus populo ſuo, nec alium crederent, niſi enm, quem ipſe eis prædicaverat. Quod *cum veniſſent ad eum viri, dixerunt: Joannes Baptiſta miſit nos ad te, dicens: Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Attamen hæc inquiſitio ſi Chriſtus eſt venturus, an alius expectetur, non ad primum adventum jam factum pertinet, nec enim poterat pertinere: Nec ad ſecundum, quem adhuc multa myſteria & tempora præcedebant, antequam veniat illa extrema & tremenda omnibus dies, in qua tremendè mundum omnem judicaturus adveniet. Sed ex reſponſione inquiſiti ſalvatoris, colligitur intentio inquirentis, quam ipſe Chriſtus pleniſſimè comprehendit *Reſpondensque Jeſus, ait: Euntes, renuntiate Joanni, quæ audiſtis & vidiſtis.* Et ex his etiam, quæ ſequuntur, claret de adventu Chriſti ad mortem inquiſiviſſe Joannem, pro quo ſalvator ſcandalum non in Joanne, ſed in aliis præcavebat, adjiciens beatitudinem his, qui in adventu ejus ad mortem ſcandalum in animo non paterentur: Ratum ex hoc faciens, quod non alius redemptor, ſed omnino ad mortem ipſe erat venturus. Magnum eſt in his allegoriarum pelagus, quod non ingredientes, ad diſſertionem aliam veniamus. Joannes natura homo conſtitutus in vinculis, genus humanum in compedibus peccatorum. Quilibet etiam exiſtens in vinculis

Matth. 11.

Luc. 7.

Matth. 11, Luc. 7.

vinculis ſeelerum, Herodiana ſuſtinet vincula. Pellicea gloria ferè omnes involvit, ut facilior ſit abdicatio rerum, quàm inquiſitæ gloriæ vel oblatæ. Certat cum omnibus & in omnibus fallacis gloriæ dæmon, & omnes quærit includere, & omnem, niſi habentem paracletum, vinculat. Velut hic mundus habet ſubjectas materias gloriandi, & faſtuoſus animus ex his, quæ naturæ ſunt, aut ex arte, hanc auram vanam imbibit. Nam & ſcriptura dicit: Qui confidunt in virtute ſua, & in multitudine divitiarum ſuarum gloriantur. Multi damnabiliori audacia gloriantur, cùm perfecerint ea, quæ veritas atque juſtitia vetat, de quibus per Salomonem dicitur: Lætantur, cùm maleſecerint, & exultant in rebus peſſimis. Proprium eſt reproborum exultare, cùm iniquitatem perfecerint. Contra quos ipſe David in libro Pſalmorum proclamat, dicens: Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate? Potens iniquitatem perficere, ſemper gloriatur, cùm efficit, quia perperam molitur. Omnium enim molientium aliquid agere, gloriari proprium eſt, cùm efficiunt. His quæ ſunt bona vel mala, hoc exceptionem non patitur, quamvis inaniter gloriari & de bonis, tranſeat in peccatum. Et etiam qui juſtus eſt, in ratione finis ſine peccato poſſit quandoque gloriari. Quis enim non gaudeat effeciſſe votum? Quis enim non exultet, perfeciſſe cupita? Quis non glorietur, conceptum in omnino deduxiſſe in actum? Et Jeruſalem per prophetam Dominus eomminando arguit, eo quia gloriata fuiſſet in malis. Nunquid carnes ſanctæ, auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es? Sed quod nunc ad Jeruſalem dicitur, ad animam reprobam jure refertur, quæ in malitiis gloriatur, quas extera ſanctitudo non aufert, niſi Dei miſericordia, & interna pœnitudo ſubveniant. Igitur ſi perfeciſſe iniquitatem in reprobis gloriam parit, quid in aliis proſperis, quæ ſæpe videntur ſpecimen damnatæ gloriæ non habere? Nihil enim eſt ferè, quod ſæculo nequam arrideat, quod non miniſtret fomentum gloriandi: Ut quod damnabilius eſt, ex his, quibus ſupernam homo naſciſcitur, humana captatur. Sed nec quis poteſt in hujuſmodi eompedibus, tam clandeſtinè detineri, quin ad eum rumor operum Chriſti perveniat, ex quo excitatur animus, ut inquirat. Qui duos diſcipulos dirigit, ut videant & interrogent. Hi diſcipuli nemini adulto deſunt, vel omnibus ſemper aſſiſtunt, etiam in peccatorum ergaſtulo poſitum comitantur, ut ſemper homo habeat quos transmittat. Expedit omnem hominem noſcere quid agendum, quid verè diligendum, & à quo ſcienda veritas, à quo felicitas poſtulanda, quem ad imitandum inquirere, in quo ſpes animi ſit ponenda. Hi ſunt diſcipuli, ſcilicet intellectus & affectus, quibus omnis homo, niſi omnino inſaniat, ſociatur, cum quibus etiam apprehenditur iſta expediens diſciplina. Proinde incluſus in carceribus peccatorum, hujuſcemodi diſcipulos mittat ad Chriſtum. Ab ipſo quid agendum, quidve diligendum apertè eognoſcitur. Ipſe veritatem infallibilem docet. Ipſe ſolus beatitudinis eſt largitor. Ipſe ſemetipſum vitæ agendæ dedit exemplum. In ipſo dumtaxat ſpes hominum ſolidetur. Igitur exemplo innocentis incarcerati, nos qui vinculis peccatorum detinemur, hos duos diſcipulos mittamus ad Chriſtum, audientes doctrinam ejus, & videntes mirabilia poteſtatis ejus, ad imitandum eum in moribus, & paſſionibus in omnia & vita crucifigi cum ipſo, omnem ſpem & intentionem projicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de nobis. In vinculis non invitè, ſed ſponte, quæ nobis ipſi fecimus, exiſtimus, & detinemur ab improbitate maleficæ placentis voluntatis, & à conſuetudine prava, funes peccatorum ex mora & ex multitudine componentes, mittamus ad Chriſtum, & reſponſum ejus intentis eordis auribus audientes: Euntes, renuntiete Joanni, quæ audiſtis ab ore meo: Qui, quæ audivi ab æterno Deo vivo & vero patre meo, hæc loquor vobis: Et renuntiate, quæ audiſtis miracula ſupra naturam, intellectum & uſum, invitantia vos „& omnem hominem ad indulgentiam peccatorum: Quoniam qui corpora curat, amplius animas ſanare diſpoſuit, & ad ſpem ſupernæ patriæ omne animam commoventia facit. *In ipſa autem hora, curavit multos à languoribus & plagis & ſpiritibus malis, & cæcis multis donavit viſum. Et reſpondens dixit illis: Euntes, renuntiate Joanni, quæ vidiſtis & audiſtis: Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes evangelizantur.* Callidior eſt lingua operum, quàm verborum, & efficacior reſponſio in oſtentatione virtutis, quàm in prolatione ſermonis. Hæc omnia eorporaliter agebantur à Chriſto, ſcilicet curationes hujuſcemodi infirmitatum: Et paupertas erat in preno, cùm beati pauperes dicerentur, quæ ſpiritualium effectuum erant, etiam imagines, quod ſpiritus mali: Non per naturam, ſed per malitiam abigebantur ab anima, cui reſiſtendi

Pſalm. 48.

Proverb. 2.

Pſalm. 51.

Jerem. 11.

Luc. 7.

nulla

nulla poteſtas, niſi per mediatoris gratiam præſtaretur. Invidi ſunt & reprobi, & adverſus corpus, magis verò adverſus animam graſſabantur. Quod mentis cæcitas ſive ignorantia pelleretur, & tollebatur claudicatio fidei & dilectionis in utranque partem, ut eſſet ambulatio recta in via veritatis, abſtergebatur contagioſus morbus, ut excluſi à ſanorum converſatione, ſanati remitterentur ad illam : Fugabatur animæ inobedientia, ut mente ſurdi recipientes auditum, interiore aure perciperent verba libri vitæ, ad agendam vitam pro vivita : Et ſubjungitur inviſibile mortis imperium, cùm excluditur illa læthalis infirmitas, quæ animæ omnia gravabat officia, & ſeparabat à vita omnium Deo, apud quem fons omnis bonæ beatæque vitæ. Ad alta ferebatur olim abjecta paupertas, & in ſublime tollebatur odibile bonum : Non odibile dixerim ab his, qui noverunt, ſed ab his, qui non cognoverunt illam. Habet nunc eulogiam paupertas, habet & optimam categoriam, habet Chriſti Evangelium in officio prædicandi, & Evangelium in ipſam præcipuam habet, non duntaxet viſibilium rerum, ſed etiam inviſibilis voluntatis. Iſta Joannis nuntii audiverunt, iſta erant renuntianda Joanni, iſta noſtris nuntiis pateant. Sed ſtatim adjecit : *Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me.* Ad evitandam diffidentiam, quæ ratione paſſionis poſſet inſurgere, ad robur fidei, ad augmentum meriti ejus : Poſt enumerationem illorum mirabilium, in declinationem ſcandali, beatitudinem ſalvator oppoſuit, magnum aliquid prærogans, ſi non hæſitare, aut offendere in fide beatitudinem gignat : Regem in opprobrils conſtitutum, à dignitate inhærente non credere excidiſſe, nec ab eo deficere tanquam ſi exinanitus eſſet, perfectè adhærentium militum eſt. Et propter ea, quæ regiam dignitatem non decent, in quæ rex ob liberationem populi, voluntarius ſe dejecit, in ipſo non ſcandalizari, acſi invitè patereturr, nec ab ejus inhæſione recedere, indubitatæ atque conſtantis fidei noſcitur. Proinde nunc Chriſtum videre ſupernaturaliter, ſupernaturalia operantem, nunc ex natura, prout ſi eſſet in culpa, cum culpabilibus patientem : Et mortem ſubire, qui mortuos reduxit ad vitam : Et tradi ſepulchro, qui quatriduanum revocavit à tumulo : Qui operabatur ut Deus, ab hac vita egredi ut homo multatus : Ad ſcandalum mentes hominum diſponebat, ut offenderent in lapidem fundamentalem & angularem, niſi fides ſolida reſtitiſſet. Quamobrem, qui ſcandalum non ſuſcipit, eſt beatus, beatiorque futurus. Omne ſtudium fidelium, enitatur in fide ſolidari, & præteritorum exemplis & argumentorum factorum mirabilium. Orationibus, & omni ſtudio poſtuletur à fidei fundatore, ut in animo inconcuſſa conſiſtat, ne tempore agitationis ſatanicæ, nec cùm adverſitatis eſt regnum, nec cùm iniquitas dominatur, nec cùm videntur cuncta ſubuerti, ſcandalum offenſionis ſubveniat : Ne invaleſcat hæſitatio, ne diffidentia ſubrepat, ne inquiratur ratio naturalis, nec ſenſibilis experientia expectetur, ſed ſolùm ejus ratio naturali ratione deficiens teneatur, cujus meritum, qui condidit illam, cùm aliarum virtutum merita pondetat, plus appendit. *Illis autem abeuntibus, cœpit JESUS ad turbas dicere de Joanne : Quid exiſtis in deſertum videre ? Arundinem vento agitatam ? Sed quid exiſtis videre ? Hominem mollibus veſtitum ? Ecce, qui in veſte pretioſa ſunt, & in deliciis, & mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt.* Præconem verum, verus judex exaltat : Et regis verbum effert laudibus præcurſorem, ut unus commendetur ex altero, mutuum teſtimonium ex alterna laude clareſcat. Nam laus præconis, redundat in judicem : Et fama præcurſoris cedit in regem : Et judicis atque regis gloria optima exaltatio eſt miniſtri. Hinc laus Joannis adjicitur Chriſto, & Chriſti gloria extollit Joannem. Et quoniam dennebatur ipſe captivus, ne crederetur ob culpam, ſalvator ipſum declarat. O quàm optimum eſſet in his, qui patiuntur injuſtè non ſuam, non hominum, ſed excuſationem expectare ſupernam : Quæ cùm hic defuerit, non ad fructum patientis infamiam, ſed ad profectum audientum retorquetur. Cùm verò ad extremum examen differtur, eo magis erit glorioſior excuſatio ſummi judicis, quo hic fuerit abjectior conditio patientis. Veruntamen hic ſalvator præcurſorem ſuum altè prædicando ſuſpendit, cùm dicit : *Quid exiſtis in deſertum videre ? Arundinem vento agitatam ?* Per negationem contrarii ſalvator aſſerit bonum quod de Joanne intendit, illam ſcilicet Spiritus Sancti fortitudinem, qua homo non cedit in alteram patrem, velut arundo, quæ agitatur à vento, in quàm partem aura impulerit ſe convertens : Quoniam qui verè conſtantiam habet, nec ab aura blanditiarum oblatæ famæ, ſeu laudis humanæ, non terroris atque minarum, non etiam intentata morte, ab eo quod eſt veritatis atque virtutis, divertitur. Non ceſſit Joannes magnæ opinioni, etiam jam creditus, quòd eſſet Chriſtus : Non ceſſit Herodis terrori,

terrori, quin ab eo argueretur inceſtus. Semper eodem modo ſe habet, quem fidei conſtantia fovet. Alumnus virtutis ab utero ſemper ipſius ſervabat cenſuram. Non imaginem ejus colebat, ſed ipſam in ſua veritate geſtabat. Arundo ſiquidem præter id, quòd movetur leviter, plus quàm exiſtat, oſtendit, cùm interius vacua, exrerius quid ſolidi videtur oſtendere, ac deſignet illud malum peſtiferum, quod vocatur hypocriſis, quam ſummè Joannes in verbis & moribus devitabat. Ampliùs Chriſtus Joannis inſinuat bonitatem, ut excluſis ab eo vitiis inconſtantiæ, ſimilitet & damnatæ hyprocriſis, etiam mollitiei vitium & curioſitatis & ſuperfluitatis avertit, dicens: *Quid exiſtis videre? Hominem mollibus veſtitum?* Abnegando vitium, Chriſtus ad turbas loquitur de Joanne: *Ecce, qui in veſte pretioſa ſunt & in deliciis, & mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt.* Non damnat Chriſtus, extollendo Joannem, in omnibus hominibus pretioſas veſtes atque delicias & mollia veſtimenta, ubi temperantia utentes moderatur, ubi ſtatus & conditio poſtulat, ubi cogit omnino ipſa neceſſitas. Status procerum mundi exigit etiam in pretioſis veſtibus deſignari. Et in deliciis eſſe poteſt aſſiſtente modeſtia is, qui circundatus eſt deliciis & mollibus uti indigens. Neque regum domos vituperat, nec ipſos reges condemnat, eo quia homines hujuſcemodi eorum reperiantur uti in aulis, quibus mundus in ſuo regimine opus habet: Quibus non exantibus, reſpublica protinus ab improbis turbaretur. Sed Joannem jam perfectionis virtutum in utero profeſſorem, ex hujuſcemodi abdicatione laudibus extulit: Non tamen eos, qui talis vocationis non fuerant, reprobavit. Plura in profeſſoribus virtutis ſi faceremt, aſcribuntur ad vitium, quæ in non profitentibus velut crimina indulgentiam non inquirunt. Ad altitudinem virtutum aſtringebatur Joannes, quem in utero Spiritus Spiritus ſua virtute perfuderat. Proinde Chriſtus patefaciebat turbis ipſum ſuam ſervaſſe in virtute cenſuram, oſtendens quòd nihil habebat in vita commune cum his, qui adhuc ſæculo ſerviebant, ſed quòd ſingulariter gradiebatur in omni protectione virtutum, ut etiam pro veritate captivus, ævum expectaret exitium. Veruntamen hæc quæ ſalvator abnegat à Joanne, non tanquam vitium habeant ex natura, ſed velut lædentia, quod eſt modeſtiæ, quod eſt honeſtatis, quod eſt humilitatis, quod eſt contemplationis excludat: *Sed quid exiſtis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, plus quàm prophetam.* Bonum eſt exire ad videndum videntem, meretur enim vadens plus ipſe videre. Nulla peregrinatio deberet eſſe in cauſa ratione diſtantiæ, nullus labor opponi, nullæ graves expenſæ ad videndum, in quo fulget veritas ſanctitatis, à ſolis ortu uſque ad occaſum, eſſet pro die reputandum. Non oberrat ad videntem pergens, & ſibi credens, cuncta tuta diſponens: Sed videnti non credere, cedit in reprobum ſenſum, velut Saul, qui non credidit Samueli. Et rex Juda & Iſrael, cùm non credidiſſent Michææ, vera videnti (magis autem falſa videntibus) receperunt ab hoſtibus omnino ſtragem. Et multi turpiter corruerunt in veteri teſtamento, vera videntibus non credentes. Et regnum Judæorum omnino defecit, quia veris prophetis non præſtabatur fides. Et ſub Salmanaſar Iſraelis filii traditi ſunt in captivitatem. Et ſub Nabuchodonoſor regnum Judæ in rege ſuo, morte probroſa perempto, turpem finem accepit. Et Jeruſalem capta eſt, quòd mendacibus magis, quàm veris prophetis, fuit tributa credulitas. Proinde quid proderat, quòd exibant videre Joannem prophetam, & plus quàm prophetam, ſi ei non credebant vera dicenti de Chriſto? Ad exaggerationem peccati populi Judæorum Chriſtus Joannem tam altè commendare videtur, cujus veritati fuerunt ex toto rebelles. Nam per beatum Job de reprobis dicitur: Et ipſi fuerunt rebelles lumini. Quod rectè competit populo Judæorum, qui contumaci animo rebellabat luminoſæ veritati, quàm de Chriſto Joannes plus quàm videns, aſſerebat. Si multitudo ſapientum ſanitas eſt orbis terrarum: Ægritudo ſiquidem erit eorum non adhærere conſiliis, quibus profuit omnibus credidiſſe. Ex his enim ſunt devitata pericula, & aucta ſunt regna. Nulli autem ſapientiores, quàm qui non ſolùm humano, ſed etiam divino ſpiritu fuere videntes. Et cùm videns eximius acquieviſſet problemati videntis, recognovit facinus. Cùm verò dixiſſet: Peccavi, illico audivit: Tranſtulit Deus peccatum tuum à te. Mulieres acceperunt filios in uteris propriis, de quibus jam deſperaverunt, quia crediderunt prophetis, & iterum ex mortis imperio receperunt. Viduæ Sareptanæ multiplicata ſunt bona, quoniam acquievit videnti, ut nec farina de hydria, nec oleum deficeret de lecytho, ut hoc typo trajiciatur in gratiam, quòd nunquàm ſpiritualis annona deficiet his, qui ſanctis videntibus crediderint. Et vidua ſuis creditoribus ex maritali debito obligara, per multiplicatio-

3. Reg. 22.

4. Reg. 4. Re, uſſ. Job, 24.

2. Reg, 12.

3. Reg. 17.

nem olei debitum ſolvit, & ſibi filiisque vivendi ſtipes remanſit in reliquo. Ab
4. Reg. 4. omnibus obligationibus liberat ſermo prophericus, ab omnibus cuſtodit ſermo divinus, ſi, velut hamus capiet primo captus. Fruſtra præſtantur aures ad verbum propheticum, incaſſum audiuntur verba doctorum, ad perditionem operum aſpiciuntur ſancti. Ad quid itur ad eos, ſi eorum monita pro ſalute contemnimus, ſi fidem eorum veris ſermonibus non præſtamus? Quid profuerat populo Judæorum vidiſſe ſeu audiviſſe Joannem? Quid exiſtimario alta, quæ de ipſo in populo ferebatur, ſi non ibant, ad quem ipſe mittebat, ſi non ſequebantur, quem ipſe prædicando præibat? Sed unde plus quàm propheta Joannes? Eſſe prophetam, ambiguitas nulla moleſtat: Plus quàm prophetam eſſe, diſſertionem inquirit. Sed ubi deficeret probandi authoritas, ipſum alios exceſſiſſe prophetas, ad palmarem evidentiam facit ipſa irrefragabilis ſententia ſalvatoris: Nos autem nun aliam inquiramus, tantum quia Chriſtus poſuit ſubnectentes. *Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce, ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui perparabit viam tuam ante te.*
Mala. 3. Ad nullum, præterquam ad Joannem Chriſtum legimus ſermones derivaſſe prophe-ticos, neque pro aliquo, præterquam pro ipſo prophetiam reperimus ſignanter expreſſam, quamvis de corpore Chriſti myſtico plurimas lectitemus. Hanc enim applicare de Joanne fuiſſe prolatam, inficiari non poſſumus: Cùm, qui olim multifariè patribus in prophetis, nunc noviſſimè loqueretur in filio, in quo facta ſunt ſæcula, in quo theſauri omnis ſcientiæ abHebræ. 1. ſconditi ſunt: Qui nunc eloquitur, quod olim propheticè dici fecerat de Joanne, acſi pater ad filium unigenitum loqueretur, qui venturus erat noſtram naturam ſuſcipere. Ne tuus fili adventus imparatus atque improviſus eſſe videatur, ecce, ego mitto angelum meum ante faciem tuam. Angelus æterni patris, dicitur eſſe Joannes: Terrenus ſiquidem, non cœleſtis. Multa per omnem modum differentia eſt, inter terrenos angelos, & cœleſtes. Nam ſupernæ virtutes, ſive angelicæ poteſtates, ſpiritus ſunt natura, ex officio angeli: Terreni verò compoſiti ſunt, quamvis ex officio angeli ſint. Et quanquam angeli cœleſtes atque terreni omnes ſint Dei patris, hanc Malachiæ propheriam ſalvator retulit in Joanuem: Quoniam ſic de Chriſto prophetatum fuerat, pro eo, quòd ſic futurum erat. Et interpretatio divinarum ſcripturarum ad neminem decentius, atque verius ſpectat, quàm ad ipſarum infallibilem conditorem, qui eſt filius Dei, æternè genita ſapientia Dei, qui angelum ejus aſſerit eſſe Joannem, & ſuæ viæ proximum præparatorem. Et unde plus quàm propheta Joannes eſt dictus, cùm nullum prophetam ſcriptura prophetarum, angelum dixerit, Nullus viam Chriſto tam de proximo præparaverit, nullus ipſum tam manifeſtè eſſe Dei filium à voce patris audivent, nullus ipſum præterquam Joannes adveniſſe tam ſignanter oſtenderit. Sed quamvis ad altitudinem tanti myſterii non omnis præmittatur ut angelus, tamen hoc quiſque ſibi poteſt in vita & moribus vendicare, ut viam Chriſto venienti præparet. Quærit enim Chriſtus ingredi ad cor noſtrum, ſicut ſcriptum eſt: Ego ſto ad oſtium & pulſo: Si quis audierit Apoca. 3. vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. Stat Chriſtus ut Deus, & ut homo pulſat ad oſtium cordis noſtri. Si quis obedienter audierit vocem ejus commonefacientem, vocantem in viam rectam, pollicentem & patriam, & aperuerit parando Chriſto viam, omnem quippe intentionem & voluntatem aperiendo directioni ejus: Ipſe verò per hanc viam ſibi ſubſtratam veniet, & introibit ſibi liberæ fatefacta janua voluntatis. Cœnabitque nobiſcum in menſa virtutum & gratiæ, ut nos cum illo in menſa æternæ beatitudinis epulemur. Porro angelus Dei eſt, qui delectatione rerum viſibilium non afficitur, qui legationem, quam à Deo in fide ſuſcepit, ipſeque promiſit, exequitur, Angelus Dei, qui diligit ignetè inextinguibiliter, & ardet innocuè igne ſuperno: Quoniam Deus ignis eſt, qui ſapit, & intelligit omnis noxiæ ignorantiæ depulſa caligine qui thronum juſtitiæ in ſuo animo Chriſto parat: Qui ſibi ex omnibus per rationis judicium dominatur: Qui potenter arcet adverſarias poteſtates: Qui principium omnium agendorum in Deo conſtituit, ut in ipſo finiatur: Qui mirabiliter, & ſupra naturam vivit in ſeipſo: Qui delectatur in ſecretis divinorum operum: qui ſemetipſum novit ſeruare immaculatum. Amplius autem Chriſtus addidit de Joanne verum juramento teſtificans: *Amen dico vobis: Inter natos mulierum, non ſurrexit major Joanne Baptiſta. Qui autem minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo.* Matth. 11. Lucæ, 7. Non ſe incluſit ſalvator in ſua prolatione ſermonis, ut in hac majoritate de ipſo comparatio fieret cum Joanne. Matrem virginem verò excluſit, cùm duntaxat de viris, non de fœminis loqueretur.

Adhuc

Adhuc tamen pro cæteris ambiguitas eſſet, niſi adderetur officium, quòd dicitur eſſe Baptiſta, quod præterquam ſibi, nemini datum fuit. Ex his, ex multisque jam præmiſſis dictum noſcitur unde inter natos mulierum nullus Joanne Baptiſta major. Etſi nihil eorum, quæ dicta ſunt, in argumentum venirent probandæ majoritatis, palmaris ratio eſt aſſertio ſalvatoris, qui præter id, quod ex Evangelio ſumptum eſt, aliquid arduum in virtute præ cæteris in ipſo cognovit, unde præ cæteris prætulit. Sibi ſoli cogniræ ſunt omnium hominem mentes, & virtute inviſibiliter fulgentes ſolus ipſe cognoſcit: Qui non ex eo quod exterius agitur, homines approbat, aut alios aliis præfert, ſed ex eo, quod interius ſplendet. Nec me fallit deludens opinio, ſed veritas in me lucet, quoniam ad omnia exteriora geſta Joannis, ſibi opponuntur conſimiles. Quòd ſi ex exterioribus commendatus eſt, commendarentur & cæteri. Nam etſi ſanctificatus in utero, & Jeremias. Si exultavit in utero, hoc quia in eo divina virtute acceleratus eſt ſenſus, ſed nec ſanctificatio aut exultatio proprii meriti fuit ſeu gratificantis virtutis, ſed acceptæ gratis. Si deſertum quaſi ex faſciis habitavit, hoc verè plus accedit ad meritum proprium: Veruntamen, ſi non invenimus quempiam ex tam tenella ætate incoluiſſe deſerta, invenimus equidem plurimos habitaſſe in illis per tempora longiora. Si prædicationem inſpicimus, excelſit illum Paulus, & quilibet alius Apoſtolus, qui diutiùs & diffuſius ſub majoribus terroribus mundo perdito clamaverunt. Si quia in baptiſmo tetigit Chriſtum, & ſacerdotes ſæpius in ſacramento miniſtrant, non alium, niſi eundem ipſum, quem Joannes lymphis intinxit. Sed tanto ſacerdotes atque ſumentes ab illo differentius, quanto immortalem iſti, mortalem verò ille aqua perfudit. Neque autem ex tactu corporis Joannes ſanctificatus eſt amplius, niſi ſuiſſet mente propinquior, quoniam & multi Chriſtum aliàs tetigerunt. Si vocem audivit paternam, & tres apoſtoli cum Chriſto exiſtentes in monte, ſimiliter audiverunt. Si pro argutione inceſtus in captivitate detentus, & alii quàm plurimi pro argutione ſcelerum, pro damnatione idolatriæ, pro prædicanda fide, fævis detenti ſunt. Si verò decollatus, innumerabiles invenimus ſæviora & diuturniora pertuliſſe tormenta, & per aſperiorem ſenſum, perdidiſſe corporis ſenſum. Quid igitur quòd Joannes natis mulierum præfertur? An ex exterioribus geſtis ſic eum præferebat ſalvator? Porro

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

præter ea, quæ dicta ſunt, aliquid inſigne virtutis in animo Joannes ferebat, unde illum Chriſtus aliis præferebat. Exceſſus virtutum, ab exceſſiva charitate conſurgit, quare miſſus Joannes ſuper alios ferebatur. Attamen, ut nec videamur derogare Joanni, aut ipſum extollere ultra fas, verba ſalvatoris, ſecundùm quod ferre videntur, humiliter indagemus. Tutius eſt enim minorare, aut non ſic exaltare Joannem, quàm de verbis ſalvatoris aliquid ſentire indignum. Nam vigilantibus verbis, ipſe ſalvator uſus eſt. Non enim dixit: Inter natos mulierum non ſurrexit æqualis, ſed major, ut intelligatur, quia nullus ipſum exceſſit: Non quod ipſe omnes præcellerit, ut nemini ſuper eum tribueretur majoritas, nec ſibi inæqualitas omnino donaretur. Et qui minor eſt in regno cœlorum, major eſt illo. Ipſe Chriſtus interdum minor reputatus eſt. An quia omnium dominus, omnium factus eſt ſervus, Joanne penitus major erat? Videtur etiam in hi, quòd in humilitatem Chriſtus dominus intendebat, quoniam ſic reputatus Joannes, quòd eſſet Chriſtus, infra humilitatis claustra ſe tenuit, & inde major, quo humilior: Quia omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur: Et qui profundius deſcenderit, aſcendet excelſius. Et qui in regno cœlorum eſſet in humilitate minor, eſſet Joanne major. Si verò comparationem viatorum & beatorum accipimus, quisque minor beatus, excedit quemvis maximum viatorem. Igitur occultis virtutibus, magis quàm actibus exterioribus ſtudeamus, humilitate fundemur, charitate firmemur, ut non participes commendationis, ſed beatitudinis ſimus potius cùm Joanne. Et mundo non modica à diebus Joannis Baptiſtæ exorta eſt novitas, ut ipſe magni myſterii ſit initium, & ipſe ſit terminus magnarum antiquitatum, quamobrem plus in fama commendationis attollitur. *A diebus autem Joannis Baptiſtæ uſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Omnes enim prophetæ & lex uſque ad Joannem prophetaverunt. Et ſi vultis recipere eum, ipſe eſt Elias qui venturus eſt. Qui habet aures audiendi, audiat.* Non intelliguntur dies Joannis omnes, quos vivendo accepit, ſed hi, à quibus prædicare, atque baptizare, divino verbo facto ſuper eum, exorſus eſt: Qui pauci, nec totum complevere triennium. Sed ab his diebus prædicationis atque baptiſmatis, vim ſuſtinuit regnum cœlorum, ut non addatur extranea expoſitio, ſed quam ſalvator adjecit: Et violenti rapiunt illud, ut ſic regnum cœlorum vim patiatur, quia

violenti rapiunt illud : Illi duntaxat, qui ſibi violentiam faciunt, probando proprium ſpiritum, vincendo pravam conſuetudinis legem, in obſequium Chriſti intellectus altitudinem ſubjugantes, diſſoluta ſive coercita lege membrorum, quæ ſtat in membris noſtris, quæ captivat in lege peccati ex demeritis noſtris : Condelectari legi Dei, etiam legi mentis noſtræ. Hujuſcemodi violentia non modica eſt, qua quis in ſeipſo devictus, captat regna cœlorum. Non enim deliciis atque amœnitatibus perfunctoriis ſuperna regna capiuntur, ſed ſudoribus, & agonibus in expugnatione vitiorum, & acquiſitione virtutum. Non enim delicata palpatione, ſed laboribus virium ſuperatur. Nec accedit hominibus virtus, variis agonibus non quæſita, neque divinis coronatur in caſtris, qui legitimè contra omne adverſum non conflixerit in certamine, aut regi etiam poſt laborem laboriosam non exhibuerit ſervitutem. Peritilitantur otiis Chriſtiani, ſed ſavente gratia & agone Chriſtiano ſalvantur. Violentia hæc à diebus Joannis ſumpſit exordium : Non quòd ante non fuerint apti plurimi regno Dei, & pro illo fortiter certaverint, ſed à Joanne primo nominatum eſt regnum cœlorum, & ipſe gentibus ad eum exeuntibus prædicavit, unde regnum cœlorum cœpit ex violentia fieri, ut deſiderium ejus impelleret animos hominum, ut pro illo promptè congrediendo decertarent eſſe victores. Sed uſque nunc modicum erat tempus, ſi nunc fuiſſet & terminus, ſed habebat eum incluſum omnino ſimiliter & deinceps, quouſque mundi myſterium conſummetur. Omnes enim prophetæ & lex uſque ad Joannem prophetaverunt. Porro omnes prophetiæ, quas prophetæ veraces prædixerunt uſque ad Joannem, in velamine tenebantur. In ænigmate ipſis prophetis prædicentibus affutura : Joanne abſque omni ænigmate prædicante cùm eſſet medius veteris & novi teſtamenti : Finis veteris, novique initium : Quanquam alio ſenſu, Chriſtus finis exiſtat. Lex autem ceremonialis uſque ad Joannem etiam perduravit, mandatorum verò lege cum Evangelio permanente. A Joannis tempore ceremoniæ legales cœperunt ceſſare, intacta manente legis ſubſtantia. Quoniam Chriſtus non venit legem ſolvere, ſed adimplere, ut ceremoniæ commutentur in melius, ſubſtantia verò legis ſervetur intacta. Quaſi etiam prope hiſtoriam videtur hic intellectus includi, ſi uſque ad Joannem lex & prophetæ, & de his quæ de Chriſto erant intelligendum eſt : Quoniam cùm Joannes Chriſtum jam veniſſe prædicaret, ſupervacuum erat, ut amplius prophetaretur de Chriſto, in quem omnis ſcriptura tendebat. Quoniam verò populus Judæorum, quamvis tepidè diligebat Eliam, & ipſum magno ſtudio attollebant, ſuorum geſtorum, & ſuæ translationis in paradiſum durante memoria : Idcirco vallans fama virtuteque Joannem, ipſum ſtranſtulit in Eliam, dicens : *Et ſi vultis recipere eum, ipſe eſt Elias qui venturus eſt.* Non Elias in diſtinctione perſonæ, ſicut interrogantibus ſacerdotibus & levitis Joannes ſe ſupra negaverat, ſed in virtute atque myſterio, verè Elias erat. O qualis eſt ſimilitudo virtutum, ut earum efficacia, ipſarumque præconio, ſanctus unus transferatur in alterum, non aliqua mutatione, ſed ipſarum ſimilitudine. Equidem verò utriuſque teſtamenti concordia in his verbis expreſſa eſt, quoniam id novum exprimit, quod vetus in figura retinuit. Et Joannes eſt Elias, quia id continet gratia novi teſtamenti, quod prophetia veteris longè ante prædixerat. Acſi apertè diceret turbis : Si recipere vultis hanc novi teſtamenti gratiam, non cunctemini : Quoniam ſic eſt prout vetus teſtamentum habuit in occultis, & ſic ſunt patres veteris teſtamenti ſicut & novi : Nam Joannes eſt Elias, quia novi teſtamenti gratia, etiam patres veteres circunfulſit, & implevit prophetia videntes. Non enim aliunde facti ſunt patres & prophetæ præteriti, niſi ex eo, quod Joannes credit, & ſperat, amat, & prædicat. Ac per hoc, ſi vultis eum recipere, ipſe eſt Elias, etſi non perſona, una tamen amborum eſt gratia. Nametſi omnes ab Adam uſque ad Chriſtum, qui ſalvi facti ſunt, & qui ad ſpem ſalutis detinebantur in limbo, perſona udem non ſunt, cùm poſt Chriſtum ſalvatis, eadem tamen gratia omnes ſaluavit. Et quoniam hæc myſtica quidem ſunt magnum importantia intellectum, illico ſalvator adjecit : Qui habet aures audiendi, audiat : Videlicet qui audit, intelligat. Quòd verò ad improperium protulit Judæorum auſteritatem vitæ Joannis, quòd non manducavit neque bibit, de communibus intelligendum eſt. Cujus vitæ auſteritatem ſupra prætulimus, ut hic deferere amplius non ſit opus. Hæc quidem dicta ſunt à Chriſto de Joanne adhuc in carcerem conſtituto, de quo malè decernebat Herodes, Nam *& cum dies oportunus accidiſſet, Herodes natalis ſui cœnam fecit principibus & tribunis & primis Galilææ.* Dies oportunus non erat re aut neceſſitate, ſed voluntatis

Marc. 6. Matth. 14.

tatis vanitate, quia natalis diem conviviis honorabat. Melius ſibi fuiſſet, ſi diem mortis geſtaſſet in animo. Non noverat
Eccles. 7. iſte ſapientiam Salomonis, gentilis enim erat, quam ſi noviſſet ex animo, feſtum omnino declinaſſet infauſtum. Melior eſt dies mortis, die nativitatis. Et melius eſt ire ad domum luctus, quàm ad domum convivii. Uoque iſta conveniunt convivatori atque conviviis, quod honeſtiorem atque modeſtiorem ordinat vitam, quàm nativitatis mortis memoria: imo dies nativitatis diſſolvit hominum mores: dies mortis in memoria factus, refrænat. Væ! qui hujus mundi cum lætitia conſpexerunt annis multiplicatis ingreſſum, oblivioni tradentes egreſſum, uterque turpis & miſeriis plenus; ille ad temporalia fit, ſed iſte ad æternitatem miſeram vel beatam. Et ad domum luctuoſam accedere, ad providentiam cedit & præſtat ubi luctus eſt mortis, accedenti cautelam: nam in illa, finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat quid futurum ſit. Sed quid in domo funeſti convivii factum ſit, tu prudens lector adverte. Impudica ſaltratio, impudicus aſpectus, improviſa juratio, promiſſio nequam ſervata, in malum exhibita fides, judicata nequitur innocentia, decollatus eſt juſtus, & in judicio inceſtus invaluit, & ex omni typo Dei gratia eſt damnata. Ipſe quippe Joannes, ex ſuo nomine gratiam ſonat. *Nam cùm introiſſet filia ipſius Herodis, & ſaltaſſet in medio triclinio, & placuiſſet Herodi ſimulque recumbentibus, rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et juravit illi: quia quicquid petieris, dabo tibi: licet dimidium regni mei.* Amor vanitatis & inanis gloriæ in conviviis locum habet, & omnes ad ſui trahit aſpectum. Et ſaltat contortis membris, quia nihil rectum in mundi vanitatibus eſt. Et arte ludicra inflectitur & reflectitur, inclinatur & elevatut corpus, & omnia membra exorbitant, ut etiam ipſa natura corporis & membrorum perverſa videatur ad præſagium ſcelerum, quia mundi vanitas & luxuria, naturæ ordinem ex omni parte pervertunt. Saltat in medio triclinio ſæva puella, filia viperæ viperina. Triclinium, cœnaculum trium lectorum erat. Mos talis quorundam antiquorum fuit, ut ubi refectio, ibi etiam ad pompam oſtenderentur & lecti. In cujus medio iſta ſaltando, convivarum corda demulcet, ludicrans in medio, ut ab omnibus videatur, & omnium perſtringat aſpectus. Virtus & vitium medium conſuevere tenere: virtus ad fortitudinem & durationem: vitium, ut plures involvat ad fraudem. Placuit Herodi & ſimul recumbentibus. Placent mala malis, iniqua iniquis, impudica impudicis, inhoneſta inhoneſtis, ludibria incompoſitis, illicira effrænatis, ſimiliterque vana vanis. Et omnia ſilentio fiunt, ot turpe currat liberius. Aſpectus in turpem actum defigitur, ut malè agens, agendo nequius invaleſcat. Lethale ſilentium, ubi non arguuntur improbæ hominum actiones crimen ad inferna præponderans, cùm in placito factæ ſunt. Ferè inexpiabile malum, cùm iniquitas præmium ſumit. Nam rex ait puellæ: Pete à me quid vis, & dabo tibi. Vileſcit regius honor, cùm dona in actibus improbis pollicentur, & propellit juſtitiam, cùm munera tribuit criminoſis, nec non actiones ſcelerum promptiores reddit ad nefas, & delinquentibus cæteris tribuit incentivum. Væ! danti pro turpibus munera, væ! qui turpitudine præmium captant. In utroque protinus eſt improbanda & vituperanda conditio ejus, qui largitur & accipit, ſi turpis actio eſt, ob quam datur. Et quanto uberior eſt ex turpibus pollicitatio munerum, tanto amplius ſuccumbit gratia pollicentis. Et carentiam ſanè circumſpectionis inſinuat, qui totum ſe ponit in optione petentis, ut illud velit omnino largiri, non quod ratio ſana ſanxit, ſed petiturus juſtum, aut injuſtum decreverit. Non potuit magis vileſcere, quàm quòd dona ſua in optione puellæ poſuerit. Sed nedum puellæ, imo nec provectæ matronæ, quoniam ex antiquo malo, ſenſus muliebris fuit improbus ad petendum, ut illud dixerit honeſtum, quod advocavit in placitum. Veruntamen nulli viventi etiamſi virtutibus fulgere videatur, indeterminata & ſine exceptione pollicitatio fiat, niſi ſub cenſura juſtitiæ: quoniam omnis homo mendax, & omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, poſtpoſito moderamine honeſtatis. In omni pollicitatione libera ſeu interpellatione præventa, hæc palmaris eſt ratio, ut ſi ſine macula veritatis, atque juſtitiæ pollicitationes fiant, petita concedantur. Velut alienus ab honeſto promittebat Herodes, quicquid puella petiviſſet, illico ſe daturum, etiamſi dimidium regni ſui. O! utinam illa oculum ſuum poſtulaſſet, ſive linguam aut membrorum aliquod, & ipſe ſervaſſet juramenti virtutem, prout ſtatuit in Joanne. Utinam dimidium regni ſui, aut filii, aut amici ſui, poſtulaſſet exitium: utinam à ſua matre divortium: profecto decreviſſet potius ſubjacere perjurio, quam hujuſcemodi ſervare promiſſa. Facile ſervantur pollicitatio-

tationes ab improbis, quibus propria perſona non læditur, neque minuitur parta ſubſtantia. Attamen ſapiens nihil promittit incautè, nihil affirmabit fidei juramento, niſi quod fas negare non erit. Etſi lapſus verbo, contra fas quippiam affirmaverit, non ipſum revocare pudebit. Decernet potius in partem juſtitiæ ſe transferre, quàm verax appellari in turpibus. In omnibus verbis & factis nihil debet eſſe pudori, ſi detractio fiat: dum ſervetur juſtitia publicæ honeſtatis, contra quam nulla promiſſio, nulla obveniat aliquando juratio, quod ſi ſit illico detrita non ſtabit. Pœnitentia incauti ſermonis, laudabilis antequam ſequatur effectus, executio verò vergit in crimen, & ſæpe in id, quod poſſibilem non habet emendationem, & fortaſſis omnino expiabile quamvis omnia ſint expiabilia penes Deum. Hinc profectò beatus, qui non fuerit lapſus Verbo ex ore ſuo. Et qui moderatur ſermones ſuos, prudentiſſimus eſt: ut prius limam petant verba, quàm linguam. Ethnicus erat Herodes, per quid tamen juraverit, ignoratur. Sed per deos deasque, mos erat jurare Romanis. Legem iſte non noverat, qua cohiberetur. Impetu ferebatur & indiſcretè, præter neceſſitatem non inquiſitus, incautum præſtitit juramentum. Sed erant omnia præcipitio, & cuncti videntur honeſta in conviviis peccatorum. Rex à ſeipſo defecerat, regno privari dignus, qui ſeipſum non noverat gubernare. Et eo liberior currit iniquitas, cùm nemo principem præſumat arguere. Ubi Deus non timetur à regibus, cùm homines ſubditos habeant, audacius peccant. Et tanto pernitioſius, quanto magis aſſiſtit impunitas. Et hæc eſt in gubernatione populorum extrema miſeria, cùm iniqui tenent judiciariam poteſtatem. Et ipſius excluditur æquitas: & deplorat expulſa juſtitia, cùm omnes in malo conſentiunt ſceptra tenentibus: aut offendere timentes principum faciem, neque in conclavi, neque in publico ipſos ab iniquitate conſulendo ſeu diſſaudendo divertunt. Et juſtum putatur, quod agitur, ubi veritas tacet: ubi contra nefas ſilet arguens, ubi contra perverſa decreta nullus inſurgit, ubi pro innocentia nullus eſt tutor, ubi ad incauta dicta prudentia ipſa ſuccumbit. Sed audita firmata juramento pollicitatione, puella nequitur prudens, matrem conſulit quid petendum. *Quæ cùm exiiſſet, dixit matri ſuæ, quid petam? Et illa dixit: Caput Joannis Baptiſtæ. Et cùm introiſſet ſtatim cum feſtinatione ad regem, petivit dicens: Volo, ut protinus des mihi in diſco caput Joannis Baptiſtæ.* Una duntaxat hic ſervabatur honeſtas, quamvis eam turpaſſet crudelitas, quia mulieres non erant cum viris pariter convivantes. Nam puella exiit ab infauſto triclinio, vadens ad alias ædes, ceu cæcam conſultans matrem, quid ſubitanea pollicitatione regis petitura foret. Utinam puerilitèr petiviſſet, & non conſuluiſſet matrem viperam filia viperina, quæ venerea detenta dulcedine, nihilipendit honores, aurum & argentum execrata eſt. Non cogitavit nobilem ſponſum pro filia, nec ſibi providere curans in poſterum, ut aſſolet maternus affectus. Omnem dejecit petitionem honeſti ad quippiam utile, ſuus non ſuſpiravit affectus: verita, ne inceſtioſis amplexibus privaretur argutione Joannis: de amputatione capitis ipſius ſæva mater ſævæ filiæ dedit conſilium. Steterat in inſidiis leena crudelis, & apto ſibi tempore proſilivit in prædam, caput expectans, ne lingua veridica ſuis placitis amplius adverſantia loqueretur. Uſquequo progredi poteſt crudelitas mulierum advertite, aſpicitite, qua cauſa efficiuntur ipſæ crudeles. Etenim ut amabiles ac tractabiles, ac devolutæ in laſciviis maneant, in cenſores uſque ad necem animoſè ſæviunt. Quibus blanditiis, quibus promiſſionibus aut interminationibus mater filiam fuerit allocuta, non eſt per ſingula differendum, ſed totam ſe in petitione dedit, afferens hanc ſuorum ſummam bonorum, nihilque in rebus ſibi poſſe melius provenire, quàm ut caput Joannis experetur. His itaque ſuaſionibus monita, ſævæ matri exiſtens obediens, non reluctans, non illam in aliquo contriſtans, non ſibi ad meliora providens, indignationem veritæ maternam, aut aliter quoquo modo deluſa, intravit triclinium, feſtinans ad regem, & ut protinus caput Joannis Baptiſtæ in diſco daretur, expoſcit. Ecce funeſta peritio, ecce poſtulatio muliebris, ecce petitio ſterilis, ecce petitio ſanguinis innocentis, ex qua nihil aliud fatiatur, quàm odio plenus mulieris affectus. *Et contriſtatus eſt rex propter juſjurandum, & propter ſimul diſcumbentes, noluit eam contriſtari. Sed miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput Joannis in diſco, & decollavit eum in carcere.* Contriſtatus eſt rex, ſed non ad pœnitentiam, ad quam, ſi accipiſſet triſtitiam, dolens de juramento, caviſſet ab homicidio. Utinam piè contriſtaris Herodes? Si quia malè juraſti, muta decretum, & triſtitiæ ſiccabitur radix: Si bonum juraſti, quid ergo triſtaris? Quare vultum tuum confundis in tanto convivio? Sed ſimulationis malum, ad alta ſeporrigit,

git, cùm involuit principes mundi. Simulata erat Herodis triſtitia. Non enim in aliquo angebatur, implere petitam hominis mortem, neque derogabat regiæ dignitati detractare inſiurandum, quod duntaxat ad honeſtas petitiones innectit, cujus pollicitationem puella malè præmonita convertit in necem. Sed hæc perverſitas agitur à perverſis, ut ſæpe de quo interius gaudent, cùm ſit nefas, exterius fingant adeſſe dolorem, de quo dolent cùm aderit cauſa contraria, proteſtentur adeſſe lætitiam. Nec eſt quippiam rectum in ſimulatoribus invenire. Contra quos in Job ſcriptum legimus: Simulatores & callidi provocant iram Dei. Merito igitur ultionem Dei ſuper ſe ſimulatores in-
Job. 36. ducunt, qui divino ſpreto judicio, hominibus placere quærentes, aut infamiam vitare cupientes, omnia recta pervertunt, ut ab ipſo juſto judicio reprobentur, qui in agendis humanum judicium verentur potius quàm divinum. Et mirum in modum, quòd contriſtari puellam noluit contriſtatus: Cùm mos ſit eorum, quorum animos triſtitia poſſidet, alios contriſtari, ut ſocios habeant hujuſmodi paſſionis, aut modico ponderare, cùm viderint contriſtatos. Sed non ex magnanimitate animi, aut ex aliqua virtute, ſed ex ſimulatione hoc provenerat in Herode, ut falſo poteſtatus triſtitiam, nollet puellam inducere ad ſimilem paſſionem. Hæc reproba fuit uſquequaque compaſſio. Quæ id protinus egit, ut ne contriſtaretur malè petens, interfectus eſt innocens. Veruntamen ſi de compaſſione ad devitandam proximi triſtitiam in Herodis animo agebatur, potius debuit compati, ne nullius mali conſcius traderetur exitio, quàm ut exitialis petitio donaretur. In hac imagine omnis humana propago damnationem accepit, quoniam Adam Evam malè ſuadentem noluit contriſtari, quæ contra domini præceptum, ipſum invitabat ad eſum: Comedit de vetito pomo, unde omnis humana propago multatur. Crudelitas eſt, non compaſſio: Malignitas, non benignitas: inſipientia, non cautela, cùm malè poſtulatum conceditur. Cenſura protinus iſta, in omnibus ſimilibus locum tenet. Non compatiuntur parentes diligentes rationabiliter prolem, ſi aliquid à filiis quæritur, quod eorum deſtruat ſeu minuat bonum. Alioquin ſævirent, non amarent utique natos. Medicus infirmo impiè compateretur, ſi illi reſponderet ad votum. Et magiſter indiſciplinato diſcipulo, ſi ab ipſo correptionis averteret manum, aut ſi vagationis poſtulationem admitteret. Et Deus omnium virtus, in quo ſunt ſingulæ regulæ agendorum, iratus malè poſtulata concedit, quæ denegat miſeratus. Forma malè compatientium Herodes, qui in malè petitis, noluit contriſtari petentem. *Sed miſſo ſpiculatore, præcepit afferri caput ejus in diſco, ut daretur puellæ. Quæ cùm accepiſſet, detulit matri ſuæ.* Multa hic materia tragœdiæ, ſi quis vellet differere. Et hic allegoriarum vorago, ſi quis penetrare decerneret. *Quo audito, venerunt diſcipuli ejus, & tulerunt corpus ejus, & poſuerunt illud in monumento.* Partito non modica facta eſt de Joanne: Nam anima ivit ad limbum, & eum quem baptizaverat, illis patribus expectantibus nuntiavit, quandam conferens de ſuo adventu lætitiam, cùm viderent illæ animæ breviter à tenebris extrahendæ de lacu, animam ejus qui viderat, qui tetigerat ipſorum & omnium redemptorem jam carne veſtitum, prædicantem reſurrectionem, morti vicinum, ut mortuos liberaret. Ipſa Joannis anima, ad illa ima deſcendens, in quibus erat concio tam nobilium captivorum, ſed cito redimendorum, gaudium eis præſtitit, & ſpem illorum robaravit temporis brevitate. Verba verò Joannis remanſerunt in cordibus fidelium auditorum, ad accedendum ad Chriſtum, cujus duntaxat ipſe fuerat præcurſor, & à multis repulſa, fructum quempiam non fecerunt. Caput verò allatum eſt in diſco, & deductum eſt in ludibrium, & ad complementum odii fœminarum. Præciſum à trunco caput, Chriſtus creditus præter corpus, quaſi non haberet eccleſiam ſibi virtute fidei adhærentem, & cognitio rationis, præter actionem, in ludibrio facta eſt. Delatum in conviviis caput, & demum traditum lubricanti, rationem omnino deliciis & laſciviis dediram arguit. Corpus in monumento poſitum, præter caput ediſſerit, ſine ratione omnem ſepultam atque deperditam actionem. Faciunt hoc Joannis diſcipuli duntaxat in magiſtro ad officium pietatis, ad poſteros verò derivant opus inſtructionis, ut exhibeamus ſanctorum corporibus charitatis obſequia, & reverentiam ſanctitati, & ut cognoſcamus eſſe velut ſepulta omnia, præter caput. Nam ubi acephalitas eſt, imago eſt humatorum.

(o)

LIBER IV.

De vita Domini Salvatoris.

Cap. I.

De vita ejus in generali.

OMNIS doctrina, quæ de moribus datur, aut eſt affirmativa vel negativa. Affirmatia nempè doctrina, poſitivè loquitur & negativè, nam affirmando, ponit agendum. Et quia uno poſito removetur contrarium, etiam negat, quòd in Chriſtianis moribus noſcitur non agendum, ut via, quam ipſa demonſtrat, ſemper ſit recta, omnis verò alia indirecta. Quæ autem negando incedit, prohibet vitia, quæ tamen ſint ad agendum neceſſaria, demonſtrat. Idcirco poſtquam alteram alibi poſuimus, hic de affirmativa doctrina ſolummodo diſſeramus, quam ſecundùm Evangelium aut Chriſtus in ſe perſonaliter geſſit, aut ſimpliciter docuit, aut proverbialiter diſſeruit, aut per aliquorum miraculorum inſignia oſtendere voluit. Ac per hoc ipſam voluit eſſe univerſalem, omnibus communicabilem, omnibus coaptabilem, omnibus fecit communem & coaptabilem, ut in ea recipiantur imperatores & reges. principes & omnes proceres, qui voluerint Evangelii ſubdere colla jugo, ut absque mutatione juſtæ dignitatis Evangelicæ participes poſſint eſſe virtutis. Recipit ipſa Judæos, recipit paganos, recipit idolorum cultores, dignitate ſervata, eſecta malitia. Non damnat jura conjugii, ſtatum continentiæ fovet, extollit præ his in culmine virginitatem. Gremio molliori complectitur debiles, actiori recipit fortes, blanditur nobilibus, & ignobilibus dat audaciam vivendi. Sapientes non abjicit, inſipientes non repellit. Non renuit dominos, & ſub ſuo tugurio recipit ſervos. Divites non dedignatur, congratulatur pauperibus, nec ſexus in ſua operatione diſcernit. Formoſos vocat, diminutos alloquitur, & nihil eſt, niſi peccatum & vitium, quod ſecernat. Non locus, non civitas, non orientalis, non auſtralis, non occidentalis, non aquilonans plaga in conſpectu ejus perſonam aliquando diſtinxit: quia nulla eſt acceptio perſonarum apud Deum, neque in Evangelio ſancto ejus. Ac etiam neminem pro ſua virtute atque capacitate virtutis Evangelicæ facit exortem, ſicut ad Galatas & ad Coloſſenſes teſtatur Apoſtolus: In Chriſto non eſt maſculus, neque fœmina, Judæus, gentilis, neque Græcus: circumciſio, neque præputium: ſervus neque liber: barbarus, neque Scytha: ſed omnia in omnibus Chriſtus. Necnon iſta variè oſtenſa doctrina, incipientibus parva, provectioribus magna, provectis alta videtur, & aliquos lacte, aliquos pane, & aliquos ſolido cibo paſcit. Ludit ipſa cum ſæcularibus, loquitur cum renunciantibus ſæculo. Via plana eſt tradioribus, collis eſt volentibns alta conſcendere: ſublimibus animis efficitur mons Olympus. Civile cum civibus eſt Evangelium, Rempublicam communitatem diligentes regere docet. Cum ſe religantibus ſe religat, egreditur ad nemora cum pergentibus, & anachoretis communicationem ſui præſtat. Non reſpuit doctrina Evangelica quempiam, nec accipit ex aliquo, niſi ex virtute perſonam, ut ejus aceptio non ſit ad quod DEUS condidit, & Salvator redemit, ſed ad virtutem, cui ſe perſona minus vel amplius mancipavit. Nihil in hominibus alienum eſt ab Evangelica vita, niſi quod vitii portat infamiam, quamvis omnes vitioſos ipſa recipiat, ſi voluntariè vitii relinquerint nutam. Cadunt ſub Evangelio, ſi qua ſunt momenta rationis, non repelluntur ab eo artium novitates, non damnantur ab eo diverſi hominum mores. Hæc ſolùm

Galat. 3. Coloſſ. 3.

non

non pertinet ad Evangelicam vitam, quæ rationis non poſſunt eſſe participes propter rationis carentiam & infimam vilitatem, cùm & Evangelium ſumma ſit ratio in agendis. Nec angeli propter naturæ ſublimitatem, qui nunquam hîc peregrini, ſemper degentes in ſuperis ac ſi aliquando ad inferiora dimiſſi, non ut mereantur ſecundùm Evangelium, ſed ut pro nobis, aut contra nos perficiant divinum præceptum. Tantùm recipit Evangelium homines in dupla viventes ſubſtantia, ut nec corpus abſque anima, neque anima ſine corpore in vita Evangelica per actionis meritum ſit poſſibile fieri, quamvis ex Evangelio ſequatur pœna vel gloria, cùm oportebit à vita iſta dimitti, ſanè quot homines utriuſque ſexus tantùm recipit Evangelium; ut nihil in hominibus ſit ab eo ſeorſum, niſi quod virtuti & rationi cognoſcitur eſſe adverſum, aut vitio manciparum. Sed gratanter recipit ſemper à vitio emancipatum, ut firmiter teneatur atque credatur nullam virtutem naturæ, nullam virtutem aut opus originalis juſtitiæ, nullam virtutem aut opus legis Moſaicæ, nullam virtutem aut opus moralitatis, ſapientiæ, conſuetudinis ſuperinductæ poſſe Chriſti Evangelio atque vitæ morali Evangelii convenire, niſi cum credulitate indubitata, & amore omnium, quæ in Chriſti Evangelio continentur: Quibus credendis tanta humilitate ſubjiciatur animus, ut neque inertiam rationis aut quæſtionis litigium quærat: Non ſatagat aliunde intelligere, quod eſt reſervatum oculo fidei, & fidei puritati. Sed noveris primò, quid ſit Evangelium; cui oportet cola ſubmittere; & ſine quo alicui non eſt ſalus. Evangelium eſt Verbi incarnati hiſtoria, divinè humaneque oſtenſa in Chriſto & in Chriſti perſona. Evangelium eſt Verbum breviatum, quòd fecit Dominus ſuper terram, confirmatum operibus ad faciendum, validius operibus, declaratum miraculis, velatum parabolis. Evangelium eſt lex æterna, temporaliter promulgata, divinæ voluntatis oſtenſio, reformatio deformatæ imaginis, inviſibilium amor, viſibilium ſanctum odium, terror dæmonum, clauſura inferni, ſupernaturalis operatio, paradiſi porta, angelorum actus, ſupercorporalium cantilena, ſanctificatio ſenſuum, munditia cordis, Dominium mundi, animæ ſpeculum, rationis lumen, ſplendidiſſimum, ſol inviſibiliter lucens, ſcientia incorruptibilium, ſupernaturaliuti documentum, teſtamentum virtutis & gratiæ, hæreditas pacis, chirographum promiſſionis æternæ, pulchritudo ſuperinducta in natura, ſuperexcedens decor, venuſtas morum, mos omnium morum, forma, fortitudo ſuper naturam, temperantia extra uſum, juſtitia ſuper leges, providentia ſuper homines, tempus, corpus, locum & modum: ſcientia inapprehenſibilis ab homine puro: apprehenſibilis ſolùm his, qui ſibiipſis renunciant, & ea in quibus degunt, ſyllogiſtica & ſophiſtica diſputatione non utens, fide apprehenditur, ſpe tenetur, charitate docet, atque actu perficitur, in ratione, non in ſenſibus lucet. Segregata ſapientia, per ſeipſam ſufficiens ad optimi & perfecti comprehenſionem. Cujus vitam aſpicientes in bonorum auctore JESU, incipiemus ab eo tempore, quo communiter hominum ætas virtutis & vitii incipit eſſe capax, ſcilicet ab anno duodecimo, quamvis ipſe ab inſtanti conceptionis viator & comprehenſor perfectus & perfectè perſtitent, ſed per corporis molem, mutationes ætatum, propter ſimilitudinem carnis nobis ſimilis factus, perpeti voluit. Et multa ſunt antè duodecimum annum, & in ipſo duodecimo anno, & poſt ipſum duodecimum annum facta in ipſo, facta per ipſum, oſtenſa propter ipſum, quæ niſi diſtortiſſimo ſenſu ad mores contrahi non valerent, cujus diſtortionis à Spiritu Sancto licentiam non habemus. Sed quoniam illa puerilis adhuc & tenera ætas duodennis incipit aſſentire rationi, & cognoſcere bonum & malum: demereri poteſt incipere, atque mereri, maximè cùm in pueris rationis acceleratus eſt ſenſus. Idcircò Salvator in illa ætate ad informandum hominum mores, præter excedentia noſtrum intellectum, prætulit, atque oſtendit quid inſigne virtutis, ab ea obedientia exordium faciens, in qua primus homo eſt conſtitutus. Ad quam primò ligatus, cum qua primò cohabitans, creatorum omnium accepit notitiam & eorum ſubjectionem ad nutum, ſi ad conditorem fideliter primò ipſe ſervaſſet, quam per malæ voluntatis audaciam frangens, projectus eſt de amœniſſimo loco in hanc miſeriam, cum culpis & pœnis ſuis & ſuorum omnium poſterorum. Nec invenimus Salvatorem ante duodecimum annum aliquid feciſſe, aut dixiſſe, velut, qui ſecundùm altiſſimam providentiam volebat videri agi, non agere: nec protuliſſe Verbum conceptum in luce ſuæ rationis, per reſonantem vocem, & dearticulatam inter labia oris ante tempus, quod in communiter natis atque viventibus capax rationis eſt. Adam habuit obedientiam, quàm nec per

dita ratione contempſit. Oſtendens ſe Chriſtus eſſe rationis capacem, in tempore congruo & in humanitate Verbo declaravit operequè perfecit. Ipſa eſt enim virtutum omnium prima virtus, per quam infidelis venit ad fidem, & fidelis obedit in fide: ut omnino prior ſit obedientia fidei, deinde obedientia in fide: ut prima, ſine probatione fidei firmè credat, alia in fide ſecundùm rationes fidei, opera fidei faciat. Ipſa præeunte à DEO nulla poteſt eſſe averſio, potius verò in averſis fit reconverſio, Cujus inobedientia æmula in cordibus hominum regnum tenens imperat averſionem, prohibet converſionem. Quam obedientiam Salvator oſtendit verbo rationis & effectu operis, cum parentibus ſe quærentibus reſpondit: *Quid eſt quòd me quærebatis? Neſciebatis quia in his quæ patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et deſcendit cum illis Nazareth, & erat ſubditus illis.* Vide tempus rationis, & verbum rationis expreſſum, jam apertè inſinuans, quod velabatur in carne. Magnum verbum altiſſimæ rationis, quod novit perficere vota patris. Magna obedientia eſt, cùm velut patrem proteſtabatur æternum & invisibilem, cujus ſe talem filium aſſerebat, cui ab æterno genitus, non ut minor obediebat. Et per carnis aſſumptionem minor factus, non in Deitate mutatus, in carne perficiebat ab æterno præviſa. Iſta autem obedientia non omiſſa, parentibus carnalibus in carne, non carnaliter obedivit, cùm deſcendit cum illis Nazareth, ſubditus factus illis, ut fas ſit atque neceſſe mortalibus atque corruptibilibus directionibus obedire, propter immortalitatem & incorruptibilem directionem. Semen omnium malorum propria voluntas: obedientia verò deſtruxit illud. Radix fuit crucis Chriſti voluntas ſenſualis, ſed placita obedientia penitus deſiccavit eam. Non machina ligni Chriſto cauſa pœnæ fuit, ſed prohibita voluntas in parentibus primis: obedientia verò ſuffocavit eam in multis naſcentibus cæteris. Qui novit obedientiam, novit portam virtutum: ipſius ignarus regni vitiorum eſt civis. Intellectualem paradiſum inhabitet ejus indutus pallio: contemnens verò, nudatus maledictiones pœnales accepit. Ipſa perdita tulit exilium, proculdubio redit obedientia vera. Si ab inobedientia ſunt mala invisibilia & viſibilia ſimul exorta, certum eſt: obedientiam bonorum omnium eſſe germen. Depopulata eſt cœlum inobedientia, obedientia verò remittit ad cœlum. Confirmationem acceperant invisibiles ſpiritus invisibiliter obedientes, & in corporalibus aſſiſtenti nemini patet lapſus. Caret timore verus obediens, nec ex pudore commiſſi mentis facies contriſtatur corpora inviſibilium inſpectare, imo nec facies corporis coram oculo carnis. Inobediens factus, timens arguentis vocem: & nudatus honoris amictu, latibulum quærit. Non ſentit vitiorum ſentes hujus cultor virtutis: alienus ab ea in anima & corpore tribulos ſentit & ſpinas. Omnis inobediens circumcluditur à diabolo in mare projectus inundantium voluntatum, cognoſcens per obedientiam Deum emergit. Nunquam cum diabolo communionem habet obediens, ab ipſa diviſus ſodalis eſt ejus. Lux & tenebræ ſimul eſſe non poſſunt, multò minus obedientia & vitium. Via recta obedientia: omnes aliæ ad inferos penetrant. In cujus lucem, ſi aſpiraverit infidelis, relinquens errores, venit in fidem fidelis factus animal ſubjugale. Si fidelis in ipſam proſpexerit, obedivit mandatis, in nullo contumax ad clamorem eius, invisibiliter, & moribus ejus viſibiliter ſe coaptans. Si verò intimam claritatem lucis ejus agnoverit, ut Lucifer ejus fieret, ex toto reliquit ſeipſum: multò magis & quæ propter ſeipſum, in bonis naturæ accepit. Qui ſibi & ſuis libellum repudii ſcripſit, huic potuit eſſe conformis. Ligatus ſibi, non appropinquavit ad ejus intelligibilem claritatem. Fecit iſta obedientia remota cœnobia, ut ſine tumultu ejus tuba cœlica ſentiretur, ut pararentur ad bellum, ſub duce jubente cœnobitici milites. Et ipſa perſtrepente in auribus, de hoſtibus viſibilibus corporali carne, placido mundo, & invisibilibus reportarent triumphum, ac etiam palmiferi occurrerent regi regum. Subdidit iſta ſpiritualibus ducibus & temporalibus multorum hominum animos: qui ſecundùm Petri ſententiam, caſtificarunt animas ſuas in obedientia charitatis, non timore neceſſitatis. Quam qui ſine contradictione perfecerit, ab exactione divina in exitum animæ ab hac vita extitit liber, præceptore cum judice remanente in lite. Non exigetur ratio de libera voluntate, quam ex toto in manibus ducis renunciavit obediens, ut nollet jura placiti, ſed mandati. Non exquireretur de ſenſuum motu, qui eos non movit aut variavit propria voluntate, niſi ad jubentis imperium: excepto motu vegetabilis vitæ, quæ obedientiæ legibus ſubjacere non novit. Quomodo ergo exquireretur de donis, qui abrenunciavit eisdem, qui dona non convertit

Lucæ. 2.

1. Pet. 1.

vertit in placitum ſuum, ſed in largitoris obſequium, ad ſuperioris præceptum: Ut in elementis & mixtis, ita devitaret ſenſualem & voluntarium uſum, ut præter legem poſitam & directionis judicium, nihil ſua voluntate frueretur? Magna videtur dementia renunciare conceſſis, & ſibi auferre in eis utenſilia jura: Ego autem dico ſummam ſapientiam, totum ſe, atque foris poſita tota in eum, qui fecit & condidit, per obedientiam convertere. Nec quisquam melius quid agere poteſt, quam ut ei ſe committat, qui eum condidit, atque male agere non poteſt. Omne nanque opificium melius ſub moderamine conſervatur artificis, quàm ſi per ſe quieſcit, aut agit in omni, quod placet, & movetur in omne, quod poteſt. Iſte ſolùm novit & poteſt præſervare cauſatum, qui tenet, & novit cauſas & principatum in terminis, cujus potentiæ ſolùm omnia ſubduntur principia, & componentia ſervare compoſita, ſine cujus authoritate componentia non componuntur, imo ipſo non gubernante omnia ſolverentur & relaberentur in priſtinam (de qua ſunt ex nihilo) non dubitatam materiam: Quod ſicut de viſibilibus, ita de inviſibilibus eſt ſentire. Beata igitur abrenunciatio cujuſlibet doni atque juris in manibus obedientiæ, per quam omnia conſervantur in eſſe, atque proficiunt in ipſa amplius & perfectius, quàm acceperint in natura. Igitur liber ab omni exactione abibit in regnum, qui ſubjugavit obedientiæ omnia dona conceſſa, necnon & omne donum naturæ fecit inſtrumentum virtutis, & quod natura & neceſſitas exigebant, inexhauſto theſauro virtutis irrepretitè perſolvit. Quanquam multiplicationem cæteræ patiantur virtutes: Obedientia verò monadem fecit, ut ſolùm unum, quod eſt obedire ſit officii ejus: Novi multiplicari hominum voluntates, & ſæpe cognovi ad volita infallibilem impoſſibilitatem, ſolus obediens perfecit, quæ voluit. Nil enim aliud volebat, niſi obedire, quod nemini denegatur. Etiamſi non eſſet, qui vocaliter præciperet, ſemper tamen obedit, & meretur, qui hujus virtutis in animo prægnovit officium. Non enim ad mala, niſi devitando, ſed ad bona ejus inclinatur aſpectus. Quàmvis multi ſanctorum dixerint, ſine diſcretione oportere obedire iſtius ſanctæ mancipium, ſed intellexerim, tales intellexiſſe præcipientes penitus eſſe ſanctos, non exercitantes exercitandos niſi ad meliora, quibus incontradicibilis obedientia deberetur. Nec non intellexerim in ſubditis ſubmiſſam à Deo infinitam rationem, atque fidem & charitatem, quæ luce clarius videt mala. Ergo diſcernet ſubditus juſſa majoris? Minimè. Sed abrenunciabit homo veritati, fidei, charitati: Quæ ad iſtius ſingularem obedientiam adduxeruut? Multò minus. Quia ſi ut animalia ductori non contradicentia obedire debent, animalia tamen eſſe non debent, cùm extra rationem veritatis & fidei & charitatem obedientis, obedientia vera eſſe non poſſit, quamvis ſine præcipientis virtute vera obedientia eſſe penitus poſſit, dum faciat humiliter obediens bonus bonum, quod præcepit, qui prælatus eſt malus. Etenim obedientia non à præcipiente, ſed ab obediente dicitur: Sicut præceptum non ab obediente, ſed à præcipiente cauſatur. Nempe omnis obedientia Chriſtiana fundatur in Evangelio, cui nulla repugnare debet obedientia ſpiritualis, nec aliqua ordinatio regularis, nec forma ulla vivendi. Quod Evangelium obedientia fidei percipitur, unde ad hanc ſingularem obedientiam devenitur, quod non eſt in chartis, ſed in virtute rationis, & nullum peccatum minimum aut magnum præcipiendo aut obediendo includit. Igitur ubi peccatum minimum aut magnum adeſſe certè cognoſcitur, præcipienti nemini obediatur. Ubi verò indifferens eſt, aut virtus quod præcipitur, tantùm diſtet diſcretio præcepti, aut contradictio ab obediente, quantum diſtat ortus ab occidente, ut ſi non quærit mortis occaſum, non diſcernat tale præceptum. Quod & fecit ipſe ſalvator, qui obedivit iniquis abſque peccato. Nam ſtetit coram principibus ſacerdotum, ſtetit ante præſidem, velut obediens uſque ad mortem. Quod fecerunt quàm plures martyres obedientes paganis, mundi tyrannis, imperatoribus cultoribus idolorum, quouſque ad peccatum trahere tentaverunt. Ubi autem de peccato egrediebatur edictum, obedientiam Deo, inobedientiam hujuſmodi dominis porrexerunt. Nec obedientia dici poteſt, quæ faetoroſo præcepto inclinat opere aut corde cervicem: Magis verò ubi hoc contingat, nihil dico in moribus ſanctius, quàm tali obedientiæ pro obedientia repugnare. Ac etiam expediat, verbera & flagella ſuſcipere, nec intentatam mortem in aliquo formidare. In ſcholis obedientiæ non docentur exceptionis regulæ, rerum, locorum, temporum & ſociorum replicationes non audiuntur, propelluntur allegationes, appellationes non admittuntur. Ubi fiunt, aut reſonant iſta, ſtudium eſt puerorum ſtudentium per clamorem, &

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

ranarum eſt rumor non diſtinguentium voces. Accepit aliquando obedientia, velut quædam ſevera regina, in animo ſubditi dijudicationis ſceptrum & ante auditum ab ore jubentis præceptum, omnem ſenſum & intellectum & voluntatem & rationem adjudicavit morti, & ne fieret reluctatio, velle volebat & poſſe carere, ut quod expectabatur à duce, fieret ſine querela, & in ſilentio cordis & oris. Quatuor fecernut monſtra, natura & ars, & iniquitas & obedientia. Monſtra obedientiæ mirantur angeli, tremunt dæmones, rapiuntur ſuper ſydera firmamenti. Monſtrum eſt vivus & mortuus ſimul & ſemel: Monſtrum eſt tacens & loquens, ſedens & ambulans, gaudens & plorans, deficiens & proficiens, dormiens & vigilans, ſuus & non ſuus. Titubavit interdum obediens, unde in talibus minimis rebus meritum? Iterum dixit, forè oratio plus valeret, & multum proficit in animo de genere virtutis. Et illuxit deſuper in mente. Verum obedientiæ meritum non conſiſtit in eo, quod agitur aut toleratur exterius, ſed in eo, quod interius abnegatur. Ubi verò eſt potiſſima virtus, ibi & potiſſimum meritum. Potiſſima virtus eſt propter Deum abnegata voluntas, quæ non major in magnis, & minor in parvis eſt. Nec numerantur aut ponderantur, quanta & quot ſunt, à quibus voluntas diſſolvitur, ſed quantus eſt affectus, qui ligabatur. Conſuevit ad horam in magnis minus, & in parvis ligari magis. Vidi poſſidentem mille, & alium habentem centum, magis ligabatur affectus illius in centeno, quàm in mille alterius. Voluntariè ambo reliliquerunt, ſi numerum aſpicis, plus millenarius, ſi affectum, plus centenarius dereliquit. Igitur & in minimis obedire, tanto fit authori gratius, quanto magis abnegatur etiam in bono animi appetitus. Occurrerunt ſiquidem uni ſimul duæ virtutes, quæ mutuò ſe generant, ut una naſcatur ex altera, & altera naſcatur ex una, & unaquæque agoniſtam invitabat ad actum, ſcilicet humilitas & obedientia. Petrus quidem aſſentiebat humilitati, omnino abſonum judicans ab illa majeſtate lavari, & pro humilitate in æternum ſancivit. Inſiſtit obedientia ex adverſo, & eum cœleſtibus privat muneribus, ſi non obediat mirificè operanti, quoniam voluntas projectat in directionem humilitatis, ſed in alterius obedientia monſtrabatur voluntas. Mutat humilitas vultum atque judicium, & aliter alloquitur, quem ante dejectat, dicens: Et hoc proprium meum eſt obedire. Fit igitur obedientia, fit & humilitas: Sed aliter quàm fuerat ab agoniſta prævisum. Sequi voluntatem in ſenſualibus omnino eſt beſtiale: Qui beſtialitati obedit, eidem eſt ſubditus, ſeparatus ab habentibus rationem, factus pecorum cœnobita. Qui obedit adinventæ malitiæ atque procaci, diaboli factus eſt monachus. Qui bonitati ſe dicit velle ſubjici, directionem propriam imitatus, ſibi præceptor eſt factus & ſubditus. Qui dicit, legem novi, non indigeo directore. Et Paulus didicit à Chriſto Evangelium, & poſt beatificam viſionem miſſus eſt ad Ananiam, ut eum doceret, quid oporteret facere. Negat humilitatem, qui non vult ſubjici pro doctrina. Nam Ananias interpretatur ovis, cui mittitur lupus rapax, intellectus videlicet, omnia ſe per intellectum devorare credens, ſed plus novit humilitas quàm confidentia. Et idem Paulus poſt longam & quartuodecim annorum prædicationem Evangelii, quòd per revelationem didicerat, dignatus eſt cùm Apoſtolis collationem facere, non ad tentationem & probationem, ſed ad obedientiam & correptionem, ſi aliquid contuliſſent. Qui ſibi factus eſt, etiam in bonis jubens & juſſus, cæcus eſt, ſine duce viam deſiderat, ſed ignorat. Ebrius eſt talis, domum in animo repetit, ſed neſcit madefactus à vino, quo tramite revertatur, & credens rectè incedere, pedibus ceſpitat, & animo & corpore impetit in parietem. Proprium eſt obedientiæ ſanctæ potius in modicis & paucis bonis in parte certitudinis ſe tueri, quàm fluctuare in magnis. Non habet obedientia dubitandi adverbium, ſemper in affirmativam cedit certorum bonorum partem. Longè factum eſt ab obedientia certificari in ſeipſa & dirigi à ſeipſa: Incunctanter vult amare atque odire, loqui atque operari, quòd fiet aut per certam rationem & doctrinam, aut per fidem & charitatem. Poſſet Deus omnem viam certificare, de ſuis placitis per occultas revelationes, abſque quia homini homo ſubderetur, ſed humilitas & charitas fruſtra eſſent in ordine virtutum. Nam humilitas eſt maximè obedientis, præcipientis verò fontalis eſt charitas. Obediens ſolùm ad oculum joculator eſt, qui membra contorquet ad ſonum lyræ. Depictor eſt imaginum, & ſculptor figurarum, aut ſtatuarum, qui obedientiam ſolùm perfecit corpore. Multa ſunt animalia, in magnis dominorum ſuorum perficientia voluntatem, & tales ſunt, qui actu exteriori, quantumcunque eſſentialiter perficiunt juſſa majorum. Omnis enim virtus rationalis eſt ad intellectum relata, corporis autem

Act. 9.

Galat. 2.

autem virtutis actus visibilis est ad corpus relatus, prout à corpore fit : Ad rationem, prout ab ipsa disponitur. Obedientia verò in ratione fundatur, & primò peragitur in invisibili sensu, ac per hoc tunc erit vera, cùm intus mutat mentis affectum, ut placitum vertatur in non placitum, & non placitum placitum fiat : Amor in odium, odium in amorem : Velle in nolle, nolle in velle : Delectatio in pœnam, pœna in delectationem ad jubentis imperium : Imo cognita supertoris voluntate per signa certa, & invisibili & impassibili mutatione transferatur. Nihil juris sui habet obediens, totum tradidit præsidenti. Qui non mutatur in intimis, aut non dedit, aut retractavit jura concessa. Si non dedit, proditor est, & revertetur in caput suum ; etenim se dedisse fatebatur. Si verò retractavit oblata, sacrilegus est, accepit nanque de altari virtutis quòd non erat suum. Nam jure donationis, ac etiam venditionis pro supernis omnem alteri tradiderat voluntarem, & omnem corporis aptitudinem & consistentiam cùm voluntate alienaverat, velut fundum instructum : Nec est amplius ad se, qui semel se alteri dedicavit. Emuntur & venduntur mancipia jure perpetuo, nec sunt suæ potestatis, nisi manumittantur à dominis. Neminem verò dominus omnium manumisit, qui sibi se donavit in voto, aut pro aliis præmiis se vendidit virtutibus altis : Quamvis velimus nolimus, sui sumus juris, creavit enim nos atque redemit. Qui verò animo paratur ad jubentis invisibilem formam, & sine passione ipsam recipere obedit, totus est Dei, enamsi non respondeat corporis valetudo. Verus enim virtutis affectus, corporis excusat atque supplet defectus, sed non reconvertitur, ut corporis actus mentis excusat aut suppleat aliquando defectus. Ubi autem ista duo simul conveniunt, ex duabus substantiis unum virum cognose perfectum. Sed hi, qui adhuc in hac cœlesti virtute cum passionibus certant, vellent deviciſſe aut devincere passiones, sed nequeunt, imo semper & sæpe ipsarum patiuntur insultum, & quandam desidiam in anima perferunt, cùm non possunt repellere ab animo, quæ oderunt, aut ipsi virtuti exercendæ adversantur. Sed dicimus, quòd aliud est tempus belli, aliud pacis, quæ non possunt eadem sententia diffiniri : Sed euenit aliquando, quòd in tempore belli majora emolumenta conquirantur, quàm sopitis hostibus in tempore pacis : Sæpe fit & êconverso, secundùm differentiam agonum & agonistarum. Nulla enim virtus in veritate clarescit, nisi oppositum aut retrahens seu impediens patiatur, non in deditione, sed in pugna. Si quis autem est, ille liberam voluntatem & affectum inspiciat, & Deo relinquat providentiam passionum, & fructum finalis euentus, & quare à Deo ista permissa nulla ratione consideret. Omnis enim virtus aliquid habet adversum, aliquid consentaneum, aliquid retrahens, aliquid prolibens, cum quo continua pugna congreditur, sic enim ut inclarescat, necessarium est. Habet virtus fornacem, habet & refrigerium, in uno probatur, in altero requiescit : Et habet agonem, quo currat ad bravium, ut nanciscatur coronas. Accessit aliquando tristitia, & pervenit ad animum obedientis, & conficiebat eum propter anxietatem mentis, & ôperis sterilitatem, & dijudicabat in animo præsidentem, velut importunum & ignorantem expedientia, sed tacebat ore perficiens opus, non amore præcepti, sed sibi timens notam aut querelam, si reluctatus fuisset, & negotium suum perambulabat in tenebris. Ignorabat enim astutias dæmonum, qui sæpe mentem faciunt anxiam, ut ex tædio retardent obedientis cursum, nec videbat quòd neque sterilitas injuncti operis, neque importunitas aut ignorantia præsidentis admit meritum subjugalis virtutis. Qui præcipientem judicavit, terram sursum, cœlum verò deorsum vertit, & eodem instanti factus est judex & reus, dominus & servus. Obedivit quis inspidè patri temporaliter eum veritus, & collegarum perhorrescens discrimen, pacem quæsivit iste in terris, sed non bonæ voluntatis, gloria verò sibi ex hoc non erit in excelsis. Omnis enim aspectus virtutis, tendit primo in primam & increatam virtutem : Et non Deo propter homines, sed hominibus propter Deum obedientia & concordia debeatur. Obedire ad oculum carnis, carnis meritum habet : Obedire ad oculum spiritus, cœlestia præmia captat. Supinatur semper vere obedientis oculus, contrarii verò statutus est ad terram. Tristitia in obedientia perseverans, subjectum privat à præmiis, interpolata verò, accendit veraciter obedientiæ mancipatum, velut aqua projecta modicum in ignem, à flatu folium agitatum. Turbatio in obedientia quæratur per causas, & ita dijudicetur. Sed David domino dicebat : Paratus sum, non fui, non ero, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua. Semper obedienria per verba dicitur, & agitur de præsenti, non enim computat aliquid se fecisse temporis oblita præteriti, futurum non respondet, fecerat Psalm. 118.

nempe ſemel, ad præſens tempus aſciſcitur actus ejus. Omnes enim virtutes, ſuo modo merentur. Qui verò ſemel ad ſtipitem ejus intellectum ligavit & aſinum, nunquam capit à merito dormiens & vigilans, ſedens & ambulans, laborans & quieſcens, comedens & abſtinens, otans & legens, ſemper cumulat præmia, propter promptitudinem primæ oblationis, & firmatæ fidei ad jubentem. Genus eſt ſpiritualis fœnoris, mutuata omni pecunia ſub uſuris, & ſi nunquam expendatur, accreſcit ad mutuantem. Locatum animal, etiamſi quieſcat, lucratur domino, quòd fuit in fœdere firmatus obediens, etiamſi concunturrentationibus, aut quieſcit immotus, voluntate meretur. Eſt obedientia ex parte virtutis, eſt ex parte obedientis, eſt ex parte jubentis, eſt ex parte ipſam primo inſtituentis. In virtutum deſcripta catalogo animi eſt libertas, ſecuritas conſcientiæ, non aberrans ratio, terminata & ſine quæſtione intelligentia, impleta voluntas ſine pondere plena, ſine nocte dies, lux tenebras fugans, reſponſio ſubità quæſtionibus diaboli, mundi, & adverſantium hominum, inquiſitio cui reſponderi non poteſt: Reſponſio quæ replicationes non ſuſcipit, quia non poſſunt inferri: Pactio inviſibilis, perfecta originalis juſtitia, debitum redens, & actualiter exigens: Juſtitia legis & gratiæ, inviſibilis ſatisfactio: Expiatio animæ, perfecta paupertas, pulchritudo & ordo naturæ, conſervatio entium, relevatio inclinatorum, reſtauratio perditorum, & ad Deum & ad hominem præſidentem juſta & plena conformitas prompta diſpoſitio ad contraria ſenſus. Obedientia, eſt donatio ſemper exacta, & cùm redditur, plus exigitur: Magis verò ſe porrigens, & ipſa, verè abſolutio eſt ab omni, quod exigi poteſt: Conventum atque congregationem inviſibilem omnes fecêre virtutes, in medio ſtatuentes parvulam, atque puellam obedientiam, & veritas ſurgens in medio inviſibiliter, in ſenſu inviſibili ab omnibus perquiſivit: Habetis ne aliquid querelæ adverſum hanc delectam? Et reſponderunt: Nequaquam: Imo, ipſa velut famula cùm ſit primicetia, nos omnes honorat, in omni loco & tempore atque opere nos veretur, noſtras perficit voluntares, lætificat congregationem noſtram. Et mirum, quàm impartitè noſtra nobis ſimul tribuit juta. Ipſam dicimus omnino innocentem, imo nobis noſtra tributa inculpatè reddentem à noſtris abſolvimus debitis, dicentes: Liberam debere regnum liberum introire. Similiter fecerunt & dæmones, adverſus obedientiam quærentes teſtimonia, non invenerunt ipſam in aliquo ſuis legibus ſubjacere, ſed omnino rebellem. Et nihil eorum juris invenientes, maledixerunt, atque damnaverunt ab ipſorum regno, diſponentes contra eam bella crudelia, quia ipſa ipſorum fines actu intrepido ſemper pulſat. Ex obedientis autem parte, vita eſt imperturbabilis, applicatio uni inapplicabilis, alteri adhæſio ineuulſibilis, mos irreprehenſibilis, actus juſtus, poderatum opus, pervigil oculus, auris non obtuſa, circumciſus modus, paratum animal ad omnia onera ſine diſcretione ſerenda, rota verſa & reverſa ſemper circa idem centrum, quieta militia non quieſcens, mirificus agon, impauiditas mortis, conſideratus motus, impaſſio ſenſuum, dejectio corporis, tædium quietis, lætitia laboris & inquiſitio. Obediens verum damnum ſuum exiſtimat ſilentium patris, & nihil ſe feciſſe arbitratur, agitatus à promptitudine mentis. Collegam non quærit in opere commiſſo, timens partitionem meriti ſicut & rei, agitatur à ſancta æmulatione. Vellet enim præferri ad opera laboriosa & vilia propter primum præmium hujus virtutis, quod ſicut in aliis virtutibus eſt feciſſe. In ſecundum verò non fixit aſpectum propter certitudinem bonitatis in animo præfixæ de ſummo & juſto Deo, qui nullius boni detinet præmium. Eſt ſine ſanguine fuſo martyr, qui lætæ portat obedientiæ pondus. Muſicum ſemper inſtrumentum eſt, & eſſe cupit obediens, ut ſemper reſonet dominicam cantilenam. Rex, & ſervus obediens bonus, qui ſuo ſuperiori incontradictè ſubjicitur, & inferiora ſibi poſſidet ipſe ſubjecta. Semel & iterum obediverunt omnia viventia homini, propter obedientiam ſervatam ad Deum. Mutabant in Ægypto ſpeciem creaturæ, producebantur, & veniebant, & redibant ad imperium hominis. Æthera dabant quaſi grandines lapides, & oſtendebant obedientiam obedienti. Stetiſſe ſol legitur contra ſuæ legis curſum, obediente Deo voci hominis, ut monſtraretùr dominus ſubdito propter bonum obedientiæ obedire. Obedivit Eliæ ignis, quia ipſe domino obedivit, & in non revertentes fecit incendium, quia erat homo Dei, & non ſuus, ſibi ſcilicet vivens. Tu poteris de cœlo advectare ignem, in conſumptionem tuorum peccatorum, & ſuperborum morum. Prohibebat imbres de cœlo & educebat, & tu obediens poteris prohibere lachrimas, & earum imbrem velle producere. Corvi ſibi ſubditi erant, etiam dæmones ſubjiciun-

Joſua 10.

4. Reg. 3.

ſubjiciuntur verè ſubjectis, ut eorum malo miniſterio per reſiſtentiam mereamur panem vitalis doctrinæ & ſpiritualis alimenti: veſpere verò, in fine ſæculorum, reſurrectionem carnis glorioſam accipiemus. Et magnus monachus Athanaſius centum dæmones habuiſſe legitur quadraginta annis ad tentationem, quos poſt reſiſtentiam tanti temporis habuit ad obedientiam & ſubjectionem, & præcepto ejus trecentorum monachorum fecerunt cœnobium, cum omnibus officinis, educentes aquam per aquæductus à longè, tentantes etiam monachos, quos ipſe volebat habere conſocios ſine intermiſſione, donec cum eo pergent moraturi, magis verò morituri. Igitur in obediente obedientia recuperatio eſt primæ jurisdictionis datæ creaturæ rationali. Dum perficit juſſum obediens terret dæmones, fulminat in inferno, tremere facit omnes aëreas tetrasque potestates, & ſibi aſciſcit lucidas invidiæ livore carentes. Quòd ſimile apperat ſimile, natura & ars, mos fecit & gratia. Igitur qualis obediens, tales ſunt complices quæſiti, aut voluntariè accedentes. Huic virtuti omne vitium inſidiatur & argumentum, quoniam omnium ipſa eſt interemptrix, nihil aſſcribit ad impoſſibilitatem. Obediens omnia ſperat poſſe perficere juſſa, novit enim iſta virtutem miraculosè operari ſupra naturam & artem: quam ſententiam, ſi vellem armare peractis exemplis, ad incœptum ſermonem tardè concluſio ſequeretur. Obedientia obedientis eſt quodammodo doctrina præcipientis, pro eo quòd oportet obedientem omnes latebras animæ ſuæ, atque omnes tentationes placentes & non placentes, & ſi qua contingentia circa ſeipſum in utroque ſenſu ſuo manifeſtare directori, ut ex hoc percipiat quid injugere, quid verò prohibere habeat in ſubjecto, aut quam cautelam quàmve medelam expediat opponere, in quibus laxare aut retinere frena: non enim omnes duces per Spiritum noverunt omnem conſiſtentiam ſubjectorum. Qui verò ſe abſcondit dirigenti, tenet infra viſcera damnationis mortem. Eſt obedientia ex parte præcipientis. Ipſa eſt exquiſitio debiti, ut præſidens exquirat debita jura, ne remaneat exactor & exactus in debito inviſibili obligatus. Eſt ars impoſita diverſis perficienda operibus atque laboribus, diverſa lucra ſuſcipiens, nullis exhaurienda expenſis. Probatio eſt athletarum, & ſubita tuba: ut præparatio fiat ad bellum, impoſitio non electa, prærogatio contrarii ad voluntatem ſubjecti, juſſio non quæſita, medicina præter intentionem infirmi, impulſio & retractio non requiſito illo, qui ſic agit. Seſſor pro ſuo modulo frænat & calcaribus urget equum, ut nunc ſuæ fortitudini aut impetuoſitati conſentiat, aut parcat ſegnitiei deſolatæ. Moderatur auriga equos quadrigam trahentes, & nunc tardius nunc velocius agit: ſic qui præſidet promptitudini ſubjectorum, non ſemper frena relaxat & ſimulat tarditatem, & virtutum currum trahentes, non moderatur ad placitum. Quoties enim qui præeſt ſubditorum præelectam perficit voluntatem, aliquam margaritam cadere facit de corona, niſi prævenisſet, quòd ipſe diſpoſuerat firmare mandato. Non permittebat Salomon ad ædificationem templi aliquem magiſtrorum in eorum ſapientia laborare, ſed in ſua: ipſe ſciebat optimè quando debebant dolata conjungi: nec qui præeſt, permittat propriæ ſapientiæ opera fieri à ſubjectis, ſuum eſt diffinire facienda. Quotquot ſuis ſubditis noverunt atque dilexerunt inviſibiles conciliare coronas, contra ipſorum voluntates ex adverſo fecerunt aſcenſum. Obedientia prout imponitur à ſuperiore, antidotum probarum eſt porrectum contra venena ſerpentis, ſed qui experimento non didicit obedientiam, ſæpe inacutè præcipiet, ſed fides obedientis liberabit utrumque. Durum eſt, quòd ſciat equitare, neſciens ambulare. Docere verò, quòd quis non didicit, aut præſumptio, aut ſtultitia, ſeu paracletus eſt. Nempe abſque dubio non à verbo aut à libro, ſed ab experientia ipſarum, aut infuſione comprehenduntur perfectæ virtutes, & ſi de Chriſto dicitur, ex his quæ paſſus eſt didicit obedientiam, quòd ſequitur tacebo. Igitur ad hujus directionem perfectam, eum qui præcipit, oportebit ſanctæ hujus guſtaſſe dulcedinem, & per longa tempora tractus per montana & plana hujus virtutis, non ſterilia, ſed fructifera imperare ſubjectis, & diverſos diverſis agones imponere, atque variare ſonum ſecundùm tempora, regiones, converſationes, aptitudines: & loca hujus intellectualis muſicæ inſtrumenti. Ac per hoc ex parte jubentis ipſa obedientia eſt quidam oculus inſopitus, ad cognoſcendam opportunam varietatem, & renovatio moris & ordinis atque legis ſecundùm ſubjectorum expedientiam magis bonam. Eſt etiam inflexibilis juſtitia, ne cadat à rigore qui præcipit, etiam contradictus, nec aliquo tenus tædio reponat in pharetra

retra obedientiæ ſagittas. Nunquam ſileat obedientiæ gubernacula tenens, niſi cùm ipſa operibus clamat: cùm verò ipſe rex ſilet, dux ſpiritualis inclamiter. Sed nec ſegniter dixerim, ut poſt benè operantes exhortando ad melius etiam ſemper clamet. Clamat dux belli poſt impavidos milites, ut promptiores reddat ad æmulos. Ad optimè remigantes navis gubernator ſibilos crebros emittit & validas voces, ut etiam apparere faciat negligentes ex hujuscemodi importunitate clamandi. Præfectus operum non ſolum negligentibus inſultat clamoribus, ſed etiam exhortatur laborantes. Obedientia eſt prævifio agendorum, diſcretio vitandorum: Apponit prima, ſiqua dirigenda ſunt in cœlum: Secernit ſecunda omnia mergentia in infernum. Si conditionalis non eſt obedientia ſubjectorum, ſed libera, & liberè dedicata in omnem, & propter omnem profectum præſidentium: Obedientia, quam dicemus mandatum, erit in omne bonum virtutum. Ac per hoc fides, poſt primam fidem: Spes, poſt primam ſpem: Charitas, humilitas, paupertas, caſtitas, juſtitia, temperantia, prudentia, fortitudo, ſaltem animi, jejunium, oratio, pſalmodiæ, miſſæ, diſciplinæ, proſtrationes, abſtinentia, patientia, mortis memoria, oblivio injuriarum, pax, concordia, maturitas, manſuetudo, mititas, ſilentium, ſtatio, quies, ſenſuum cuſtodia, peregrinatio, privatio, confidentia, timoris, expulſio, ſerenitas mentis, mollis reſponſio atque locutio, vigilia, hoſpitalitas, pœnalitas, & ut dicere audeam, ipſa pretioſa mors, ſub obedientia cadunt. Has omnes & ſimiles numerari difficiles mandabit animarum diligens paſtor, omni prævifione præhabita. Conditionata obedientia non abnegavit per omnia voluntatem, nec ſe totam tradidit rotæ, ſed fecit partes, & partes rerum, locorum & temporum, de qua nullus nobis ad præſens eſt ſermo. Sceleris obedientia omnia ſecernit, quæ ad regnum pertinent tenebrarum. Primo quidem ſuperior iſtam dirigere volens, lucis virtutem aſſumat, ut æqualiter ſe communicet in ſubjectos, ut lux in ſubjecta corpora ſui luminis ſuſceptiva. Nam à luce non fit corporum æque acceptio, quamvis corporum differentia multa ſit ad ipſius ſuſceptionem, ut corpora diaphana & tranſparentia, quæ magis ipſam irradiantem ſuſcipiunt, quàm cætera, quod non provenit ab æqua irradiatione lucis, ſed ab impoſitione ſuſcipientis corporis. Erit igitur præſens lucis imitator intentus, ut æqualiter communicet animis & moribus ſubjectorum. Et eo plus permittat ſe illabi uni quàm alteri, quo ſubditorum cognoverit mentes & corpora magis ad ſuam obedientiam aptari. Nec ſe retrahet lux à ligno, quòd eam niſi ſuperficialiter non recipit, & ſolum irradiabit cryſtallum, quod eam ſuperficialiter & in intimis ſuſcipit. Et quoniam lucis eſt ſecernere à ſe tenebras ac fugare, hanc imitatus animarum dux omnes tenebras ſpirituales & inviſibiles, necnon, ut ita fatear, & palpabiles ex moribus fugabit de regno ducatus ejus. Et primo quidem proprium amorem, velut proditorem ſancti cœnobii condemnabit. Amorem autem ſpecialiter colligatum unius ad alterum, maximè palam factum ex ſignatis moribus, eradicabit velut peſſimam peſtem. Etenim applicatus amor ad unum, cæterorum eſt condemnatio atque accuſatio pro defectu. Si enim præpollentia virtutis majorem mereatur dilectionem, annuimus: Sed refrænabit, ſi virtuoſus eſt, qui ex virtute diligitur, improvidum dilectorem, qui ſe reddit notabilem ex converſatione ſingulari atque ſpeciali ad omnia. Virtutis & Chriſtianitatis amor, ſi pallium induit veritatis, mente agit, ſigna non quærit, maximè ne aſtantium offendat aſpectum. Igitur omnes alios accuſabit & condemnabit, etiamſi virtuoſus: Quia non alii virtuoſi, quibus tantus non eſt adhibitus amor, atque ab eis retractus, uni verò accommodatus. Et communitatem fraudare muneribus ordinatis ad corporis vitam, damnabile fit: Multo magis amore appropriato decipere, execrabile amplius eſt. Ex colligato enim amore atque converſatione lites, diſenſiones, applauſiones, excuſationes, promotiones, recommendationes oriuntur, & ſuſpiciones & indagationes malæ: Quandoque odia, objurgationes & convitia, quæ omnia velut ramos venenatos & ipſorum primam radicem mucrone obedientiæ atque juſtitiæ oportet abſcindere, velut lædentia & inficientia quod commune noſcitur bonum. Ac per hoc, ut brevi verbo edifferam, in præcipiente obedientia eſt converſatio juſta ordinis: Quo non turbato, irreprehenſibilia ſunt omnia: Quo turbato merito reprehenduntur, quæ reprehendunt omnia. Omnis enim reprehenſio morum, ab intermiſſione ordinis ſumpſit exordium. Ordo enim omne vitium excludit, quia nullum vitium ordo recipit, nec eſſe poteſt ubi ordo conſiſtit. Omne igitur vitium ordini eſt adverſum. Sedebit planè qui præſidet in ſolio juſtitiæ, ad firmandum contra vitia per obedientiam

irremo-

irremota decreta, ne ordo naturæ, morum atque gratiæ in aliquo conturbetur. Hinc Salomon ait: Rex, qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Malum lædens, quod commune noſcitur
Prov. 20. bonum, & omnem perturbabit rempublicam, cùm unuſquiſque facit quod libet. Hoc primò erat, in cœlo, in terreſtri paradiſo, in originali mundo, ut ſcribitur, quia omnis caro corruperat viam ſuam.
Gen. 6. Et in tempore, quo populus Dei depravabatur, per id, quod in libro Judicium legi-
Judic. 17. tur: In diebus illis non erat rex in Iſrael, ſed unuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat. Faciebat unuſquiſque quod rectum ſibi, non quod rectum ordini atque juſtitiæ videbatur. Exterminandum eſt hoc malum, quantùm ſe poſſibilitas efficit, non ſolùm de ſegregatis cœnobiis, ſed de omnibus limitibus Chriſtianis
1. Cor. 14. per obedientiam præſidentis, ut ſecundùm Apoſtolum, omnia ordinatè fiant in nobis. Proprium verò ereſcit in natura velut putrida tabes, & malum inficiens omnem animam cui adhæret. Deus non dedit alicui proprium in ſuo univerſo, quod vult omnibus eſſe commune. Hoc verò proprium appellavi, quod ſpecierum eſſe creatarum in ordine differendi dicitur, ut riſibile hominis, crocitare corvi, quod ſurgit ab ipſa ineunte natura, ſeu propter quod inhoneſtum devitatur, & cuſtoditur honeſtum, ut propria ſit uxor, ne fiat turpitudo communis: Sive quod à virtute ſeminaria traductione producitur, ut ita unus filius tantùm proprius ſit duorum, quòd nullo modo poſſit fieri plurium. Servatur hoc etiam in animalibus, & plantis. Aut proprius virtutis actus, cùm quis hoc bonum facit, quòd nemo alius facit, quamvis ſimile faciat, aut facere poſſit. Necnon proprium dixerim iniquitatis otium, unde in agente generatur peccatum, quod ita eſt unius, ut nullo modo alterius. Nam ſi mille hominum voluntates, ac manus ad homicidium unius convenirent, ita quod unius eſt proprium in deordinatione voluntatis & manualis injectionis nullius alterius eſſe nequit, quamvis malum communiter fieri poſſit. Fertur quidam nomine Joannes ſanctæ vitæ, degens & habitans in remotis partibus à communi hominum habitatione, de ſuis facultatibus inretentè miniſtrans petentibus oſtia domus ſuæ, quæ nec viatoribus elauſa erant, & multis ſudoribus in arte laboriosa culturæ terreſtris conquirebat propriè, unde poſſet petentibus plenè conferre. Ad quem caſu itineris venerunt uno die quidam diſcurrentes, habitu religioſi, & verbis, & moribus idem profitebantur, & indigentia urgente hoſpitati ſunt apud eum: Et ut fieri aſſolet, eum curioſis quæſtionibus propulſarunt, inter cætera proferentes: Homo Dei, bona ſunt quæ facis, quia laboras, quia de tuis facultatibus tranſeuntibus inretentè miniſtras: Sed hæc propria ſunt, domus, ſupellectilia, prædium, atque juga bonum. Dimitte iſta omnia, & vive abſque proprio. Qui ſimplex exiſtens, & nihil in animo proprium poſſidens, magnæ ſapientiæ dedit reſponſum: Verè fratres ignoranter vixi uſque ad hunc diem. Non me credebam proprium poſſidere, cùm perſonam & res omnibus indigentibus voluerim, & fecerim eſſe communem: Nec unquam animo meo potui in hominibus cognoſcere proprium, niſi peccatum. Illi autem ſtupentes, ad reſponſionem verbi tacuerunt. Et verè proprium creaturæ rationalis eſt, per iniquitatem poſſe peccare, quod cæteris ſpeciebus dotatis non poteſt eſſe commune. Proprium verò, quod ab auaritia ſumpſit initium, per juſtas leges ad devitandum peiora, ſæpe defenſum ab origine mundi uſque in hanc horam ordinem perturbavit, quod ab omni profeſſore virtutis per obedientiam eſt arcendum, ut non ſolùm in magnis rebus, ſed etiam in modicis proprius non permittatur uſus. Et incunctanter in omnibus, in quibus poteſt ſervari communitas, ſervetur nulla proprietas. Conſuevit nempe non ſolùm attributa proprietas, ſed diutinus uſus ſibi vendicare in proprium quod accepit: Et afficitur paſſibiliter animus, ut, ſi privatur, remaneat inquietus, & adverſùs eum ſæpe oculum torquet, cui videatur adeſſe, quod tenuit: Et ſuſpicionem plerumque imaginatur, ut fiat ſuaſione alterius, quod de paſtoribus providentia ſana præcedit. Non permittet Doctor omnino alicujus animam ad rem aliquam colligari, ſed etiam veſtes & calceamenta mutabit unius ad alterum, niſi corporum inæqualitas contradicat. Inſtrumenta verò artium, competentia competentibus præſidis judicio erogentur, ut ſcriptor, cujus manui competit penna, calamus, quòd ſibi nec eſt ad aliud manus apta, attramentarium in uſu ſuſcipiet, & ligo & vomer ei, qui agriculturam novit. Non erit horum inſtrumentorum unius ad alterum facienda converſio, ut non aliter, niſi ſecundùm artis peritiam, inſtrumenta peritis in uſu operis concedantur. Invigilabit ſedulus ductor ſpiritualis exercitus, ut ab omnibus nocivis abſtineant omnes, qui in agone ſpirituali contendunt, & inflexibili obe-

dientiæ virga minabitur, & percutiet omnium colla. Exquiret inprætermiſſè ſub cenſura ipſius obedientiæ ab uno vitam alterius, ut quod per revelationem, aut per ſpiritum non novit, per inveſtigationem unius & plurium clandeſtinam poſſit invenire, quæ ſit morbida pecus, quam aut ſanabit paſtoralibus inſtrumentis, & cataplaſmatibus neceſſariis, aut ſi plaga inſanabilis adeſt, ſeparabit omnino à grege, ne aliquam aliam in ſpeciali maculet, aut totum corrumpat ouile. Si obedientiæ primum inſtitutorem inſpicimus, obedientiæ inveſtigatio in ſublime nos trahit, ut nec plenum poſſit intelligi. Et ad oſtendendum, quod dicitur, non ſufficiet lingua cordi, cùm Deus ſummè bonus æternaliter exiſtens, infinitè incognitus, pro eo quòd ab æterno creatura non fuit ſuæ cognitionis capax, ſed ipſe ſecundùm altitudinem infinitæ ſapientiæ ſuæ, cùm voluit, creaturam creavit, cui ſua benignitate innotuit. Et primo quidem ordine atque dignitate angelicam, cui non per verba ſonantia, ſed per intellectualem oſtenſionem illuxit, ſe inſinuans ejus creatorem & Deum & domtnum, exigens intellectualem obedientiam, non ad ſuam, ſed ad illius firmandam beatitudinem, & creaturam rationalem atque compoſitam prnduxit in eſſe, cui longè aliter ſe inſinuavit creatorem & dominum, & obedientiam in utroque compoſitorum exigit, quodam tranſitivo reſpectu iterum retranſitivè, acſi Deus homini loqueretur: Creo, aut creavi te, vide tranſitum, ut obedias mihi, vide retranſitum, ut beatus ſias. Iterum vide retranſitum non in te, ſed in me. Vide finalem, & iterum poſt primam, & iterum retranſitum & reſpectum. Et cùm omnia Deus ſimul aut indiſtinctè crearet, ſcripturæ tamen ſacræ diſtincta locutio commemorat, quòd in omni, quod produxit Deus in creando, & producendo non dominus nominatur: Cùm verò ad hominem creandum venitur, Deus & dominus dicatur, ut ob inſigne monſtretur, nullius alterius creaturæ rationalis voluiſſe ſcripturam, quamvis eſſet dominus, appellare, ſed tantùm hominis, cujus proprium eſt ſub cœlo rationalem obedientiam recipere, per intellectum ſibi conjugari, affectu & actu efficere ab eo, qui collo ejus ſuum jugum impoſuit, potentiam accepit. Eſt ſiquidem obedientia inſtitutio æternæ legis, & voluntatis temporalis exactio, firmata Dei ſententia, irremota juſtitia, invariatum judicium, irreprehenſibilis juſſio, honeſtum præceptum, utile mandatum, rationabile imperium, regio quietis, expectatio in termino, conſervatio creaturæ, turris fortitudinis, ars ſecuritatis, currus Dei, luna nocturna, ſol meridianus, arca Noe liberans à diluvio, arca fœderis, ſuper quam requieſcit gloria inviſibilis Dei, & ut ex multis brevi verbo perſtringam, obedientia eſt tota pulchritudo actualis rationalis creaturæ. Obedientia eſt juſtitia in conſpectu tribunalis divini, divinas ab eo exigens promiſſiones. Divina enim bonitas dedit creaturæ rationali ſpeculum & argumentum, quod acceptam pulchritudinem inviſibiliter & viſibiliter in moribus conſervaret, hoc eſt obedientiam. Nam nulla major in creatura viſibilis pulchritudo, quàm ut ipſa conſiſtat ante factorem, & creatoris & creaturæ mutuus ſit aſpectus: Melius in eo, quod pulchrum eſt ſibi & aptum, & quod deforme aut ineptum, quàm in ſeipſa conſpiciens, hoc obedientia facit, à Deo mentis faciem non avertens. Et quamvis ipſe omnes reſpiciat, inobedientes verò ipſum non reſpiciunt, ab ipſo faciem avertentes. De quibus per Propheram dicitur: Et nihil voluerunt attendere, ſcilicet quæ mandabantur, & verterunt ſcapulam recedentes, vel ſecundùm aliam litteram receſſerunt retro, & aures ſuas aggrauaverunt ne audirent, & cor ſuum poſuerunt adamantem, ne audirent legem. Speculum animæ ſine dubio Deus eſt, qui ſaltem per ſcripturæ obedientiam noſtris oculis ſe opponit, in quod ſedulè aſpicientibus ſervatur pulchritudo naturæ, necnon & gratiæ ſuperinducitur ornamentum. Nam quam pulchritudinem quælibet creatura ſingulatim atque conjunctim habere poteſt in ordine univerſi, quàm ut id agat, quòd ſibi præceptum, atque impoſitum eſt, & illum obtineat finem, ad quem ordinata eſt? Ipſa nobis plantarum, & arborum, atque omnium rerum natura demonſtrat, conſiderantibus rationalem & intellectualem univerſi pulchritudinem, non oculorum tamen objectionem. Quænam pulchritudo major poteſt eſſe cujuſſibet arboris, quàm ut illos producat fructus, quos ſibi prima natura, quæ Deus eſt, indidit in natura creata, quæ ſucceſſu procedit? Etſi aliquando inſita, ſuſcipit alterius arboris & producit, quamvis inſertus ſit ſurculus per manum artificis, quod ſuſcipit & producit magis eſt pulchritudo naturæ, quàm artis: Nam cujuſuis arboris is eſt fructus & finis. Quæ major pulchritudo cujuſſibet animalis, avis & piſcis, quàm ut id efficiant, aut participent ex eis, ad quod Deus in natura produxit? Nulla major oculorum pulchritudo decernitur eſſe, quàm viſus.

Zach. 7.

ſus. Pulchritudo enim oculorum, non quantitas & lippitudo, color & figura, ſed viſus : Ad hoc enim oculum ipſa natura produxit. Pulchritudo verò auris nulla major auditu, & narium quàm olfactus : Palati, quàm guſtus : Linguæ, quàm diſerta loquela : Manuum, quam tactus, & ſimilium ſimilia eſt diſſinire. Quænam major pulchritudo lucis, quàm ut luceat, & omnium elementorum, quàm ut eorum propria ſervent, & finem debitum ſortiantur ? Hæc omnia ſi qua dixerim, aut ſenſu aut ratione carent : Sed ad rationalis hominis pulchridudinem revertamur.

Eccle. 11. Quæ major hominis pulchritudo, quàm ut obediat Deo ? Certè dixerim nullam. Hoc eſt quod Salomon in fine ſuæ concionis teſtatur, dicens : Faciendi plures libors non eſt finis. Time Deum, & mandata ejus obſerva, hoc eſt omnis homo. Id eſt ad hoc creatus eſt omnis humo, & ex hoc finem ſuum ſortitur omnis homo. Si ſingulatim quempiam conſideras, hæc eſt tota pulchritudo ejus, ut coram prima & inturbabili pulchritudine ſemper aſſiſtat, & pulchritudo ereata eoram increata permaneat, & cauſatum cauſam nulla ratione dimittat. Si cum aliis quempiam contempleris, obedientiæ pulchritudo tanto erit validior, quanto quis cum aliis, quàm ſingulatim eſt melior. Iſta fœderis arca durante per deſertum & nemora portata, in caſtris ſita, per manſiones cum ipſa ſubactis hoſtibus, mundo dirupto in ſubverſione Jericho, patriam promiſſionis non terrenam, ſed cœleſtem in curia, & ante tribunal divinæ juſtitiæ, juſtè quodammodo poſſumus poſtulare. Ipſe namque ad hujuſmodi virtutem ſe pacto ligavit, & pol-

Iſaiæ. 1. licitationes ei fecit æternas, juxta quod

Prover. 11. Iſaias dicit : Si volueritis & audieritis me, bona terræ comeditis. Et in Proverbiis dicitur : Vir obediens loquetur victoriam. Nullus de victoria poterit diſputare pro Chriſtiana militia, niſi ſuperna coaptaverit, ſed vir obediens, ſeipſum mundumque devincens palmiferam victoriam loquetur. In ſuperis luce clarius patet obedientiam quandam eſſe juſtitiam, cum qua inverecunda facie ſtare poterimus ante dominum ad promiſſa petenda, Dei miſericordia præſtante audaciam, pro juſtitia in-

Deut. 30. ferentes fidam obedientiam. Et in Deutero nomio poſt multas optiones & cauſas ſubjungitur : Elige ergo vitam, ut & tu vivas in ſempiternum, & diligas dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, illique adhæreas. Ipſe eſt enim vita tua, & longitudo dierum tuorum, ut habites in terra, pro qua juravit Patribus tuis, Abraham Iſaac & Jacob, ut daret eam illis. Ecce quòd ſub juramento verè obedientibus promiſſa eſt terra cœleſtis. Sed ne quis in animo querularetur, quòd de terra promiſſionis intelligitur, reſpondetur, quòd omnia in figura contingebant illis. Et nec Abraham & Iſaac & Jacob poſſederunt terram promiſſionis, neque in illa vita fuit alicui, aut erit in ſempiternum. Nec in mundo iſto alicubi eſt longitudo dierum, & nemini Deus in hac regione umbræ mortis ita eſt vita, ut animæ à corporibus non diſſolvantur per mortem, & corpora reſolvantur in cinerem. Parum quid innotuit, quid ex parte inſtituentis Dei obedientia ſit, ſed adhuc ſuſpice oculo mentis, & ad altiora porrige viſum. Fecit Deus ereaturam abſque ulla macula, & vellet ipſam manere abſque ulla querela : Et quoniam angeli non ſunt ſtabiles per naturam, multo minus & homines, qui habitant ſuper terram. Et mobile in mobili habens immobilitatem habendo ſortitur. Igitur ſtatuit Deus obedientiam homini, ut vita ſit ſine querela, & ipſa ſola vita eſt obedientia, imo creatura vivens ſine inferenda querela. Nam de quo reprehendi poteſt, qui ſummo creatori obedit ? Quam adverſus eum quis habebit querelam, qui divinis legibus ſervit ? Erit immaculatum opus artificis, cùm perficit voluntatem actoris, & abſolvetur à legibus motus, adhærens ei, qui nunquam eſt motus. Ut referam obedientiam in amorem, imo dico obedientiam & charitatem, prout ab ipſo Deo primo inſtituitur, nulla ratione differre. Nam amor amato obſequitur, & ſubjicitur, & tanto ſubjicitur veriùs, quanto amat ardentius, & inhæret ſtrictius, eùm obedit attentius. Ut amodo obedientiam ultimo dicam, obedientia inſtituta eſt charitas, quæ negligentiam ignorat, inculpatè obedit, poſſibilia omnia ſuſcipit, cui nihil impoſſibile imponitur, virtutes omnes diſponit, quæ jugum ſuaviter portat, inhæret tenaciter, ſuſcipit affectus immobilitatem, neſciens variari, per multa diligens unum, quamvis multa perficiat propter unum, & diverſa injuncta reputat unum, & diverſos præceptores, quæ Dei ſunt præcipientes, exiſtimat dominum unum, & omnia reducit in unum, & paſſiones innumeras unam reputat propter unum, deſideria coaeervat in unum, homini uni vel pluribus ſe ſubjicit propter unum, præcepta decem aut duo reducit in unum, quia obedire ſolùm eſſe dicit ſuum officium in unum, quia una eſt cum uno, una cum uno, ut in æternum fruatur uno, & omnibus bearis uno.

Ad cujus ampliorem diſſertionem pro noſtra ſurma vivendi, qualiter ſit facta Chriſti obedientia, oculo fidei videamus. *Deſcendit cum illis JEſus Nazareth, & erat ſubditus illis.* Luc. 2. Deſcenſus eſt in obedientia, nam niſi animus ad ima deſcendat, omnino reluctabit obediens. Hic deſcenſus ab arce mentis fit, ab omni altitudine cordis, ab omni tumore mentis, ab omni judicio elationis, ab omni propoſito contractionis, & ab omni reputatione propriæ cognitionis. Uſquequo erit deſcenſus? Nazareth eſt terminus. Eccleſia Chriſti monaſterium: Eccleſia Chriſti, cœnobium: Eccleſia Chriſti, collegium, ubi Chriſtus Dei Filius, ab omni mundo viſibili monachus abdicatus, incomprehenſibilem obedientiam agit. Sed decebat locus actioni, decebat perſonæ obedienti. Nazareth flos eſt. Florida in odoribus, florida in aſpectibus debet eſſe obedientia. Flos medius eſt inter gemmam & fructum. Præcedet gemma florem, ſequitur florem fructus. Gemma deſiderium eſt ſive voluntas ordinatè vivendi ante conſpectum Dei: Flos verò irreprehenſibilis eſt & delectabilis in virtutibus vita. Fructus in quem flos deſinet, vita æterna. Cant. 7. Et amore capta ſponſa videre affectabat, ſi vineæ, ſcilicet animæ gemmis deſideriorum bonorum tumidæ in bonis operibus atque virtutibus flotuiſſent, & ſi qui fructus ex virtutum floribus carperentur. Verè flos eſt obedientia, in virtutum floribus agitur in fructum infalliбiliter deſinens, quòd eſt ſuperum regnum. Nazareth eſt virgultum, & ſine virga eorreptionis & diſciplinæ obedientia perfectè non agitur. Qui parcit Virgæ odit filium, dicit ſcriptura de carnali filio, verum ſic experientia docet de ſpiritali filio atque patre. Proverb. 13. Luce clarius patet, quòd pater ſpiritualis non corrigens ſubditum, uſque ad æternam mortem odit eum. Hujuſcemodi odium carnalis patris in filium, ſæpe temporalia ſive corporalia damna cauſat, ſed ſpiritualis patris negligentia corrigendi, quæ odium dicitur, ad gehennam compendium facit. Sit ergo in Nazareth obedientia, & accipiat qui præeſt omnino virgultum, & corrigat, quem aſſumpſit in filium. Sanctitas interpretatur Nazareth, ſanctitas certè à ſanguinis tractura ſumpſit initium. Et ſanctus ſanguine tinctus dicitur, ut uſque ad ſanguinem ſine intermiſſione oporteat obedire, nam & Chriſtus in Nazareth ſubditus factus eſt obediens uſque ad mortem, & omnem ſanguinis effuſionem. Appellatur conſecratio Nazareth. Conſecratio eſt alicujus rei ad Deum. Conſecratus eſt & eſſe debet Deo verus obediens, & ad nil aliud debet oſtendere aptitudinem, niſi ad ea, quæ Dei ſunt, velut vas ſolùm divinis cultibus conſecratum. Sed qui erant huic monacho, huic formæ obedientiæ præſidentes, quibus ſubditus erat, qui omnium dominus erat? Maria & Joſeph, veritas & charitas. His ducibus & his prælatis ſine intermiſſione obediamus. Si qui autem præcipiunt, Mariam illuminationem, Joſeph augmentum, à ſuis lateribus habeant, & præter veritatem & charitatem ſubectis nullo modu præcipiant, & præter ipſas ſubditos alia ſcire non doceant neque cogant.

Cap. II.

De occulta vita JEſu.

INter cætera quæ menti vitam JESU conſideranti atteſtantur ad miraculum, atque in contemplatione ſuſpendium, eſt occultatio vitæ ſuæ: Non tamen perſonæ per decem & octo annos jugiter celebrata, de qua nullus quatuor Evangeliſtarum aliquid retulit, quæ occultatio atque ſdentium magnum nobis innuit agendorum morum myſterium. Deitas in humanitate celata erat, & occulta oculis, & ab omnibus præterquam, à fidelibus intellectibus, quæ, quod non videbant credebant, & quod ratione non percipiebant, fidei tradebant. Iſte ſiquidem Deus homo, ſubmiſit deitatem atque virtutem iſto in tempore, ut nec per opera mira crederetur Deus, nec per alia exercitia probitatem atque virtutem habere crederetur, ut ex ſuis geſtibus aliquos traheret in admirationem, aliquos in ſtuporem, aliquos in conſiderationem, aliquos in deriſionem. Cognoſcebatur ab hominibus Nazarenis, quia nec celabatur perſona, ne alius crederetur, quàm credi volebat, ſi apparuiſſet extemplo. Credi ſanè volebat Deus homo, inter homines converſatus ut homo, peccati macula procul pulſa, eum carne tamen ſimiliter peccatrice. Erat ſanè ſtupendum, hominem juvenem videre præ cæteris inſignem, moribus gravem incedentem honeſto & placido vultu, proclivis oculis, retractis manibus, ſermonem rarum habentem, & nihil inpertinens in ſermone, loquebatur voce ſubmiſſa, omni projecto

projecto clamore, diſertiſſimus in verbo Verbo exiſtens, veſtitus modeſtè, nihil perperam in veſtibus habens, commenſuratè pedes movens, quieſcens ad tempus, ut nulla levitas notaretur in motu, egregiam corporis formam hominis, qualis nunquam apparuit in natura: non gyganteam aut remiſſam, ſed talem, qualem habere decebat, qui omnia fecit in pondere, & numero, & menſura: qui nec reprehendi debeat, nec juſtè poterat in omnibus, quæ ſunt à moribus, aut inſurgunt ab ipſa natura, nec ſecundùm phyſogoniam de moribus hominum, & interiora per exteriora falſo judicantes illi homini DEO ex defectu naturæ aliquid poſſet adſcribi: nullam tamen humanam atque mundanam aptitudinem oſtendebat, prout aſſolet ætas illa. Erat enim aptus rebus divinis, imo totus divinus erat, quamvis ex dono naturæ indicia multa ſuſciperet, quod jure omnibus aptus eſſet: Et mirum erat credere, quòd pauperculis duobus talis Filius eſſet natus. Judicabatur magis dignitati regiæ convenire, quàm Joſeph atque Mariæ. Sed quinimo. Ignorabant enim arcana. Ex alio autem inſurgebant detractionis indicia, & habebatur ignavus, ſæpe reputatus & ſtultus, ubi jam clarere incipit humilitas magna ejus. Hic non ſtudebat militiæ, nec fatagebat pro corporis virtute pandenda, ut ſe minus fortem aut magis inter ſuos cœcos oſtenderet. Etſi laceſſitus interdum injuria, non manu aut lingua reſpondebat alicui vocem, unde fugax & puſillanimis habitus eſt. Artem nullam diſcebat, unde captaret neceſſaria vitæ: ſed aut maternis aut paternis lucris, & interdum quæſtu, vita frugali & parta humiliter fovebatur. Etenim comedebat & bibebat & digerebat & emittebat ut homo, nihil, quia DEUS, ſimulatum agens. Alienus erat à conviviis, ſpectacula nulla videbat. In fœminam non figebat oculum nec animum fixum, non ad ſuam expedientem cautelam (nam DEUS & homo erat) ſed ne notaretur propter ſecuturum & apertum myſterium. Illa pulchritudo appeti non poterat ab ulla muliere, magis verò alios ejus ſanctificabat aſpectus: nec propter eximiam effigiem ejus alicui exorta eſt aliquando tentatio: venerat enim depellere, non excitare. Pecuniam non ferebat, procul fecerat largitatem juvenum, nec enim habebat unde, minus autem decebat deificos mores. Frequentabat ſynagogam Judæorum more, ſtatutis autem temporibus veniebat in templum. Cognoſcebatur ex perſona, ex virtute omnibus occultus erat, non enim advenerat hora innoteſcendi. Literas nullas didicit ſuorum more cœvorum, ut etiam poſt tempus diceretur: Quomodo hic literas ſcit, cùm non didicerit? Oſtendebat ſine doctrina vivendi normam, & regulationem omnium ſenſuum ſupra omnem ſenſum. Operari erat oratio & ſublevatio ineffabilis. Tota deifica erat vita ejus, hoc ſolùm retinens in humanis, quòd mutationes ætatum perpeti voluit, & augmentum corporalis molis uſque ad terminum ordinatiſſimæ quantitatis, & veritatem humanitatis oſtendere per cibos & potus & egeſtiones & ſomnos. Almificè almifica operans incomprehenſibiliter ab omnibus, etiam ab his, quibus ex humilitate ſubjicebatur, ut ipſi mirarentur & obſtupeſcerent ſuper geſtis ejus, fide indubitata tenentes, quòd non non fallebat neque fallebatur in operibus ejus. Erat extra omnium uſus & mores, quòd tanto tempore occultavit ſemetipſum mundo, & virtutem inſertam. Sed in omnibus geſtis ejus componebat ſequentium & adhærentium mores, ut vivamus occultè in conſpectu ejus cui nihil poteſt eſſe occultum. Nec quæramus palam fieri mundo, qui revelationem expectamus gloriæ inviſibilium angelorum, qui non ex viſis corporeo ſenſu, ſed inviſibiliter altiſſimo placuerunt. Vivere in hominum fama, faſcinationem mentis oſtendit, extra notum fieri, receſſus eſt à mente: qui receſſit à mente, oblitus eſt imaginis quàm accepit, & parvipendit, quod excellebat in eo, & lucem pro tenebris commutavit. Occulta vita, privatio vanæ gloriæ, qui verò fieri voluit ſponte notus, eam accepit uxorem. In latibulis degens ventos non timuit, in montibus poſitus damna venturum plerùmque portavit. Monaſtrata oculis vita præanticipavit famam, fama prælata virtutibus pervertit ordinem ſanctitatis Oportet ſervum DEI omni ſtudio famam virtutibus vincere. Monſtratus digito concutietur in corde, quo concuſſo turbabitur requies. Non eſt ſapientis, ſed ſtulti vivere opinatè. Ad veritatem oportet ambulare credentes, ſemper in inſidiis ſunt latrones, ſpoliabitur veſtibus veſtitus incidens in eos. Difficile fit alienum fieri ab omni conſorte naturæ, ſed conſortium ſæpè ſeparavit à Deo. Periculoſa eſt congreſſio certare cum laudibus, vincere virtutibus famam pugna eſt verorum. Non vivit ſibi, quod nequius eſt, nec Chriſto, qui ædificavit in cordibus aliorum. Vivere in dejecta prudentia, redemptio eſt à contrariis, & augmen-

tum contemplationis. Impoſſibile ſit, quòd omnes habeant corporale ſecretum, ſed mentis oportet prætaxare velamen, exteriores tenebræ, atque pœnales exteriora quærentibus aſciſcuntur. Confidunt multi non cadere in oſtenſione virtutis, ſed ſi aliquando ita cedit, admiror: non dans tamen de oſtenſione præceptum, magis verò aſſeverans tutius eſſe ſecretum, igitur omnia celabuntur? Reſponderim: Oporter ſolùm neceſſitatem, non voluntatem ad oſtenſionem in cauſa ſupponere. Ad occultandam vitam, ſimiliter & virtutem adinventa eſt peregrinatio & ſolitudo deſerti. Sed ignorantes multi peregrinationis directionem, in illa naufragium pertulerunt ex oſtenſione inhærentis boni, cives effecti, ubi debuerunt eſſe peregrini. Perrexerunt quàm plures ad interiora deſerti, agentes ignotam hominibus vitam, ſcientes cœleſtibus civibus eſſe notam. Multi verò aliter occultari non valentes, fatuitatem moribus oſtenderunt, Chriſtianam meditantes ſapientiam. Aliqui per ſilentium abnuerunt ſubſtantiam cœleſtium morum, erat enim eis, & omnibus eſſe debet gloria vitæ agendæ teſtimonium conſcientiæ. Quamvis dirigatur à Domino virtutis oſtenſio, ut opera noſtra coram hominibus luceant, ad eos tamen directus eſt ſermo, quos non ſolùm ſibi, ſed etiam aliis omnino vivere oportebit, qui ſunt in culmine dignitatis, aut officii conſtituti. Occulta ergo Chriſtianitas manifeſtata per tempus, animabus noſtris inſinuat, non devenire in publicum ante tempus à Domino præfinitum: quia omnia tempus habent, ſuisque diſpoſitionibus currunt
Luc. 3. univerſa ſub ſole. Hoc enim & Joannes Baptiſta fecit, qui non dimiſit deſertum, veniens in omnem regionem Jordanis, quouſque ſuper eum Verbum Domini fieret in deſerto. Maximè verò ſic dejecta prudentia & potentia, operum & ſermonum Chriſti cavere hominum complacentiam docet, ut nihil propter eorum placitum fiat. Ac etiam veritas eſt filenda, ne fine proferatur, quo placeatur hominibus. Et juvenes ad interiora transmittit atque ſecreta, quos facile gloria vana deludit, & à quibus ſaltem ſi non quæritur, ſed offertur, difficile devitatur. Et regulatur vita hominum inter homines, quomodo vivant in oſtenſione perſonæ, ſine denudatione virtutis. Non omnis eſt fieri corpore nemoroſum, & à turbis remotum fien per receſſum, ſed omnium eſt ſe coaptantium ad virtutem abſconditè operari, & hominum devitare conſpectum. Etſi aliquando ſurrepat propter aliorum utile, ad imitationis exemplum velle videri, & omnino à xenodochiæ jaculis ſe loricatum, & ſcuto bonæ voluntatis protectum ſe videat, non damno, quod intendit, ſed de portu profilivit in pelagus, & expoſuit ſe ventis, qui firmato pede pergebat. Bona & magna ſunt lucra cum navibus, ſecuriora dixerim, quæ non ſunt expoſita ventis excitantibus undas, ſubmergentes ſuis fluctibus naves. Acquirere animas exemplo & doctrina omnium regi Chriſto magni eſt meriti, ſed non profeſſionis omnium, acquirere ſeipſum tota eſt omnium Chriſtiana profeſſio. Quod eſt neceſſitatis præfertur electionibus voluntariis: & ad quod obligamur ad rationem reddendam in examine judicis infallibilis oportet præintendere, quàm quod propria directione ſuſcipitur. De ſe per ſe oportebit reddere rationem, de aliis autem non, niſi qui aliorum directionem per Domini obedientiam ſuſceperunt, aut ipſi voluntariè acceperunt. Occultus erat originali mundo Noë, quòd tanta inſigniretur virtute, atque per artificium ejus apud eum omnium delendorum ſervaretur vitale ſemen: ſed cùm placuit ei, cui omne, quod placet, juſtum eſt, poſt quingentos annos toti mundo voluit palam fieri, & in centeno navalis ædificii tempore toti muudo per relationem factus eſt notus. Et poſt deletum ex diluvio mundum, centum adhuc annis ſupervixit orbi, ut ſicut notus fuerat veteribus jam deletis, ita fieret naſcentibus novis, qui utique peccaſſent, ſi curam à Domino impoſitam non ſumpſiſſent. Neſciebatur quantæ virtutis eſſet Abraham, niſi à Domino fuiſſet ante vocatus, & in eo facta prima diſtinctio per circumciſionem in ſanguine populi, per unius DEI cultum Domino placituri. Latebat virtus in Joſeph, quouſque Deus ſibi tempus & opportunitatem præparavit exercendæ vitutis. Ignorabatur ab hominibus Moyſes in occulta virtute, nec erat ſingulariter notus Aaron: ſed Deus oſtendit eos ſuo populo flagellato, & Pharaoni, & toti Ægypto, & multis populis nationum, & magnificavit in conſpectu regum, qui Domino fuiſſent rebelles, ſi populi gubemacula pertinacitet recuſaſſent. Joſue occultus erat (& utrum in eo virtus foret ducalis prævium jam non erat) notificatus eſt à DEO Moyſi, per Deum & Moyſen notificatus eſt Iſraëli, & quos debellavit adverſis. Paſtor adoleſcens erat David, & ſequebatur fœtantes, nulla fama clamabat de illo pro virtute regali, & à Domino eſt oſtenſus, qui erat homo ſecundùm cor ſuum, & univerſo Iſraël factus eſt rex

&

& Prælatus. Deliquiſſet ſi non accepiſſet ordinationem DEI. Proinde ſi qui mittuntur à Deo in aliorum ſalutem, aut hominibus mittendi habentibus poteſtatem: ſeu, neſcio, qui charitate aut præſumptione aliorum curam ſuſcipiunt, recta intentione ad DEUM exemplo & doctrina ſubditis innoteſcant, ſecretum placendi magis Domino in anima reſervantes. Velle verò ad exteriora propter inhærentem virtutem per propriæ voluntatis placitum nomatum fieri, privabit propriis muneribus ipſam virtutem, quamvis Iſaias videns Domini voluntatem, propter obedientiam dixerit: Domine mitte me. Moyſes recuſabat allegans linguæ defectum. Jeremias autem omnino factus humilis, animo recuſabat dicens: A, a, a, ecce Domine neſcio loqui. Inter charitatem, quæ nos inclinat ad utile proximi, & voluntatem, quæ præſumptuosè aut virtuoſè ad palam fieri agitat, & humilitatem quæ refrænat tutius dixerim ſuperioris aut alicujus jure mandantis' expectare decretum, quàm per ſeipſum quomodolibet agitatum exire in publicum, niſi certum eſſet interius à Deo poſitum verbum.

Exodi 5. Jerem. 1.

Cap. III.

De baptiſmo Chriſti moraliter.

FActum aliud mirabile, ad credendum difficile, cùm enarratur, quòd ſumma puritas more impurorum ſe fluxibili ſubjiceret elemento, etenim nihil habebat purgabile, imo purgationem venerat facere peccatorum. Sed prætermiſſo quòd ſanctificavit aquas, nec ab eis more ſucceſſurum ablutus eſt, quòd inſtituit ſacramentum, quòd per omnia voluit aſſimilari fratribus ſuis excepto peccato, quid nobis tam humilis actio innuat, audiamus ad informationem agendæ vitæ in moribus Chriſtianis. Si tota perfecta & ſupernaturalis munditia, quaſi peccato teneatur obnoxia, baptizari & lavari voluit, ſordibus baptiſma non effugiat, quamvis Chriſtus ad ſe nil retuleriit agendorum, ſed nos ut inſtruxit ad ſalutem, opere atque ſermone aut poteſtate perfecit. Tinctus igitur eſt aquis Salvator in ætate perfecta, jam trigeſimum annum attingens, omnem ſequentem ipſum exemplo ad ſubjectionem neceſſariæ purgationis invitans, quæ primò & potiſſimè neceſſaria luridis eſt, ſive contraxerint aut commiſerint quod deturpat, nec poſſunt ſuſcipere ornamenta virtutum, niſi abjecerint, qui à ſordibus detinentur.

Matth. 3. Marci 1. Lucæ 3. Joan. 1. Purgatio verò virtutem nullatenus confert, ſed diſponit, gloriam non præſtat in conſortio beatorum. Miſericordiæ Dei eſt, non purgationis atque virtutis, nihil condignum eſt ad gloriam expectatam. Nam dare propter infirmitates hominibus purgationes, non eſt inducere ſanitatem, ſed præparatio ad eandem. Jaculum infixum defigere, non fuit ſanatio vulneris, ſed remotio prohibentis. Alia enim oportebat apponere medicamenta pro conjungenda carne, quæ diviſa erat exitelo. Abraſio tabulæ non fecit imaginem multicolorem, ſed ad colorum ſuſceptionem aptavit. Nec novacula ſcripturam fecit in charta, cùm quis cum ipſa radebat: aliis inſtrumentis opus erat ad faciendam imaginem & ſcripturam. Dixerim hæc duntaxat de purgatione, quæ Sacramentis agitur, circa quam noſtra non verſatur intentio: ſed alia eſt purgatio, cui ſubjici cogitur, qui primæ puritati expectat aſciſci. Virtus omnis purgationem contrarii facit, cui nihil niſi vitium adverſatur, quæ ſuæ bonitatis effectum ad corpora non extendit. Non enim habet ipſa contactum, ut tangat, aut tangatur à corpore, inviſibilis ad inviſibile fit actio ejus, quæ ſi aderit tota, totum purgabit adverſum: ſi verò de adverſo remanſerit quippiam, virtus perfectè non aderit. Totus & primus aſpectus virtutis eſt ad abolitionem adverſi, aliter namque ſuum regnum in anima non ſtabiliret. Et ſemper innitetur ſua potentia, ut contrarium totum adimat: quod ſi non fecerit, fit implacabile bellum. Siautem vitia prorrexerit ipſa conflictum, ſtabilietur procul dubio regnum ejus propter impedientis abjectionem cùm ejus ſecundus aſpectus ſit eſſe quod eſt, & ubi debet, & quomodo, ut ſtatim exſurgat in actum propter omnium beatificum finem. Nec pro tanto erit purgatio, ſi purgetur animus ab avariria, & turpetur ſæce luxuriæ, aut ſi ab hac mundabitur quiſpiam, & in dominandi libidine delectetur, aut ſi dominandi fuerit abjecta libido, & detineatur à voragine gulæ. Igitur Deus per ſcopas virtutis viria quæque purgat, purgatorium cujus dulciſſimum eſt, & nihil ſentiri amari, cui tamdiu debemus eſſe ſubjecti, quouſque virtus dici poſſit non purgatoriæ, ſed animæ jam purgatæ. Concertant

tam doctrinam. Purgat doctor in scholis discipulos, quos novit ignaros, & ipse animus addiscentis cognoscit, cùm se videt purgari à tenebris ignorantiæ per lucem sanæ doctrinæ : Sic disciplina divinorum flagellorum hic erudit, ut finem optimum, quem optamus, pacem & quietem, quam volumus, non in mundo isto sic flagellato, sed alibi quæramus. Purgationem certè maximam accepit in animo, qui diversitatem regionum, umbræ mortis & vitæ aspexit, atque cognovit, & odiens tenebras suspiravit in lucem. Passiones electæ eo ipso non purgant, quo pro terrenis commodis tolerantur : Verum si pro æternis sustinentur, contrariorum adjiciunt purgationem. Ab hominibus, aut à dæmonibus mala irrogata non mundant eos, qui patientia carent : Et licet aliqua videantur auferre, quæ non sunt necessaria, sive conferentia vitæ, non pro tanto purgatio sequitur, quia ira & odium in animo perdentium reservantur, & ubi vitium remanet, purgatio facta non est : Purgabit verò, si patientia non ficta tolerantur illata. Malum à natura corrupta insurgens, quamvis refrænet à multis, purgatione salutifera purgat à nullis : Sic dorium Dei non existimat ille, qui sentit, purgaret sanè, si conditoris & patientis concors esset una vuluntas. Proinde frustra conflat conflator per ignem tribulationis, aut per doctrinam veritatis, quæ dirigit, minatur atque promittit, si hominum malitiæ, atque nequitiæ non consumuntur. Sed velut argentum, quod in conflatorio non purgatur, dicitur reprobum : Sic qui per doctrinam sacram, & tribulationem à Deo immissam aut permissam non corriguntur, reprobantur. Nullum sanè reprobationis signum certius, quàm purgatoriis per Deum ordinatis nolle purgari. Id profectò, quod salvator agit, & loquitur, hoc intendit, ut à malis purgemur, & secundùm ejus justitiam nostra opera faciamus. Hinc per Malachiam propheram dicitur: Malach. 3. Ipse est quasi ignis conflans, & quasi herba fullonum. Et sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum, & erunt domino offerentes sacrificia in justitia. Nam sacrificia in Christiana justitia offerre non potest, qui ab immunditiis voluntariis purgatus non est, sed qui non purgantur, argentum reprobum vocantur. Ideo per Jeremiam dicitur : Quia Jeremiæ. 6. dominus projecit illos. Sed bonus Deus non projcit, pro quibus superna præparavit : Sed reprobatio est causa projectionis, & projectio est testimonium reprobationis. Igitur dum in hac umbrosa vira persistimus, omni rei purgativam intellectualiter virtutem habenti humiliter colla subdamus, ne talis reprobatio veniat, cui approbatio nulla succedat, exemplo JEsu dulcis & humilis, qui se subdidit velut purgatoriis amicis.

Cap. IV.

De deserto JEsu, atque morali vita deserti.

Matth. 4. Marci 1. Lucæ. 4. CHristus post aquas abiit in desertum, à Spiritu Sancto ductus, ut & à propria voluntate, quæ spiritus vehens hominem est, incipit innotescere, qui manserat in virtute occultus. Sed videnda sunt insignia probitatis, & innotescentiæ mirabiles actiones. Quid enim est, quòd ad quem nullus in cœlo & in terra existimatus est, cùm palam fieri voluit, aquas petiit, post quas desertum per denarium quaterductum habiturus intravit ? Sunt ne ista insignia magni regis, sunt ista, quæ decebat primo in probitate peragere, regem regum subjici ? Illud firmum teneamus in corde, ut nulla ima oratio ejus derogaverit magnitudini ejus, sed eo quælibet ejus actio magna fuit, quod ipsam mundi dominus & salvator exercuit. Veruntamen quia non agimus de robore corporum atque virtutate membrorum, in quibus nobis plurimæ bestiæ atque animalia præferuntur, sed de invisibilibus virtutibus, quæ regnant in sedibus animorum, & disponunt & ordinant mores corporum. Proinde ad virtutum insignia nostra verba derivamus. Prima igitur virtutis insignia, in quolibet possessore virtutum sunt ad seipsum, & omnis virtutis actus primò reciprocatur quàm transeat, se primò subjectum perficit, proinde quàm derivetur in alium. Sterilis enim esset virtus habenti, si non sibi propagàretur ad alios, ac per hoc opus grande virtutis in seipso posse humiliari. Et si quispiam sibi subjecerit barbaras nationes, nihil fèciſſe dixerim sibi stans elatus in animo. Etsi amœnitate verborum diserta lingua perornata doctrina humiliaverit audientes, nihil ad eum referam utile, nisi mentis fuerit humiliate dejectus. Magnum ergo virtutis in Chri-

ſto præconium, cùm ſe velut egentem ſubdidit aquis. Et cùm inter cætera data naturæ humanæ hoc ſit præcipuum delectabile, ſuæ ſpeciei delectari conſimili, ac ſuæ naturæ ſemper ſecum habere conſortem (habent enim animalia ſimilibus copulari) tamen præter ab eis cognitam rationem, quamvis hoc exigat ratio ipſa naturæ, homo autem cum cognita ratione in ratione naturæ. Proinde homines perſonaliter devitare, appellaverim quid inſignis virtutis, & abſtinentiæ magnæ hac conſolatione privari, & ſegregatim fieri ab hominibus, ut contemplationis oculus impræpeditè dirigatur, atque attentius in authorem altiorem partem dixerim occultæ virtutis. Segregatur profectò dominus noſter JEſus Chriſtus author ſupernæ gloriæ moralis vitæ dux atque magiſter, & relinquens homines in locum ſecedit deſertum. Verè deſertus ab hominibus in deſertum vadit, deſerens homines loca deſerta petit. Sed, quid nobis Chriſti mora deſerti aperiat, intendamus, quamvis non omnium ſit habitare ſolitudinem atque poſſe: Nam ſi poſſibile omnibus fieret, deſertum civitas eſſet. Quaſi deſertum accepit Adam delectabilem paradiſum, in quo quamdiu deſertus manſit à ſimilitudine ſpeciei, delectavit authorem, ſolam ſibi conſolationem in animo accipiens, & angelorum quos mente noverat, cum quibus ſe ſociandum agnoverat, creaturas cæteras ratione carentes, ad uſum acceperat atque dominium, & manſit de Deo dilectus, quamdiu ſtetit humana ſocietate deſertus. Vbi verò humana ſocietas affuit, quod ſequitur taceatur. Bonum eſt igitur ſolum ab hominibus fieri, ſocietatem in animo gerere creatoris, & incorruptibilium civium ſupernorum. Sociatum verò humanè humanis, ſi non ſemper, ſæpe vidi deluſum. Lachrymæ noſtræ acceptabile ſacrificium ſunt altiſſimo, quæ profundius & acceptius inveniuntur in locis ſolitariis, mœroribus aptis. Legitur in libro Geneſis, quòd Anan filius Sebeon, cùm paſceret aſinos ſui patris in ſolitudine, invenit aquas calidas. Anan verò iſte, qui paſcit aſinos patris in ſolitudine eſt, qui aſinos, beſtiales ſcilicet motus & quinque corporis ſenſus in ſolitudine paſcit, eos ab amœnitatibus civitatum humanæ converſationis avertens, ne illiciantur, & à creatore omnium avertantur & Domino. Timebat enim David propter peccata ſua Dei averſionem, quamvis ſuam faciem averti peteret à peccatis. Sed cùm in deſerto quis paſcit ſenſus ſuos, ab amœnis averſos, & motus animales retinet in deſerto, invenit aquas calidas, lachrymas Deo acceptas, in corde igne charitatis decoctas. Si autem hujus patris aut filii nomina interpretarentur, eandem ſententiam moraliter reſonarent. Vellent communiter homines invenire vitæ refugium in mortis articulo conſtituti, & gaudium ſit majus quàm ante cùm invenerint. Joſeph namque filius Jacob, ex ſubortis cauſis odioſus erat fratribus ſuis, in quorum manus cùm in patris abſentia deveniſſet, ab aliquibus eorum eſt adjudicatus ad mortem, & vix aliquo eorum renitente mortis evaſit imperium, cui ciſterna, quæ in ſolitudine foſſa erat abſque aqua, vitæ remedium fuit. Quippe mundus multos ſpiritualiter occideret, qui propter fragilitatem non habent potentiam reſiſtendi, quibus expedit propter infirmitatem præeligere fugam, & projici voluntariè pro refugio juſtæ vitæ in ſolitudinis ciſternam. Ciſterna ſine aqua eſt noſtræ vitæ ſecretum, carens periculo ſubmergente. Defoſſa enim erat. Conſideratio ſepulturæ multos avertit à malo. Sed erat in ſolitudine. Deſertus ſiquidem locus vitam ſecretam habet, ſine abundantia rerum, quæ ſignantur in aqua. Nam ſi abundaret deſertum, non deſertum, ſed deliciæ dicerentur. Et mortis & ſepulturæ memoria pro fuga malorum magis ſedulò agitur in deſerto, quod ſignat in terra defoſſa ciſterna. Vidi hominem ſolùm ob aſpectum terræ defoſſæ, pro ſepeliendo cadavere tactum ex dolore in corde, averſum à malo mutaſſe priſtinos mores. Indubitanter quilibet teneat, qui ſi ciſternam, id eſt, ſepulturam in terra defoſſam, in qua communiter humana corpora reſolvenda clauduntur, ſemper per memoriam ſecum ferret, & conſideratione intenta ingrederetur in illam, antequam inſenſibiliter inſſ-ceretur in ipſa cadaver, æternæ damnationis devitaret exitium. Sed inter obſtrepentes hominum voces, & turbas talis memoria defuit, cujus præſentiæ cauſa locus deſertus exiſtit. Inter cætera, præter ultimam Dei viſionem, quæ in hac vita minimè appetatur, aliqui virtute pollentes, Dei aliqualem viſionem, notitiam, conſolationem, revelationem, certam allocutionem, pro certitudine vitæ agendæ deſiderant: Sed Moyſes cùm ingrederetur ad interiora deſerti, vidit Dominum in rubo velut ignem inflammantem, conſolationem accepit in animo, quam ante nunquam legitur ſuſcepiſſe, notitiam habuit divinorum, & revelationem ſecretorum Dei, & alloquium ejus de his, ad quæ à Deo præordinatus erat. Non viderat Dominum in Ægypto, neque per ſubjectam

Gen. 37.

Gen. 30.

Exodi. 3.

crea-

creaturam audiverat vocem ejus. Desertus enim locus divinis est oraculis aprus, nec assistunt stolidi laudatores, qui suis laudibus bona nostra dispergant. Et orare fervidè volentem, oportet esse invisum, imo tam à turba remotum, ut non cogitet hominum titillationes, ad cellam, pro incommoditate adeundi, nec ipse persistat intentus, ne à proximo expectetur: Excepto eo, qui obedientiæ patris in solitudine subest, quiad ipsius imperium tenetur ab actuali oratione recedere. Aliter autem expectans & expectatus quietem, & fervidam orationem rarò fudit aliquando. Quærunt mundi principes, atque omnes, qui gerunt in orbe terrarum aliquam præfecturam, habere suos vernaculos, expeditos ministros, in eorum obsequio explicatos: Implicitos verò servos in aliis parvipenduntut, plerumque de suis habitationibus procul pellunt. Fas enim non est Domini servum, præterquam in Domini servitio implicari. Populus autem Dei à Pharaone in Ægypto pro suo servitio implicabatur Voluit ergo Dominus populum suum explicari ab Ægyptiaco servitio, & ad sacrificandum sibi fieri liberum in deserto. Proinde misit Dominus Moysen & Aaron ad Pharaonem, ut dimitteret populum suum, ut sacrificaret ei in deserto, ubi expeditior erat quàm in Ægypto, & in solitudine sacrificabit melius, quàm in civitatibus residens. Et solerti mente intuendum est, quod est sacrificium, quodà nobis Deus exquirit, & expeditius redditur in deserto. Quia mores eligimus, literalia sacrificia, & Israelitici populi dimittamus. Sacrificium dixerim esse, quod sanctitatem in animis, aut in moribus sonat, seu sacrum animæ aut corporis factum. Proinde omne quod Deo redditur acceptum, sacrificium est. Nihilominus tamen oportet singulari differtione intendere. Sacrificium Deo gratum David in Psal. explicat, cùm ad sacrificandum omnes invitat, dicens: Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino. Sacrificium justitiæ universale in virtutibus noscitur esse bonum, ut reddamus Deo bonum omne, quod possumus, & sibi convenire cognovimus. Ex hoc namque dicto nullum excluditur bonum, quod non sit Deo reddendum, aut dilectione animæ, aut opere corporali: Quamvis omnia bona non sint omnibus apta, magis verò nec ab omnibus singulis sint exacta. Nam matrimonii bonum non exigitur à professore cælibis vitæ. Convertitur certè, quod dicitur. Nec eleemosynæ bonum ab eo, qui à se omnia sequestravit. Et sæpe conditiones & status impediunt, & sexus diversitas non consentit. Valetudo & infirmitas & his similia contradicunt, ut non omnibus activè conveniant, sed non obsistunt, quin omne bonum regi supremo gratum, secundùm aptitudinem, professionem & decentiam in se, atque in omnibus diligatur, quamvis omne bonum non reddatur Deo actu corporis, nec sit reddendum à singulis. Erit igitur sacrificium justitiæ, quod sacrificabitur Domino, omnem suam consistentiam animæ & corporis usibus mancipasse divinis, ut totum se dedicet in ejus servitio, à quo id esse, quod habet, accepit, & solùm vacare divinum est sacrificium perfectæ justitiæ, quod maximè peragitur in deserto, ad quem locum omnipotens suum populum ad sacrificium invitabat. Lectio, meditatio, intellectualis seu vocalis oratio, contemplatio, inquisitio sui, custodia sui, silentii profundum, quies mentis, frugalis vita, carnis maceratio, abstinentia nocivorum, agon rectus, quæ omnia sacrificia sunt justitiæ, quod in deserto magis impræpeditè peragitur. Sed nemo credat, quòd à nobis in Christianam vitam vocatis sacrificium mactati pecoris exquirat, aut effusi sanguinis, neque rei visibilis sine sacrificio mentis. Unde per Psalmistam dicitur: Non in sacrificiis arguam te. Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, neque manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo. Ac si Dominus per Prophetam dicat apertè: Non sunt ista sacrificia quæ requiro. Jam enim David intendebat in novam vitam, & eximium sacrificium cognoscebat. Subdit enim: Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et Paulo post secutus adjunxit: Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei. Laudis verò sacrificium est ipsa gratiarum actio de acceptis. Laudis sacrificium est in adversitatibus & prosperitatibus laudare Dominum. Dicebat sanè ipse David: Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo: Ut si patiar, si affligar, si maledicar, si reprobus habear, si omnia mundi mala contra me conflentur in unum, semper laus ejus in corde, atque ore meo. Si mihi adsint prospera cuncta, semper laus ejus erit in animo, & nec lingua tacebit. Hinc & Dominus per Propheram dicebat: Infrænabo te laudemea. Qui frænum gestat in ore, progreditur, & sistitur, ad dextram & sinistram, gyratur & voluitur ductu ejus. Ac per hoc sacrificium laudis immolat, qui de omnibus, & in loco, & tempore

Exodi. 5.

Psalm. 4.

Psal. 49

Psal. 33

Isaiæ. 48.

Dominum laudat. Hinc etiam Pſalmiſta
Pſalm. 145. dicebat : Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea, Pſallam Deo meo quamdiu fuero. Necnon in occultis judiciis ejus ſacrificium laudis tenemur offerre, nam quanto ipſe operatur occultius, tanto ſapientius. In Eccleſiaſtico enim
Eccl. 15. dicitur: Sapientiæ Domini aſtabit laus. Et ab omnibus laus divina exquiritur, quod ultimi Pſalmi David inſinunt. Offert etiam ſacrificium laudis, qui de Dei providentia in nullo murmurat. Et hoc eſt ſacrificium laudis, quòd Deum honorificat, cùm in omnibus Dei potentiam, ſapientiam & bonitatem adoramus, atque laudamus. Proinde illic eſt iter ad ſalutare Dei, Divina enim
Pſalm. 49. laus animo geſta, ore digeſta, opere acta perducit ad ſalutare Dei. Quæ tanto ſtudioſior in ſolitudine agitur, quantò conſiſtentia hominis à nemine impeditur. Eſt & ſacrificium, quod maximè convenit offerre his, qui deliquerunt, & qui non ſervaverunt pacta divina, nec aliud munus occiſi pecoris, ſeu frugum & arboris, ſive ſignati numiſmatis ita placat Deum offenſum, quod
Pſalm. 50. & David pro ſe obtulit in remedium adulterii, proditionis & homicidii. Inquit enim: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Quomodo erat ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cùm alia ſcriptura dicat:
Prov. 17. Animus gaudens ætatem floridam facit, ſpiritus triſtis deſiccat oſſa? Reprobatur à Deo triſtitia ſpiritus, ſed non omnis triſtitia bona, nec omnis triſtitia mala. Spiritus tamen contribulatus, eſt voluntas eo ſenſu dolens, quo delectata fuit in malo, ut tamdiu quotidie tribuletur, donec dolor commiſſi criminis ad æqualitatem perveniat, aut excedat perverſæ delectationis, ut tanta vel excedens tribulatio fiat in anima, quanta delectatio fuit in culpa. Et alibi Propheta dicebat : Anxiatus eſt in me Spiritus meus,
Pſalm. 142. in me turbatum eſt cor meum. Anxietas Spiritus, eſt triſtitia pro peccatis, & turbatio cordis pro fractione divinorum pactorum. Nihil eſt, ſuper quo ſit inducenda triſtitia & anxietas, niſi ſuper peccatum: Et in nullo cadere debet turbatio, niſi cùm offendimus creatorem. Iſtis remotis omnia recta manent, neque ſuper eſt quod fleatur, ſed anxiari pro malo commiſſo, utique bonum eſt. Sequitur enim exaltatio ſuper Chriſtum, hoc dicebat David: Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me.
Pſalm. 60. Secundùm Apoſtol. Petra autem erat Chri-
1. Cor. 10. ſtus. Ad hoc verò ſacrificium offerendum exquiritur ſæpe deſertum, nam innumera multitudo loca ſemper quæſivit apta mœroribus, nec quærere deſiſtunt, qui propter delicta & peccata tribulari ſedulò quærunt. Habet etiam ſæpe mundus lætitias ſuas, quas objicit volentibus pro peccatis & divinis offenſionibus contriſtari, nec ſuis implicationibus permittit aliquem ad ſe ingredi, ut introrſus ſuæ mœſtitiæ rationabiles cauſas inveniat, cùm unuſquiſque non ſolùm Dei offenſor, ſed etiam qui videtur juſtus, dolendi cauſas poſſideat, diſpari tamen ratione atque intentione penitus inæquali: Peccator, quia offendit: Juſtus, quia offendere poteſt, & prolongatur ejus cum periculo incolatus, & habitat ſemper Cedar cum filiis Iſmaelis. Ac per hoc omnium creator & Dominus, peculiarem populum in manu Moyſi & Aaron, ut ſibi ſacrificaret, voluit inducere in deſertum, commonefaciens nos ut ſacrificia ſpiritualia offeramus, & in præfinito tempore homo natus per actus nos docens deſerti eſt incola factus. Sed nec in talibus laudamus ita deſertum, ut aliis vivendi modis Chriſtianis quomodlibet derogemus poſſe perfici per virtutem: Sed deſerti commoditates pro diverſitate temporum atque locorum conditionis hominum atque virorum edicimus. Bonum igitur eſt deſertum, ſed habet & pugnas, habet ſimiliter & victorias, & orationibus vincitur potius quàm enſibus Amalech : Habet ſerpentes innumeros, morſibus mortem inferentes: Habet & ſerpentem æneum, ſolo aſpectu ſanantem patientes : Habet amaras aquas, habet quod dulcorat: Habet adverſa, habet & propitia. Sed væ hodie, quia ſpecioſa deſerti combuſſit ignis. Ubi Dei populus in deſerto? Ubi Elias? Ubi Eliſæus? Ubi diſcipuli prophetarum? Ubi Joannes Baptiſta, qui deſertum ab infantia tenerimus habitavit: Ubi deſerti Ægypti habitatores? Ubi Thebaidæ? Ubi Sichiæ? Ubi montis Nitriæ? Ubi montis Syriæ? Ubi Raychu? Ubi Armeniæ? Ubi altioris Græciæ? Sed Væ! huic generationi, quia deſerta ſunt ab hominibus facta deſerta, & quæ remanſerunt ſunt deliciarum loca, ſenſuali deſervitur vitæ: Nec (ut aſſolet) vira hominum, monachorum aſpera & agreſtis. Devitant cultores Chriſti loca deſerta, quæ ſunt amica mœroribus, & facti ſunt quaſi cives in medio civitatum, & facta eſt cum ſæcularibus tanta civilitas, ut plerunque turpetur honeſtas. Sed ad Dominum JEſum incolam deſerti factum oculus interior dirigatur, & multo intuitu ipſum abſentem, tanquam præſentem ſedulò contemplemur, & moveatur affectibus anima, contrahatur mœrore atque turbetur, ſuſpendatur in admiratione, cùm Chriſtum intueatur in deſerto. Stultitia

titia eſt ſapientibus mundi, deriſio delicatis, incredulis fabula, quòd Chriſtus ſteterit in deſerto. Quid enim eſt videre juvenem delicatum, immaculatum, & abſque peccato eſſe cum beſtiis in deſerto? Quid faciebat Rex regum, & Dominus dominantium factus incola in deſerto, humana conſolatione privatus, ſqualida facie, ab inedia & jejunio cruciatus? Non ſecum patrem, non matrem, non aliquem habens in illo deſerto ſodalem, ſed angelorum non carebat conſortio, qui hominum conſortia devitabat. Non fovebatur ut homo, ſupra hominum naturam agebat: Carebat lectulo, nec pulvinar ſupponebatur divino capiti humanitus quieſcenti. Sedile non erat ei: Terra verò ſtratum erat & ſella, non operiebatur nocturno tempore pannis: Carebat tugurio, nullas habebat ædiculas, nec aliquo tecto tegebatur ab intemperie aëris. Hyems nempè frigoribus algens erat, cùm in deſerto ſqualido verſabatur. Locus deſerti, aut arboribus infrondoſis præditus erat, prohibebat certè hyems in plantis viriditatem atque amœnitatem ſoliorum, aut totus ſqualidus erat locus, aut bipartitus erat, ut ſibi eſſet quædam peregrinandi varietas in deſerto. Habitaculum feciſſe non legimus, ubi ſtetiſſent firmi penitus pedes ejus, & omnino ſibi pœnam dabat locus & tempus, cùm à quinta Januarii die, usque ad quartam decimam Februarii in deſerto fuerit mora ejus, quod tempus, aut imbribus, aut eſt frigoribus aptum. Nihil verò ad remedium de civitatibus tulit, aut quicquam poſtulavit à matre, pauperes enim erant. Pauper acceſſit, pauperque moratus, nec igne aliquando calefactus eſt. Ubi mundi reges? Ubi quos ambit multitudo populorum? Ubi delicati? Veniant & contemplentur omnium regem, ab animalibus ſociatum, & humana dignitate pallentem? Quid faciebat hic ſingularis homo, ſingulariter vivens, ſingulariter degens? Orabat quotidie? Noctes ducebat inſomnes. Legebat? Non enim portaverat codices, theſauris ſapientiæ plenus. Contemplabatur inceſſanter, erat mens inſuſpensè fixa cœlo. Plorabat interdum, ludebat fortè cum beſtiis, noverat enim eas, & vocatæ veniſſent, obediviſſent, hoc enim primus homo, in delicato deſerto, ſuſcepit in dono. Quid ergo faciebat tam nobilis heros, omnino irreprehenſibilis in moribus & actibus ſuis? Non enim poterat errare, nec noverat. Quid igitur faciebat? Fortè dormiebat interdum. Quid faciebat, qui non præbebat hominibus tunc exemplum, quia nec ab hominibus videbatur: ſed videbatur ab angelis, quibus non oportebat temporalia exempla virtutis inferre. Beſtiæ exemplificari non noverant. Quid faciebat? Temerarium eſt diffinire, quod cœlici notarii non ſcripſerunt, ſed illud faciebat quod facere decebat hominem divinum, humana diuinè, divina humanè operantem, nihilque ſine cauſa & ratione aut ſteriliter agentem. Et acta ejus intellecta ſive ignorata, digna ſunt adorari, & eo magis, quo non poſſunt inveſtigari. Sed incunctanter credamus, quod in omnibus agebat & intendebat ſalutem omnium noſtrum per exemplum, documentum, & per affectum præoſtendens prius debere hominem eſſe ſuiipſius quàm alterius, & ante ad ſeipſum, quàm ad alium fieri, & per orationem & contemplationem quærere, quod debet docere, quòd & monſtrat aptitudo deſerti. Sed quòd nec viſitavit quiſpiam hominum Dominum Jeſum, hoc maximum teſtimonium erat, quia nondum diſcipulos fecerat, viſitaſſent enim eum atque requiſiſſent. Sed pia Mater ejus cur ſuſtinebat abſentiam ejus? Noverat ipſa Filii voluntatem, & ejus infallibilem actionem, & amodo ſubjicienda erat in regimine Filio, quem uſque modo more humano habuerat ipſa ſubjectum, & cognoſcebat in eo æternum propoſitum voluntatis pro ſalvatione humani generis, quantum permittebat ſibi cognoſcere, quem portavit in ergaſtulo mortis, & lactavit mamillis, & nunc morabatur in deſerto cum beſtiis, carens potibus atque cibis. Sed beatus, qui te fideliter in charitate viſitaſſet, & attuliſſet de naturæ bonis, quæ tu Deus factus homo creaſti, & tua fuiſſet allocutione potitus. Veruntamen nemo attulit ſibi cibum, nec aliunde venire fecit. *Jejunavit enim quadraginta diebus & noctibus, poſtea eſurivit.* Matth. 4. Jejunium Chriſti pœna eſt ſui corporis, ſed totius humani generis eſt refectio: & ſibi eſt ad ſupplicium, nobis ad beneficium. Jejunium Chriſti ſuum eſt, & noſtrum: ſuum, per actualem pœnam corporis: noſtrum, per exemplum: noſtrum, per doctrinam: noſtrum, per dictam, quæ fiebat in capite pro liberatione membrorum: Chriſtus eſt caput noſtrum, nosque membra ejus. Si autem per exemplum noſtrum eſt jejunium, almifico prærogato exemplo, protinus jejunemus. Et cùm multa viderim atque legerim de jejunio diffinita, ſermo anguſtabitur parum, quid de ipſo edicere volens. Jejunium, eſt vir-

ginitas instrumentorum vocis, ut purior emittatur sonus, & mundior sit psalmodia, & sermo aliquid postulans ante Deum. Jejunium est ventris tenuitas, quo attenuato, adest in orando aut legendo libertas. Jejunium est evigilatio, & solertia sensuum, est & liberatio quædam à phantasmatibus malis. Jejunium applicavit menti quæsita, & serenavit supra mentem divina meditari volentem, & subjecit membra corporis rationi, cujus veritas, & acceptio in ratione fundatur. Nam jejunium sociatum vitio eruciat, non meretur: supplicium habet certum, præmium nullum. Virtus & vitium semper habent divortium. Impius jejunans animam torquet & corpus: avarus jejunans facit similiter: iracundus verò copulatur eisdem. Hypocrita abstinens cibis & divinis muneribus pariter se privavit, & sit omnino duplici contritione contritus, ut in anima lædatur, & corpore. Jejunium corporis non est virtus, sed actus est virtutis. Quod corpore agitur, non est virtus, sed actus ab ipsa procedens. Virtus enim generans temperantia est: sed hoc est fieri etiam in moribus paganorum. In Christianis verò, etiam jejunium corporis, non est virtus mentis, sed virtutis actus per corpus monstratus. Virtus jejunii non in corpore, sed in anima verè persistit. Erit igitur jejunium de Christianis actus charitatis, qui fertur in Deum. Nam homo excharitate diligit Deum, quæ si ultra progreditur, plùs diligit, quàm seipsum: multò magis facta propter seipsum despiciet, proinde despiciet escas propter Deum, ut non videatur ad eas affici propter Deum, excepto sustimento naturæ, quod omnibus inculpatè concedit, qui creator est omnium. Igitur jejunium probatio est amoris ad Deum, in abstinentia delectabilium ciborum propter Deum: quia nec à cibis abstinendum est, velut à re damnata in natura, quia nulla natura mala, nec à re damnata per culpam: quia quòd virtutem non recipit, nec vitium potest admittere. Et Apostolus dicit, nihil prohibitum esse, quod cum gratiarum actione percipitur. Sed abstinentia fiet à bono creato, propter bonum increatum, cùm divinum cognoscitur placitum. Igitur je-
1. Tim. 4. junium, quædam probatio est potioris amoris in DEUM, minoris ad escas, & ipsum est signum negati amoris ad corpus proprium, propter Christum: & compassio tanta disfœderata cum corpore Christum acquisivit in fœdere. Nisi verò tanta corporis amicitia, & compassio dissolvantur, & invisibilibus compassionibus & divinis [illegible] anima, & fortè [illegible] tur. Nec per hoc [illegible] jejunium, ut insit [illegible] corpore subsequatur, maxime in divino servitio constanter manipanse. Non enim Deus fecit hominem debilem, sed fortem: & qualem fecit, talem voluit permanere: ut fortis esset in animo, virilis in corpore ad operandum divina mandata. Christianum ergo jejunium semper tenebit modum, ne jejunans deficiat, & ne comedens effluat. Jejunans cùm lædatur, multipliciter probet seipsum: nec primis debilitatibus cedet & secundis & tertiis. Habent enim dæmones plerunque debilitare abstinentes, ut pusillanimes fiant: & nutriant plus debito corpora, quæ noverunt ex jejunio infirmari, & fiet colluvio, & illusio ex sumptione ciborum. Plerunque verò jejunantes patientur in nocte aut somnis plurimas turpitudines: & ascribentur debilitati naturæ, ut fiat recidivum ad escam. Cùm verò diversa diversimode corporum experientia facta fuerit, serenius judicabit de seipso, qui patitur, aut alium discretiorem inquiret. Non omnium jejunia sunt æqualia, nec ejusdem menti apud Deum: nec in jejunio pensatur abstinentia, sed passio jejunantis. Et diversitatem possident humana corpora, sicut diversitatem habent ligna, lapides & metalla, quorum aliqua molioris, aliqua verò sunt materiæ durioris. Jejunans sæpè lapideus in oratione, post cibum verò lachrymas videtur effundere? quod aut deceptio est maligni, aut passio colligata. Jejunium, exilit multis præparatio gulæ, cùm effusus in escam effunditur, cùm resolvitur. Iracundus videbitur quis antequam edat, post alitum corporis sedabitur iræ procella? sed certè, quòd hic non accepit mentis dominium ex virtute. Bonum est jejunium à delicatis, bonum ab accuratis, bonum a pretiosis: sed melius à sumptuosis & delectabilibus & ab inflamantibus corpus. Jejunavit quis ab hujusmodi, sed vilioribus cibis ex multitudine oppressit animæ sensum. Multi studuerunt vincere per jejunium passiones gulæ, sed propter indiscretionem perdiderunt orationis favum, magis verò fructum. Expedit omnino, ut agon à majoribus & pro majoribus virtutibus dirigatur. & ex altioribus capiemus præmia quæ optamus. Quia verum est, jejunium non esse virturem, sed actum ipsius: magna discretione nempe opus est, ne sensibilis virtutis actus, invisibilem virtutem mentis impediat. Si diæta expedit corpori humano

in

In infirmitate ſatiſcerit, ut à noxiis caveat, multò magis & animæ cùm opprimitur à varietate ciborum. Nam melius & tutius eſſet agoniſtæ fideli, qui gulæ libellum repudii dedit, aliquo cibo quamvis delicato refici, quàm ruſtico ſatiari obnubilante animum, aut talem moleſtiam inferrente, ut medicis expediret intendere, aut ab oratione ſeu contemplatione ceſſare. Aurum commutavit in plumbum, qui virtutem moleſtavit in aliquo propter actum: ſed primò ſeipſum in certo examine ponat, ſi moleſtia ſit à cibo, aut à maligno. Conſueverunt enim maligni multam moleſtiam immittere poſt cibum, ut cibi duritia, ſeu indigeſtibilis materia, non ipſe accuſetur. Durum profectò erit cognoſcere, an à cibo, an à dæmonio fiat, veruntamen dabit Deus ſuis párvulis & fidelibus intellectum, aut per alium, aut per ſeipſum. Ubi agoniſtæ fideles hypocriſim, & ſimulationem, & complacentiam, & omne figmentum fictitium incitaverunt in animo, quamvis tententur iterum ab eisdem, certum ſiat, quòd in omnibus aut à Domino aut ab aliquo directore ſecundùm Deum, & Dei timorem dabitur claritas in agendis, & ſerenabuntur mentes, quæ in omni fide ſe Domino ſubdiderunt, & obtulerunt irepetire omnem mentis & corporis conſiſtentiam Salvatori. Si menſura ciborum penſabitur in jejunio, ſequetur confuſio, ſi corporum valetudo & diſpoſitio, erit directio. Nam quis ex modico cibo ſtatim reficitur, & faſtiditus eſt ſtomachus, nec maceratur & corpus. Alius verò multam ſumit cibi quantitatem, nec reficitur, nec ſtomachus nauſeat, ſed amplius appetit & corpus areſcit. Igitur in jejunio non quantitas cibi, ſed corporum eſt conſideranda conditio. Spiritus & caro per ſimilitudinem ſitularum aguntur, quatum ſi una deſcendit altera ſurſum fertur: ſi altera ſurſum, reliqua petit omnino deorſum: & mirum, quòd corporale depreſſum ſpirituale faciat ſurſum ferri. Tenuitas corporis ex jenunio deeenter aſſumpta renuem ſenſum cauſavit in anima. Pondus ſuper pondus impoſitum onerifero animali, ſæpè illud incurravit ad terram, & farcina ſuper farcinas animalia robuſta confregit. Corpus noſtrum, pondus eſt animæ horrendè ponderans ſuper illam. Sapientia dicit: Corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Eſcarum autem appoſitio iterum aggravavit, ut ſub eſcis & corpore ſæpe anima in ſua virtute frangitur. Jejunium verò non appoſuit onera, ſed exoneravit impoſita: nam aut extenuavit corpus, aut non permiſit pingueſcere. Induxerunt ſæpè ſomnum epulæ atque jejunium, ſed ab illo tardius & gravius, ab hoc citius & levius evigiletur. Cura corporis propter Deum relicta in curam animæ inflexit authorem, & corpus ſuſtentavit ſæpè aliter, quàm per cibum. Alia enim eſt cura naturæ, alia voluptatis: illa permittitur etiam quibuſcunque abſtinentibus, quia natura modicis contenta eſt, nec accuratis intendit: hæc diſſuadetur, quia recedit arcentius à prima rerum natura, ſecundùm quam originalis mundus vixit, nec deliciis præſtavit ſtudium neque curam. Jejunium quotidianum proportionatum complexioni laudatur à ſanctis, violentum verò & interpoſitum ſæpè damnatur. Semper dandum eſt in quolibet homine, quòd appetit complexio naturalis, non quod appetit voluntas carnis. Sed cùm eſuritur, atque ſitiur, & corpus incipit agitari, difficile diſcernetur an naturalis, ſeu voluptativus ſit appetitus. Non enim eſt jejunium inſtitutum contra naturam conditam, ſed ad refrænandum corruptam, & ne multitudo eſcarum invaleſcat ſupra debitum ordinem, quia dum quærimus reficere ventrem, ſæpè inficimus mentem. Igitur abſtinentia ſtabit quouſque toleratí poteſt ſine detrimento naturæ, atque impedimento exercitationum ſanctarum, viſibilium & inviſibilium, ad quas omnis verus agoniſta debito divino ligatur. Eſt jejunium à multidudine ciborum, non autem à numeroſitate comedendi, & bonum eſt: eſt jejunium à numero horarum ſive dierum, ſed non à copia rerum, & etiam bonum eſt: ſed ſi utrunque peragitur incorrupta manente natura, beatificant agentem. Stetit jejunus in Paradiſo Adam, comedens verò paſſus eſt exilium, non quòd rem malam comederit, ſed quia præter obedientiam comedit. Jejunavit & à carnibus originalis mundus, nihilo minus propter luxuriam eſt delerus, igitur non valent jejunia criminoſis. Farinam tantummodo abſtulerunt ab Ægyptiis Iſraëlis filii, carnem & vinum, & ſi qua lacticinia non leguntur abſtuliſſe. Ibant enim in deſertum. Ad ipſorum ſitim, ſolùm eſt aqua de petra educta, & ad duodecim fontes aquarum non vegetes vini pervenerunt in Helim, ut reficerentur, qui ſitim patiebantur. Invenerunt ſemel aquas amaras, & dulcoratæ ſunt ligno. Si amara eſt potio aquæ, ligno crucis dulcificatur. Non eſt jejunium abſque ratione. Quotquot verò jejunaverunt, aut ſuppoſuerunt cauſas,

Sapient. 9.

Genes. 3.

Exodi 16.

Numeri 20.

Exodi 15.

Ibidem.

aut

aut acceperunt aut posuerunt finem : Non enim agendum hoc opus est sine præeunte aut sequente causa laudabili. Jejunaverunt Judic. 20. sibi Israel in uno die, quo receperunt à Beniamitis conflictum usque ad vesperam: Primo pro dolore conflictus qui acciderat, & pro multitudine interfectorum, & quia credebant justè agere, volentes vindicare tantum scelus, ut ex multitudine concumbentium, mulier moreretur. Mirabantur quòd tam felices habebant hostes, qui debebant justa ultione puniri, quasi per jejunium à Domino expectarent decretum, quid in hac causa foret agendum. Jejuna & tu, si conflictum sustines ab invisibili hoste, nam non fortitudine corporis, sed debilitate vincitur. Jejuna quasi pœnitentiam agens, & dolens de virtutibus interfectis in anima invisibiliter, & visibiliter apertis moribus desolatis in numero magno, non parvo. Jejuna, & à malitia purga teipsum. Jejuna, ut virtute Christiana hostes devincas, quos corporum ferocitate atque armorum industria non 1. Reg. 7. vales devincere. Filii Israël cùm arguerentur à Samuele, quia adoraverant Deos alienos, Baalim & Astaroth, & vellet eos congregare in Masphath, ad docendum eos Domini bona, pactum facientes cum Domino de non adorando idolo, & confessi sunt se peccatores, & jejunaverunt ob pœnitentiam, aut per amorem subjectum indebitè ad creaturas, & pro suscipienda doctrina. Sensus epulis non oppressus facilè suscipit documenta virtutum. Et viri labes jejunaverunt Septem diebus pro sepultura Saulis. Et pro mortuis in fide Christiana portanda est corporis pœna, ut eorum animæ à pœna releventur in charitate Christi, communicatione facta do- 2. Reg. 1. lorum. Similiter David & qui cum eo erant, jejunaverunt usque ad vesperam super mortem Saulis, cùm audirent communicantes secum in pœnis : Quia credebant in fide, in alia vita passurum, ut certum in fide teneamus, animas glorificandas relevari à pœnis propter pœnas vivorum pro ipsis in charitate toleratas. Nec obstat, quòd Saul fuerit reprobatus, quia non est vivorum ferre certa judicia super absolutos acta, hoc solum novit altissimus. Non enim debemus penitus officia charitatis non impendere pro his, qui nobiscum æquale sortiti sunt sacramentum, nisi cùm ejus negatione decesserint. Et pro filio 2. Reg. 12. infirmo jejunavit David, volens eum à morte avertere, qui pro peccato paterno morti prophetæ judicio tradebatur, quamvis nequiverit. Proculdubio jejunia munda magnæ sunt preces in conspectu Domini, ad obtinendum quod petitur, ut si non ad placitum, saltem ad utile qui petit, exaudiatur. Achab rex Israel cùm argueretur ab Elia propheta de scelere peracto in Naboth Jesraelite, & sanguis ejus lambendus esset à canibus in eodem loco, ubi Naboth fuerat lapidatus, statum scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem, & jejunavit, & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite, à quo propter humilitatem suam translatum est peccatum suum, & in filio reservatum ad puniendum, ut jejunium numeretur inter opera, ex quibus vindicta Dei differtur, aut ex toto aufertur. Nehemias audiens destructionem & captivitatem Jerusalem jejunavit & oravit. Je- Nehem. 1. junium meritorium & acceptum orationi sociavit, insinuans ad inclinandam divinam majestatem precibus nostris animam in oratione contritam fieri oportere. Corpus verò affligi jejuniis, declaravit Judith Judith. 8. vidua, quæ erat elegantis pulchritudinis, & jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbata & neomenias, & festa domus Israel. Ista verò prætermittebat, non propter gulam & relaxationem, sed propter familiam, cui se communicabat in consolatione atque participatione sui tempore festivitatum, ac etiam ratione cognatorum & conjunctorum, si ad eam visitandi gratia in tali tempore accessissent: In aliis verò temporibus jejunii non relaxabat censuram, ut domaret juventutem, refrænaret pulchritudinem, honoraret jejunio castitatem. Est enim jejunium castigatio juventutis, pallor pulchritudinis, & castitatis honor, atque fomentum. Esther præ- Esther. 4. monita oppido, ut ingrederetur ad regem Asuerum, virum suum timuit, nec propter firmatum decretum ausa erat ad eum ingredi pro liberatione totius suæ gentis, nisi primo omnibus Judæis, qui erant in Susis, per dies tres indixisset jejunium, ipsa similiter cum ancillis suis se jejunaturam promittens, post quæ, ingressum præsumpsit ad regem, & totius suæ gentis liberationem obtinuit, inimico Judæorum ad patibulum è regione damnato. Triduum jejunium, certum est, quia corpus attenuat, sensum evigilat. Triduum magis jejunium appellavi, quod in cultum trinitatis admittitur, & ubi cor, lingua & actus à nocivis, & ad rem non pertinentibus abstinent. Jejunium indixerat Esther liberandis, & ipsa liberare cupiens jejunabat, ut placaretur Deus, ut inclinaretur Deus ad miseriam hominum, propter afflictionem corporum, & compateretur his, qui sibi non compatiebantur. Omnipotentis benignitas consuevit compati sibi non compatientibus.

tibus. Ubi hominum compassio cessat, ad seipsos divina subsequitur, duntaxat quod propter Deum in compassio fiat. Est enim jejunium incompassio quædam corporum, dum alimenta pro tempore subtrahuntur, aut non dantur, quæ à voraginе gulæ appetuntur. Noverat Esther corda principum in manu Domini, & ad quæ vult illa inclinat, igitur volens inclinare in suam petitionem principem temporalem & terrenum prius studuit per jejunium inclinare cœlestem atque æternum. Porro, in omnibus tribulationibus, à quibus anima desiderat liberari, oportet Dei auxilium invocare, eum prius placare jejuniorum muneribus. Signum est jejunium contriti spiritus, & humiliati cordis, ad quod Deus respicit, & secundùm multiplicationes dolorum in anima & corpore Deus à nobis periculosas avertit ærumnas. Josaphat verò rex Juda, cùm videret adversùm se multorum hostium, & potentium bella consurgere, timore perterritus totum se contulit ad rogandum Deum, sed primo prædicavit jejunium universo Juda. Credebat per jejunium placare Deum, & pericula inimicorum effugere: Magis verò spiritu cognoscebat, orationis præambulum & prævium esse jejunium. Nam jejunium corporis dispositio est mentalis atque vocalis orationis, qua rogatur atque placatur omnipotens, necnon & impolitâ linguâ laudatur. Labia verò crapulis dissoluta dispersam laudem, & orationem Domino decantaverunt. Et quamvis quod in os intrat, secundùm sententiam salvatoris, non coinquinat animam, nihilo minus multitudo escarum atquè varietas & vinipotentia opprimit sensum, ut fumo vaporantium ciborum magis cordis intentio sit onerata, quàm ornata laus atque oratio. Esdras, cùm esset in Babylone, obtenta licentia de redeundo in Jerusalem, congregatis principalibus familiarum & Familiis, accepta multitudine auri, & argenti pro donariis ad honorem & decorem templi, antequam caperet iter, seu redire cœpisset, primo indixit jejunium, dicens: Prædicavi ibi jejunium, juxta fluvium Hana, ut affligeremur coram Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis, & Filiis nostris & universæ substantiæ nostræ. Erubui enim petere regis auxilium & equites, qui defenderent nos ab inimico in via, quia dixeramus regi: Manus Dei est super omnes, qui quærunt eum in bonitate, & imperium ejus & fortitudo ejus, & furor super omnes, qui derelinquunt illum: Jejunavimus autem & rogavimus Dominum nostrum pro hoc, & evenit nobis prosperè.

B. Sim. de Cassia Com. in IV. Evang.

Vide hominem humiliter alta sapientem, qui magis confidebat in afflictione carnis quàm in auxilio regis: Magis in jejunio & maceratione corporum, quàm in apparatu militum. Patenter igitur dicit, qua ratione prædicaverat jejunium, ut affligerentur coram Domino, & propter Dominum, noverat altissima fide afflictis propter Dominum, & coram ipso, non ad gloriam hominum ejus auxilium non deesse. Amat enim divina bonitas sibi non parcentibus parcere, & dissisis de humano auxilio suum impendere: Idcirco noluerunt à rege tutelam neque subsidium, confidentes solùm in Domino propter jejunium. Unde per experientiam, fidem facit Verbis, dicens: Et evenit nobis prosperè; magis propter jejunium, quàm si à rege habuissemus copiam militum, quia in jejunio nobis propitium fecimus omnium verum & summum Deum, propter quem erubescendum satis est, in omni re auxilium mendicare humanum. Hunc creatum quare Deus voluerit in hominibus fieri, humanus intuitus non videbit, nisi per fidem, supra seipsum animus noster fiat. Fecit omnipotens Deus omnia in ordine ad seipsum, ut à quo creata sunt omnia, ad eum ordinata manerent, sed propinquè propinquissimè, remotè atque remotissimè: Sed sub cœlesti ordine sermo noster intendit. Omnia quæ sub cœlo sunt, his differentiis distinguntur, & his ordinibus ordinantur, donec in creatorem per creaturam sibi maximè proximam veniatur. Habet hic mundus entia multa, quibus solum id quod sunt, & omni alio addito carent: Quorum aliqua sunt ad usum humanorum corporum & bestiarum, similiter & dissimiliter in sustentatione animæ cum corpore, imo corpus cum anima rationali aut vegetabili, & ista nullo modò ad seipsa, sed ad aliud sunt ordinata. Quæ tamen veniunt in usum corporum & quæ non veniunt, ad considerationem debent fieri animorum, & in omnibus laudetur magnificentia creatoris. Sensibilia irrationabilia similiter mundus habet, quæ solùm entibus præponuntur: Quorum aliqua veniunt in usum humanorum corporum & ipsorum similiter & dissimiliter, ista verò talia experientia plus quam eloquentia docet. Et sunt multò plura, quæ in usum corporum nulla ratione deveniunt, imo plura, quæ corpora humana interimunt, sed in considerationem animarum nostrarum sunt, ut etiam in his laudetur potentia creatoris, quæ omnia facta & ordinata sunt in usum utriusque hominis: Nec ordinata sunt immediatè, neque

propinquè ad Deum, ſed remotè atque remotiſſimè in ordine dignitatis & participationis divinæ. Corpus verò humanum ad animam ordinatur, & ipſo anima in ſuis ſenſibus utitur, ſed corpus anima non utitur, nec ad corpus tanquam ad ſuum æquale ad inferius anima ordinatur: quæ corporibus omnibus præfertur nobilitate ſeu dignitate naturæ. Anima igitur ſolum & immediatè atque propinquiſſimè ad Deum ordinatur. Proindè habes, quod omnia inferiora non ſolùm ſitu corporis, aut in virtute conſiderationis ut laudetur bonitas creatoris: Anima verò duntaxat ordinatur ad Deum, ut dum eſt in via, ipſum contempletur, amet, & ratione, intellectu, memoria, voluntate atque moribus quærat. Quod ut melius ipſa perficiat, noluit effundi per eſcam, & inquiſitione diverſorum appetibilium, guſtuque delectabilium, ne in his occupata, pro ſo-vendo delectabiliter corpore averteretur à creatore. Ipſa cibis non alitur, detrimentum aut incrementum non ſuſcipit, valetudinem aut infirmitatem ex cibis non recipit. Cibus animæ, veritas & amor. Corpus verò corporalibus cibis creſcit, atque decreſcit, invaleſcit & tabet, ſed modicis nutritur, gubernatur atque foverur ad ſui conſervationem, & ad animæ libertatem, quam corpus ultra modum vegetum atque fotum neceſſe ſit, ut impediat, ex quo anima ſuſtinebit à creatore averſionem, aut non faciet ſibi debitam inhæſionem, & his qualificata contagiis indurabitur quaſi lapis. Corpus verò temperatè nec exquiſitè nutritum, non inferet moleſtiam animæ, qua infra ipſum jacet incluſa, nec ipſa ſuis intenta curis vacabit ſteriliter in ſe ferens cauſam, qua creatori & ejus theoriis aſſiſtat. Fructus autem jejunii, & hujus cruciatus declarat, quanta ipſum oporteat diligentia cuſtodire. Sanctos igitur patres mente interrogemus & reſpondebunt nobis. Moyſes jejunus accepit legem & divinum alloquium. Elias raptus eſt in paradiſum: Daniel concluſit ora leonum, & jejunus homo, à jejunis leobus honoratur. Experientia verò agoniſtarum verorum in auribus intellectualibus magis clamat, declarans jejunii bonitatem, magis verò tutam opportunitatem. Adjungebatur jejunio mentalis & corporalis vigilia, & ad utrunque jejunium præſtat fomentum. Et quamvis non legatur explicitè, quid in deſerto fecerit Chriſtus, tamen credendum eſt, quia agebat ut homo divinus, exemplum omnium factus. Vigilabat Chriſtus corpore, quia nec habebat oppreſſum epulis ſenſum. Et oculis intendebat in cœlum, ſuſpirans in ſupernas amœnitates, ad quas introducturus erat ſibi fide, ſpe, charitate cohærentes: Aſpiciens ſupernum nidum, quem turtur factus pro nobis invenerat ad reponendum pullos, quos ab æterno præordinaverat ſuos. Et magnum tribuit nobis documentum vigilia Salvatoris, ne noſter oculus malè ſopiatur, & irrevocabiliter prætereat tempus accommodatum ad lucra ſuperna. Vigilavit Chriſtus carnis oculis in conſpectu Domini, ante cujus conſpectum vigilabat jugum iniquitatum noſtrarum. Lamentabiliter enim prædixerat Jeremias: Vigilavit jugum iniquitatum noſtrarum. Thre. 1. Jugum à jungendo duo ſaltem dicitur. Jugum iniquitatis eſt animæ & corporis deliberata conſenſio in peccatum, diabolo ſubdita, iniquitati ſubjecta. Vigilabat jugum iniquitatis, quia diabolus affectum & rationem vinxerat ad arandam & ſulcandam terram corporis noſtri vomere pertinaciæ ad peragendum malum ſulcis malarum, & variarum actionum delectantium præter Deum. Contra quod Chriſtus anima & corpore vigilaturus advenerat, ut vigilia vigilia deſtrueretur. Jugum iniquitatis vigilabat, cùm homo iniquitati voluntariè ſubditus non dormit, niſi malum perficiat, quod mente concepit. Contra quod jugum Chriſtus ſe non dormitaturum objecerat. Vigilemus nos, ſi vita omnium vigilavit pro nobis. Suſcipiamus in hac parte potius vigilandi exemplum, quàm diſcuſſionis officium. Vigilia corporis ultra quàm jejunium attenuavit eum. Quod & ſapientia loquitur: Eccli. 31. Vigilia honeſtatis tabefaciet carnem. Deſiccavit plerunque prurientem humorem, & ſordes Satanæ ſimiliter, & carnis avertit. Inſopitus oculus exercitavit corpus, & ad divinas actiones ordinavit eundem. Vigilia ſtatus ante peccatum, non enim ſomnus ante peccatum obrepſiſſet in homines. Aſſimilat vigilia ſupernis civibus, qui nunquam dormiunt. Corpori quandam dedit aptitudinem ſpiritus, magis verò morem. Poſſident abſque dubio incorporei oculum inſopitum. Mortis habent ſimilitudinem membra ſoporis in tempore. Vigilia verò reſurrectio eſt membrorum, & omnes ſenſus diſpoſuit ad objecta. Gaudium eſt videre ſummi artificis opera, vidit vigilans oculus, igitur & mentis eſt facta diſperſio. Sed & multi congregaverunt mentem, & ab exterioribus ad interiora, à viſibili ad inviſibilia proceſſerunt. Vigilia corporis, exercitatio mentis. Aggravatum ſæpe corpus, intruſam animam in ſeipſo per ſumnum oppreſſit. Non igi-

Exodi 24. 4. Reg. 2. Dan. ult.

tur

tur in viris agoniſtis vigilia propter corpus, ſed ut in vigili corpore interior ſenſus magis invigilet. Caret anima ſuo imperio in corpore dormienti, ſenſibus omnibus imperat, dum corpus invigilat. Sunt virtutes abſque merito corpore dormiente, exercitantur verò in anima, cùm illa in corpore non opprimitur. Divinas theorias atque theophanias anima oculo ſopito non ſentit, & ſi ſentire videtur, aut ſine merito, aut illuſiones plerumque dæmonum ſunt. A ſimilitudine mortis fecit divortium, qui ſtuduit vigilare, & ſocium ſe fecit non dormienti vitæ. Magna fuit hominibus conſolatio videre mundi lucem atque ornatum, & regum atque procerum majeſtatem. Superexcedit omnino incomparabiliter, cùm anima nocte vigilans acuto & intellectuali & fideli oculo aſpicit intelligibilem lucem, ſuperiorem decorem & omnium regem regum cum aſſiſtentibus ſubſtantiis ſeparatis, irrevelata facie contemplatur, quamvis non intueatur in lympido. Vigilans vicit naturam corruptam, & ſupernaturalia ſortietur, aſſuefactus divinis. Damnum exiſtimavit modicum ſomnum propter illorum carentiam. Noctu vigilans exinanivit ſeipſum, & omnem rationem perditorum & acquiſitorum exegit, & antegradum & retrogradum ſui agonis cognovit. Somno deditus nihil horum fecit, anima laboravit in vanum. Ingreſſum habuit in profundum abyſſalis mali, qui decretam & fructuoſam exegit vigiliam, & pauefactus revigilavit ad Dominum, & ſatagebat de malo liberari, deſiderans cum clamoribus anxiati ſpiritus, &
Pſal. 142. turbati cordis, dicebatque ore, magis verò corde clamabat: Ne avertas faciem tuam à me, & ſimilis ero deſcendentibus in lacum, quem vigilando mente conſpexerat. Vigilia cuſtodia eſt cordis. Qui cor cuſtodit, cuſtodit intellectualem vitam.
Prover. 4. Proinde ſcriptura dicit: Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quoniam ab ipſo vita procedit. Stabit vigilans intellectualiter in porta cordis, & omnem cogitationem inſurgentem ab intra, ingredientem per objectas ſenſuum forinſecas qualitates & ſubortas actiones, examinabit, diſcutiet, ſcire volens unde venit, qua venit, quid defert, quove tendit, & ſecundùm rationem non naturæ aut voluntatis, ſed fidei & charitatis concedet aut prohibebit egreſſum, ſimiliter obſtabit aut permittit ingreſſum. Non omnes aves nidificare debent in abdito cordis noſtri, nec omnes ſunt prohibendæ. Turtur & columba, paſſer ſolitarius, non prohibentur nidificare volentes. Symbolicè loquor, qui legit, intelligat. Vigilet ratio ſedula in porta cordis, nec ſine ratione alicui permittat egreſſum ſive ingreſſum. Nullum enim caſtrum oportet tanta diligentia cuſtodiri. Caſtrametati ſunt undique inimici, pariter & amici: Et intus ſunt ad eoſdem inimici, ſimiliter & amici: Et ſimiles ad conſimiles ſperant habere colloquium, ut tradatur caſtrum in manibus exterorum, interorum amicitia id agente. Eſt in nobis condita natura, ratio & divina imago, quæ ad virtutes extra caſtrametantes, inviſibilem & indiſſolubilem ex utraque natura pulchram amicitiam habent, & collegari ſe appetunt ad agenda divina. Cuſtos verò portæ, egreſſum & ingreſſum his æquè permittet. Non enim iſtorum erit alloquium, niſi ad placitum conditoris, & ad caſtri tutelam. At etiam eſt in nobis natura corrupta, & plerunque conſuetudo antiqua malorum, & ipſorum memoria, quæ vitiis & rebus corruptibilibus ſunt amicæ. Fiat igitur diſcretio non ſopita, ne permittat egreſſum. Volunt enim egredi, ut larvales vitiorum multitudines introducant cum ducibus tenebrarum. Tu verò vigilia, portamque claude maledicis: Perdere cuncta volunt, & funditus ſubvertere caſtrum, ut conditori & redemptori, locus non remaneat ad manendum. Vigilia expectans, ſi vocaris intellectuali voce, aut quid dicatur, adverte. Ante omnium conditorem neſas eſt inſenſibiliter ſomno premi. Nec in ſervis coram
1. Reg. 1. Dominis patitur ordo juſtitiæ: Fortè quia tibi loquetur Deus & non homo, quem ſæpe homo vigilando expectat. Jacebat in tabernaculo Domini Samuel cum Heli, ſe credens ab illo vocatum, ſed tertio vigilans inquit: Loquere Domine, quia audit ſervus tuus: Et nota eſt ad eum in multis divina voluntas. Vigila & tu om-
Pſalm. 84. nio oculo cum Samuele & cum David, dicens: Audiam, quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam. Et ad hanc vigiliam ſolitudinis, ut animæ aptius Dominus eloquatur, dicebat per prophetam: Ducam eam in
Oſeæ. 4. ſolitudinem, & loquar ad cor ejus, dum vigilat intentè, qui quærit, aut debet audire divina. Qui vigilare non didicit, difficile potuit verè compungi, nec ſuam inveſtigare interiorem conſiſtentiam, nec exteriori appoſuit aptum modum. Habet tumultus innumeros lux diurna, & ſpargere magis, quàm congregare ſuum eſt proprium. Silent in nocte rationales rumores, qui magis diſtrahunt mentem, quàm omnes ferarum & avium voces. Et in tenebris quilibet recolligitur ad ſeipſum,

ſum. Proinde nocturna vigilia in tenebris animæ lucet. Tenebræ corporales, lucem menti ſuperinducunt, & ſcrutatur quiete anima legem Dei, ſeipſam aſpicit ſtantibus tenebris ſuper terram, ac veritatis conſpectorin die ſibi tenebras fecit, & ut perſpicacius intueretur mente in illam, in magnis ſplendoribus corporis oculos clauſit luci. Vagatio viſivi ſenſus, vagari ſæpe animam fecit, qui nun vagatur niſi mediante luce, orbe verò tenebris obvoluto, nec vagatur anima ſui cauſa, ſed hoc cæcus quilibet habet in die, ſed auribus ſentit ipſe rumores. Ergo bonæ ſunt tenebræ, quia in tenebris corporis oculo non videtur : Siletur ut plurimum, quæ maximè ſunt cauſa inveſtigationis animæ, tenebræ ſcilicet & ſilentium. Contrarium verò faciunt lux & rumor. Portæ namque, ſunt horum præceptibiles ſenſus, per quas multa ingrediuntur ad mentem. Ae per hoc nox animæ fecit auroram, tenebræ meridiem, ut conſpiceret inrellectualem orbem divinorum bonorum, variis & inenarrabilibus redimitum. Silentium verò animæ renovavit imo roboravit auditum in auditione arcanorum. Et in nocte confeſſio divinæ laudis, & proprii criminis ad Deum peragitur : Hoc aſſerebat, dicens : Media nocte ſurgebam, mente pariter & corpore ad confitendum tibi. Intellectualia prata perambulantur in tenebris corporis, & per vias æquitatis eo tempore rectius mens percurrit, & tacentibus hominibus loquitur Deus. Ipſis non auditis audiuntur corporis voce carentes Jucidi & Larvales : Hi, ut erudiant & conſolentur : Illi, ut terreant & contriſtentur. Necnon & pleriſque redemptor per partes innotuit. Quod dico, non omnibus dico, ſed jure vigilias exequentibus propter intellectuale & incorruptibile bonum, non propter bonum corporis corruptibile. Vigilant artifices, vigilant ſtudentes, vigilant latrones, vigilant in inſidiis milites : Ad quos nullus noſter eſt ſermo, dum non propellunt ſomnum propter omnium creatorem, ſed ut venentur in mari cordis vitia ſive virtutes. Viderunt bonum vigiliæ quamplures, & noctem verterunt in diem, ut impræpeditè ſiſterent coram Domino. Vidit bonum vigiliæ Paulus, qui ad multas vigilias hortabatur. Vidit & Petrus, ſed in oratione vigilare jubebat. Viderunt eremicolæ, qui magis cœlicolæ dici poſſent, quorum plurimi ſtabant in vigiliis per totam noctem. Vidit Dorotheus, qui ab adulta ætate nocte atque die dormire nolebat : Qui ſemel ſomno oppreſſus dormivit in cœno : Expergefactus ſomno diabolo dixit : Si perſuadebis ſomnum Angelis, perſuadebis & mihi. Qui deinceps non dormivit, niſi ſomno mortis, ſemper vigilans ad divina. Tempus breve infallibiter eſt. Væ ! qui ſomno præterire permittunt, niſi quod non poſſunt negare naturæ improbæ exactrici, cui probiter eſt negandum. Amator ſomni, receptaculum illuſionum. Qui ſumnum odit, à phantaſiis in modico liber erit. In charta perditarum expenſarum tempora ſomni ſcribe. Ad fiſcales introitus diſtricta pone vigilias. Qui novit vigilare, novit orare, & oratione percutere inviſibiles inimicos : In quorum figura omnipotens Deus in vigilia matutina reſpexit ſupra caſtra Ægyptiorum inſequentium Iſraelem, & omnes principes & robur Pharaonis demerſit tu mari profundo. Aptum tempus veris agoniſtis exiſtit ad interficiendum dæmones & vitia, vigilia matutina : Nihilominus idoneum illuminationibus noſtræ mentis. Hora enim tali, ſalutationem angelicam, reſponſionem virgineam, conceptionem divinam legimus celebratas : Et matutinali eadem hora, qua conceptus eſt, ſalvator eſt natus. Cujus nativitatem vigilantes paſtores à ſeparatis ſociis didicerunt, & audierunt incorporeorum cantus atque ineffabiles melodias : Quia ſemper Angelis eſt congrua tam honeſta vigilia exacta pro regno ſuperno, in quo ipſi non dormiunt. Naturale ab eorum creatione fuit Angelis non dormire : Nobis verò virtute præſtatur & gratia, Eadem hora celebrata novitas regni cœleſtis, ſcilicet reſurrectio voluntariè morientis, potentia propria reſurgentis : Ad quorum memoriam debet amabilis, imò actualis fieri vigilia matutina, ut actus ſit mentis diſcurrentis per amœnitates inviſibiles paradiſi, cum quiete corporis, atque debito exercitio propellenti ſomnolentiam importunam. Aſtant enim nequius his temporibus tetri. Fide certiſſima tenendum eſt, Dominum captum pro redemptione hominum, tota nocte illa non captaſſe ſoporem, ſed in afflictionibus & deriſionibus irrogatis, pœnaliter cum affectu magni operis vigilaſſe. Conformia expedit fieri membra cum capite inſopito. In luce placida eſt vigilatio, in tenebris virtuoſa, eorum videlicet, qui pro Chriſto & ſuperis agonizant, cæterorum verò, laburioſa vel turpis. Albedo habet diſgregare viſum : aggregare nigredo. Et viſus animæ à luce patitur illud idem, qui congregatur in tenebris ſive nocte. Proinde Omnipotens non ſolùm in ſignum magni facinoris Filius mori-

Pſalm. 118.

Exodi 14.

Lucæ. 2.

2. Cor. 6.
1. Petri. 4.

moriebatur in cruce, ſed ut totius mundi omnium hominum mentes in admiratione atque contemplatione ſuſpenderet, tenebras induxit in mediis ſplendoribus ſuper terram, non ſolùm Judæam, ſed univerſam, ut adverteretur non eſſe ſine magno myſterio, quod tam inſolitum videbatur. Non fecit tunc tenebras, ut more ſolito homines dormitarent, ſed ut non vagantibus oculis ingrederentur ad mentes. Fecit tunc noctem, non ad nocendum, unde nox appellatur, ſed ad meditandum, pro-
Matth. 17. pinquis atque remotis. Proinde per omnia mundi climata illa obſcuritas fuit in libris annalibus, ac temporum geſta continentibus, annotata. Et cùm Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti prædicatio, per terrarum crebreſceret orbem, ex illa obſcuritate multorum claruerunt mentes, cùm in prædicatione ipſorum, concordiam facti agnoſcerent pariter & verborum. De quorum numero fuit Dionyſius Aareopagita,
Actuum 17. ut ex apoſtolicarum actionum litera comprehendi poteſt, & fideles hiſtoriæ narrant. Igitur non fecit Deus illas tenebras, ut tenebræ diu eſſent, cùm ſcriptura evangelica recitat, confeſtim fuiſſe remotas: ſed ideo fecit, ut inpoſterum generarent hominibus claritatem. Non eſt nox, ut noceat, ſed ut proſit ad vitam. Non eſt nox, ut ſemper ipſam homo dorminendo pertranſeat, ſed ut quietus non ſit ſuſpenſus: non videns corporalia, ſpiritualia contempletur: non videns terrena intueatur cœleſtia: non videns homines cum angelis chorum faciat: immotus pedibus affectibus gradiatur, quibus ſolùm ignitis atque irreverberatis appropinquatur ad Deum. Ac per hoc bonæ ſunt tenebræ corporales, ſi in eis lux æterna conquiritur. Buna nox, & fallit regula derivantium, quia ipſa præſtat aptitudinem contemplandi. Et contemplari opus Chriſti erat in deſerto. Non eſt ſcripta literis contemplatio ejus, ſed ſcripta eſt in tabulis juſti cordis, & in membranulis fidei. Talia contemplabatur, qualia decebat Filium Dei & hominis contemplari. Non tardemus accedere ad deſertum, ſi non corpore, ſaltem mente, ad contemplandum divina tempore noctis, ſimiliter & diei. Aut diem pro divinis quietè agendis vertamus in noctem: aut ipſum alris contemplationibus, mediocribus & infimis tantigamus. Altas dixerim Trinitatem, & quæ circa ipſam ſunt, prout ſe fideliter & inveſtigatione poteſt noſter animus ipſius adjutorio ſurſum ferre, ac etiam aſſiſtentes intellectuales ſubſtantias cum ipſa: mediocres, quæ nos ſumus, & circa nos ſunt, bona naturæ & gratiæ: infimas, ipſos damnatos & iniquitatum faſciculos deprimentes. Vigilia orationem eduxit in lucem. Nam ſi veri oratores (ſecundùm Chriſti ſententiam) ſunt in Spiritu, quia DEUS eſt Spiritus: & tales quærit, non in monte vel templo: in nocte aptior Spiritus, in die aptius cor- Joan. 4.
pus. Et Jeſus ductus eſt in deſertum à Matth. 4.
Spiritu, ut in Spiritu oraret, Spiritu viveret, Spiritu ambularet ad ſui veram imitationem, cætera membra trahens, ut in deſertum eamus ducti à Spiritu. Vigilemus Spiritu, vivamus Spiritu, ambulemus Spiritu, & deſideria carnis non perficiamus, ne à ſomno turpiter immergamur. Sed habet nocturna vigilia timores
Rom. 13. nocturnos, ſimiliter habet & gladios. In Canticis dicitur: Uniuscujusque enſis ſuper fœmur ſuum, propter timures nocturnos. Timores nocturni à dæmonibus immittuntur, ut aut humo non ſurgat, aut pavefactus conſocium quærat, qui ad ſecuritatem erit remedium: impedimentum
Cant. 3. tamen erit divinorum cultuum, ob reverentiam innoteſcendi, aut reverentiam conturbandi: aut ſuſtinebit illuſiones phantaſmatum, ſtrepitusque corporum ſentire ſibi videbitur: ſæpè fiet clamor confuſus, interdum diſtincta vox audietur: impulſiones corporumque contactus ſentientur, qui à Spiritibus fieri perhibentur: & illuſiones ipſorum dormientes etiam ſentiemus: & multa ſimilia cum his ſæpè fient: Noverunt enim maligni, tempus nocturnum aptiſſimum divinis theoriis, quòd conantur eripere per ſomnum aut in vigilia conturbare: quia in matutino interficiebat David omnes peccatores terræ. Diſponebat ſanè in nocte judicia, quia rex erat, ut malefici & iniqui non viverent ſuper terram. Sed orandum eſt, in quiete noctis mens humana conſideret, quomodo vitia propellet, revocet virtutes, caſtiget mala peracta, & malum im- Pſalm. 100.
punitum in ipſa non ſinant. Contra dæmones, peccatores lachrymis & obſecrationibus interpellant ad Dominum. Et idem David dicebat: In matutinis meditabor in te, quia fuiſti adjutor meus. Ex quibus irritantur dæmones, excitantur furiæ infernales ad nocturnos inferendum Pſalm. 42.
ſæpe timores. Sed ſunt gladii contra ipſos tenendi omnino indepoſitè ſuper fœmur, judicium divinum, ad quod inevitabiliter imus omnes, ſi per fragilitatem animæ noſtræ tunore ſuperemur. Interrugavit quidam diſcipulus factus in magno deſiderio vigilandi pro cultu Chriſtiano quendam eruditum & peritum in placitis moribus ſenem, dicens: Quomodo poſſum

benè vigilare & orare de nocte? Et intendebat quærens aliquid corporale pro argumento ſuſcipere. Et ait ad eum ſenex: Timor divini judicii, ſi fuerit firmiter tuo cordi infixus, paululum dormies, modicum dormitabis: vigilabis utique atque orabis, & velut peſtem fugies gravem ſomnum. Ad quem diſcipulus: Credebam te Pater mihi corporis adhibere dietam ſive medelam. Ad quem ſenex: Experimento didici, nihil faceretam animum vigilem, & carnem ſuſpirare altitudine ſoporis immerſam, quàm timor inevitabilis judicii, & diſtrictæ atque inſubterfugibilis examinationis. Igitur timores nocturni, divinis timoribus reprimuntur: necnon ſi veritate virtutum Chriſti, quem colimus, ſcuto protegimur, non timebims à timoribus nocturnis. Scriptura dicit: Scuto circumdabit te veritas ejus, non timebis à timore nocturno. Sanè Chriſti veritas à dæmonum liberat falſitatibus. Falſa ſunt omnino phantaſmata, & ab initio mendax mendaciis decipit. Intentio eſt maligni, ut tempus nocturnum atque diurnum ſine fructu pertranſeat. Nocturnum ipſi, diurnum conturbandum hominibus derelinquunt, & quod crudele auditu, quòd viris ſolitariis, remotis à vexationibus hominum, plerique cum luce variaverunt eorum mentes, & curvatam orationem, & tepidam contemplationem fecerunt, quamvis non ex toto dimiſerunt. Legi quendam noctis & tenebrarum corporalium utiliratem aſpexiſſe, qui de materiali ſule lachrymabiliter querebatur, eo quud immaterialis ſolis abſtuliſſet ſolamen. Fures, cùm furantur, odiunt lumen ſolis, omnemque lucem abhorrent: & cum apparuerit, exiſtimant mortis umbram: norunt enim ad eorum opera lucem fieri omnino impedimentum. Cœleſtes nempe fures divinorum chariſmatum atque ſecretorum, ad eorum agenda myſteria, tanquam impedimentum condemnarunt lucem, veruntamen non oderunt. Nihil tamen odio habendum in ordine univerſi, prout à divina providentia ordinatur. Ergo nulla dormitio? utinam fieri poſſet innocua remanente natura. Sed non ad delectationem, ſed ad neceſſitatem inevitabilem capiatur ſopor & locus detur dormitioni recipiens corpus ad requiem, non retinens dormiendi ſuavitatem. Dormierunt ſanè multi modico ſomno, quorum excitatio non fuit gyratio in aliam partem corporis, ſed egreſſio à loco dormitionis. Aliqui erecti ſtantes, captaverunt ſopores. Aliqui ſedentes in cella ſomnit modicum uſum habuerunt. Aliqui poſt communem orationem & contemplationem egreſſi ſunt in lectionis gradum, & liber tantum eorum facies ſuſcipiebat, & idem ſemper erat dormitionis & lectionis locus. Aliqui commiſerunt directionis judicio, & nihil amplius addiderunt. Aliqui nunquam præterierunt judicium diſcretiunis, nihil dantes aut detrahentes, ſecundùm menſuram infirmæ aut validæ materiei. Hos ſecuriores dixerim, ſed de mille difficile fit monadem reperire. Diverſæ ſunt vigiliæ & vigilantium actus: ſicut intentiu & remiſſio in amoribus divinis & timoribus agitur. Eximius Prophetarum dixit ſuæ vigiliæ typum: Vigilavi, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Alia ſcriptura dicit in priaetinis. Vigilat rex ſui corporis, qui pro Chriſto ſuſcepit agonem more aviculæ ſolitariæ. Sed ubi agitur vigilia? In tecto. Tectum animæ corpus noſtrum eſt: quo dormiente, anima oppreſſionem patitur, & in ſuis directionibus, non eſt libera: ipſo verò vigilante, animæ ſuæ jura ſubveniunt. Tectum, charitas eſt: quia charitas operit multitudinem peccatorum. In amore fervido vigilandum eſt. Et beatitudinem dicebat David peccata ſic tecta: Beati quorum tecta ſunt peccata. Tectum dicitur Gug, in quo intelligitur occulta diaboli tentatiu. In quo tecto vigilandum eſt, ne diabolus vitium virtutum ſimilitudinibus tegat, & nos in foveam deceptionis immergat. Inveſtigat hæc vigilia ſolitaria, & ſicut paſſer ſolitarius ſedulò invigilet Chriſtianus, ut diaboli tectos poſſit intelligere dolos. Vigilandum ſanè in tecto eſt, quod legitur fuiſſe à Deo mandatum, quod tectum tabernaculi tegeretur ſagis cilicinis. Tabernaculum Domini eſt, ubi Domini ſteterunt pedes, de quo etiam Pſalmiſta dicit: Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus, quod eſt eccleſia: & ubi ſteterunt pedes Domini, ſcilicet Chriſti humilitas, quos pedes Magdalena lachrymis lavit. Apoſtoli ejus prædicatores, qui per mundum univerſum cum prædicando portaverunt, quos quippe hora mortis Chriſtus propriis manibus lavit, ut mundiores & aptiores eſſent ad Evangelium prædicandum, quorum pulchritudo antequam eſſet à Spiriru Sancto accepit præconium pulchritudinis atque laudis. Unde Iſaias dicit: Quam pulchri ſupra montes pedes annunciantis & prædicantis pacem. Quæ pulchritudo ad Apoſtolos refertur, qui ſupra montem eccleſiæ poſiti pedes Chriſti pacem annuntiantis atque facientis in toto mundo fuerunt. Pedes Domini affectus & in-

Pſalm. 90.

Pſalm. 101.

1. Pet. 4.

Exod. 26.

Pſalm. 131.

Lucæ 7.

Iſaiæ. 52.

& intellectus Chriſti, quibus inter nos
Matth. 28. ambulat usque ad finem mundi. Propterea ipſe dicit: Ecce vobiſcum ſum usque ad conſumationem ſæculi: quia diligit nos, & opera dilectionis impendit, & intelligit nos, & quæ circa nos ſunt, ut nihil ſit abſconditum ei. Tectùm verò hujus tabernaculi eſt ſupereminens charitas, quæ iterum operitur ſagis ciliciinis: quia quanto ardentius, & altius fideles dilexerunt omnium Deum, & patrem, & Filium ejus quem miſit Jeſum Chriſtum, tanto aſperioribus veſtibus tribulationum voluntariè ſunt operti. Interroga matyres, interroga confeſſores, interroga & virgines, & reſpondebunt tibi. De quo tecto, etiam Pſalmiſta pro eccleſia loquitur: Extendens cœlum ſicut pellem, qui tegis aquis ſu-
Pſalm. 103. periora ejus. Cœlum eſt eccleſia ad differentiam ſynagogæ procacis atque terrenæ. Extenſa eſt & dilatata eſt eccleſia more pellis, ubi ſunt ſcripta divina myſteria. Superiora verò tecta ſunt aquis, qui ſunt ſuperiores ſancti, tribulationum, anguſtiarum, afflictionum imbribus operti fuerunt. De quo charitatis eccleſiæ tecto, Salvator tribulationum tempore conſulit non deſcendere, dicens. Et qui in tecto eſt, non deſcendat tollere aliquid de do-
Matth. 24. mo ſua. Et gloriam Domini videbant
Numeri 14. Filii Iſraël ſuper tectum fœderis, dum erant in deſerto ſolitudinis, ut omnino more ſolitarii paſſeris nos oporteat vigilare in tecto, ſi gloriam Domini quæramus contemplari. Et ita vigilemus in tecto: ut ne credamus conſortes fieri conſolationum, niſi fuerimus & paſſionum. Fiat igitur vigilia corporis, ut eſſe poſſit in conſideratione horum vigilia mentis: quoniam aliter quàm in tecto eccleſiæ non eſt ſalus. Et tribulationum ſagis ciliciinis aſſumptarum aut illatarum oportet operiri ſalvari volentem. Delicata in adultis hominibus virtus, neſcio, ſi perduxit ad Deum. Silebat in deſerto Chriſtus, nemini ore corporis loquebatur. Pax ei ab hominibus loquacibus erat, prærogavit in ſe utilium rerum normam, & ſilentii ſui cenſura nos ad ſilendum clamat. Pro nobis Chriſtus omnia geſſit, non cogebatur neceſſitate aliquid ad ſeipſum referre. Viator erat & comprenſor: ſed noverat bonum ſilentii & pacis, quod ante per ſuam ſapientiam prædictum fue-
Iſaiæ 30. rat ex Propheta: In ſilentio & ſpe, erit fortitudo veſtra. Erat enim beſtiis, quæ ſibi non loquebantur, & ignorabatur ab eis, niſi prout animalia conſueverunt proprium Dominum recognoſcere quodam eis inditu inſtinctu naturali, velut eorum creatorem & Dominum agnoviſſent: ea differentia cognoſcendi, qua differunt ab hominibus utentibus ratione. Faciebat hæc in ſapientia Chriſtus, & per ſapientiam in deſerto cum beſtiis morabatur. Ad ſcholas deſerti veniant, qui volunt nova ſapientia imo æterna ſapientia edoceri, & illa, ſcire quæ vulgaris mundus ignorat. Si quis ſapiens eſſe cupit, hæc agat & intelligat, & ſapiens erit. In moribus enim Chriſti, magis actione, quàm lectione quisque ſit ſapiens. Si quis enim, cujus ratio vigeat, appetet magis ſilere, quàm cum procacibus loqui: & cum inſignitis ratione carentibus uſu ejus, nullo modo habebit alloquium. Qui cum parvulo loquitur, oportet linguam organizare pueriliter, & qui cum ſtulto, ſtultorum fingere verba. Cùm à ratione averſis loqui ſimiles expediet formare ſermones. Ad quæ ſapiens nullo pacto animum inclinabit, damnum exiſtimabit inaniter emittere verbum, ſilebit potius, aut interdum cum irrationalibus animalibus & avibus aliquali delectatione vacabit. Etenim aves & animalia tereſtria ſecundùm naturam agunt, & nihil reprehenſibile habent. A ratione per peccatum averſi contra naturam faciunt, & loquuntur, quorum conſortium maximè ſapiens devitabit, & captabit potius conſortia beſtiarum. Delectabilius eſt omnino animæ lucida ratione vigenti, cum ſecundùm naturam agentibus animalibus ſtare, quamvis per rationem incognitus ſit ab eis, quàm cum hominibus à ratione diſtortis aſciſci, ſi per rationem non eſt cognitus eis, aut ſi eſſe non poteſt confabulatio rationis. Nam ſi ſapientia dicit, ubi non eſt auditus, non Eccleſ. 32.
effundas ſermonem, multò magis informat cum hominibus fatuis, ſicut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus, ne habeas locutionem. In beſtiis non turpatur natura. In hujuscemodi hominibus ratio naturalis confunditur. Quærat igitur qui ſapiens eſt à malis hominibus omnino ſecretum, etſi aliquando expedit, potius cum animalibus, quàm cum ſceleratis hominibus exhilarationis captet compendia. Ergo vitabit omnino publicum ſapiens. Devitabit, ut ſola neceſſitas apparere faciat in publico, voluntas verò eum teneat in occulto, & ſapiens ſilebit usque ad tempus. Sed poſt jejunium Chriſtus revocavit eſuriem, quàm alta virtute frænaverat, *ut cùm jejunaſſet quadraginta diebus & noctibus: poſtea eſurivit.* Eſuries eſt quædam inteſtina aduſtio ex carentia cibi, cùm ſtomachus non habet

quod

quod urat, in semetipso esuritur. Sed hoc nobis magis veritatem humanæ naturæ ostendit, & id quod Christus pro nobis gessit, quàm mores. Proinde Christianæ mentes insurgant, & incarnatum DEI Filium contemplentur in deserto juvenem egregiæ formæ hominem sine macula & peccato, attenuari jejuniis, squalidari palloribus, cum bestiis conversantem, orantem, vigilantem, tacentem, nescio, si lachrymantem, homo enim erat, & quod fecit, nam minus creditur in occulto fecisse, unde fortè quod in deserto pro humana natura coram æterno Patre lachrymis satis fecit. Videte progressum istius hominis in deserto. Ab omni corporis cura longè factus erat, & quod plus est, dæmoniis se ad tentandum exposuit, ut causam legitimam adversus diabolum sumeret, si tentare præsumeret innocentem, & ad periculum, & expoliationem diaboli cederet, si cum Christo initiarer injustè congressum, ac terrorem nobis incuteret Dei omnipotentis cunsiderantibus larvalem exercitum, in quo inventus est tantæ audaciæ dæmon, qui præsumpsit in Christum. Cujus cor formidine non terrebitur, si audit à diabolo Christum fuisse tentatum? Prærogavit etiam patientiæ atque resistendi exemplum, cùm ejus progressum, atque finem tentationis inspicimus. Sed qua ratione, quo tempore, qua effigie, quo gestu ad eum tentator accessent, prout ipse ministraverit, enodemus. Rationabilis diabolus est, & quantumcunque damnatus, bona naturæ non perdidit. Et subortis rationibus ad Christum tentaturus accessit in eremo. Luciferum verò præ omnibus, acuitate splendentem, credimus huc fuisse, decebat, quoniam ab hominis prima creatione homo similis, & tantæ novitatis atque virtutis mundo usque in præsens illud non apparuerat, & terrebantur dæmones novitate degentis, quorum invisibili & mutua deliberatione omnium decreto iste præsumpsit adire. rationibus altissimis & incomprehensibilibus incitatus. Novit diabolus omnium corporum motus & actus, & nihil ei subterfugibile in corporibus, & ab eo tempore, quo Abrahæ atque David facta est repromissio de Christo, cœtus dæmonum quod evenit expavit, & semper suspicatus, quod accidit. Intelligebat enim diabolus promissionem illam intelligendi charitate, qua fulget. Et cùm ad Isaiam factus est sermo: Ecce Virgo vel almâ concipiet, semper territus manst. Prophetias enim de Christo factas plenissimè intelligebat, tempus omnino non noverat. Cùm autem cognoverunt dæmones Virginis intumescere corpus, integritate servata, obstupuerunt. Sciebat enim, quòd nec Joseph ad eam, nec alius fornicator accessorat, nec aliquid ore sumpserat unde corpus tumesceret, & tunc velut solertissimi & insopiti exploratores assistebant, ut rei eventum cognitione perciperent. Cùm autem Virgo peperit, integritate servata, eorum intellectus omnino claudebatur, quia præter naturam hoc esse indubitanter sciebant, sed factum intelligebant potentia creatoris, quam ipsi sciunt firmiter ingressum habere ad hanc mundi miseriam per communem naturæ portam, & purum esse hominem putaverunt, sed porta in ingressu, in egressu, post egressum clausa manente, plus quàm hominem crediderunt. Audientes solitos infantium vagitus, hominem purum esse dixerunt, ab angelis novam & insolitam cantelinam audientes. addiderunt stupori. Locus aliquid ostendebat humanum, novitas declarata pastoribus aliquid ostendebat divinum. Fascia cunæ, involutio atque lactatio, circumcisio humanitatis erat indicium; quòd Jesus vocaretur, prætendebat divinum. Mora in præsepio, erat humanitatis, sidus novitatis effulgens, ducatum insolitum mundi regibus præbens, ipsorum adoratio prona, oblatio mystica erat specimen Deitatis. Præsentatio in templo cum oblationibus pauperum, animos ad humana solùm considerandæ vergebat, Simeonis, & Annæ verborum excessus ad divina mittebat. Fuga in Ægyptum purum hominem demonstravit, simulacrorum casus, divinum ostendit authorem. Regressus in Judæam hominem designavit, duodennis atque templaris inter doctores stando audacia præsagivit excessum. Parentum quæstio arguebat pro homine: ipsius responsio Patrem ostendebat divinum. Descensus Nazareth atque subjectio, communis forma vivendi, humanitatis erat assertio, parentum reverentia, stupor in vivendo, locutio mutua, quæ de ipso sæpius erat, ad divina scandebat. Omnium carentia vitiorum, corporis motus ex omni ratione peractus, Dominum membrorum, reprehensibilitas nulla, sanctitatis altissimæ imaginem præferebat. Cùm ad baptismum venit, monstratus est ut homo peccator, cùm vox paterna insonuit, & confusi sunt in suis opinionibus dæmones, sed detenti ab ignorantia, æstimaverunt etiam virtuosum hominem Filium Dei posse clamari, quod scriptura sæpè commemorat. Accessus ad desertum

Isaiæ 7.

Matth. 1.

Luc. 2.

Matth. 1.

ad

ad hominem pertinet : abſtinentia longa ſanctitatem atque altam virtutem inſinuat. Furies verò ad humanæ naturæ defectum cogit regredi contemplantem. His rationibus in ſeipſis per omnem modum diſtantibus agitatus diabolus, ad probandum quisnam eſſet, non potuit amplius differre congreſſum. Volebat enim ſcire quis eſſet, cùm omnium hominum haberet ipſe ſcientiam, & ſuo juri totum genus mancipaſſet humanum, quamvis diſpar in hominibus ejus eſſet ſæva poteſtas, & mirabatur, quòd eum ſaltem in motu corporis non poterat titillare, ut quid modicum operaretur impertinens, & usque ad corporis, præter rationem, motum non poterat inclinare. Plus erat ſtupendum, quod velut ad flammantem ignem non audebat approximationem facere, præter ipſam liberam voluntatem. Nunc verò unus provocatus ab ipſo, ad ipſum tentator acceſſit volens etiam maculare ſi poſſet. Pœna ſemper renovatur dæmonibus, & verecundia quædam, ſi vident quempiam ex virtute ſuperna conſcendere, unde ipſi corruerunt, & eorum pœna ſuſcipit jure augmentum, cùm inferiorem partem virtute præpollere cognoſcunt, quam ipſi natura nobiliores procaciter abjecerunt. Etſi maculare non poſſet, quærebat ipſius habere notitiam, ut ſi ſecundùm ſuſpicionem Deus erat, nullum ſibi videbat adeſſe remedium : ſi ſanctus, quòd maximè prævidebat. non tantùm ſibi timoris aſcriberet, aut de perdenda captivitate dubitaret. Sciebat, quòd nemo ſanctorum aliquem ſibi violenter abſtulerat, ipſe verò ſanctos veteris teſtamenti, & duces, & reges, & patriarchas, & prophetas populi, licet non pœnaliter tenebat incluſos. Innumeros verò ex omni populo pœnaliter, nec per Chriſtum eruendos detinebat intruſos, hoc peragere antiqua & practica malitia ſuggens, effigiem aſſumpſit, qualem cognoſcebat hunc myſterio convenire. Dum enim tentati fuerunt primi parentes atque decepti, procuratum ſuit à diabolo in forma ſerpentis, qui erat callidior cunctis animantibus, non tamen callidior homine: homo verò alius nondum erat, quem ad tentandum potuiſſet abſumere : alterum per alterum non debebat primo congreſſu decipere, ſcilicet aſſumendo unius effigiem ad deceptionem alterius. Cognoſcebant ſe mutuò, & tertium deinceps ſciebant hominem non eſſe creatum, proinde facilè machinamentum diaboli fuiſſet derectum. Sed tempore, quo diabolus Chriſtum tentaturus advenit, orbis terrarum pollebat multitudine hominum, & famoſorum in omni facultate doctrinæ. Adhuc autem & philoſophantes deſerta petebant & inhabitabant, ad ſubtiliorem ſpeculationem eorum, quæ volebant in aſtris, & rerum natura conquirere. Proinde qui acceſſit, effigiem aſſumpſit humanam, ſub eo reſpectu præeminentiæ, qua homo animalibus omnibus antefertur. Et erat effigies, non veterani hominis, decrepitæque ætatis, ne crederetur delirus : non adoleſcentis, ne ſciolus aut inexpertus haberetur, ſed effigiem grandævi hominis, mediocris ætatis, modeſtorum morum, multæ peritiæ, magnæ eloquentiæ : qui non ſtatim verbum tentationis emiſit, ſed velut tentator verba præmiſit, quæ nullus Evangeliſtarum ponit, & intantum in talibus præmiſſis ſunt multa & varia verba præmiſſa, ut ex parte diaboli conditionalis locutio ſequeretur, ut ſcire poſſet, quod per eum potiſſimè quærebatur. *Si Filius DEI es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Sed ante verborum declarationem, tempus adventus diabolici prænotemus. Peracto quadrigato jejunio, & fame advocata, quam diabolo innoteſcere voluit, ipſe tentator advenit, cavens omnino tempus nocturnum, ne reputaretur phantaſma, vel fallax aut latibulus prædo. Diurno ſiquidem tempore voluit inire congreſſum, prævidebat enim eum eſſe ſolertiſſimum virorum, & ſciebat, quòd eum nullum adhuc poterat maculare delictum, & omne peccatum abſtabat ab actibus ejus, & timebat reprehendi ab ipſo in aſtutia ſua per ſapientiam ejus, nec ad tentandum multum tempus appoſuit, ſed quaſimodico præparativo, fecit omne machinamentum ejus. Sicut primorum parentum maleſuaſor brevi hora perfecit exitium, ſic iſte credidit hunc hominem tentationis bello conſligere : ſed reluctationem accepit, & protenſa parumper mora, ſed tamen eodem die trinam tentationem perfecit. Nec, ut quidam malè ſuſpicantur, ante acceſſerat : aut acceſſit iterum in deſerto, nec niſi trinam tentationem, ut Evangeliſtæ tradunt ingeſſit. Sed mirum atque ſtupendum hunc dialogum, audire omnem aſtutiam, cum omni ſapientia convenîſſe : iniquitatem cum juſtitia : machinatorem mortis eum largitore vitæ : proditorem cum veritate : damnatum cum Salvatore : Belial & Chriſtum, inter quos nulla eſt conventio. Explurativè diabolus loquitur, cùm conditionem appoſuit, Si. Hujus verò dialogi declaratio ſpectat, ubi de verbis agitur Salvatoris : expedit enim ordinem

Gen. 3.

quod urat, in semetipso esuritur. Sed hoc nobis magis veritatem humanæ naturæ ostendit, & id quod Christus pro nobis gessit, quàm mores. Proinde Christianæ mentes insurgant, & incarnatum DEI Filium contemplentur in deserto juvenem egregiæ formæ hominem sine macula & peccato, attenuari jejuniis, squalidari palloribus, cum bestiis conversantem, orantem, vigilantem, tacentem, nescio, si lachrymantem, homo enim erat, & quod fecit, nam minus creditur in occulto feciſſe, unde fortè quod in deserto pro humana natura coram æterno Patre lachrymis satis fecit. Videte progressum istius hominis in deserto. Ab omni corporis cura longè factus erat, & quod plus est, dæmoniis se ad tentandum exposuit, ut causam legitimam adversus diabolum sumeret, si tentare præsumeret innocentem, & ad periculum, & expoliationem diaboli cederet, si cum Christo initiarer injustè congressum; ac terrorem nobis incuteret Dei omnipotentis considerantibus larvalem exercitum, in quo inventus est tantæ audaciæ dæmon, qui præsumpsit in Christum. Cujus cor formidine non terrebitur, si audit à diabolo Christum fuisse tentatum? Prærogavit etiam patientiæ atque resistendi exemplum, cùm ejus progressum, atque finem tentationis inspicimus. Sed qua ratione, quo tempore, qua effigie, quo gestu ad eum tentator accesserit, prout ipse ministraverit, enodemus. Rationabilis diabolus est, & quantumcunque damnatus, bona naturæ non perdidit. Et subortis rationibus ad Christum tentaturus accessit in eremo. Luciferum verò præ omnibus, acuitate splendentem, credimus huc fuisse, decebat, quoniam ab hominis prima creatione homo similis, & tantæ novitatis atque virtutis mundo usque in præsens illud non apparuerat, & terrebantur dæmones novitate degentis, quorum invisibili & mutua deliberatione omnium decreto iste præsumpsit adire, rationibus altissimis & incomprehensibilibus incitatus. Novit diabolus omnium corporum motus & actus, & nihil ei subterfugibile in corporibus, & ab eo tempore, quo Abrahæ atque David facta est repromissio de Christo, cœtus dæmonum quod evenit expavit, & semper suspicatus, quod accidit. Intelligebat enim diabolus promissionem illam intelligendi charitate, qua fulget. Et cùm ad Isaiam factus est sermo: Ecce Virgo vel almâ concipiet, semper territus manſit. Prophetias enim de Christo factas plenissimè

Isaiæ 7.

intelligebat, tempus omnino non noverat. Cùm autem cognoverunt dæmones Virginis intumescere corpus, integritate servata, obstupuerunt. Sciebat enim, quòd nec Joseph ad eam, nec alius fornicator accesserat, nec aliquid ore sumpserat unde corpus tumesceret, & tunc velut sulertissimi & insopiti exploratores assiliebant, ut rei eventum cognitione perciperent. Cùm autem Virgo peperit, integritate servata, eorum intellectus omnino claudebatur, quia præter naturam hoc esse indubitanter sciebant, sed factum intelligebant potentia creatoris, quam ipsi sciunt firmiter ingressum habere ad hanc mundi miseriam per communem naturæ portam, & purum esse hominem putaverunt, sed porta in ingressu, in egressu, post egressum clausa manente, plus quàm hominem crediderunt. Audientes solitos infantium vagitus, hominem purum esse dixerunt, ab angelis novam & insolitam cantelinam audientes, addiderunt stupori. Locus aliquid ostendebat humanum, novitas declarata pastoribus aliquid ostendebat divinum. Fascia cunæ, involutio atque lactatio, circumcisio humanitatis erat indicium; quòd Jesus vocaretur, prætendebat divinum. Mora in præsepio, erat humanitatis, sidus novitatis effulgens, ducatum insolitum mundi regibus præbens, ipsorum adoratio prona, oblatio mystica erat specimen Deitatis. Præsentatio in templo cum oblationibus pauperum, animos ad humana solùm considerandà vergebat, Simeonis, & Annæ verborum excessus ad divina mittebat. Fuga in Ægyptum purum hominem demonstravit, simulacrorum casus, divinum ostendit authorem. Regressus in Judæam hominem designavit, duodennis atque templaris inter doctores standi audacia præsagivit excessum. Parentum quæstio arguebat pro homine: ipsius responsio Patrem ostendebat divinum. Descensus Nazareth atque subjectio, communis forma vivendi, humanitatis erat assertio, parentum reverentia, stupor in vivendo, locutio mutua, quæ de ipso sæpius erat, ad divina scandebat. Omnium carentia vitiorum, corporis motus ex omni ratione peractus, Dominum membrorum, reprehensibilitas nulla, sanctitatis altissimæ imaginem præferebat. Cùm ad baptismum venit, monstratus est ut homo peccator, cùm vox paterna insonuit, & confusi sunt in suis opinionibus dæmones, sed detenti ab ignorantia, æstimaverunt etiam virtuosum hominem Filium Dei posse clamari, quod scriptura sæpè commemorat. Accessus ad desertum

Matth. 1.

Lucæ 2.

Matth. 3.

ad

ad hominem pertinet : abſtinentia longa ſanctitatem atque altam virtutem inſinuat. Eſuries verò ad humanæ naturæ defectum cogit regredi contemplantem. His rationibus in ſeipſis per omnem modum diſtantibus agitatus diabolus, ad probandum quisnam eſſet, non potuit amplius differre congreſſum. Volebat enim ſcire quis eſſet, cùm omnium hominum haberet ipſe ſcientiam, & ſuo juri totum genus mancipaſſet humanum, quamvis diſpar in hominibus ejus eſſet ſæva poteſtas, & mirabatur, quòd eum ſaltem in motu corporis non poterat titillare, ut quid modicum operaretur impertinens, & usque ad corporis, præter rationem, motum non poterat inclinare. Plus erat ſtupendum, quod velut ad flammantem ignem non audebat approximationem facere, præter ipſum liberam voluntatem. Nunc verò unus provocatus ab ipſo, ad ipſum tentator acceſſit volens etiam maculare ſi poſſet. Pœna ſemper renovatur dæmonibus, & verecundia quædam, ſi vident quempiam ex virtute ſuperna conſcendere, unde ipſi corruerunt, & eorum pœna ſuſcipit jure augmentum, cùm inferiorem partem virtute præpollere cognoſcunt, quam ipſi natura nobiliores procaciter abjecerunt. Etſi maculare non poſſet, quærebat ipſius habere notitiam, ut ſi ſecundùm ſuſpicionem Deus erat, nullum ſibi videbat adeſſe remedium : ſi ſanctus, quòd maximè prævidebat. non tantùm ſibi timoris aſcriberet, aut de perdenda captivitate dubitaret. Sciebat, quòd nemo ſanctorum aliquem ſibi violenter abſtulerat, ipſe verò ſanctos veteris teſtamenti, & duces, & reges, & patriarchas, & prophetas populi, licet non pœnaliter tenebat incluſos. Innumeros verò ex omni populo pœnaliter, nec per Chriſtum eruendos detinebat intruſos, hoc peragere antiqua & practica malitia ſuggens, effigiem aſſumpſit, qualem cognoſcebat hunc myſterio convenire. Dum enim tentati fuerunt primi parentes atque decepti, procuratum fuit à diabolo in forma ſerpentis, qui erat callidior cunctis animantibus, non tamen callidior homine: homo verò alius nondum erat, quem ad tentandum potuiſſet abſumere : alterum per alterum non debebat primo congreſſu decipere, ſcilicet aſſumendo unius effigiem ad deceptionem alterius. Cognoſcebant ſe mutuò, & tertium deinceps ſciebant hominem non eſſe creatum, proinde facilè machinamentum diaboli fuiſſet detectum. Sed tempore, quo diabolus Chriſtum tentaturus advenit, orbis terrarum pollebat multitudine hominum, & famoſorum in omni facultate doctrinæ. Adhuc autem & philoſophantes deſerta petebant & inhabitabant, ad ſubtiliorem ſpeculationem eorum, quæ volebant in aſtris, & rerum natura conquirere. Proinde qui acceſſit, effigiem aſſumpſit humanam, ſub eo reſpectu præeminentiæ, qua homo animalibus omnibus antefertur. Et erat effigies, non veterani hominis, decrepitæque ætatis, ne crederetur delirus : non adoleſcentis, ne ſciolus aut inexpertus haberetur, ſed effigiem grandævi hominis, mediocris ætatis, modeſtorum morum, multæ peritiæ, magnæ eloquentiæ : qui non ſtatim verbum tentationis emiſit, ſed velut tentator verba præmiſit, quæ nullus Evangeliſtarum ponit, & intantum in talibus præmiſſis ſunt multa & varia verba præmiſſa, ut ex parte diaboli conditionalis locutio ſequeretur, ut ſcire poſſet, quod per eum potiſſimè quærebatur. *Si Filius DEI es, dic ut lapides iſti panes fiant.* Sed ante verborum declarationem, tempus adventus diabolici prænotemus. Peracto quadrigato jejunio, & fame advocata, quam diabolo innoteſcere voluit, ipſe tentator advenit, cavens omnino tempus nocturnum, ne reputaretur phantaſma, vel fallax aut latibulus prædo. Diurno ſiquidem tempore voluit inire congreſſum, prævidebat enim eum eſſe ſolertiſſimum virorum, & ſciebat, quòd eum nullum adhuc poterat maculare delictum, & omne peccatum abſtabat ab actibus ejus, & timebat reprehendi ab ipſo in aſtutia ſua per ſapientiam ejus, nec ad tentandum multum tempus appoſuit, ſed quaſimodico præparativo, fecit omne machinamentum ejus. Sicut primorum parentum maleſuaſor brevi hora perfecit exitium, ſic iſte credidit hunc hominem tentationis bello conflige : ſed reluctationem accepit, & protenſa parumper mora, ſed tamen eodem die trinam tentationem perfecit. Nec, ut quidam malè ſuſpicantur, ante acceſſerat : aut acceſſit iterum in deſerto, nec niſi trinam tentationem, ut Evangeliſtæ tradunt ingeſſit. Sed mirum atque ſtupendum hunc dialogum, audire omnem aſtutiam, cum omni ſapientia conveniſſe : iniquitatem cum juſtitia : machinatorem mortis cum largitore vitæ : proditorem cum veritate : damnatum cum Salvatore : Belial & Chriſtum, inter quos nulla eſt conventio. Exploravitè diabolus loquitur, cùm conditionem appoſuit, Si. Hujus verò dialogi declaratio ſpectat, ubi de verbis agitur Salvatoris : expedit enim ordinem Gen. 3.

ſervare ſuſceptum. Suſtinuit tamen paſſionem Dominus noſter Jeſus Chriſtus per patientiam, qua omnes expedit in tentationibus præornari. Profectò impatientia in tentationibus eſt ruina tentati, quamvis in id, de quo tentatur, non ruat. Non expedit animæ tentationes impatienter ſuſcipere. Frangit ſanè impatientia mentes, ſed velut agonem coronarum conciliativum oportet ingredi tentationis examen, & cognoſcere divinam providentiam ad nos inclinatam, ut inviſibiliter ab inviſibilibus hoſtibus inculpatè probati, probati verò coronemur in caſtris triumphalibus magni regis. Adhibuit ſapientiam in tentatione vincenda Salvator: Etenim ſcriptura ſe tuebatur dolis non eſſe præſtandum aſſenſum. Ipſa quidem ſcriptura maxima pars eſt tutelæ: ſi anima in illam perfectè direxerit intuitum, voto ſe firmans directionibus ejus, invenitur plenè in illa, unde omnis tentatio vincitur. In David autem figurabatur, qui
1. Reg. 14. ſtetit in deſerto Engaddi. Engaddi oculus tentationis interpretatur. Oculatus erat Jeſus adverſus diabolum. Oculatum oportet eſſe tentatum adverſus eum, qui tentat, ut perſpicaciter videat, unde reſiſtat, ne ipſe velut cæcus ad objecta ſuccumbat. Sed attende profundiſſimam humilitatem Domini Salvatoris. Scripturarum documento atque doctrina, non potentia voluit reprimere tentatorem, monefaciens nos, ut eodem ſchemate reluctemur. Reſiſtentiæ peltam accipiens in nullo præſtavit aſſenſum. Sed cùm paternum honorem defogare diabolus aſpiraſſet, ut ad orationem ſoli Deo competentem, ad ſe convertere niteretur: digna, qua meruit, fuit repulſione damnatus. Quo depulſo, ſtatim ſecutum eſt miniſterium angelorum: nobis omnino ignorantibus, in quo erat. Neſcimus ſi corporaliter ad cibum, aut aliquid aliud, aut ſpiritualiter miniſtrabant. Sed crediderim in miniſterium laudum & glorificationum & adorationum & competentium omnium regi regum pro triumpho duelli, quem de hoſte tenebroſo ſuſceperat, ad noſtram animationem prærogatum exemplum, ut ſi dæmones vincimus, ſocios angelos habeamus. Ad per hoc omnium doctor Chriſtus, qui veram & inefallibilem & ſurſum ferentem docet hominem ſcientiam, & ſpiritualis itineris in ſe, per ſe, à ſe, propter ſe ponere greſſus novit: in iſto deſerto nos inſtruit, ad quod ducatu Sancti Spiritus ut homo acceſſit, eruditos nos, ut non humano ſenſu, ac propria regulatione ad agenda feramur, ſed ad lumen & directionem Spiritus Sancti, qui datus eſt multipliciter & variè, differenter & myſticè unus exiſtens, diverſimodè faciens: & extra mundum & omnem amœnitatem & conſolationem corporis, & compaſſionem fieri veros ſequaces docuit, cùm ſolus abiit in deſertum. In quo prærogavit nobis exemplum orationum, vigiliarum, meditationum, contemplationum, ſegregationum, pugnarum & ad tentationem præparavit ſuo exemplo voluntarios ſectatores. Sed noſtri capitis & victoriſſimi ducis tentatione inſpecta, noſtras prout fieri aſſolet, parumper inveſtigatione infima perſcrutemur. Nempe lux fidei noſtræ univerſa perluſtrat, & bona & mala perquirit. Illa, ut agat, iſta ut caveat. Sed, mala priusquam fiant, præcedit plerunque tentatio atque deordinatio interioris hominis: idcirco mali mentalis aut actualis aditum, initium & proceſſum ad evitandum Chriſtiana conſideratione tangamus.

Cap. V.

De diverſa & multiplici tentatione.

TEntatio evenit plerunque naſcentibus poſteris, ſicut fuit in parentibus primis, ſed non eſt in poteſtate noſtra cùm fit, nec poteſt eſſe noſtræ virtutis, quòd non fiat, ſed noſtrum eſt præbere, vel non præſtare conſenſum, quæ cùm fit, & reſiſtitur, non ad culpam & pœnam, ſed potius aſcribitur ad victoriam, & coronam. Et quia dæmonis eſt tentare, noſtrum eſt reſiſtere: facit diabolus, quod in ſe eſt, & nos quod noſtrum eſt, faciamus: qui propter ſuam improbitatem & impudentiam tempus ad tentationem vacuum non prætermittit, niſi ut pacem prætendat, & ſecurius hominem incautum ex pace invadit. Aut cùm quempiam qualificaverit vitiis & ſuperbia replerverit, quem tentare non oportebit, quia ille ſeipſum tentat, ſeipſum impugnat, ſibiipſi blanditur in malum: ipſemet ſibi laqueum parat, ſeipſum confodit, per ſeipſum ad cadendum abſque impulſore ſufficiens eſt, imo deficiens.

Sed

Sed poſt tentationem, ſi non reſiſtitur, ſequitur cogitatio cum aliquali decurſu temporis, quæ leve peccatum eſt, aut nullum, ſi cogitatio fit, ut peccato adverſetur. Poſtmodum ſequitur delectatio, quæ vel erit citra conſenſum, & tunc erit veniale malum : Aut erit moroſa etiam abſque conſenſu, cùm quis vult in cogitationibus carnalibus delectari, ſed non conſentire in actum, & hæc inter mortalia deputanda: Aut erit cum conſenſu, & tunc erit peccatum mortale, ſi de his inſurgit & perficitur, quæ de ſuo genere mortalia ſunt. Poſt conſenſum verò devenitur in opus, ſi habilitas caderet, & tempus & locus. Ergo peccatum actuale, in ordine tentationis originem trahit à libera volùntate uniuſcujuſque per ſuggeſtionem, delectationem, conſenſum, & operationem, ſecundùm illud Jacobi : Unuſquiſque tentatur à ſua concupiſcentia abſtractus & illectus. Deinde cùm concupiſcentia carnis conceperit, parit peccatum : Peccatum autem, cùm conſummatum fuerit, generat mortem. Nec etiam hoſtis antiquus de aliquo vitio tentare deſiſtit, qui non dormit, niſi ſupplantet. Et vices tentationum variat multipliciter, ut decipiat, quod ſi non in omnibus, ſaltem in aliquo vincat. Tentat quippe initium faciens, ut aut per averſionem à creatore ad infima convertamur: Aut per converſionem ad creaturam, ab eo, qui nos condidit, avertamur. Quod verò iſtorum prius, aut poſterius ſit in anima, durum eſt diffinire. Nos verò dicimus velut generationem & corruptionem ſimul fieri circa idem : Quia ſi confinia vitiorum ſunt virtutes, virtutum autem termini aliena vitia exiſtunt: Non ergo erit ab uno egreſſus, quin ipſo inſtanti, ad alia fiet ingreſſus : Nec fiet ingreſſus ad alia, niſi ab aliis ſubitus ſit egreſſus. Sed ſi fidei myſterium inducimus, quæ dicuntur, clarius patent : Quia ſicut in eo, qui baptizatur, de Filio iræ, gratiæ perficitur Filius, eodemque momento, cùm Filius efficitur gratiæ, ab ira paterna egreditur. Ac per hoc non eſt intelligendum, quod ſi virtuoſus actus ex diſcretione, aut ex mandato, ſeu neceſſitate interdum intermittitur, quòd virtus dilata ex animo relinquatur. Nec credendum, quòd per improvidam negligentiam ſeu triſtitiam, aut incautelam & ſomnolentiam & ſimilia, ſeu per incuriam venialium peccatorum egrediatur quis à Deo, & ad creaturam convertatur ipſo ſpreto, ſi virtus & amor ejus teneatur in animo. Progreditur ultra tentatio, ut bonum aliquid non fiat, quam repellit mortis feſtinantis memoria, prompta ſolicitudo bonorum ſanctorum, non impeditus amor. Sedi ſuccumbunt in iſtis improbi tentatores, aliam inferunt acriorem, ut ſi bonum quis facere diſponit, ſaltem minoris boni electio in agendo valeſcat, melioris electione abjecta, cui vera & ſumma diſcretio adverſatur, & deſiderium majoris approximationis ad Deum omnium regum regem, quod morali æmulatione terrenos multes, ad terrenos reges videmus inſiſtere, ut unuſquiſque velit eſſe propinquior. Quod cùm in iſta prævalere non poſſint, ſuggeritur ex tentatione, ut bonum fiat judicio proprio, ſanioni conſilio refutato, quam debellant timores, aut obedientia charitatis, exempla ſanctorum vitam in veritate agentium Chriſtianam, conſilia & teſtimonia ſcripturarum. Cùm verò agoniſta Chriſtianus ex victoria ſuprafatum agonem perfecerit, ad inanem gloriam & illcrilem laudem ſe convertunt inviſibiles tentatores, & aptos actibus ſuis inveniunt inviſibiles laudatores, ut parta in pelago, in portu laudibus mergant, & onuſtam ex ſanctis laboribus navem, beatificando amniam omnia bene feciſſe, ad profunda perditionis deducant, quam Apoſtoli ſententia reprimit, cum dicit: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis tanquam ex nobis, multo minus & facere : Sed omnis ſufficientia noſtra, ex Deo eſt. Et Salvatoris ſententia confundit, quando dicit : Cùm omnia beneficeritis, dicite: Servi inutiles ſumus. Necnon altitudo Dei & dignitas magnificentiæ ſuæ, cui ſuſpirando ſervimus, omnino dignè ſervire non poſſumus, apud quem ſecundùm Iſaiam, velut pannus menſtruatæ, ſunt noſtræ reputatæ juſtitiæ. Quod enim creatura ex condigno reſpondebit altiſſimo ? Magnitudo autem promiſſi præmii (quia ſecundùm Apoſtolum non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis) virtutumque conſiderata proprietas, quam implere nequimus, à tali vana tentatione nos liberabit, necnon ſanctorum altiſſimorum vita proſpecta te permittet extolli de perfectione virtutum. Horum enim conſideratio ſedula, quampiam animam in terminos nihilitatis, & nullius operationis includit, ut ſibi nihil feciſſe videatur, & quod fecit, magis iniquitas ſibi quàm æquitas apparebit. Tentant inquieti ſibi & nobis improbi dæmones de omni vitio ſpirituali, ut ad quandam infidelitatem ſeu dubietatem myſteriorum Chriſti animam inducant, ſcilicet incarnationis, nativitatis, converſationis, paſſionis, mortis, ſepulturæ, re-

Jacobi, 1.

2. Cor. 3.

Lucæ. 17.

Iſaiæ. 64.

Roma. 6.

ſurrectionis, aſcenſionis, repromiſſionis æternæ, ſimiliter ſacramentorum, maximè corporis Chriſti dubium inferre conantur: Immunditiam in Chriſto, in Virgine matre importunè plerunque menti noſtræ ſupponunt, ad blaſphemandum inducunt, & inconvenientia plura circa divina phantaſmate turbari faciunt mentem noſtram, & de ſpirituali ſuperbia & vana gloria, & ſimilibus mentem nefariè colaphizant, & de exterioribus vitiis à tentando propterea non quieſcunt, de quibus dearticulatim doctrinalis dabitur ſermo. Sed quia multoties per eorum improbitatem continuam, varietatem tentationum intantum mentem afficiunt, ut aperiatur in vitiis periculoſa tentatio, ut victimam faciant paſſioni, magis verò cuidam deſperationi, ut ipſemet diſcernere neſciat, ſi peccato ex tentatione negavit, aut præſtavit aſſenſum: Idcirco tali perplexitati dignum duxi humiliter, magis verò fideliter ſubvenire. Cùm enim tentano agitur in quocunque tentationis genere, ſive trahatur per ipſam contra divina, ſive ad humana & temporalia tentatio ipſa deſcendat, ſi diſplicentia & amaritudo adverſus ea, de quibus tentatio agitur, in corde firmiter teneatur, ut potius pœna eligeretur, quàm conſentiret, & mortis expectaretur ſupplicium, quàm deveniretur in actum: Nihil adeſſe periculi, nihil mali cauſa timeatur. Probat enim nos Deus, qui fidelis eſt ſecundùm Apoſtolum, nec nos ſupra id, quod poſſumus, tentari permittit, ſed facit cum tentatione proventum. Nam nec quomodolibet tentari, ſed aſſentire peccatum eſt. Proinde in quacunque perplexitate propter vehementiam tentationum perſiſtitur, non ad ipſam tentationem, aut ſuggeſta per dæmones, ſed ad voluntatis rectitudinem, & placitum recurratur, ut ipſa rectitudo ſeu ratio voluntaris placitum libramento ceu æquitatis examinet, ut ſciatur, quæ magis in placito ſunt, ſpiritualia ſeu corporalia, virtutes, vel vitia, divina vel humana, inviſibilia ſive viſibilia, potiora vel minora, ut, ſi mens digniora placido amore amplectitur, indigniora juſto judicio dedignatur, inſanam partem deflectatur judicium, ne credatur adeſſe infernale peccatum, pro eo quod naturalis ordo juſtitiæ, legis & gratiæ à tentato maculam non accepit. Si autem indigniora indebito amore perſtringit, perverſoque judicio potiora contemnit, in ſiniſtram partem declinet judicium, & peccatum adeſſe in foribus proteſtetur, quia ordini trium legum maculam tentatus injecit. Proinde multa intelligentia oportet intendere, ſi horum cupimus habere notitiam: Sed neque poſſumus, niſi de primis motibus illuſtremur, qui, ſi à pura natura & condita inſurgunt, peccatum non inferrunt: Quia neque à bona cauſa cauſatur & malum, neque percipiendo per naturam, & ſenſus, objectas extrinſecas qualitates peccatum admittimus, ſi naturalis ordo juſtitiæ non maculatur, & lex ſcripta prohibens inviolata ſervatur, & deſuper infuſa & data gratia cuſtoditur. Quis enim videndo, audiendo, guſtando, olfaciendo, tangendo, loquendo, tacendo, quieſcendo, operando, cogitando, imaginando, naturaliter peccavit aliquando, niſi quia ordinem naturalis juſtitiæ pervertit, legem ſcriptam non cuſtodivit, & gratiæ fecit deſpectionem? Sed plerunque inſurgunt in ſenſualitate à natura corrupta motus illiciti, qui ſi ſtatim alliduntur ad petram, peccatum non cauſant, cùm noſtræ poteſtatis non ſit avertere, ne inſurgant: Sed cùm inſurrexerint, ne procedant, noſtri eſt arbitrii & poteſtatis: Qui ſi ſtatim repreſſi non fuerint à corrupta natura & ſenſualitate habentes initium, etiamſi non progrediatur ulterius, genarant veniale peccatum: Quia non ſtatim prohibuit malum, quod debuit prohibere liberæ voluntatis dominium: Et ſaltem accedit aliquantilla delectatio & cauſatura, unde pejoratur & vilificatur anima, ſicut per acceſſum ad Deum, & delectationem in ipſo, melior facta fuiſſet atque nobilior: Procedentes verò ulterius non repreſſi, intantùm gravamur in culpa, in quantum naturæ, legis, & gratiæ confunditur debitus ordo.

1 Cor. 10.

Cap. VI.

Unde tentatio.

A Patre miſericordiarum, gratiarum, conſolationum & luminum, omnia oportuna nobis ab ejus æterno filio, & tempore fratre noſtro docemur expetere, ut etiam à tentatione cuſtodiat. Non autem eſt timenda tentatio, ſed caſus in illam: Nec orandum eſt contra ipſam, ne eveniat, ſed ne decipiat, aut involat cùm venerit. Ipſe ſalvator, qui docuit ſic orare, in ſeipſo ante fuerat

fuerat expertus tentationes ſatanicas: Factus jam in experientia humanorum, quibus in carne ſuccubuit, nunquam autem animo ſuperatus, aut per moleſtiam motus, excepto quòd pro nobis aſſumpſit triſtitiam. Præactum eſt in capite, quod diffundendum erat in corpora, ut fideles ejus tentationis pondera paterentur, non ad ſubverſionem, ſed ad probationem moleſtioris agonis, ut poſt victoriam pretioſior corona in victoris capite poneretur. Si verò tentatio ex vehementia quempiam ſubvertit, aut ante ne ſubverteret, humiter non fuit oratum, aut talis ſuperbia in anima inſidebat, quæ per caſum tentationis propellenda erat. Multis quidem alta ſapientibus, & de ſe præſumentibus inductio permiſſiva in tentationem profuit ad virtutem, ut dirigeret in ſalutem. Sæpe verò ipſa tentatio tentati, demerito cognito vel occulto deduxit in caſum, & caſus in æternum ſupplicium deduxit cadentem. Ac per hoc filius Dei divinè atque humanè homines docens edixit à patre petere, non ne tentemur, ſed ne in tentationis barathrum demergamur. Inductio in tentationem, quam petimus devitare, eſt in illum malum ſeu mali finem devenire, prout improbus tentator intendit. Eſt autem de formibus & difformiter ſæpe aut aliquando immiſſa tentatio: Non tamen omnis eſt inductio devitanda, ſed illius, qui ex principio, & medio, & fine perperam agit. Nam tentat Deus, ut probet virtutem, probatamque coronet, ut tentavit Abraham in fide, ſpe, & charitate, cùm offerre juberet filium in uno montium ſibi oſtenſo in ſacrificio mortuum. Intendebat quidem Deus non aliquid mali, ſed in ipſo probare virtutes fide: Quia cùm Iſaac eſſet filius repromiſſionis, in quo multiplicatio erat futura gentium, non eſt menſe aut Verbo adverſatus offerre illum juxta mandatum, nec hæſitavit quomodo multiplicatio gentium oriretur. Contraria porro erant, quia ex Iſaac multiplicaretur gentes, & quia in monte mortuus litaretur. Nec obſtat quia in ſemine quod erat Chriſtus, in Figura talia dicebantur, quin Deus voluerit Abraham in fide tentare, ita & in ſpe propter cœleſtia capeſſenda, contemptu terreſtrium, in charitate cùm filium, in quem totus paternus amor diffunditur, divinæ juſſioni poſtpoſuit, amplius diligens Deum. At per hoc, cùm Deus tentat, non eſt petendum, ne in illam fiat inductio, cùm tentet ad probationem virtutis, ſicut ſcriptum eſt: Si ſurrexerit in medio tui prophetes, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atque portentum, & evenerit, quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alienos, quos ignoras, & ſerviamus eis: Non audies Verba prophetis illius aut ſomniatoris, quia tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligitis eum aut non in toto corde, & in tota anima veſtra. Nunquam ad perperam agere vel ſentire tentavit aut tentat amator omnium Deus, quod Jacobus Chriſti Apoſtolus aſſeverat, promittens in tentatione beatitudinem ſufferentis. Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Nemo enim cùm tentatur dicat, quia à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt, ipſe enim neminem tentat, videlicet ad ſubverſionem. Unuſquiſque enim tentatur à ſua concupiſcentia abſtractus & illectus. Itaque contra inductionem in tentationem propriæ concupiſcentiæ, coram æterno patre perſeverandum eſt contra Satanam, de qua ſcriptum eſt: Nolite fraudare invicem, ſed revertimini in idipſum, ne tentet vos Satanas per incontinentiam veſtram. Et Petrus Ananiæ dixit: Cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto, & fraudari de pretio agri? Huic quidem contra caſum in tentationem hujuſcemodi orandum eſt. Non autem permittit Deus tentari aliquem ſupra poſſe in ſuperna: Quoniam non coronabitur, niſi qui legitimè certaverit: Certamen verò, ſine tentationum bello non geritur.

Deut. 13.

Cap. VII.

De vocatione diſcipulorum, & præcipitatione Domini JEſu in Nazareth, & de aſcenſu in montem.

PEracta mora deſerti, & pugna & victoria Salvatoris JEſu in virtute Spiritus Sancti, in cujus ducatu acceſſerat atque intraverat deſertum: Egreſſus eſt de deſerto, & venit in Galilæam, & vocavit diſcipulos quos elegerat, ante quorum conſpectum facturus erat, atque dicturus, ut omnibus poſt mortem ejus & aſcenſionem teſtificarentur in orbe terratum ſe vidiſſe & audiviſſe, quæ fecerat,

Matth. 4.

& dixerat, JEſus Filius Dei pro nobis in aſſumpta carne docebat & prædicabat in Synagogis Galilææ. Cùm verò docuiſſet in Nazareth, ibi (prima injuria ex Evangelio
Luca. 4. collecta) extitit propulſatus. *Nam ejectus eſt extra civitatem, & ad præcipitandum eum ductus eſt ſupra montem. Ipſe verò tranſiens per medium illorum ibat.* Exemplo Salvator patientiam docet, & tanto majorem, quanto à propinquis & notis, & propriis civibus injuria irrogatur: Adverſus quos JEſus non Verbis aut actionibus pugnavit, ſed declinando eorum avertit furorem. Nam adverſus impetuoſos contendere Verbis eſt excitare furorem & iram, quæ fortè quieſceret, magis excitata repenſis. Poſitus ignis agitatus à flatu, erumpit in flammam, & ſæpe inemendabile facit incendium. Iræ ignis in corde viri à flatu aliorum verborum, conmotus proſiliet in malum. Proinde omnino melius eſt ſilentium, quod & Salvator fecit, qui nunquam fuit niſi neceſſitate locutus. Non ſolùm prudentem virum decet non contendere Verbis, ſed ſe ſubtrahere ab aſpectu irati, ut ſibi medearis & tibi: Sibi ne ptolabatur in animæ malum, tibi pro-
Matth. 4. pter parvale periculum. Ad hoc etiam refertur, quia audita captione Joannis, reliquit Nazareth, & ſeceſſit in Galilæam in Capharnaum maritimam, in finibus terræ Zabulon & Nephtali. In quo magno ſacramento morum nos docuit, quòd excitata perſecutione, ſi quis involui timet fugiat, dummodo fidei periculum non re-
Matth. 10. linquat. Et prærogavit exemplum eorum, quæ dicturus eſt Apoſtolis: Si perſecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam: Quod ipſe non timore, ſed exemplo perfecit. Et cùm propter miraculorum multitudinem, & doctrinæ ſuavitatem, à turbarum multitudine circumdaretur: Iterum deſerti cultor abiit in deſertum, ut etiam poſt utilitatem proximorum in id, quod orationis & contemplationis eſt, fiat non impeditus regreſſus. Bonum enim eſt, imo expediens agoniſtæ perito, redire ad ſeipſum, & frui ſeipſo, & intendere in præoccupato animo in divina, & experens à Deo quæ ad ducatum & profectum expediant proximorum, & quos inſtruxit in præſentiarum doctrina, juvet oratione ſecreta, ut capiant, & Verba divina non effundantur incaſſum. Oratorem expedit eſſe bene docere volentem, nec expedit ſæpe videre, quos docet, aut nimia familiaritate conſtringi, ne doctrina vileſcat. Rarus fiat non ex ſuperbia, ſed ex diſpenſatione ob eauſam amplioris profectus. Sed Væ! nihi & pluribus, qui unum cum auditoribus facti ſumus, ut ex nimia participatione ad eos aufugerit reverentia, perverſa ſit introducta ſecuritas, & habita ſit vilis altiſſima Chriſti doctrina, ut Evangelium, quod eſt divinum, ex iſto partieipio tam frequenti videatur humanum. Deſertus enim locus, & in doctrina uberiores attulit fructus. Norma ergo ſit nobis quod fecit doctor JEſus. Nam ex fuga deſiderium audientium auxit, ut uſque ad deſertum turbæ venirent ad requirendum. Optimum eſſet ad doctrinam requiri. Præſumptio ſæpeſe ingerere non quæſitum. Et ubi Doctor requiritur, auiditas eſt audientium ſive turbarum: Cùm audientes quæruntur, præſumptio eſt doctorum: Et qui ſemper volunt docere, volunt ſemper ignorantes habere. Sed iterum tertio relictis turbis abiit in deſertum, & orabat. Anima quieta, ſemper loca quieta requirit: Et orationis auida, ſecedit à turbis. Quæ Deo vacare diſponit, niſi neceſſitate nunquam publicum quærit. Aues, beſtiæ, piſces, iterant vias ad loca, in quibus ex ſolito eſcas aptas inveniunt: Et animæ theocolæ ubi orationes impræpeditas mentales atque vocales emittunt. Paſtus animæ, irrecurvata oratio. Sæpe Deus de cœlo ſupernaturaliter animas paſcit. Aſſuefactæ aves ad eſcam, regrediuntur ad eam, & animæ ad orationis cibum. Proinde adhuc *in montem aſcendit, & erat pernoctans in oratione Dei.* Aſcenſus in montem, elevatio à terrenis, & approximatio mentis ad Deum: Quamvis omnis proximatio ad Deum, non in virtute aſcendentis ſit, ſed deſcendentis benignitate peragitur. Aſcendebat Moyſes in montem, ſed nec ultra poterat progredi. Sed Deus ſuo modo per ſubjectam creaturam deſcendebat, & mutuò fiebat alloquium & tractatio divinorum. Præfinitus eſt animæ terminus progreſſionis ſuæ, ultra quem non eſt conari. Deus verò proportionatur nobis. Ipſe deſcendit ultra quem terminum anima nequit aſcendere, per id quod à natura ſuſcepit, aut per id quod à natura acquiſivit. Quantum autem Deus & uſque quo poſſit animam trahere, nemo novit, niſi qui trahit. Aſcenſus montis ab impedimentis eſt elongatio. Aſcenſus montis, ſegregata in altitudine vita. Aſcenſus montis, ſuperlatus in virtutibus mos. Aſcenſus montis, gradatio ad potiora. Aſcenſus montis, diminutio prodeundi, arctantur enim in eacumine montes. Aſcenſus montis, ſupra ſeipſum fieri. Aſcenſus montis, cauſam ſupponit, participium enim lucis magis quàm in vallibus datur. Salomon dicit: Tripliciter ſol exurens montes: In re-

ceſſu

ceſſu auroræ, meridie atque veſperi. Valles in meridie atque ſerò non habent. Si quis in montem intellectualem, ſtatum ſcilicet virtutis aſcenderit, à veritate illuminabitur in principio, medio atque fine, ut etiam omnium actuum ſuorum omnem conſiſtentiam videat. Oratur melius in monte, ab æqualitate vallium ſive planitierum elevato, quàm cum communitate, multorum. Proinde JEſus in monte pernoctabat in oratione Dei. Multi ad orandum pernoctant, ſed non peragunt orationem Dei. Si quis in oratione aliud quàm ipſum, quem oramus Deum poſtulavit, non fecit orationem Dei, ſed ejus, quod voluit præter Deum. Oratio Dei agitur abſque medio. Per ſeipſum acceſſit, qui Deum oravit. Acceſſit quis ad principem, & frequentavit januas ejus, orans, ut pro eo interpellaret ad regem. Alius ſumpſit audaciam, clamavit præ foribus, urgebat eum neceſſitas, nec appoſuit medium, non credebat, quòd alius ut erat, explicaret deſiderium ejus. Bona eſt oratio ad Angelos, nulla melior, quàm quæ immediatè fertur in Deum. Oratio ad Deum indeterminata eſt, magis verò indiſtincta. Nihil omnino habet determinare atque diſtinguere, immediatè Deum orans in altitudine virtutis & cordis. Nihil ab eo petendum, niſi quod ab æterno dare prænoverit. Et quanquam in oratione dominica multa determinata & diſtincta ſcriptura commemoret, ſicut in vocibus cantat eccleſia, etiam referenda ſunt omnino in voluntatem ejus: Plura enim novit, quàm dixerit. Intellectualiter orans in monte intelligentiæ, ſeptem orationis Verba reflexit in unum, & omnia extra illa revocavit ad unum, ad effectum, ſcilicet inculpatum voluntatis ejus. Iſta eſt oratio Chriſti, nec aliter invenimus ſuas concluſiſſe preces. Intellectualis orans communionem cum Angelis habet homo. Angeli verò non variantur in volitis, hoc volunt, hoc petunt, quod noſcunt velle omnia juſtè volentem. Pernox in oratione Dei Chriſtus erat ut homo. In monte plenius id agebat, quod hominis erat excelſi, nihil ad terrena recurvatum habens. Homo erat, & extra hominem exteriorem erat oratio. Non enim orabat ex forma viſibili, ſed inviſibili, quamvis ad animam coaptaretur corpus. Nec orabat ex altiſſimo extremo & ineffabili, quod Deus erat, ſed ex medio, quod animam habebat mediator: Et ex medio perficiebat orationem, quæ in omnibus & ex omnibus erat Dei. Noſtra igitur inviſibilis & inſenſibilis interior ſit in omnibus Dei exiſtens, ut ab ipſo gratiam orandi accipientes, oremus ipſum, petamus ipſum, ex ipſo, in ipſo, & propter ipſum, & decentia ipſi cum ipſo, ut Dei ſit oratio, quia ab ipſo eſt virtus, ipſe interpellatur, ipſe ſit bonum, quod petitur. Et hoc eſt ineffabile atque inviſibile ſacramentum, ut qui rogatur, ſeipſum velit dare roganti. Porro qui in omni loco & tempore, intentione, ſermone & opere Deo fuerit conjunctus, pernoctavit in monte & oratione Dei: Quoniam qui ex his omnibus adhæret Deo, unus Spiritus cum Deo, ſolum quæ Dei ſunt orat & vult. Amorum atque voluntatum conjunctio expulſio eſt diverſorum atque contrariorum, ubi horum facta eſt exultatio, quod eſt Dei voluntatis, eſt & hominis: Quod eſt hominis, ſimiliter eſt Dei. Et facta eſt tota vigilia in oratione Dei. *Et cùm audiret Herodes famam JEſu, ipſe verò ſciens, fecit receſſum iterum in deſertum Bethſaida.* Marci. 6. Frequentabat deſertum JEſus verbum & converſationem ab hominibus interdum avertens, nobis exemplum dans, quid agendum. Reſpiratio mentis eſt ſolitudo deſerti, ubi congregantur diſperſiones inviſibilis Iſrael. Et frequens Chriſti repetitio, quàm ſit bonum ſolitarium fieri præoſtendit, quod Marcus hoc idem verbis perſpicationibus refert pro altiori myſterio agendorum. *Et cùm nuntiatum ſuiſſet JEſu de morte Joannis atque ſepultura, dixit Apoſtolis nuntiantibus: Venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite pusillum.* Ibidem. Seorſum vocat ſuos Apoſtolos Chriſtus mente & moribus à mundanis. Seorſum ab hominibus omnibus conceptus & natus eſt, quamvis homo ſuper omnes homines erat, & diſcipulos ſuos invitat ad vivendum à communiter malè viventibus omnino ſeorſum. Seorſum, non in domibus civitatum, non in domibus regum, non in aulis procerum mundi, non in mœniis, non in muratis palatiis, cùm obliquatis feneſtris, & laqueariis cypreſſinis, non in domibus æſtivalibus, aut hyemalibus cameris. Sed quo? Seorſum, in deſertum videlicet locum. Cultores oportebat eſſe primo deſerti, ac ejus amœnitate illecti, & ſpecioſitate decori, qui mundi amœnitatibus debebant prædicare contraria, & malè decoro mundo in perniciem animarum ad ipſarum ſalutem obviatum erant vita, moribus & doctrina per Spiritus Sancti audaciam ex adverſo. Deſpectos corpore, ripoſa veſte, illota facie, inculta cæſarie, cultores deſerti, contemptores mundi eſſe decebat, qui delicioſo mundo prævii erant, in altitudine fidei, atque virtutum dare tempore præfinito conflictum.

flictum. Non expedit hominem primo amicum fieri ejus, quem apertè debellare disponit: Nec decet retinere, quæ profanare intendit. Nullus ità desipiens, ut domum habitaret, quam ruinæ conspiceret esse vicinam, aut ipse libenter disponeret ad ruinam. Adversaturi erant Apostoli toti mundo, unde non incolas mundi, sed deserti accolas primò esse decebat. Sed ad majorem admirationem omnium subvehit, cùm Salvator adjecit: *Et requiescite pusillum.* Ubi requies? In deserto. Ubi pax? In deserto. Ubi tranquillitas? In deserto. Ubi absconsi à contradictione hominum? In deserto. Ubi refugium à maledictione linguarum? In deserto. Ubi quiescit petulans oculus? Ubi auris ab ineptis clamoribus pausat? In deserto. Ubi aëris quiescit flabellum? In deserto. Ubi gustus non solicitus redditur? In deserto. Ubi varia & sterilis ambularis cessat? In deserto. Ubi homo cum seipso potest habere colloquium? In deserto. Requiescamus ergo nos invitante Domino paululum in deserto. Requiescere in deserto, cessare ab impertinentibus actionibus mundi est, & quietem possidere in animo, in omnibus abdicationibus ejus, & gratiam hominum perdere, ascribere imperturbabilem pacem, & abdicatum fieri ab occasionibus malis, & ab his, quibus sensualitas allicitur atque delectabiliter præter necessitatem fovetur, est quies Sancta deserti. Quiescere prius volebat Dei Filius in deserto, ut Apostolos, quos in inquieto mundo missurus erat, invitaret ad requiem. Conveniens penitus erat, ut experimentò sentirent, quàm bona foret quies rationalis animæ, quàm dulcis contemplatio divinorum, quàm jucundum secretum ab hominibus & à mundi negotiis fieri, qui à mundo disponebantur avellere amœnitatum amatores. Nec Christus eos præter se misit ad requiescendum pusillum in deserto, sed ad ipsam quietem simul cum ipso vocavit. Non enim esset sine Christo quies debita in deserto, cum ipso verò ubique noscitur quies. Non locus asper, non hispidus tectus, non marina procella, non terræmotus, non aura contumpens, non subito fulmen, non extemplo contrarium inquietudinem dabit, si anima cum Christo quiescit. Cum Christo quiescere in deserto terminatio est amoris. Et audiuntur à sponso cuncta, ut quiescat dilecta quousque ipsa velit. Fluctuat omnis amor, nisi quiescat in Christo. In tempestatibus sunt desideria, nisi terminentur in ipso. Quocunque se anima verterit pungentes sentit aculeos, laborat pedibus fossis, spineam portat coronam, terror semper in auribus ejus, in pace insidias patitur: Omnis regio generat sibi tempestatem, nisi cum Christo requieverit in deserto. Desertum quietis cum Christo intellige, cùm inter ipsum, & animam, nullus admiscetur extraneus: Nec ad aliquid afficitur anima, nisi ad quod movetur assentire, qui ad secum quiescendum invitat. Iterum compellit transfretare discipulos post refectionem quinque panum; turba dimissa ascendit in montem solus orare. Ascensus montis, invisibilem dicit profectum & arduitatem boni: Non ut Christus virtutibus crescret, nam ab instanti conceptionis divinorum charismatum habuit plenitudinem, sed nobis pandebat iter solus ascendens. Verè solus erat, nullus ei similis erat in cœlo & in terra. Singularis erat, non enim præcesserat ejus exemplum, neque ratio factorum ejus. In turbis solus erat, in solitudine solus erat, in omnibus operibus solus erat, propter ineffabiles rationes. In vita solus erat. Propheta hoc ex sua persona dixerat: Singulariter sum ego donec transeam. In passione & morte solus ad effectum ejus pro qua patiebatur pœnas & mortem. Ipse verò per Prophetam de seipso prædixerat: Torcular calcavi solus. In cœlo solus est non à societate assistentium, sed nobilitate regnandi: Nunc in monte pro nobis in remedium & exemplum solus orans erat, sed nec in omnibus his à patre & Spiritu Sancto solum esse intelligas. Hujus ascensus causam, Joannes Evangelista præsupponit, cùm post miraculum quinque panum nosset JEsus ad rapiendum eum turbam esse venturam, ut ipsum faceret super se regem. Sed in hac declaratione, omisso quòd rex erat regum & Dominus dominantium: Quid etiam aliter eorum mentes avertere poterat, etiam aliter declinare. Ad prærogandum nobis devitationis & melioris electionis exemplum iterum fugit in montem solus, ut sinuans nobis meliorem fore altitudinem solitariæ contemplationis, & non præpeditæ vocationis ad Deum, quam regale solium ascendere, atque regnare cum multis, & fieri turbidum inter turbines, & inter inquietudines non quietum. Quærunt homines potentiam, sed nulla major in hac vita, quàm per contemplationem & vacationem expeditam ad Deum sibi adhærere. Nam qui adhæret Deo, unus Spiritus est cum eo. Et quid est, quod posse debeat, & non possit, qui adhæret ei, qui omnia potest. Multitudinem quærunt homines, & circundari à turba

Marci. 6. Matth. 14.

Isaiæ. 63.

Psal. 104.

turba in obſequium, & favorem, & in protectionem ab adverſis, ſed quamvis inviſibiliter, circumdantur tamen ab Angelorum exercitu, qui adhærent creatori domino, & Angelorum. Ipſe Deus profectò eſt, cui aſſiſtunt millia millium, & decies centena millia miniſtrant ei, & adhærentibus ei ad obſequium expediens, & ad protectionem à malis. Geniculant homines regibus, & Angeli honorant quos expectant concives, & Chriſtum verentur, & myſticum corpus ejus, & ſingulatim omnia membra ejus. Sapientia opus eſt populis velle præeſſe, & ipſa ornatum fieri eſt optima virtus: Sed nulla perſpicatior, quam per contemplationem placitam aſſiſtere creatori. In id enim tendit omnis veræ ſapientiæ pulchritudo, & nititur omnis effectus, ut ipſo per ſpeculationem mentis & contemplationem & amorem fruatur in via, quouſque fruatur æternaliter in ſuperna patria. Et ſi fano mentis intuitu contuemur incarnan Verbi mirabiles actiones, ſemper eligere docuit, quod plus utilitatis nobis poſſet conferre, & impetrare per orationis gratiam, quod non conceditur per naturam. Fugit igitur in montem JEſus, humanam gloriam, dignitatem terrenam dechnans, ut homo divinis theoriis ſolùm vacans, præponens omnibus viſibilibus interlucentem, & theoricam ſapientiam, quod & Salomon in libro ſapientiæ clamat, & ſuo exemplo invitavit animus, dicens: Optavi, & datus eſt mihi ſenſus: Invocavi, & venit in me Spiritus Sapientiæ, & præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi, in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretioſum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena exigua eſt. Et tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam, quoniam horum omnium Mater eſt, quam ſine fictione didici, & ſine invidia communico bonis illius, & honeſtatem non abſcondo. Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui uſi ſunt, facti ſunt participes amicitiæ Dei. Optare atque invocare ad orationem pertinent, quæ prævia eſt ad ſapientiam contemplationis, ſeu ad ſaporem ejus ubi guſtat intellectus infallibilem veritatem. Affectus ineffabilem atque amicabilem dulcedinem, ubi anima dignum judicat mori amori, regna, dignitates, divitiæ, lapides pretioſi, quælibet charitas mundana quantumlibet ſolida, aurum, quælibet alia ſapientia, argentum eloquentiæ, ſalus corporis, & pulchritudo, nihil ad eam: Quoniam ipſa inviſibiliter & inextinguibiter lucet, omnia bona confert, ſervat honoris ſtatum ſupra id, quod numerari poſſit, bonorum omnium Mater: Theſaurus, unde exhauritur numiſma, quo amici efficimur omnium regi regum. Si quæ omnium creator produxit in eſſe, conflarentur in unum, poſſe Dei amicum fieri, plus ſplendeſcit. Ex hoc Salvator terrena devitans, ad capeſcenda divina fugit in montem ſolus orans. Perſpicaciori mentis intuitu iſta contuentes, ſunt quidam proficientium, & aſcendentium gradus, non quia alii non ſint, ſed iſti ſic ordinantur. Primus animæ gradus, atque ſtatus, cùm in Dei via incipit ambulare, inferiorum & corporalium omnium eſt ſupergreſſio, & dominatio, ut anima regnet, regatque infenora ſua. Et qui carnem & omnem corporis motum lege juſtitiæ rexerit, regnum habet, & tenet: Extra quod nullum majus virtute, quamvis quantitatis lungior, & latior poſſit eſſe diffuſio, & præponetur iſta ſapientia regnis. Secundus eſt quies interioris hominis, in qua ſedet anima in ſede infallibilis rationis circumvallata ne cadat, nec inquietudinem patitur ab amoribus tetris. Tertius eſt, cùm aſcenderit altius, & virtutum copiam obtinuerit, & amotis corporeis, ſolùm virtutes & theſauros aperiet divinarum. Quartus eſt claritas hominis utriuſque, ut intus & extra ſit clarus aſcenſor, & ſoliditas ſit in vita, & pretium ſupra id, quod communiter agitur, reſplendeat, & lapis angulatis ſit in omnibus imitationis exemplum. Quintus eſt infrangibilis patientia, & impaſſibilitas animi acquiſita per tonſiones, ſudores atque labores, in omni fornace tribulationis, & amoris, & ſubtractionis divinorum charismatum, ut non deſinat agere, quod incœpit, qui aſcenſionem in curſu diſpoſuit. Sextus eſt claritas divini eloquii, & ſonus pertinens, & excitatio mentis, & ſulertia non præpedita, cùm argentea ruba clamat ad congregationem omnium virtutum ad bellum inviſibile, ad inviſibilia convivia, & ad divinas feſtivitates, quæ in ſenſum carnis non veniunt, maximè ut permutationes non fiant corporum & locorum & directionum, niſi ſonitu & clamore eloquii, aut infuſi præcepti ſive conſilii. Hæc quidem in Figura

Sapien. 7.

gura in tubis argenteis veteris teſtamenti agebantur, quæ divino præcepto, buccinæ ſunt factæ in directione veræ actionis & otii Sancti. Septimus, procuratio alienæ ſalutis. Octavus, morum inviſibilium & viſibilium pulchritudo, ut nihil appareat aut exiſtat reprehenſibile: Aſcendenrique videatur proprio ſtudio aliquid addere jam non poſſe, ut virtus nihil habeat, neque purgabile inveniat, quamvis ſentiat hoſtes inſidiantes, adverſùs quos occulta lucra non deſunt, & tunc tota erit ſpecioſiſſima, chariſſima. Sed ad hoc quis idoneus? Altior tamen eſt nonus, quem omnibus gliſcens ex animo præferebat, de quo nullus mihi ſermo. Ibi perditur, quidquid eſt humanum, quidquid comprehenſibilis rationis, ut nullus poſſit eſſe in exterioribus ſermo: Nec cùm talis exceſſus ceſſaverit, oſtenſorum poteſt eſſe oſtenſio. Primus eſt in regnis, ſecundus in ſedibus, tertius in divinis, quartus in lapide, quintus in auro, ſextus in argento, ut non attendatur metalli nobilitas, ſed ſignificatio, ſeptimus in ſalute, octavus in ſpecie, nonus in ſapientia, ex cujus theſauro perfectè conſtituirur amicitia creatoris. Quam ſapientiam, quæ ineffabilem atque incomparabilem amicitiam ſtatuit, non incongruè proceſſum incarnatæ ſapientiæ appellamus, ante quem (quanquam multos ex ſcriptura veteri amicos Dei noverimus) fruitionem verò nullos habuiſſe cognovimus. Perſequere, & imitare ſi vales, & aſcende in montem ſolus orare. Solum oportet eſſe affectum in ſuperna conſcendere volentem, & ab omnibus materialibus denudatum. Materiæ viſibiles animam oppreſſerunt, & caligaverunt oculos ejus, denudatus ab his animus aſpexit in lucem. Solus erit affectus, qui ſibi nihil temporale conſociat. Temporalitas importunè ſe veris æternis oppoſuit, & recurvavit ſæpe ad ſolita mentem. Solus, qui corporis curam omnino delicatam negavit. Solus, cui nulla paſſibilis aſſiſtit affectio. Solus, qui omni prnpinquanti libellum repudii dedit. Solus, qui hominum viſitationem in bonorum aſcripſit addamnum, volens ab optimis pro melioribus relaxari. Solus, qui ſe incomtabilem & viſis, & ſecretis moribus fecit. Solus, quem mundus ſuis fulgoribus non irradiat. Solus, qui nihil Verbo & moribus geſtat, quod mundus poſſit diligere. Solus, qui nullum ad ſe amœnis moribus trahit. Solus, qui omnem devitavit implicationis cauſam. Proinde ſolus orat & incipit, quando vult, mediat & finit, nihil in oratione perhorrens, niſi dæmonum inſultus, qui huic virtuti inſtantiſſimè adverſantur, ſciunt enim illam quæque prænecare obſtantia. Et nullius oſtiarii atque cuſtodis indigeret licentia, cùm æterni regis petit videre conſpectum, ſed ſolus ſic factus, etiam dæmones non timebit. Non enim inveniunt, ad quid illum recurvent, qui ab omnibus ſpirituali gladio ſe diviſit. Ad ipſorum contemplationem, & vacationem, animam trahere dæmones tentaverunt. Cognoſcunt enim quanta ſit eorum horribilitas, & quòd amore & contemplatione hominum non ſunt digni. Et fidem noſtram ſciunt, qua ipſos exiſtimamus abjectos, & quòd contra ipſos interpellamus ad Dominum. Sed plerun- 1. Cor. 2.
que transfigurant ſe, ut ait Apoſtolus, in Angelos lucis, & præſupponunt ſimulatum bonum, ut orantem animam à veris avertant, ut quod alia improbitate perficere nequeunt, falſitate perficiant. Verunramen eo merito, quo quis ſolum fecit affectum, ut nihil aliud velit amare intellectum, ut nihil aliud velit intelligere præter Chriſtum, & quæ ſunt ejus: Memoriam ad ſolùm honeſta convertit, moresque conſecravit omnium regi regum, dæmonum deceptiones evadet omnino, nec irruent in eum illorum tetralium doli, propulſabunt undique, variis explorationibus tentabunt ingreſſum, ſed conſecratæ inviſibiles Domino ædes ab aliis inviſibilibus lucidis cuſtodia proteguntur, ne prophani ingrediantur in Sancta Sanctorum Dei. Aſcenditetiam JEſus in montem daturus ſuperni regni doctrinam. Multa de monte videntur, & valles, & plana ſubjiciuntur oculis eorum, qui morantur in montibus. Multa oportet ſcire docentem, nec vita infima competit ſuperna docenti. Deridetur ſæpe alta doctrina ex infima vita: Nec expedit docere incurvantia, ſed ſurſum ferentia mentem. Non autem protrahantur ultra, quàm poſſit auditorum intelligentia pervenire. Sedebat JEſus docens. Quietam animam decet habere doctorem, nec in faſtu propinate doctrinam, ſed humilem humilibus: Dicimus & proportionatum fieri cum auditoribus neceſſe ſit eum, qui docet. Sedebat, nobis, excepto peccato, in omnibus accommodatus. Sedebat velut expectans eos, qui nondum aſcenderant. Et ſanè docens expecter, non corpora, ſed tardiores mentes, nec ſuſpendat ad non intelligibilia homines. Sedebat, quia doctrina de quiete animæ effundebatur. Nunquam verè quieſcit in ſuis viribus anima, niſi ad Evangelicam doctrinam conſpiret: Iſta enim doctrina

dat

dat quietem temporalem & æternam. Sedebat cum ſedentibus, quia veritatis ſtudium agere nequeunt, niſi utcunque quieti. Et in animabus audientium quærebat inviſibiles ſedes. Et ipſa ſapientia ſedebat cum ignaris hominibus. Prædixerat de
Prover. 8. ſapientia Salomon : Et deliciæ meæ eſſe
Prover. 3. cum Filiis hominum. Et alibi : Cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Et ſapientia quærebat in anima hominum per juſtitiam factum thronum : Quia anima juſti, ſedes eſt ſapientiæ. Tota divinitas erat in illo homine, qui ſedebat in monte. Beati aſſiſtentes ſuperna docenti, ſcilicet in montibus virtutis & altitudinis vitæ. Paſturus turbas, aſcendit in montem. Spiritualis eſca in montibus eſt. Hoc moribus hominum attendebat JEſus, mentes à terrenis ad ſuperna ſuſtollere, hoc actu & theoria ſemper agebat, dum ſæpe petebat altitudines montium : Sed paſcit in montibus turbas, ut ad interiora dirigat ſectatores. Vivit corpus ex anima, ſed anima ex corpore non vivit, imo liberior ſine corpore vivit, & habet omnino vivere præter id, corpus verò minimè præter ipſam. Supra corpus, & plus omnino quàm corpus eſt, quod ipſum vivere facit. Aliunde non habet, unde vivat, niſi ex eo, quod geſtat, aut quod infra ipſum ſingulari ordinatione includitur. Hoc ipſum anima eſt, quæ à nullo viſibili, atque corruptibili captat vitam, magis verò gravamen reportat, hinc per Salomonem dici-
Sapient. 9. tur : Corpus quod corrumpitur, aggravat animam. Proinde aliunde anima ſuſcipit vitalem annonam, non ab inferiori, non ab æquali, ſed ab eo, quod ſupra ipſam per omnia & in omnibus eſt. Et reperitur in monte ipſarum animarum paſtura, ad quam Salvator expectat, & expectatas paſcit modo ineffabili turbas. Mons iſte deitas eſt, ſcriptura eſt, virtus eſt, eccleſia eſt in ſuperna patria. Aſcendat igitur anima de planicie & latitudine viſibilium in montem, & ibi paſcatur in locis uberrimis, bibat aquam de fonte ſupernæ vitæ, & ſemper inhiet in ſuperna fluenta, & accipiat eſcam opportunam in tempore opportuno, & contempletur divinam potentiam, cui modus ſubveniendi non deeſt, neque facultas infinita conſolandi eos, qui eum patrem conſolationis & miſericurdiarum vocant. Væ ! animabus in imis ſtantibus, ima petentibus, quæ ad montes non levant oculos, unde venit auxilium noſtrum. Surſum expedit cor habere, non elatione, ſed humili mentis intuitu, nec animus relabatur in ima, qui repromiſſiones accepit æternas. Alio quidem tempore per exceſſum montis, fecit aſcenſum cum tribus aſſumptis diſcipulis. Transfigurationem celebravit in Matth. 17. monte, in qua modicum divinæ majeſtatis apparuit, quod ab infirmis aſpectibus etiam tolerari non potuit. De quo aſcenſu, ſermo non modicus, nec facilitèr explicabilis exſurgit, fatigans ex difficultate dicentem : Audientem verò excitans, & gradatim docens in ſuperna conſcendere viatico gradu, dum in tremendo atque incerto agone contendimus, donec ad illam viſionem ineffabilem veniamus. in qua transfiguratione nihil morale conſpicio, niſi aſcenſum : Hoc enim myſterium anagogiam potius clamat, quamvis quadam violentia literæ & myſterii poſſet trahi ad mores hominum informandos, ut ſicut Chriſtus transfiguratus eſt, ita nos ad ambulandum in novitate vitæ virtutibus & moribus transfiguremur. Repugnat tamen paradiſi ſocietas, & de limbo venientis aſpectus, & Petri deſiderium cùm tabernacula diſpoſuit, & ubi vult eſſe. Pugnare amplius renvit, proximorum oblitus ſibi & quinque in monte conſtitutis in poſterum providebat. Nubes enim recuſat moralia. Vox verò paterna, obedientiam Sanctam dicit. Terror diſcipulorum, infirmitatem humanam ad divina toleranda inſinuat. Sed iſta transfiguratio allectio quædam eſt, & eſca ſupernaturalis in illa humanitate oſtenſa parumper, magisque velata, qua capiantur rationales aves, non damno aut periculo moriendi, ſed neceſſitate beatè vivendi. Transfiguratio illa fuit excitatio deſiderii velociter in ſuperna conſcendere, ut ſemper petat homo mortalis in gremio immortalitatis transfundi. Invitabat JEſus in illa transfiguratione terrenos ad cœleſtia, mortales ad immortalia, homines ad divina, agonizantes ad requiem, laborantes ad quietem, ad patriam peregrinos, ad refugium miſeros, & ad contemplationem altiſſimam mentes hominum ſuſpendebat. Hoc etiam agebat ille Deus homo, Deus in ſe, homo pro nobis, in transfiguratione ineffabili, quam oſtendit, ut de cordibus illorum diſcipulorum cæterorumque ſectatorum in poſterum, ſcandalum, timor crucis, opprobriorum & mortis firmiter toleretur, cùm in Verbo Dei viderent carnem aſſumptam tanta felicitate donandam, & quòd terrenum erat, poſſe tanta claritate ſplendeſcere. Oſtendebatur in tempore quod futurum erat æternum, & quod non erat ab humanitatis natura, ſupernaturaliter monſtrabatur. Exceſſus erat ſupra id, quod humanitatis

est, & visibili signo, imo in veritate signati pendebat humanitas deitati se fore conjunctam. Sed hæc, quæ in tam alta nos provehunt, omittamus, moribus intendentes. Ascensor cœli & auxiliator noster est, ipse nobis ad ascensum præstet auxilium, ut ipsum sequamur in montem intimæ Paritatis, ad quem ipse ascendens, invitat psalmista, dicens: Quis ascendet in montem Domini? Quasi rarus sit ab hominibus, qui ascendat. Sed quis ascensus? Qui ascendendi gradus? Quis ascensor retrogradus? Recedamus à corpore, recedamus à consuetudine sensuum, parepit ascensus. Verbum est tamen corpori competens, cùm de inferioribus ad superiora progreditur: Sed ad invisibilia homines referamus, nam verus ascendens ascensiones in corde disposuit. Creatus enim homo est, ut per id quo aliis præfertur invisibiliter in superiora conscendat. Corpore nanque sibi animalia præferuntur, potissimè volatilia pennata, quæ virtute pennarum in aera sublevantur, ut feratur aquila usque ad sphæram ignis posse se tollere, quod humanis corporibus denegatur, quousque eis glorificatio irrogatur. Proinde aliquid est in nobis, quo illa excellimus, unde noster fiat ascensus. Ascendit hominis intellectus ad seipsum, ut si quo modo potest, seipsum intelligat, ubi gradum figens intelligentiæ quodam oculo respicit in subjecta, ut quæ sibi nullo modo æquantur, agnoscat. Quæ cùm agnoverit, gloriatur in sede altitudinis, à qua pœnaliter dejicitur, si humiliter non recognoscit authorem: Atque retulerit gratias ei, qui eum in tanta celsitudine collocavit. Ibi persistens, coæqualia intuetur, ad quæ non ascensus, sed perambulatio est. Per æqualia neque ascensus neque descensus peragitur: Supra ipsum necessariò ponitur, ad quod ipsius fiat ascensus. Virtus nempe supra intellectum hominis est, ad quam conetur intellectus ascendere, & semper intellectui superfertur, & acumen ejus effugit: Neque ad apicem hujus montis pervenit aliquandò, ut eum sibi subjiceret intellectus, & subjaceret pedibus ejus. Comitatus à fide appropinquavit interdum. In veritatis montem, si subjit intellectus, ab erroribus & phantasmatibus liber fuit, & detexit dæmonum falsitates, & quæ circa sensum illusiones ab eis fiunt. Altissimus enim est, nec recepit aereas scilicet tetras impressiones. Qui fixit tabernacula in altitudine veritatis, cognovit serenitatem dilectionis à caligine libidinis: Nec eum latuit scatebra sensualis, & animalis innotuit inclinatio, & ad quæ impetu carnis, aut impetu Spiritus inducimur. Ex hujus altitudine videmus per infimas rerum valles decurrentia flumina in mare damnationis, quæ sunt ambres fluxibiles, qui stabiles in stabili Deo non sunt, & velut Olympus subjectas habet pluvias, & aereas tempestates, & nubes carnis, & labentium rerum hinc ascendenti non impediunt lumen solis justitiæ, intellectualiter enim superstitutus est eis. Existens in monte viarum rectitudinem & obliquitatem aspexit in subjecta planicie, ut si descendens urgeretur ad ambulandum, cautior esset in eis. Constitutus in monte veritatis vias actionis nostræ cognovit obliquas, & rectas, & in prudentia factus est in opportunis actionibus propter regnum. Qui montem altiorem conscenderit, ortum solis & occasum in horizonte suo novit melius prænotare. Qui ad montem ventatis pervenit, ex animo de intellectuali sole fecit hoc idem: Sed frustra intellectus, quocunque ductu in tam alta se tollit, nisi eum comitetur affectus. Evanescit bonorum cognitio, nisi vires amor accendat. Comitetur, inquam, affectus intellectum ad illa bona, quæ ascendendo noverit: Quamvis plura & efficacius possit affectus diligere, quàm plenè intelligere intellectus. Purificat semper cognitionem amor, & quamvis non diligatur ut bonum, nisi prægnitum, verus tamen sæpè diligitur, quàm noscatur: Et interdum minus, aliquando nihil. Terminatus est intellectus usquequo posssit ascendere, finitus enim est. Supra naturam autem multa ad ascensum invisibilem sunt vocati, Prophetæ siquidem, & quibus illuxit claritas Spiritus Sancti. Non tamen cunctitate ascendendum est aliqua intelligendi virtute, nam in Exodo dicitur: Bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Bestialis & animalis est intellectus, lapidarique dignus, si aliquid divinum curiosè aut violenter intelligere præsumserit. Et Proverbiorum libro dicitur: Scrutator majestatis, opprimetur à gloria. Ecclesiasticus etiam non tacuit prohibere, ne intellectus suos velit excedere terminos, dicens: Altiora te ne quæseris. Satagat semper, tamen ut in suis viribus non remaneat otiosus, magis verò, ne ascendendo curiosus fiat sive superbus. Damnabilius est enim cunosse atque superbè inquirere, quàm intellectum habere remissum, quamvis hoc sit malum. Ascenderet sanè intellectus hominis atque affectus conserta manu ad invicem, ut unus alterum non dimittat, velut collegæ, qui naturali Exodi. 19.

naturali amore ab eorum ſinente puerili ætate junĉti in domo una, atque alti ſunt, quorum ſit primus aſcenſus, ut à plano naturæ ad montem gratiæ ſubeant, & ibi expolientur veteri veſte peccatorum, & malarum conſuetudinum. Et alio gradu, aſcendendo proficiant à viſibilibus ad inviſibiiia, à corporalibus ad ſpiritualia conſcendentes. Concitu gradu adhuc progredientes à cauſis recurvantibus ac irretientibus, ad illas, quæ proficiendi præſtant ſubſidium, aſcendant. Deinde fiat aſcenſus de virtute in virtutem, ut ſemper intellectus atque affectus ad potiora feſtinent. Retradatio horum ubi poteſt eſſe profectus, non eſt mora, ſed caſus, & tanto recurantur ad infima, quanto ad altiora eorum poſſet eſſe aſcenſus. Sed ad eum terminum dum militamus, ſit omnino ſtudium & feſtinatio aſcendendi, ut omnium etiam ſui propter Deum obliviſcatur affectus, & nihil aliud præter ipſum ſcire appetat intellectus. Nec curet ſi in Deum totus tranſivit affectus, ad proximos paratum fieri, niſi quando licentiam dederit, qui ad ſeipſum tenebat abſtractum. Non enim ſunt diu durabiles mentis exceſſus, quandò nubes permittitur interponi ad ſeipſum & ad proximos, juſta lege revertatur affectus, ſapienter ab implicatione ſe tuens, ne laqueo hæreat, cùm ad id, in quo ante fuerat, iterum fuerit revocatus. Intellectus in ipſum aſcendere non poteſt, ut capiat, ſed in aliquid illorum, quæ ipſius ſunt. Fidelis exiſtens, totum credat, intelligere nequiens: nec aliunde velit ſapiens fieri, niſi ex eo, qui omnem ſapientiam tribuit ad menſuram. Omnia diligenda dilexit affectus, ſi totus & totæ in omnium aſcendit authorem. Omnia novit ſimiliter intellectus, ſi ſolùm divinis theoriis vacabit. Melius in DEI ſapientia homo & angelus omnia novit: quàm ſi ad ſeipſos & ad extra poſita reflectantur. Aſcenſus initium, conſuetudo à ſenſibus recedendi: magis verò replicatio animæ à relationibus miniſtrorum ejus. Invitibiliter enim graditur, qui à viſibilibus non tenetur. Medium ejus eſt gradi abſque memoria relictorum graduum, ut non quod peractum eſt de itinere montis, ſed quod reſtat ſolum intueatur aſcenſor cum feſtinantia, quod transeat in præteritum, quod aſpicit futurum, & ceſſantibus his duobus, ſolùm ſit gaudium de præſenti. Sed impoſſibile ſit, quòd creatura præteritum non habeat & futurum: ſed cui aſſiſtit DEUS tanquàm habet præſens, quod præterire non poteſt, quòd animæ futurum oſtenditur. Ad præſentiam inevitabilem poteſt adducere finis aſcenſionis, quiera libertas cum Domino in contradicto omnium inferiorum. Et hujusmodi finis experimentum eſt reaquiſiti Dominii, quòd in protoplaſto perdidimus. Finis aſcenſionis, libertas non ſolùm ab inferioribus, ſed in ſuperioribus dembulatio libera in conſpectu illius, qui tibi permiſit aſcenſum, & progredi & ſiſti in aula inviſibilis & imperturbabilis pacis, prout haberi decrevit in agoniſtica vita ille, qui quando vult, & quibus vult, & quomodo vult, novit terminare agones hominis utriusque atque proceſſus. Aſcenſorem verò oportet fieri moribus innocentem, puritatem animi poſſidere, conſtantiam mentis, ne feratur in vana, dolis omnibus privari ad proximum. Hæc quatuor brevi ſententia conflavit David, dicens: Quis aſcender in montem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto ejus? Et per reſponſum accepit: Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animam ſuam, nec juravit in dolo proximo ſuo. Aſcenſionis typus, his qui contendunt ſubvehi à terrenis, ſit aquila quæ interdum ſpheram ignis aſcendendo attingit. Deus ignis conſumens eſt, non ardens nocivè, ſed dulciter urens, usque ad quem animæ poteſt celebrari aſcenſus vehiculo fidei & amoris. Sed accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus, ut non intelligatur comprehenſio poſſe fieri Deitatis, neque usque ad DEI ſubſtantiam, animam trabea carnis indutam poſſe pertingere, lucem enim ſecundùm Apoſtolum habitat inacceſſibilem, quamvis multa ſupra id, quod intelligimus, poſſit operari divinitas. Proinde aſcenſus pervenit ad aliquid ſecretorum, videlicet cor ſecretum. Cor ſecretum Deus non eſt, ſed aliquid eorum, quæ circa ipſum ſunt. Veruntamen aliter exordientes videbimus citius conſiſtentiam inviſibilis aſcenſionis. Cor altum, eſt dogmatum altitudo, ſcripturarumque profunditas. Accellit homo ad cor altum, ſcilicet ad altitudinem dogmatum, acceſſit ad profunditatem ſcripturarum. Sed exaltatus eſt Deus, nam ſupra id quod dogmatum altitudo demonſtrat, & ſcripturarum profunditas loquitur, exaltatus eſt à mentibus Deus. Cor altum profundum judiciorum Dei: cor altum, altitudo miſericordiæ DEI. Ad hæc acceſſit homo, & amplius elevatus eſt DEUS. Cor altum, ſecretum Sacramentorum: ad hoc acceſſit homo, & exaltatus eſt Deus. Cor altum, eſt omne quod ſupra ſe aſpicit in virtutibus & ſanctus intellectus: acceſſit homo, exaltatus per omnia Deus. Cor altum, oratio, cor altum meditatio, cor

Pſal. m. 23.

Pſ. lm. 63.

1. Tim. 6.

altum contemplatio. Acceſſit ad omnia hæc pro modulo ſuo in virtutibus homo, & exaltatus eſt ſuper omnem intelligentiam Deus. Incomprehenſibilis eſt Deus, etiam ſi ad ipſum fiat inviſibilis & mentalis aſcenſus. Et quanto magis animus per inviſibiles virtutis & contemplationis gradus aſcendit, tanto magis exaltatur Deus: non de novo, quia mutabilis non eſt, ſed hoc aſcenſoribus magis apparet. Vidit quis à longè montem, quamquam magnum, & ad ipſum, facilem exiſtimavit aſcenſum. Acceſſit proprius, altior apparuit, de prope quàm de longè. Si ſtella quædam fixa, & omnino immobilis in parte cœli orientali ſituaretur, quàm proſpicere poſſes in partibus occidentis, quaſi per æquale Zenith tui capitis videretur, nec oculos ad ejus aſpectum oporteret ad ſuperius circumferri, aut obliquari nec caput agitari ad aptitudinem viſionis, ſolùm verſa facie, apertisque oculis quaſi linealiter viſus intueretur. Sol etiam cùm oritur, & in horizonte usque quem viſus protenditur oculorum, ex æquali planicie radiorum, reſultat in oculis exiſtentium in lateribus occidentis, & per eandem planiciem revidetur. Qui ſi divina potentia firmaretur, movereturque quispiam de oppoſitis partibus ad ambulandum linealiter, verſus ſtellam aut ſolem: quantò magis appropinquatio fieret, tantò magis videretur ſtella vel in altiora ſuſtolli, cùm in ſe immutabilitatem omnino ſervarent. Sic humanis mentibus appropinquantibus per occultos aſcenſionis gradus ad Deum, altius exaltatus apparet. Ipſa enim veritas oſtendit de prope, quod à longè impoſſibile fuerat omnino videre. Superni namque cives, qui mundo in iſto jam peregrini fuerunt, illam exaltationem exaltatius, quàm hic contemplati fuerant, contemplantur. Sententia omnino infallibilis manet, quòd accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Cor altum, incarnatio Verbi eſt, nativitas, educatio, converſatio, paſſio, mors, ſepultura Chriſti. eſt. Acceſſit ad hæc homo, & in omnibus exaltatum reperit Deum: tam ut in his non eſſet minorata divinitas, neque ab intellectu hominum cum humanitate apprehenſa foret unita majeſtas. Accedat homo ad cor altum, & ſuperexaltabitur Deus. Cor altum, altitudo humanæ intelligentiæ dicitur, & traditæ rationis. Cor beſtiarum, cor eſt, ſed altum non eſt: non enim poteſt in ſuperiora cogitando ſubtolli. Angeli cor habent, ſunt namque intelligentiæ ſeparatæ. Cor altum ſolùm hominis eſt. Acceſſit homo ad cor altum, Aſcendit ad ſeipſum, aſcendit in ſuperiora intelligentiæ atque rationis. Aſcendit ad cor altum, elevatum naturaliter ſuper omnia ſupercœleſtia. Sed in corde alto, altas diſpoſuit aſcenſiones, ut in illud altius aſcenderet ſupra quo nihil altius eſt, quod omnimode præmineret. Et per gradus proprios unusquisque fecit aſcenſum. Non enim omnibus una ſcala & gradano præfigitur aſcendendi. Alius quidem ſic, alius verò ſic Non eſt volentium aſcendere, gradus aſcenſionis eligere: ſed ejus ſolùm eſt oſtendere aſcenſionis iter, qui de cœlo deſcendens in terris rectè vivendi atque ambulandi factus eſt iter. Doctrinam aſcenſionis velle firmare omnibus per omnia ſimilem tale noſcitur, ac ſi quis omnes vias, quibus mundus iſte ambulando peragitur, vellet coarctare in unum, cum laniores ſint ſpirituales ſpiritualiter peragrabiles campi, quàm terra, quæ pedibus hominum & beſtiarum ſubjecta, calcatur. Aſcenſus animalium, aſcenſus eſt ſupra naturam corporalium atque carnalium motionum. Habet rationalis homo id, quod aſcendit, quod eſt, quod in ipſo præcellit: habet ſuper quod aſcendat, quod eſt corporeitas animata vetus aſina, & appetit laſcivum, ſcilicet indomitum pullum ejus: habet ad quod aſcendat, quod eſt Dominus gratiæ & virtutum & rex gloriæ, atque univerſorum Dominus. Non autem ratio infra montes carnales incluſa tenebitur, aut aſcendet aut revelabitur ſuper eas. Sed tenebitur incluſa, aut deflectere infra carnales & corporeas voluptates, & ab eis ſe peſſundari permittet, nec celebrabit ſuper aſcenſum, nihil eſt quod hominis bonitati adſcribas, aut eum poſſis verum hominem juſtè cenſere. Nam ut omnibus hominibus, velut uni loquar, inquam: Quid gloriaris homo ratione deflexa, ſi ſuper tuum eſſe corporeum, & ſuper ejus objectum appetibile, imo ſuper appetitum carnis proprium aſcendere neglexiſti? Cum figura & nomine hominum de numero te cenſeo beſtiarum, nec non infra multas te decerno expreſſum. Nam ſi corpus habes, habent & lapides: ſi creſcis, creſcunt & arbores: ſi magnus es, majores ſunt equi, elephantes, & grandia cete: ſi fortis es, fortiores ſunt leones: ſi velox es, velociores ſunt pardi: ſi pulcher es, pulcheriores ſunt pavones: ſi vocem habes, numquid majorem ut tauri? numquid clariorem ut canes? numquid dulciorem ut philomela? Si viſum habes,

habes, numquid acutiorem, ut aquila, quæ irreverberatis oculis ſolis radios intuetur? Numquid penetrabiliorem ut linceus, qui multa ſuo viſu obſtantia penetrat? Si cæteros ſenſus habes, & animalia multa bruta. Si providus es in tempora, & formicæ. Si ſapiens in domiciliis conſtruendis, & aves aëreæ. Si deſiderium conſervandi te habes, & chonchæ marinæ. Si inſudas ingenio artibus, apes & multa talium non excedis. Si filios generas, & terrena & aquatica multitudo animalium atque piſcium, Domini præcepto, terram mareque ornant. Si colores varios, naturam penitus non adæquas. Si loquela linguæ diſerta, de articulata voce te aliis præfers, & aſellam Balaæ diſertè legimus fuiſſe locutam. Et ſerpentem primis parentibus legimus diſertum protuliſſe ſermonem, virtute diaboli organizatum, & multæ aves aliqualem hominum didicerunt loquelam. Sed, inquies, nec continuare potuiſſe per tempora, vel multa verba valuiſſe proferre. Sed ſi infra beſtias redactus es, nec aſcendiſti corpoream entitatem, atque voluntarem: eo magis dico te miſerum, quo per unam loquelam tuum patet opprobrium. Si corpus habes erectum, ſed nec in altum elevatur ut aves. Profectò nihil eſt, quod à beſtiis, atque avibus, aut ab aliis entibus eximat, niſi ratio, quæ poteſt aſcendere virtute propria ſuper corpus, ac ejus regere aſcendens deſuper appetitum: magis autem, cùm ſibi adjuncta fuerit gratia Chriſtiana. Si autem ratio ſuper appetitum ſenſualem aſcenderit, velut à pondere libera, poterit ad ſua ſuperiora conſcendere. Sed iſte aſcenſus Seſſionem accepit. Sedit enim more hominis equitantis ſuper animalia Chriſtus. Aſcende & ſede, ſuperior factus, rege in quiete, quod noveris tibi eſſe ſubjectum, & à tua poteſtate regendum. Ut molliter ſedeas, interpone Apoſtolorum veſtes, ipſorum exempla te ſedentem docebunt, & circunquaque aſſiſtent ad directionem indiſcretiſſimi animalis. Ipſorum Doctrina non permittet exorbitationem fieri. Erunt laudes, voces, palmæ atque olivæ in ſignum victoriæ atque pacis. Nullus enim dignus eſt laude, vel palma, qui primò de ſeipſo non fecit plenè triumphum, & ſubactum corpus tenuit rationi. Superaſſe Barbaros & indomitas gentes magis eſt vituperii quàm honoris, ſi quis à ſenſualitate vincitur. Major verò de hoſte aliquo non poteſt eſſe victoria, quàm de ſeipſo reportaſſe triumphum. Aſcendit ſæpe in naviculam Chriſtus, & multa myſteria eſt in navicula operatus, ſed ſolum videamus aſcenſum myſteriis prætermiſſis. Tranſitur vado modicum flumen, excedens verò per pontem, marè verò per navem. Marina eſt operatio navis, à qua dejectus Jonas devoratur à cæto, in qua, in generali diluvio omnium vitalium ſpecierum reſervata eſt vita. Inſtrumentum eſt, quo ſecretum ſulcatur elementum, & acceditur ad diviſas atque remotiſſimas regiones. Domus eſt, in qua ſtatur abſque ſtabili Fundamento, & agitata vento aut remigandi arte movetur. Non propter peragendam ſtabilem terram, ſed propter fluidam aquam eſt adinventa Ars eſt, qua mare tranſitur. Mare procelloſus & amarus eſt mundus. Proinde artem tranſeundi per mundi diſcrimina, conſcendamus. Ars vivendi cautè atque irreprehenſibiliter ſuper terram nobiliſſima eſt, & perveniendi ad portum. Hoc enim peroptant, qui navigant, ut ad cupitum portum perveniant, & tota peritia nautica id intendit, ut in portum ſalutis deveniat. Ars artium eſt evadere poſſe, cùm turbine atque tempeſtatibus mundus incipit inhorreſcere. Ars artium eſt onuſtam ſpiritualibus mercibus navem liberare de pelago, & à piratis viſibilibus & inviſibilibus evaſiſſe, magna eſt peritia navigandi. Vita enim noſtra quoddam navigium eſt, undique à revolutionibus & tempeſtatibus agitatur. Multi enim ſcopuli ſunt in pelago hujus mundi, in quos ſæpe incidit navis incaura, & propter improvidentiam naufragium patitur. Chriſtiana fides eſt Chriſtianæ vitæ navigium, quæ ſola tranquillitate turbatur, & agitantibus citiùs venit in portum, nec niſi à navigante poteſt pati naufragia ſeu contrarium ventum. Omne malum navis rationalis ab interriotibus ejus inſurgit. Nihil enim demergit hominem in pelago mundi hujus, niſi quod ab ejus voluntate procedit. Fides navis eſt, quæ Chriſtum habet agitem aſcenſorem, quæ ab arietantibus procellis concuti poteſt, ſubmergi minimè. Cujus gubernator pater, proreta Filius, ventus vela implens Sanctus quoque Spiritus, velum charitas, arbur ſpes, victus divinum Verbum. Navis eſt domus virtutum, fabricata in campo naturæ ſeu in altitudine gratiæ, ex tabulis dolatis atque contextis & levigatis, deductus in compoſitione ad regulam terrenam, & ſtabili Fundamento carens, nihil enim in terris ſtabile habet virtus. Ad Spirituale compoſitum ſuo modo debent omnes convenire virtutes, quo navigabimus mare magnum, plenum magnis dæmonibus, quorum

Gen. 3.

rum non eſt numerus. Ipſum enim navigium nos liberat, ne abyſſalia profunda petamus. Quod qui non aſcendit, non pertranſibit ad requiem : Aut ſi tentavit incedere iſto relicto navigio, eum marini vortices ſubmerſerunt. Operationes multas ad placitum creatoris, & ad tutelam à non quieſcentibus undis oportet facere in aquis multis cum navibus Chriſtianæ virtutis, & eo mirabiliores, quo à multis aquis peccatorum fluxibilium rerum evaſimus : Eo clariores, quo abyſſum non petivimus, quaſi lapis, & à vehementia aquarum multarum more plumbi non deſcendimus in profundum, ut beatiores appareamus cum Angelis in excelſis, quo præclara virtutum opera fecimus in aquis inundantibus ad contraria multis. Navis Noë altior fiebat nimietate aquarum, Genes 7. & elevata eſt ſuper omnes montes, qui erant ſub univerſo cœlo. Apta enim erat ſic ſuperferri. In aquis creſcentibus extollebatur in altum. Et illius navis mirabilis operatio fiebat in aquis multis. Et tu navem aſcende virtutis. Adhuc ſunt, & uſque ad finem ſæculi erunt aquæ peccatorum, tentationum, tribulationum, rerum fluxibilium ſuper terram te, ſi non aſcenderis, ſubmergentes.

Cap. VIII.

De diverſis aſcenſionibus.

IN Jeruſalem aſcendit JEſus. In pacem fit totalis aſcenſio ejus. Pax erat, & ad Jeruſalem pacis viſionem aſcendebat : Hoc enim ipſe erat, ad quod aſcendebat. Sed trahit nos poſt ſe, nosque curramus in ſuaveolentes ſanctiſſimos mores ejus, & aſcendamus ad pacem. Sed quid pax ? Quid aſcenſus ejus ? Quid aſcenſionis fructus ? Multiplex cùm ſit pax, non ad omnem dirigendus aſcenſus. Aliqua enim eſt, quæ utilius in diſcordiam verteretur, videlicet animæ ad corpus, & hominum iniquorum, qui ad mala patranda pacis fœdera tenent, & malè concorditer ſentiunt contra regulas veritatis, aut agentium contra juſtitiam juſti moris. Pax cum vitiis atque peccatis juſtiùs verteretur in bellum. Pax verò, ad quam eſt ordinandus aſcenſus, prima eſt corporis ad animam, non animæ ad corpus. Expedit omnino non animam corpori condeſcendere in fœderibus injuſtæ paeis, ſed corpus cum anima in lege deiſera concordare. Non enim eſt pax, ſi juſtus concordiam eum iniquo habeat, quia eo ipſo juſtus iniquus efficitur, ſi eum iniquo paeis fœdere colligatur. Proinde non anima corpori cundeſcendat in fœtoribus & animalitatibus atque ſenſualitatibus ejus, ſed corpus à poteſtativa virtute animæ ſubtrahatur, & dirigatur rationalibus directionibus ejus. Non celebratur pax inter corpus & animam, velut inter æquales & æqualiter rationem habentes, ſed eo modo quo inter ſeſſorem & equum concordia equitandi peragitur. Non ſeſſor ab equo, ſed equus à ſeſſore dirigitur, frænatur atque calcaribus perurgetur : Et tunc agitur pax, cum dirigenti manu ſe commodat & frænanti ſe donat in dexteram vel in ſiniſtram, & ſi expedit, faciem reconvertit ad tergum, & repetit ſæpe iter, per quod ſemel inceſſerat : Non devitat montium & collium altitudinem, planiciem, neque valles, cœnum ingreditur atque tranſvadabile flumen, neque pauefactus retardat inceſſum, calcaribus urgentibus non reſiſtit, & ſe rotum colligit ad imperium inſidentis. Sic cùm corpus dirigi ſe permittit ab anima, frænari, atque vagari per omnem ſimilitudinem, qua equus à ſeſſore deducitur. Erit igitur pax corporis atque animæ ordinata ſubjectio corporis ad animam, ipſum in ratione ducentem, ad quam pacem eſt ordinandus & perficiendus aſcenſus. Alia ſiquidem pax eſt ipſius conſiſtentia ſpiritualis, ſcilicet intellectualis animæ, quæ agitur in agoniſtica vita & militia ſpirituali, cùm appetitur quod animam perficit, nec quæritur quod dejicit in defectum. Pax animæ rationalis eſt imperturbabilis voluntas, & ratio eorum quæ à conditore aguntur. Pax animæ, purgatio affectus, & intelligentia non curioſa. Alia pax eſt ad proximum. Pax verò ad proximum, eſt in actionibus & paſſionibus nulla querela. Pax ad Deum, dum in iſto mundo tot periculis militamus, eſt ex omnibus prompta ſuſceptio, atque obedientia eorum, quæ in divina lege mandantur, uſque ad ſanguinem, pœnas quaſlibet atque mortem. Ad hanc pacem, omnium in hac vita degentium debet feſtinare intentio, & properare aſcenſus. Quotieſcunque verò Dominus noſter JEſus Chriſtus aſcendebat Jeruſalem, ingrediebatur templum : Nam in pace ſolida eſt orationis & poſtulationis & exaudi-

tionis

ditionis & contemplationis locus. Et veritatem doctrinæ magis & melius orando quam legendo intellexerunt homines Sancti Dei. In Jerusalem erat templum. In pace sunt omnia divina mysteria, & revelationes, & Cherubim scientiarum, & gloria & propitiatio pro peccatis & ablutiones à sordibus. Ad pacem istam ascendamus, istamque sectemur, & Deus pacis erit omnino nobiscum. Montis olivarum ascensum enam fecit divinus montanus, qui à montibus æternis illuminat omnem animam illuminari dignam: Ut semper ad ascensum animas provocaret, quas ad hoc creavit, ut non remanerent in imis, sed ut collocarentur in superioribus supernis. Ad luminis fomentum, per hunc ascensum nos Salvator invitat. Non est oleum lumen, sed ipsius fomentum. Oleum discretio est, habet enim condire multa cibaria, & amara in suavitatem convertere. Discretio condimentum agendæ vitæ est, atque morum expedientium ad salutem. Oleum mitescere aspera plura facit. Loquendi suavitas multos duros fecit à feritate cessare: Oleum nempe suavitatem linguæ importat. Oleum omnibus liquoribus supernatat, ac etiam eis nisi artificiosis argumentis penitus non miscetur. Super infusum supernatat. Si super ipsum liquor alius infundatur, oleum supernatat: Sua enim natura non patitur aliis liquoribus commisceri prima conjunctione. Anima verò suæ naturæ altitudinem servans, & intellectualem levitatem, quam à Deo in creatione accepit, cum terrenis aliquam commixtionem non sortitur: Oliva viriditatem in Foliis servat, & Folium verborum tuorum non cadat in vanum, neque defluat in perditionem. Oliva signum est victoriæ atque novæ lætitiæ. Innovantur in nobis quotidie dæmonum bella, & pugnæ vitiorum interius non quiescunt. Exterius verò mundus & homines perstrepentes adversus animam inire certamina non desistunt, & inter occultam luctam & pugnam apertam vix licet animæ respirare. Sed ad montem Oliveti per Christum ascendentem invitamur ascendere, ut per signa victoriæ victoriam de occultis hostibus faciamus, & de palam nobiscum congredientibus ad inferendum invisibilia damna signum, imo effectum victoriæ reportemus: Non ad corpora, velut inimicis carnis dantes conflictum, sed à malis suasionibus omnino inculpatam tutelam ad castra Christianæ militiæ reportantes. In signum pacis, primo ramus olivæ
Gen. 8. ab aue pacifica Noë fertur reportatus ad vesperam, ut ostenderetur, quòd Dei desæviens ira quieverat, qui omnem viventem animam deleverat super terram, his duntaxat exceptis, quæ in arca Noëtica sunt repertæ. Igitur oliva signum noscitur pacis. Proinde Festina cum Christo in montem ascendere Oliveti, ut in virtutibus Spiritualibus ex talibus similitudinem sumptis degas. Ascendit animalia JEsus inter allegorica mores cudens, ut super omnem animalitatem rationis imperio & loro regiminis ascendamus. Ascendit crucem JEsus voluntariè, non invitus, perficiens vituperio suo nostrum honorem, ignominia gloriam, pœna beatitudinem, morte vitam: In ordine vitæ agendæ ad omnia humanitati contraria suos animans sectatores. Non creditur à vulgaribus, quòd sit ascensus, sed descensus ad pœnam: Sed veritas Christiana magnum credit ascensum pro nobis voluntariè pati. Habet voluntarius ascensus ad prævisam pœnam mirabilem actionem, fit enim supra se seipso penitus major, qui voluntariè affligitur pœnis. Habet profectò asperum sensum, quem nostra tenella natura semper reputavit adversum. Contrariis pœnalibus & afflictivis naturam se tradere, victorem suæ naturæ se monstrat, & seipsum calcat seipso superior, & vicit omnino domesticum hostem, cum quo dormit, & pabulat, cum quo pergit & sistit, cum quo quiescit, & loquitur: Qui portat, atque portatur, qui nisi per mortem nullis dividitur & mediis, quem devincere, majorem quàm innumeros extra se vicisse dixi victoriam. Majoritatem insignem habet talis ascensus, non transitiva, sed comparatione reciproca: Et tanto digniorem, quanto primo secum verus & Christianus agonista duellat, quo se primo devicto nihil invincibile manet. Quid enim est, quod non vincat, qui se voluntariè objicit pœnis, si expedit: Aut libens expectat, si eum tortor inquirit? A nemine potest devinci, qui est à seipso virtuosè devictus. Non vincit eum pœna, quam libens amplectitur. Non dejicit eum dolor, cui appetit subjacere. Non tortor cum necantibus instrumentis, qui secum concordat in votis: Nam quærit tortor percutere, ille desiderat tolerare. Si ille occidere, huc anhelat exire. Si ille corpus perimere, iste corpus relinquere. Si tortor vult, ut amplius non vivat in mundo, ille verò semper optat libertatem à mundo. Non terrentur tyrannorum terrore, qui inter animam & corpus gladium inimicitiæ posuerunt. Habet ascensus spontaneus, factus ad crucem, promptitudi-

pritudinem exquisitæ virtutis. Promptitudo virtutis penitus illa est, quæ marcescere otio timet: Quæ semper affectat habere eum inimico congressum, quietem ignaviam dicit, & non probari torporem. Coronari renuit sine bello, vivere in deliciis refugit, semper parata reddere. Nihil excipit in eventibus. Novitatem eventuum æstimat quid antiquum, prævideratenim ante, seque paraverat ad esse futurum. Animosior redditur post labores, cùm opportunitas certaminis adest, non dicit: expecta. Nihil promptitudo virtutis imperatum habet. Anima sibi non desunt. Semper habet, ubi quas appetit, possit perpeti pœnas, aut unde solvat, quod cupit debitum mortis. Promptitudo virtutis supplicium deputat, si quod suum est non fecit, & si omnes non posuit in experientia vires. Igitur voluntarie Christus ascendens in crucem virtutis, promptitudinem præmonstravit, & animavit ad ascensum veridicos sectatores. Ascensus crucis omnem complectitur ignominiam, erat enim tunc temporis turpius supplicii genus, ut in sequela Christi quispiam factus in ignominiis, non expaueſceret malum pudoris, nec absterretur metu horribilis cruciatus, cùm sic præcessisse inspiceret caput omnium nostrum. Supra naturam est gradus ascendisse pœnarum, & sensui nostro repugnant, cùm tam acriter cum ipso duellant: Sed hoc fecit & facit in Sanctis gratia, non natura. Nec enim per naturam superna captabimus, supra naturam ergo fieri expedit, qui corde anxio inhiant in superna. Non autem est ad omne quod cruciat ascendendum; Multi enim absque merito feruntur esse cruciatus. Habet enim diabolus, & mundus visibiles cruces suas, ad quas ascensus, ad infernum descensus peragitur, ut pœna, non gloria subsequatur ad pœnam. Quod contrarium in Sanctis Christianis agitur, ut post pœnam gloria subsequatur. Crux est, cùm aliquid appetitur, & non habetur, aut si habetur, non ita perfectè, ut quæritur. Ascendit animus stimulo Sancto punctus ad invisibilem crucem, & desiderabat virtutem legitimè in animo possidere, nec enim poterat sicut volebat, & hoc cruciatus erat illi. Volebat enim orationem irrecurvatam possidere, intentatam ab immundiciis castitatem, humilitatem inevulsibilem, & immotam patientiam habere quærebat. Et sicut ignis, aut quodlibet elementum secundùm suas proprietates habetur, sic quærit animus habere virtutes, & applicare ad opus, sicut applicantur instrumenta fabrilia seu caraplasmata super vulnus, sed si nec juxta votum subsequatur effectus, & hoc crux erat interioris hominis. Meritum tamen habet desiderium Sanctum, etiamsi non sequatur ex toto quod quæritur, dummodo de negligentia nostra animus non cauſetur. Quærit anima juxta divinum præceptum Deum tota diligere, proximum autem juxta mensuram suam à Domino præfinitam: Sed nequit implere omnino indefectibiliter quod præcipitur, & cruciat cruciatus, nihilominus est tamen virtuosus ascensus. Ascendere volut intellectus, & intelligere: Quod autem quærebat, aut ex toto, aut ex parte habebat velamen. In cruce configitur intellectus, si non plenè intelligatur: Asperius affigitur, si omnino nihil intelligat, sed non demeritum, imo meritum habet, si ignorat, ut credat. Actualiter ad pœnas corporales ab aliis irrogantas ascendere, si non est meritus, ad superbiam posset adscribi, æquè autem ad tentationem Dei, nisi à Spiritu fuisset præmonitus: Sed hunc retardo ascensum, interiorem asserens debere semper esse paratum. Ascendamus tamen crucem electivam pœnarum, ut unusquisque propemodum eoram Deo in ejus aram se mactet. Ascendamus crucem improperiorum & substantionum, & omnem acerbitatem & denisionem, & potionem amaram sustineamus. Neque ascensus gloriæ celebrabitur, nisi prius ascensus hujus crucis versatilis celebretur. Non consideremus materiam crucis, quam corporaliter & pœnaliter Christus ascendit: Lignea enim fuit: Non Figuram, tria solùm brachia habuit, excepto triumphali titulo superposito, quamvis hodie non sine mysterio brachiis quatuor Figuretur, sed pœnam, quam ascendens sustinuit. Nec sine causa pronunciaverat ante Salvator: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Præcessit, qui non abhorruit pro nobis sustinere acerbissimas pœnas: Te verò, ad hunc expectat ascensum. Si appetis imitari JEsum ad suum pœnalem ascensum, deinde ad cœlestem gloriam te vocantem, abnega temetipsum, scilicet illam perimas voluntatem, quæ repudiat sensibilibus asperis, & quæ privari renuit affectatis. Abnega temetipsum in flumine divini Amoris, in gurgite humilitatis, tibimet dona libellum repudii. Noli velle tuus esse, vel fieri, tua potestate non gaudeas, accede per fidem cum humilitate ad crucem. Crux palma est, fructus habet amœnos, licet sit asper ascensus. Inquit sponsa

Matth. 16.

ſponſa legitima : Aſcendam ad palmam,
Cant. 7. & apprehendam fructus ejus. Juxta truncum aut ſtipitem aſſiſtens non accipiebat fructus, niſi aſcendiſſet. Non marceſcunt fructus ejus in arbore, neque decidunt, non agitantur à vento, neque cadunt. Semper in cruce ſunt fructus, aſcendentes oportet denudari, & nudos nudam aſcendere crucem, ad nudum in ipſa pendentem. Crux aliter intellectualibus oculis apparebit. Crux generalis eſt virtus, magis verò crux conſummatio eſt virtu-
Joan. 19. tum, & in ipſa clamatum eſt : Conſummatum eſt. Aſcenſus crucis diſponetur in corde humilitatis, quæ appetit paſſionibus fieri omnino conſortem. In corde legitimi amoris diſponatur aſcenſio crucis. Profectò uſque ad mortem animatum ſociat verus amor, & cum conſummato indefeſſè omnia conſummante appetit conſummari. Amor id habet abjectum, quòd homo non abjecit mente atque corpore in amato. Vellet æquari in cruciatibus verus amor, quamvis in cauſa non poſſit. Aſcenſus crucis, eſt erectio à terrenis. Aſcenſus crucis, initium, medium & perfectio paupertatis. Nihil habet intellectualis crucis aſcenſor, & non curat, ſi dividantur inter homines bona mundi, & quæ de jure videntur ſua, ſolùm ſuum reputat, opera facere aut feciſſe virtutis, etiam ſi ſuper ſortem bona ſua in alios quandoque perveniant, non ſentit in animo paſſiones. Solùm hæc paſſio in animo figitur, quouſque perficiatur divina voluntas, & tota virtutis juſtitia compleatur. Tunc enim ab homine fit completa juſtitia, eùm nihil novit quid interius aut exterius addat per potentiam, neque per voluntatem. Plura enim poteſt velle voluntas, quàm homo poſſit efficere. Proinde nudum oportet fieri aſcenſorem, & impaſſibilem animo ad perdita, & ad illas, quas patitur paſſiones, ac etiam ad pœnarum miniſtros. Impaſſibiliter pendet in pœnis in animo Chriſtus, excepto, quod pro nobis dolet, ſed non de pœnis in anima dolet. Amor ſuus inſeparabilis non permittebat animam dolere de pœnis. Nos verò crucem impaſſibiliter aſcendamus, ut ad omnia materialia non ſit, at impaſſibilis ſit affectio. Qui ad impaſſibilitatem pervenit, accepit in animo divinam & claram imaginem atque virtutem, non corporis, ſed animæ impaſſibilitatem pronuncio. Alioquin ſi corpus iſtam in hoc mundo ſortiretur, præmio martyrum privaretur, quod in eò conſiliatur atque reponitur, quia natura paſſibilis ſuſtinet aſperum ſenſum, ut ex eo in pleriſque martyribus à corpore ani-

ma pateretur exilium. Impaſſibilitas animæ ſola eſt ſub cœlo libertas. Impaſſibilitas animæ quædam ipſius intranſmutabilitas eſt, ut in honore & ignominiis, in benedictionibus & maledictionibus, in opprobriis & laudibus, in doloribus corporis, atque ſanitatibus, in dilectionibus, & odiis, & aliis irrogatis viciſſitudinibus, obumbrationem atque tranſmutationem, neque varietatem ipſa ſuſcipiat per ſtudium gratiæ, non poteſtate naturæ, quod ſolius Dei eſt. Studebit anima in retardatis viribus ad hanc virtutem aſcendere, ut etiam adverſùs ea, quæ à natura inſurgunt paſſibiliter impaſſibilis maneat. Et adverſùs diabolum oportet in iſtam arborem aſcendere, adverſùs quem, occultam & indeficientem luctam habemus. Chriſtus namque de tetris exercitibus triumphavit in ſemetipſo, in effectum noſtræ redemptionis & imitationis exemplum, per manum affixam cruci, non ad repercutiendum extenſam, in nullo motus in anima. Impaſſibilitas animæ firmiter noſcitur ſituata, ſi omnino ad vitia patentia ingredi manet immobilis. Impaſſibilitas, conſummatio eſt virtutum naturalium, atque per gratiam aequiſitarum, ut in nullo cedat vitiis vel adverſis : Nec laſſitudinem patitur in actione virtutum, nec ipſam expedit quieſcere, quia libertatem ſortitur : Sed omnem exercitare virtutem ſecundùm inhærentem ipſarum proprietatem & varietatem temporum & locorum & aſſiſtentium hominum atque rerum, & inſurgentium motionum in anima, & immiſſionum factarum ab Angelis, aut à ſuprema virtute. Per comparationem ipſum aſcendentem oportet inſpicere, ut ſciamus, quantum nobis ad verum aſcenſum deſit, & ſine retardatione accedamus, ad quod agendum proponitur nobis. Sic enim Hebræ. 12. Apoſtolus ad Hebræos ſcribit : Deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in Authorem fidei, & conſummatorem JEſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem omni confuſione contempta. Recogitate igitur enim, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus contradictionem, ut non fatigimini animis veſtris deficientes, nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis adverſùs peccatum repugnantes. Verbo multa complectenti Apoſtolus locutus eſt, dicens : Deponentes omne pondus. Pondus eſt lex non deponenda. Pondus, timor non deponendus. Pondus, amor non deponendus. Quid eſt quod dicit: Deponentes omne pondus, ut curramus

ad

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

ad certamen ? Multa ſunt pondera, ſed bona & mala : Hoc verò ad id refertur, quod ad Corinthios ſcribit Apoſtolus : Omnis enim qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Si ab omnibus, ergo à contendendo, ergo ab equitando. Quomodo ab omnibus ſe abſtinet ? Scilicet quæ impedimentum præſtant ad contentionem, quæ agitur in agone. Hic autem omne pondus monemur deponere, non illud, quo virtuoſè anima ponderatur, ſed quo anima impeditur pondus deponendum eſt. Pondus contractum, ſcilicet originale peccatum, quod niſi abluatur, demerget ad infernum. Pondus natura corrupta. Pondus eſt amor inficiens & infectus. Pondus animæ eſt omne viſibile & corruptibile : Quia corpus quod
Sapien. 9. corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Sed nec deponendum corpus, niſi cum per inevitabile mortis imperium à corpore anima ſegregatur, deponendum tamen pondus eſt accuratæ ſolicitudinis. Omnes animæ vocantur ad Sabbatum virtutis, ut ad Sabbatum æternæ beatitudinis perveniant. Sabbatum celebrantes prohibentur portare deprimentia pondera & onera, quæ animam à divinis impediunt.
Jerem. 17. Jeremias dicit : Si autem non audieritis me, ut ſanctificetis diem Sabbati, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Jeruſalem in die Sabbati, ſuccendam ignem in portis ejus, & devorabit portas Jeruſalem, & non extinguetur. Peccatum verò circumſtans oportet deponere, ut curramus ad certamen, quod nobis à ſanctorum agonum poſitore Chriſto JEſu in cruce nobis proponitur, ut inſpiciamus fidem, quam nobis per crucem fecit. Ex Fide namque Chriſti feræ crucis pœna malorum converſa eſt in arma virtutum : Et quod eſt iniqui ſupplicium, in veri agoniſtæ meritum eſt converſum. Et quod fuit pœna primi hominis delinquentis, triumphus efficitur certatoris, pro Chriſto hominis ſubſequentis. Et mors ſuam ſervando vocabulo & actione malitiam, piè toleratæ gloriam acquirit æternam. Et ſi quid ſenſui delicato noſcitur horridum, ſi pro Chriſto pendatur, nanciſcitur præmium. Aſſumptæ per voluntatem afflictiones in corpore, atque irrogatæ ab improbis, conſecrantur ad gloriam per Fidei meritum Sanctæ crucis. Etiam ipſa mors, quæ tanto ſtudio ab hujus vitæ amatoribus devitatur, pro Chriſto ſuſcepta conſecratur ad præmium, quamvis eum tanto dolore hominum adimat ſenſum. Fecit enim nobis hanc in cruce Fidem ille JEſus, qui pro nobis ſuſtinuit mortem. Nec iſta ſenſibus percipienda ſeu comprehendenda rationibus ſubjacent, niſi hujus Fidei authorem, potius verò auctam ab ipſo Fidem aſpiciamus. Ipſa enim Fides hoc gratiæ privilegium à Chriſto ſuſcepit, ut omnia mala pœnalia, dum vivitur, transferre poſſit in arma virtutis. Et ſi qua humanæ vitæ propter aſperum ſenſum, aut per privationem delectationis noſcuntur adverſa, pontes, & viæ fiant ad æternam vitam pro Fidei authore ſuſcepta. Appropinquemus in altitudinem noſtræ mentis ad crucem, & aſpiciamus conſummatorem JEſum. In illa facta eſt conſummatio perfecta noſtræ redemptionis, in nullo ſortita defectum. Sanguis enim divinus in ilſa effuſus eſt, & ſolutum eſt debitum, quo tenebamur obnoxii. Nec conſummationem fecit illa virtutum, ſed velut ſignum ſive ſigillum inſtrumento atque chirographo vitæ ſuæ atque doctrinæ in conſummatam perfectionem appoſuit, & per ſignum monſtratæ ſunt in illa in animo habitæ atque dilectæ virtutes & exceſſus amoris, ad creaturam de horrendis periculis eruendam. Omnis hominum natio in crucis eſt conſummata myſterio. Ad ſpem ſupernæ vitæ commota eſt, quoniam propter æternam vitam temporalibus concedendam, temporalem mortem toleravit æternus. Proinde ſpes omnium noſtrum de altiſſimis eſt defixa radicibus, oſtenſa eſt per mortem charitas. Ad ipſam verò aſcendere volentes invitamur ad crucem, pendet enim ibi repenſionem ab omnibus quærens. Omnis humilitas depicta eſt in tabula Sanctæ crucis, nulla deeſt in cruce imago virtutis, imo nulla deeſt virtutum proprietas, virtutumque perfectio. Etenim ibi paupertas rerum, amicorum & humanæ potentiæ patientia. Nulla querela ibi auditur, niſi orationes ad patrem, & benedictiones pro maledictionibus. Summa malorum & ignominiarum ſuſceptio, expoſitio corporis & animæ ad opprobria, abſtinentia & afflictio guſtus, caſtigatio corporis, caſtitas, vilitas atque dejectio. Verè conſummator bonorum JEſus omnem virtutem conſummavit. Aſcendamus ad iſtas paſſiones, videlicet conſummatas à Chriſto virtutes, nec aſcendendo unquam nobis decrit aſcenſus, ſemper ſupererit quo aſcendamus fide. Aſcendamus amore, & imitari velimus in paſſionibus in oſtenſis exemplo virtutibus eum, à quo petimus coronari. Volens attingere palmiferum culmen, iſtam arborem aſcendere non devitet. Aſpicientibus hæc claret impaſſibilitas. Ipſa enim eſt

virtus

virtus & ſumma diſpoſitio ad omne applicabile animo, & corpore per virtutem. Ipſa eſt, quæ nihil determinatum aut propoſitum habet ad bene agere, atque pro juſtitia pati, Intendit enim bonis, gaudet pro juſtitia & paſſionibus omnibus. In aula impaſſibilitatis nihil eſt triſte, virtutes lætificantes non deſunt, nec ingrediuntur conturbantia mala, ſummè ſe protegit à malis, atque à vitiis purus, & uſque ad ſanguinem, imò uſque ad mortem incurrendum, & repugnans adverſus vitia reſiſtentiam facit, & non patitur ex probitate cernendi, ut ſibi adſcribatur ignavia. Quærit iſta probiſſima virtus ſemper in agonibus eſſe. Agonizare verò quietem ſuam dicit & pacem, Ut verò triumphando poſſit inire certamen, quærit ſæpe ducem, cui ſe ſummè ſupponit in directionibus ejus: Suſpenſa ſemper ad tubam excitationis ejus, impaſſibiliter ſuſcipit onus belli. Ipſa nempe nunquam adveniet, niſi receſſerit ab homine ſuus hoſtis. Impaſſibilis hoſtis ejus & proprius amor, conſœderatus corpori per amorem. Etiam hanc umbroſam parum diligens vitam, aut tenuiter apperens vivere in cordibus aliorum, nunquam ad iſtam virtutem perveniet. Non amans corpus corporis pericula non timebit, exponit enim illud velut ſylveſtrem beſtiam ad affligenda mala. Non dicitur aliquid perdere, qui non dolet de perditis, nec dicendus eſt pati periculum, qui prompto animo incidit in illud. Abhorrens vitam, non patietur à morte. Cui enim inimica eſt vita, ſeu in amore ipſa non eſt, mors eſt amica. Nemo enim ſe dicit pati ab amico, ſi ſibi ſervit in placitis. Cupiebat diſſolvi Apoſtolus, & eſſe cum Chriſto. Philip. 1. Diſſolvens ergo mors ſibi erat amica, quia ſibi ſerviebat in placito. Fertur magnum quendam agonitam, tyranno minanti & volenti eum iſta vita privare, tale dediſſe reſponſum: Tu ſolus ad mea vota concordas, & gratias tibi ago innumeras, quia me ab iniquis Dominis abſolutum reſtitues juſtiſſimo regi regum. Qui non afficitur ad hanc vitam, impoſſibile dico affici ad aliquid vitioſè, quo vita iſta fulcitur. Proinde non patietur, ſi aliquid adimatur. Qui verò in cordibus aliorum reſidere non appetit, non patietur ex nota poſſeſſa, neque curabit conſpicuum in aliquo fieri, nec privatus amicis per decisionem & mortem, paſſionem in animo patietur, & Verbo in aliquo contra Deum. Impaſſibilitas non eſt ex carentia ſenſus, ut eſt in illis rebus, quæ omni vita & ſenſu privantur: Nec eſt in temerariis, qui ex ipſa temeritate præſumunt: Nec illam tenemus in via, quam in ſuperna patria ſuperni per beatitudinem poſſidebunt cives: Sed illam, quæ naſcitur, aut gignitur de prædominante ratione. Prædominans ratio, quæ rationabiliter jubet omnia fieri, ſæpe non patitur aut afficitur vitioſè, aut pervenit de longinquo virtutum ſtudio multis gemitibus & intimis deſideriis & orationibus habito per divinam gratiam irrogatam. Nunquam impaſſibilitas à natura ſolùm habet inſurgere, donum enim eſt cœlitus in homine. Qui habet diffuſam gratiam à Deo in anima & potentiis ejus, proponit ſibi aliquid æternum impaſſibilitatem quærens, quo auctus, poſtponit tranſitorium cruciatum, præponit cœleſte, ut poſtponat terrenum, præponit divinum, ut poſtponat humanum. Suſtinet, quod infertur, contemnit, ſi contemnitur atque dejicitur, qui gaudium ineffabile anteponit. Vilis eſt omnis pœna, ubi pura & libera conſcientia gaudet. Contemnitur omnis confuſio, ubi menti propoſitur gaudium virtutis, & veritas æternitatis. Recogitemus eum, qui conſummationem fecit bonorum omnium per crucem, quam aſcendamus in alleviationem fatigationum advenientium, & omnimo non deficiemus. Impaſſibilitatem animi oſtendit Abraham, & omnimodam carentiam vitioſæ affectionis, cùm promptitudinem oſtendit ſine animi pallione ad Filium immolandum audito divino imperio, cui nec Verbo, nec animo reluctatus eſt. Qui carere abſque dolore poteſt his, quæ communiter & naturaliter diliguntur, ad impaſſibilitatem cruets cœpit aſcenſum: Qui verò per legitima & inſolubilia fœdera novæ ſapientiæ in uxorem ſuſceptæ ſuper materna morte conſolatur, ſcilicet ſuper privatione à Deo facta, ſeu permiſſa, eorum quæ à natura inſurgunt, ſolùm novis & intellectualibus amplexibus delectatus, altiorem aſcendit gradum. Quod Iſaac legitur feciſſe, cùm Rebeccæ amplexibus fuiſſet aſtrictus, interpretatur enim multa patientia, aut quæ multùm accepit. Multa patientia ſolùm ibi eſt, ubi vera impaſſibilitas eſt, & ubi multa patientia regnat, multam ſapientiam adeſſe nullatenus ambigatur. Et multa recipit, qui multa ſummo & indefectibili largitori dedit. Multa Deo reddit impaſſibilitatis virtus, quæ non multa, ſed plurima ſuſcipit à Deo, & ſæpe

ſenſum excedentia, uſquequo conſummatio Amoris JESU impenſi atque repenſi fecit in via ultimam impaſſibilitatem, & nullam niſi cæleſtem expectat. Eſt enim ipſa propter impaſſibilem non invitè ſed voluntariè patientem virtus in anima, & actio in corpore conſummata. Beatitudo eſt & gloria ſubcœleſtis in agoniſtis agonizantibus propter Chriſtum, & glorioſè degit in valle miſeriæ: Ipſa eſt felicitas interioris Paradiſi, eandem rem habens imaginem, quam accepit: Ultra iſtam non novit niſi glorioſum & æternum ſperare triumphum. Si conceptio ceſſaret à locutionibus veritatis, & oculi rationis & Fidei abſque umbra reſpicerent, omnino viderent ipſam, & perfectam charitatem, non aliter niſi ſolis differre nominibus. Et conveniunt ſine differentia in perfectione certantis in ſtadio, quo curritur ad bravium ſupernæ vocationis. Aſpiciamus & aſcendamus, totis viribus nitentes impaſſibiles fieri: Et fiet omnino non noſtro merito, ſed divino dono, ut uſque ad id celebretur impræterminſſe agonizantis aſcenſus, à quo protoplaſti incœpit occaſus, excepta morte, quam experimur, quam ille, ſi ſtetiſſet, non fuiſſet expertus. Aſcenſus crucis ad hanc aſcendere omnino invitat. Sed clauditur hujus intelligentiæ altitudo diſcolis, velut coruſcatio inſtantanea, incomprehenſibiliter quid oſtendens, aperitur in Evangelio per Fidem ad per agones initiatis gradientibus iter virtutum. Claret velut auroræ diſtinctio à præcedente termino noctis, veris & ſtudioſis inquiſitoribus occultæ veritatis, velut meridiani lux innoteſcit, quòd aſcenſus impaſſibilitatis eſt etiam aſcenſus crucis. Hæc ſiquidem de cruce prætulimus, propter Chriſti continuandum aſcenſum in noſtrum exemplum: Sed alibi crucis myſterium differendum ſervamus.

Cap. IX.

De deſcenſu Salvatoris.

ASCendit JESUS in cœlos, ubi niſi violento ſenſu moralitas non habetur. Glorioſus ſurrexit, & glorioſus aſcendit. Glorioſa reſurrectio & aſcenſio Finis eſt morum. Myſterium altum eſt, non exacta moralitas. Conati ſunt tamen plurimi hanc reducere ad mores, non contradicens quod bene dicitur, & vulgares piè informat: Diſtorquetur, dum mores hujuſmodi ineffabilia myſteria devitant. Sicut aſcendit, ſic & celebravit deſcenſum, qui aut ſuam ineffabilem humilitatem & dignationem propter nos inſinuat, aut conformitatem, aut exemplares in nobis aut puriſſimas actiones, ut propemodum exequamur, prout ipſe prærogavit exemplum, quamvis habuerit abſque inviſibili bello virtutes ab omni labe purgatas, ſimiliter & ſubjectiſſimas virtutibus corporis actiones, quanquam tentari voluerit & perpeti pœnalitates, & pro ſenſualitate in profunda oratione depoſuerit argumenta. Deſcendit JESUS (ut ſupra prærogavimus) Nazareth in exemplum omnis dejectionis inviſibilis, atque viſibilis hominis: Pro obedientia, quæ reducit ad partiam exequendam. Ipſe namque alicui dixit: Deſcendi de cœlo, non ut meam faciam, ſed voluntatem ejus, qui miſit me. Primus verus & mentis deſcenſus in id tendit, ut non voluntatem noſtram, ſed voluntatem illius, qui nos in hunc mundum miſit, conſtanter faciamus. Non enim niſi ut ad ſuperna revocet, deſtinavit. Et eorum ſiquidem, qui dirigunt authoritate, atque ſcientia in ſuperna, oportet (velut vicem gerentium) primi patris voluntatem exequi, ſecundùm directionem almificam ſurſum ferentis virtutis. Qui non deſcendere novit voluntariè ab omni cacumine mentis & propriæ directionis, nunquam appropinquabit ad aliquem virtutum aſcenſionis gradum. Non in anguſtum includo virtutes, ſic prædicans omnibus exiſtentibus in mundo, & extra mundum fieri volentibus, atque in veritate factis extra ipſum loquor, quia niſi quis deſcenderit ab eo, quod eſt per naturam corruptam, aut per voluntatem propriam, nunquam aſcender per gradus fabricatos per gratiam, divinamque juſtitiam. Præter has duas arces altiſſimas fabricaverunt, qui ſibi videntur juſti: Unam videlicet propriæ regulationis, alteram verò propriæ reputationis. Alii primam & non reliquam, alii reliquam & non primam, alii primam & reliquam. Reputatio difficiliter reprimitur, atque ab arce dejicitur, qui aſcenderit. Ab arce verò propriæ regulationis neminem vidi deſcen-

Joan. 6.

descendere. Facilior fit ascensus, quam ab arce propriæ singularitatis dolentis. Tractavimus autem hæc, ubi de virtutibus egimus. Sed descendere ab his oportet justificari volentem. Descensio verò JESU de montibus ad planitiem, in exhibitione sui factâ turbis & infirmis non valentibus alta conscendere, sed detentis à desidia ascendendi construit humillimos hominum mores, eorum videlicet, qui divinas susceperunt illustrationes, aut quærunt cœlestia, & ineffabilia bona descendentes ad eos, qui involvuntur ut turbis, & detinentur ab infirmitatibus spiritualibus, quos juvare cupiunt exemplorum diffusa in eorum cordibus, ut velint omnes dirigere ad patrem luminum, cujus charitatem cognoscentes supernaturaliter, superintelligibiliter, & æternaliter diffundi in nos pro capite Fide, super omnem rationalem creaturam, & invenientes per fidem voluntatem ejus, qua vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, conantur eripere de operibus tenebrarum, & communicant infirmitatibus infirmorum, & omnibus omnia fiunt, ut omnes lucrifaciat propter eum, qui nobis omnia factus est; ut omnes lucrifaceret: Et propriis consolationes dubitatum, & recusans semper morari in montibus contemplationis, & divinæ ubertatis propter relevandos proximos, quos jacere novit, & habitare in vallibus nebulosis. Cognoscunt sanè necessitatem descendendi propter proximos: Magis verò propter seipsos, & propter divinam justitiam, quæ in cordibus omnium hominum tanquam utentium clamat: Qui suos inferiores non adjuvat, nec ipse à sublimioribus potestatibus adjuvetur. Et qui manum non porrexerit ad jacentes, nec ipse super se sentiet omnipotentis manum relevantem atque trahentem. Proinde necesse fit quandoque descendere ad conservos, etiam consideratione communis gloriæ possidendæ. Respectu æternæ gloriæ proximo acquirendæ, devitandæque pœnarum æternitatis: quicquid esse potest contemplationis, suspensionis mentis, dulcedinis ineffabilis: Si in tempore agitur, securissimè omittatur. Tutiùs atque gratiùs relinquitur quodcunque perfunctorium bonum pro devitando malo æterno, atque suscipiendo bono æterno etiam in proximo, quàm tentatur dulciter in ipso. Descensus ineffabilis Dei erit, cùm ad considerationem factorum nostrorum bonorum sive malorum, semetipsum inclinat; licèt ipse omnia in semetipso immutabiliter faciat, & sed creata natura mutabilis opera divina in se immutabiliter suscipit. Ut verò in descensionibus ædificemus mores, per prata scripturæ sacræ aliquantulum decurramus. Cùm peccasset Adam, ad eum divina potentia in voce descendit, investigans ubi erat. Verè quædam dignatio descensionis erat, cùm creator creaturam de actionibus suis exquireret, & invitabat ad confitendum, quod fecerat, ut parceret, si confiteretur humiliter: Puniret, si negaret procaciter: Autcommissum malum superbè offenderet, quod & factum est. In quo docti sumus, ut humiliter descendamus ad delinquentium delicta, ad exigendum humiliter culpam: Ut corrigamus, atque parcamus, aut cum misericordia puniamus. Etenim Deus ad ipsum descendens, non delevit, ut potuit: Sed punivit, ut voluit peccatricem naturam. Descendit in voce delapsa de cœlo, ad præcavendum de Cain præcogitatum malum, & rerum ad exigendam confessionem humilem, ut præstaret debitam veniam. Meritorè in suis montibus habitat, qui potest in proximo præcavere delicta, ut etiam, si novit, quod in se est, faciat, quanquam sæpe præmoniens ipse non caveat. Salvatis enim, (ut per Ezechielem dicitur) animam tuam, etiamsi præmonitus proximus delinquendo perdidit suam: Multùm superbè ascendit, qui si potest, non revocat aut tenet dispositum ad ruinam, ne in pœnam intromittatur æternam: Magis verò, ne divinam offendat justitiam. Nam si quispiam in altissimis montibus degens, qualicunque oculo conspiceret carnalem patrem à quoquam offendi debere: Velut fulmen descenderet, paternam devitaret, aut impediret offensam, assumptos labores & quietem perditam non abhorrens, malè paternas oves custodiret in montibus ex præcepto paterno, si summam non devitaret, cùm posset injuriam, dum conspiceret esse vicinam. Excedit sanè omnem impensum, atque impendendum honorem, injuriam devitare paternam. Nam ipsam sustinere, quam posset avertere, omnem excederet injuriam. Præter quam tuipse malè agitatus inferres, & omnem confundit honoris impensionem injuria tolerata. Quantò magis pro æterno patre sunt vicissitudines assumendæ, ut nunc in montibus, nunc ad valles fiat descensus, si potest caveri, ne offendatur lingua. Penitus erat Dei descensio ad Cain, ne concepta facinus perpetraret. Tu quoque

descende

deſcende uſque ad peccatorum conuallem, & averte, ſi potes, injuriam Dei: Et ſi tale malum intenditur, damnum remove proximi. Quomodo ergo diligit Deum, etiamſi ſibi & multis aliis ſerviat, ſi poteſt, & ejus injuriam non avertit. Similiter ad revocandum Cain poſt fratricidium, in voce interrogationis ad compungendum ipſum iterum deſcendit amator hominum Deus. Hoc idem parabola inſinuat, quod deſcendens paſtor de montibus, in illis non ſagittanovem relinquens, pereuntem unam deſcendit in
Luca. 15. vallibus quærere: Omnino innuens, ut hi, qui ſuperiores ſunt authoritate, doctrina, vita, ad eos qui inferiores ſunt, deſcendant: Juxta quod fieri poteſt communicabile inter eos, ad præcavendum malum, & ad revocandum poſt actum. Cùm hominum ſuperbia, per manufactam turrim tentaret in ſuperna conſcendere, unde primo velut primogenita mors fuerat ipſa dejecta, ad illam reprimendam poſtmodum confundendam ſuo modo ineffabili celebravit Deus ipſum deſcenſum. Inquit enim ſcriptura: Deſcendit autem Dominus, ut videret civitatem &
Genes. 11. turrim, quam ædificabant filii Adam. Hic enim deſcenſus ad mores relatus, certitudinem diſcuſſionis malorum præmuntiat: Ut malum corrigendum aut puniendum non ſit in opinione, ſed in certitudine. Similiter fecit cùm dixit: Clamor Sodomorum multiplicatus eſt, deſcendam, & videbo, utrum opere compleverint, an non ita eſt, ut ſciam. Humiliter & providè in omni foro judicii, ad certam ſcientiam malorum, quæ aguntur, deſcendat ille, qui præeſt: Ne quomodolibet incautam inferat ultionem, aut corrigendo prætereat delinquentem, & notet infamia, vel pœna puniat innocentem. Et cùm videret ab opere non ceſſare ſuperbos, ad impediendum & ulciſcendum (ut ſcriptura refert) iterato deſcendit, dicens: Venite igitur, & deſcendamus, & confundamus ibi linguam illorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui: Quod & factum eſt. Ecce divina deſcenſio ad impediendum, ne tantum procedat, quantum fuerat ante prævium. Providentiæ noſcitur eſſe deſcenſio, ne mala incœpta progrediantur in amplius: Miſericordiæ deſcenſio iſta prænoſcitur, ne malum initiatum ultra procedat, ne judex aliquem inveniat, in quem puniendo deſæviat. Deſcenſus iſte juſtitiæ fuiſſe non ambigitur, cùm mala juſtè punitur intentio, etiamſi operatio non ſuccedat, nec enim iſti, ut intendebant, aſcenderunt in cœlum. Juſtitia fuit iſta deſcenſio, ut mala inſimul conſpirantes confuſio ſequeretur. Juſtè igitur fit, ut qui ad mala patranda convenium, quòd, ut ne perficiant, dividantur. Magna etenim eſt diviſio, ubi quod dicitur ab uno, ab alio non intelligitur. Quod ſi aliter fieri nequit, ſeparentur corpore atque locis, qui ad mala fiunt voluntate atque actione concordes. Proinde quorum intereſt, ex his formam deſcenſionis aſſumant. Ad liberandum à malo ſubjectos, oportet omnino deſcendere in aliquo culmine conſtitutos, exemplo conditoris, qui omnes vult liberare quos condidit. Inquit certè, ut Exodi legitur: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem ejus audivi. Et ſubditur:
Exodi. 3. Deſcendi liberare eum de manibus Ægyptiorum. Humili dignatione deſcendat in aliqua celſitudine conſtitutus ad eos; qui à diabolo & tenebroſo vitiorum populo affliguntur, ad eripiendum eos de manibus eorum. Et his gradibus atque modis fiat deſcenſus, quibus opportunè liberetur malè detentus, doctrina, ſuaſione, remedio, virga, minis, & his quæ requirit diſpoſitio detentorum. Ac per hoc, ſi per Chriſti deſcenſum noſtris moribus formam damus, tota Chriſti vita deſcenſio eſt per humilitatis, vilitatis, deſpectionis, paupertatis, pœnalitatis gradus & per liberationis viam: Quousque infema deſcendendo penetraret, & inde ſolùm miſericordia dignos extraheret. Deſcendamus per hos gradus: Deſcendamus de ſolio iniquitatis: Deſcendamus conſideratione atque dolore in mala quæ fecimus, & in quas meruimus pœnas: Deſcendamus in infernum viventes, capientes exinde ad mala cavenda timorem atque terrorem, ne deſcendamus illud morientes, habentes vitam ſine fine pœnalem. Deſcenſus Chriſti ad inferos non habet mores, ſicut aſcenſus ad cœlos. Libuit jure poſt aſcenſum deſcenſum opponere: pro eo, quod omnes ex natura corrupta fumus in imis, nec nobis poteſt eſſe virtutis deſcenſus, niſi per gratiam ad virtutem fiat primo aſcenſus, quamvis ad actualia peccata proclivior poteſt eſſe deſcenſus. Sum deambulationes laborioſæ JEſu, præter aſcenſus atque deſcenſus, ex quibus fatigatus ſedebat ſuper fontem, cùm hora eſſet quaſi ſexta. Pro forma ſervi dicitur, fatigatus erat, & quod ſedebat. Forma Dei omnino in fatigabilis & impaſſibilis eſt. Ex hoc innuit, quid ſuſcepit pro nobis, & quo amore conjungitur nobis, ſi fatigatur

tigatur infatigabilis. Ex quo præostendit hæreditarios mores nobis ex actione sua relictos, ut in laboribus & fatigationibus agamus hanc umbraticam vitam. Adam de loco quietis justè expulsus, meritò in loco miseri hujus incolatus cum tota sua prole fuit passus exilium, ut nec solutum pro nobis pretium ad paradisi mœnia revocaret. Sed nec ad hunc quietis locum venit nos Salvator requirere: Sed ad locum miseriæ atque pœnæ, ut una esset pœna, non culpa redemptoris & redempti. Et qui tradidit homines in exilium, cum illis exilium pateretur: Et vindicta justissima peccatoris esset injustum supplicium redemptoris. Ac per hoc capitis fatigatio membra fatigare juste compellit, ut nec velimus quiescere, ubi ipse voluit laborare. Sed si requies in via interdum, antequam deveniatur ad terminum, quæritur, sic fiat pro quiete sessio super fontem. Sed sicut prohibitum est desperare, sic præsumere prohibetur. Sicut nemo præmia divina desperare prægogitet, sic nec sibi de misericordia blandiatur. Præsumpserunt multi habitantes in voragine occultæ deceptionis, dicentes: Ad quid necessarii sunt labores, ad quid abstinentiæ atque omnes corporis afflictiones, ad quid conferuntur talia? Spiritus est enim Deus, & in Spiritu adorari vult, & amari. Si adoramus, atque amamus in Spiritu, quid nobis agendum remanebit in posterum? Vana sunt, quæ fiunt, & ludibria puerorum, aut novitiorum steriles passiones. Sed non adverterunt aliam Salvatoris sententiam dicentis: Qui mihi ministrat, me sequatur. Et aliam: Siquis vult venire post me, abneget, semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et Petrus dicit: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus. Et Paulus ait: Exeamus extra castra, improperium ejus portantes. Et Joannes in canonica sua dicit: Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ipse ambulavit, & ipse ambulare. Et oportet omnino, quòd vita Christi JEsu manifestetur in vestra carne mortali. Et ad Galatas Apostolus loquitur: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri JEsu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nec unigenitus Dei Filius pro nobis in tempore factus homo voluit sufficere, quòd nos diligebat: Etiam aliter, quàm per pœnas & mortem redimere poterat: Nisi per corporalia signa ostenderet, ac sustineret pœnas & crudelissimam mortem. Quo modo, quo pacto inficiabimur, non expedire corporis passiones atque labores, si membra debent capiti nostro in moribus conformari, si fatigationes atque labores sustinuit, qui nos poterat absque his omnibus liberare? Nam si unguentum capitis descendit in barbam, similiter & sanguinem capitis barba suscipiat. Etsi speramus in corpore beatificari, expedit (secundùm decentiam juris) quòd toleremus in corpore passiones, quamvis ad gloriam non sint sufficientes. Inquit enim Apostolus: Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et in Actibus Apostolorum legitur, per multas tribulationes oportere intrare in regnum Dei. Et Jacobus in Canonica sua dicit: Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis. Et Petrus ait: Communicantes Christi passionibus gaudete. Ad idem refertur, quod Apostolus dixerat Corinthiis: scientes, quoniam sicut socii passionum estis, sic & resurrectionis eritis. Et si corpus suum castigabat Apostolus, nunquam non castigando præsumat in posterum Christianus adultus. Statuit divina justitia in homine certante coronas, sed non coronabitur, nisi legitimè certaverit. Sicut enim nec in via, sic nec in patria ejusdem naturæ fient corpus & anima: Et unicuique stabit merces propria prætaxata. Si non requiruntur ad supernum regnum corporei labores atque dolores, stultè crucifixus est Christus: Quod erat impertinens operatus, & egit à seipso & in seipso: Quia fecit præter justitiam, & rationem seu justam necessitatem, & deliquit, si non expedientia sed superflua fecit: Quod credere nefas fides Catholica dicit, asserens, nihil nisi propter justitiam & rationem, atque debitam exigentiam Christum eduxisse in actum. Stulti fuerunt Apostoli, Martyres & cæteri Sancti, qui tot laboribus, & sudoribus, & fatigationibus, passionibus insudarunt, ut captarent regna cœlestia, si opera corporalia, & exercita laboriosa non exquiruntur in adultis ad regnum. Ad indignationem Dei sibi blandiuntur talia machinantes, quòd amantibus solùm in animo, & altissimis contemplationibus insistentibus non expediant opera laboriosa. Nam nullus major Christo, nullus major Virgine, nullus major eo, qui quasi ex fascis incola est factus deserti. Nullus posterior major Apostolis, qui corpora in jejuniis, laboribus, abstinentiis, & sudoribus mactaverunt. Et expedit

Math. 16.

1. Pet. 2.

Hebræ. 13.
1. Joan. 2.

Galat. 6.

Rom. 8.

Jacob. 1.

Corinth. 2.

omnino, animo & corpore fieri Chriſti formem : Nam ipſe animo & corpore factus eſt homiformis, ſimiliter & pœniformis. Et ſi ſubrogant ſuæ paſſionis argumentum, quòd ideo Chriſtus ſuſtinuit, ne nos pateremur : Imo ipſe ſuſtinuit, ut & nos imitaremur. Nec credendum eſt, quòd à temporalibus pœnis eruendis laboraret æternus in tempore, ſed pro æternis. Nec mutatus eſt Chriſtus, aut aliam legem dedit, aut aliud Evangelium condidit : Sed qui heri, & ille nunc, & ipſe in ſæcula ſæculorum : Et Evangelium ejus & Evangelici mores durabunt immutabiliter, quouſque Finali ſententia vita omnium hominum terminetur. Fa-
Joan. 4. tigatus eſt Dominus JEſus ex itinere, fatigemur & nos itineribus mentis. Ex nihilo venimus, & in id tendimus, niſi conditor ſiſteret. Naturam infecimus, onera ipſius corruptionis portamus, frequentamus peccatorum & delectorum vias. Jura noſtra ſcripta ſunt in inferno, illuc pergimus motu noſtro cum annquis peccatoribus locandi. Lubrica & lubricata ſunt veſtigia noſtra : Nihil Deo dignum, nihil rectum agimus, ambulamus vias difficiles, viam Domini ignoramus, non incedimus iter rectum, ſed tenebroſas vias : Infames ſunt greſſus noſtri, perverſæ ſunt viæ noſtræ, nec vitæ ſemitas ambolamus. Hæc & plura indicibilia mala ſunt in nobis. Fatigemur igitur talibus conſiderationibus in intimis noſtris, fatigemur in quibuſcunque virtuoſis. Fatigemur in ſedulis memorationibus eorum, quæ nobis divina bonitas contulit, & promiſit, & infinitorum malorum, a quibus nos miſericorditer eruit, & ad locum inevitabilis judicii mens fatigata inceſſanter accedat. Fatigetur & corpus, Salvatoris pro poſſe corporea imitando veſtigia. Job pro ſe, ac pro
Job. 23. nobis animandis dicebat : Veſtigia ejus ſecutus eſt pes meus. Cùm verò in via interdum quieſcere volumus, ſedeamus hora ſexta ſic ſuper fontem. Fons iſte ſive puteus, abundantia eſt, & profunditas terrenorum : Fons iſte, emanatio delectationum eſt : Fons iſte, profunditas naturalium, & ſcientiarum humanarum : Fons iſte, emanatio veterum ſcripturarum atque ceremoniarum eſt, quarum omnium potus ſitim non aufert, ſed multiplicat. Sed Samaritana jerat iterum atque iterum haurire, cui fontis defe-
Joan. 4. ctum declarat ipſe Salvator : Omnis qui biberit ex hac aqua, ſitiet iterum. Super quem fontem oportet ſuperſedere, non ſubjacere. Non ſubjaciatur defectibilibus amor : Non enim quieſcet ſubactus, atque agitatus calcaribus equus, ſuperſedens verò quieſcit, & fertur. Aut res nos deſerunt, aut ipſas deſerimus: Si deſerunt, in adiutorio ſunt : Si deſerimus, corpora & corda gravant. Super legem & Prophetas, ſuper ceremonias & hiſtorias veteris Teſtamenti, per intellectum Fidei quieſcamus. Omnia enim expectabant ſuperſedentem JEſum. Siqua ſunt profunda & alta veteris Teſtamenti, ſuperſedet Dominus JEſus, ad quem, ſi acceſſeris, profunditas legis antiquæ ſubjacebit intelligentiæ Fidei. Nam ſicut velamen erat in facie Moyſi, ut in Exod. 14.
eam Filii Iſraël aſpicere firmè non poſſent: Sic & nunc in cordibus omnium, ſed cùm à quibuſcunque tranſitur ad Chriſtum, aufertur velamen. Nihil ad ſalutem expediens lateat in veteri lege, ſed Chriſtus in illa cum corpore ſuo myſtico intelligitur figuratus, ſimiliter & prophetatus. Simili modo & puteus altus eſt, cui ſuperſedet & Chriſtus cum corpore ſuo myſtico, cujus quilibet ſingularis Fidelis fideliter membrum eſt. Quieſcamus in ambulationibus noſtræ mentis ſuper puteum ſcripturarum per Fidem in hora ſexta, ætate ſic quota ſcilicet, in qua divina ſunt revelata myſteria. Superſedeamus ad puteum omnium naturalium inveſtigatiunum. Gratia penitus ſuperſedere facit, præſertur ipſa naturæ, ſubjicitur gratiæ creatura, & ſua varietate decurrens natura. Puteus altus eſt, & ab omnibus omnino imperſcrutabilis : Fons eſt, indeciſe ſuas varias ſundens aquas. Superſedendum eſt, nec amplius haurienda eſt de naturarum profundiſſimis aqua. Chriſtus certè non hauſit, nec Samaritanæ ſuis Verbis permiſit haurire : Sed reliquit hydriam, concupiſcentiam & voluntatem, quas ex ipſa ſolent implere, qui ab hujuſcemodi conquiſitione vexantur : Sed evacuatur hydria concupiſcentiæ & voluntatis, & ſemper reveruntur ad idem. Fons iſte mihi aliud non oſtendit, niſi omne à vero eſſe deficiens, nec perficiens quenpiam in ſalutem. Quod inſinuat, Chriſtum non hauſiſſe, nec Samaritanam haurire permiſiſſe, pollicitum aliam aquam ſufficientem. Quippe virtuoſè quieſcit, qui non haurit impertinens, atque defectus : Sedens corpore, mente verò in ſublimia, & profunda conſideranda perambulans. Ambulabat JEſus, & ibat per civitates & caſtella, & actu mures ordinans ad præſentes ſimiliter, & ad futuros, quos prævidebat eſſe ſequaces, in nullo ſibi parcens,

cens, pro nobis omnia factus, non uſus vehiculis aut equis. Nunquam in ſuis itineribus legimus equitaſſe Jeſum, excepto, quòd in deſignatione myſterii, & oſtendendæ humilitatis pro futuris ſucceſſoribus ejus in authoritate regiminis, & pro ſequacibus ejus, in imitatione virMatth. 21. tutis ſemel aſcendit aſinam & pullum ejus. Sed proh dolor! quòd humilis Aſinus factus eſt ſuperbiſſimus Equus Apoſtolorum veſtimenta, quibus ſuperpoſitis aſinino dorſo dominus & ſalvator ſuperſedit, facta ſunt eburneæ ſellæ, ſimiliter deauratæ ornatæque margaritis: funis canabeus quo ligabatur, ducebatur, frænabatur animal ſubjugale, in ſericas ceſſit habenas: & aſininum caput verſum eſt in equinum, & auro undique fulget, & fulgentibus voluitur in circulis. Dependebant pedes Jeſu circa latera ſubjugalis, nec in aliquo præterquam in elemento levi aeris inſolidi ſe figebant. Et laboriosa eſt atque pœnalis equitatio pedibus in aliquo non firmatis. Sed væ! iterum atque iterum, quod ſtupidæ factæ ſunt in oculis intuentium radiantes ad ſuſtentationem pedum, & ad oſtendendam in minimis utentium vanitatem. Virga, qua excitabatur pigritia ſubjugalis, tranſivit in calcaria deaurata, quibus à quieſcente pede delator equus urgetur, ne laboret manus virgam agitando per aera. Abhorruit iſta ſalvator, & ſuis moribus juſtiſſimis in poſteris diſſuaſit, abrenuntians materiei viſibili auri & argenti, ut etiam unde poſſet emere, non haberet. Uſus eſt aliquando navigio ſuper undas marinas, potens omnino aliter, & ſubito tranſfretare, ſed voluit ſimilibus appareper omnia fratribus ſuis, & peccatorum fluidas aquas docuit pertranſire. Ambulavit interdum fixo veſtigio ſiccòque pede abſque navigio ſuper mare, ut glorificationem corporis oſtenderet, quam ab inſtanti conceptionis ſuæ ipſe poſſedit, ſicut æternorum ſuperglorioſus, & ſuper omnem creaturam comprehenſor exiſtens, quamvis voluerit pro nobis incedere ut viator. In qua etiam ambulatione fidelibus mentibus id oſtendit, quantùm virtus fidei & gratiæ ſuperferatur ipſi naturæ. Nam habetur per fidem, & gratiam, quod naturæ, qua vivimus, omnino negatur, eo merito quo corrupta, quamvis ſi manens in eo, quod condita, an hoc donum cum cæteris perditis habuiſſet humiliter ignoremus. Sed hæc perficiens, exititit à ſuis diſcipulis & connautis exiſtimatus phantaſma. Phantaſma enim eſt apparitio incorporeæ rei ſub figura corporea. Phantaſma eſt apparatio, quæ fit ſenſibus conturbatis, timore aut aliqua paſſione. Phantaſma eſt omne vanum, quod videmus in ſomnis. Phantaſma fit dæmonum illuſione circa hominis exteriorem ſenſum. Phataſma eſt aliquid exiſtimatum aliud, quam id, quod eſt, ex difficultate aut ex ignorantia diſcernendi. Phantaſma eſt, quod inducit alicui ex aliquo apparenti, non autem exiſtenti ex improviſo timorem. Phantaſma imaginationis vanitas. Sed in nocte Chriſtus in adiutorium veniens daturus requiem fatigatis, ſecuritatem timentibus, creditur eſſe phantaſma. Regnat adhuc hæc peſſima exiſtimatio ſuper terram. Exiſtimant Phantaſma Judæi omnia myſteria Chriſti, hoc pagani, hoc philoſophi naturales, & impoſſibilia, & quædam deliramenta credunt Chriſti humiles actiones, & velut phantaſma fictum Chriſti myſteria, vitam & doctrinam exiſtimant fictiones. Aſſentiunt autem his graviori delicto atque peccato Chriſtianorum perfidi peccatores, qui ſi credunt interdum Chriſti myſteria, phantaſmatibus ejus mores attribuunt, pauperem pro Chriſto fieri, caſtratum eſſe propter cœleſtia, vivere in dejecta prudentia, vileſcere coram hominibus, caſtigare corpus, & reducere in animæ ſervitutem, inſiſtere vigiliis, orationibus intendere, quærere ſulitudines, patienter perpeti paſſiones, illatas injurias quieto animo tolerare, alienum fieri à parentibus, cognatis, & notis. Adhuc dicunt eſſe phantaſma, & phantaſticos, imo veſanos reputant talium ſectatores. Quadam humana ratione movebantur, qui tempore illo noctis exiſtimaverunt corpus Chriſti eſſe phantaſma, judicantes ſolidæ impreſſioni cedere debere fluxibile atque tranſparens elementum, nec cogitabant, quod in homine corpulento virtus eſſet tantæ agilitatis, ut non merſus, ſed rectus ſupernataret aquis: nec ſuſpicabantur aquas ſolidas fieri poſſe ſubtus humanos pedes. Hominem verò illum, in quo erat omnis plenitudo divinitatis, etiam corporaliter non credebant illo in tempore ſupra mare firmare veſtigia, quousque ad eos ſalvator confidentia dixerit ſermonem, declarantem ſe eſſe, qui erat. Quem utrum ipſe eſſet, Petrus experientiam petiit, ut ambularet ſolidè ſuper aquas, qui ad imperium deſcen-

dit in mare deficctuante navicula. Confidens pergebat, dubitans mergebatur. Quo liberato de fluctibus, Chriſtus aſcendit in navem, & fluctuantia ſiluerunt. Ubi nanque in gratia efficitur, nihil dominatur adverſi, ut revocet à portu ſalutis. Et ſecura eſt navigatio, ubi connatus eſt Dominus. Ipſe dominatur poteſtati maris, & motum fluctuum ejus mitigare in perpetuum poteſt. Circa quam obambulationem domini Salvatoris notemus & horam. Erat quippe quarta vigilia corporalis atque ſpiritualis, ſupra definiſſe me memini. Sed nox in ſacro eloquio ſæpe accipitur pro peccato, juxta illud Apoſtoli : Qui dormiunt, nocte dormiunt : & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt. Et cùm divideret obumbrato myſterio lucem à tenebris, virtutem ſcilicet à peccatis, appellavit tenebras noctem. Et ſuo vocabulo id inſinuat, videlicet peccatum. A nocendo nox penitus dicitur, quia viatoribus nocet. Nihil enim adeo viatoribus ad ſuperna, ut peccatum, intulit nocumenta. Non enim peccator antiquus atque inviſibilis hoſtis, ſicut peccatum viatoribus nocet. Cujus noctis opacæ, quatuor ſunt vigiliæ. Prima circa quantitatem ejus, quàm magno animo, & affectu ſit in actum ab agente deductum, quantùm id proximum fecerit læſionis, quantæ verò prohibitionis extiterit, quantæque durationis. Multa enim ſunt augmentantia quantitatem peccati, quæ præſentis diſſertionis non ſunt. Circa quam prima vigilia ſit authorum malorum : ſecunda circa novitatem ejus : tertia circa enormitatem ejus : quarta circa diſciplentiam ejus. Cùm enim peccatum incipit diſplicere, & Dominus incipit apparere, daturus mentibus tranquillitatem, à ventis prohibentibus devenire in portum. Diſplicentia peccati Dei complacentiam provocavit: & malum, quod diſplicet, pœnitentiam generat. Pœnitentia verò expectat in miſericordia regnum cœlorum, quod ſecundùm Evangelii ſententiam appropinquat. Utiliſſima profectò eſt quarta iſtius malæ noctis vigilia, ut in nos veniat vera diſciplentia peccatorum, quæ Deum meretur in piam atque miſericordem notitiam. Unde per Ezechielem dicitur : Recordabimini viarum veſtrarum & omnium ſcelerum veſtrorum, quibus polluti eſtis in eis, & diſplicebitis vobis in conſpectu veſtro in omnibus malitiis veſtris, quas feciſtis. Et ſcietis quia ego Dominus, cùm benefecero vobis propter nomen meum. Ecce quarta vigilia, in qua eſt ſeduld vigilandum, ut nobis noſtra mala diſpliciant : quæ diſplicentia nobis creatoris beneficium facit habere ſcientiam. Nox eſt diabolus : nox eſt mundus : nox eſt vita præſens : nox ſynagoga ; nox lex antiqua : nox tribulatio, quæ quaternas habet vigilias. Sed quoniam hic pro noſtris informandis moribus, viam tractandam ſumpſimus Salvatoris, harum diſſertiones intermittimus : quamvis hæc pauca dixerimus, ne horam apparitionis ejus, pro forma morum præteriſſe videamur. Dormivit etiam Salvator ſuper cervical, non velut actus à ſomno. Dominabatur in omnibus corpori ſuo : nec ei ſomnus niſi permiſſus, imo vocatus obrepſerat. Sed dormitio illa ſuo modo notavit ejus nobis ſimilitudinem in natura, & viſus eſt captare quietem, ut fragilibus, & infirmis daret audaciam quieſcendi, ſi neceſſitas exegiſſet. Dormitio illa in navi aliquod oſtendit inſigne virtutis : non ſolùm in ipſo, qui ſumma eſt virtus, ſed in his, quod ſuis actibus Salvator ad rectè vivendum informat, ut ad tantam perfectam perfectionem quis poſſit evenire, aut ſtudeat evenire, ut eum inquieta non inquietent, & pericula non pavefaciant, neque revocent à quiete aut tranquillitate chriſtianæ pacis. Inquietum erat mare, dormiebatque Salvator. Arietabant ex omni parte procellæ, & Dominus dormiebat, Irruebant in naviculam venti, & Dominus dormiebat. Proinde ſi in pace ipſius obdormiviſti, atque obdormies, omnino in perturbationibus requieſces. Nec tribulatio, nec anguſtia, neque algor, neque penuria, etſi quod malum poſſibile deventum, non te divident à quiete, quam es in Chriſto, & cùm Chriſto, & pro Chriſto fortitus. Dormitio Chriſti eſt cum permittit experiri ſequaces ſui, cujus animi, cujusve potentiæ, cujusve ſcientiæ, cujus promptitudinis ſint, cujusve virtutis, ut cùm ſeipſos cognoverint à virtute deficere, de ſeipſis humiliter diffidentes, recurrant in eum, de quo nemo malè diffidit aliquando, qui confidentibus in eo nunquam defuit: & ſperantibus in eo, nunquam defecit. Quocirca excitatus corpore, qui animo vigilabat, poſtulatum impendit auxilium, ventos prohibens imperio verbi ſui. Imperatio facta ventis, ne naviculam, quam ipſe aſcenderat

Ezech. 30.

Marci 4.

rat conturbarent; ad eccleſiam relata catholicam maxima myſteria nuntiat. Ad ſingulares hominum mores aliam dat materiam differendi, ipſos claudendos ſumpſimus, ipſosque pertractemus. Ventus eſt inviſibilis flatus, ſed omnino ſenſibilis. Ventus eſt inviſibilis impetus, obſtantia quando que plura ſubvertens, quod Job hiſtorialiter clamat de vento, qui irruit à regione deſerti, qui concuſſit quatuor angulos domus, ipſamque ſubvertit. Ventus eſt quædam tempeſtas aeris, de corde terræ proveniens. Ventus eſt invibilis motor, viſibiles motiones in aqua & in levibus corporibus faciens. Ventus eſt Spiritus inſenſibilis & irrationalis. Ventus à vehendo dictus, quia vehit in mare naves, & corpora movet levia ſuper terram. Spiritualis ventus, eſt dæmonum inviſibilis impetus atque inſufflatio in anima, ut non, quo ipſa quandoque velit, ſed quo non velit impellat. Ventus animæ dicitur prædominans vanitas: ventus animæ, impulſio ad contraria: ventus animæ, ad malum commotio ſubita, non prævisa. Ventus ſæpe pulverem de terra in oculis excitat, nec unde venerit aut quo iverit inventirur: ſic ſæpe diabolus inſufflavit pulverem terrenorum. Venti à Salvatore prohibiti inviſibiles ſunt in anima tempeſtates, aut à diabolo excitatæ, aut de terra carnis noſtræ infecta progredientes, aut à malis conſultoribus inſufflatæ, quas nemo, niſi Salvator ſecreta poteſtate à foribus noſtræ mentis avertit. Vita hominis ventus eſt, Job dicente: Memento mei Deus, quia ventus eſt vita mea. Qui ſubjacet imperio Salvatoris, ut nullius hominis vita præter ejus providentiam & imperium remittatur in minus, aut protendatur in amplius. Ventus eſt vita hominis, quia velut ventus non relinquit in ſuo motu veſtigium, nec vita hominum poſt receſſum. Ventus nullo poteſt in aere obſtaculo impediri, quin aeris ſpatia quæque percurrat, nec refrænari poteſt hominum vita, quin vergat in mortem. Poſſet tamen, quamvis non faciat ipſe Salvator, quin omnes veniant in mortem juſtiſſimam condemnationem, cui adeſt poteſtas immenſa, hunc ventum, quem dicimus vitam, poteſt de theſauris ſuis iterum revocare, quod in generali reſurrectione indubitata fide perficiet. Ventus eſt vita noſtra, ipſa quidem anima, cujus præſentia vivit & corpus, rationalis eſt ventus & inviſibilis ab aſpectu corporalium oculorum, quæ velut ventus corpora, ſic ipſa corpus, cui eſt incluſa, agitat, & impellit. Et ſicut ventorum ignoratur origo, & in quem deſinant terminus: ſic animarum ignoramus originem excepto quòd credimus, quòd, cùm corporibus infundantur, de nihilo procreantur, & ipſarum terminus, niſi quantùm fide credimus, ſit ignotus. Iſtis ventis, quibus iſte mundus peragitur, & commovetur, Salvator imperat in ſecreto, & ex aperto evangelio præcepta juſta divulgat. Ventus eſt mors, quæ cum uredine & dolore omnes involuit. De quo per Job dicitur, cùm de malo divite loqueretur: Tollet eum ventus urens, & auferet, & velut turbo rapiet eum de loco ſuo. Mors ipſa ventus inviſibilis eſt, horrendam actionem, imo prævaricationem faciens, cum corpora ſenſibili vita privat, cujus nullus apparet aſpectus, velut cùm corpora commovet ventus, facit tamen aſperum ſenſum: corpora ipſa cum vitali natura confligit, ut delectabilem interimat ſenſum, velut cùm ventus agitat corpora per validum & inviſibilem, ſed ſenſibilem impulſum, cujus mortis ſolus Salvator habet imperium. Claves mortis & inferni, in Apocalypſi oſtendit Joanni ſe habere Salvator. Venti ſunt inviſibiles hominum amores, atque timores, de quibus per Job dicitur: Qui fecit ventis pondus. Venti qui ſic ſenſibilia corpora movent, omnino ſunt imponderabiles: ſic & inviſibiles animarum affectiones. Sed qui creator eſt omnium, cognitor & Salvator, novit infallibiliter ponderare. Pondus quidem omninm rerum eſt illud, quo res feruntur rurſum, vel deorſum, natura vel arte: aut quo res prævalent aut devalent, in comparatione aut æſtimatione. Ipſe fecit ventis pondus, qui lance ſuæ juſtitiæ trutinat merita & dementa ſubjectorum, quæ amoris vigore aut pallore proveniunt. Ipſe fecit, & novit quantùm mereatur amor divinus, quantùm toleretur humanus, & quantùm demereatur carnalis atque mundanus: qui etiam timoribus per ſimile fecit & pondus. Ipſe fecit & novit, quantùm ſurſum ſerantur amores pondere ſuo in divina ſive ſuprema: quantùm verò in ima mergantur, quantùm accedant ad ſpiritualia, & virtutes, quantùm ad corporalia & vitia ſuccedant, quantùm ad Deum, quantùm ad proxi-

Job. 2.

Job. 27.

Job. 28.

Job. 7.

mum ſervent. Nemo ſuos, aut aliorum novit ponderare amores, unusquisque ſe aliquid diligere novit: quantùm verò diligat, aut ponderet amor, omnino non novit. Scimus nos diligere Deum, ſed ipſius amoris ignoramus profectò menſuram. Quamvis dolor, & ſolicitudo quodam modo pondera ſunt amoris: còm unusquisque pari modo doleat, quo aliquid amavit amiſſum: ac etiam ſolicitudine agitetur agendi & perquirendi, quo dilexit aliquid facere, vel habere. Hæc enim ponderant amores honeſtos, & inhoneſtos, divinos ſive humanos, quæ ponderat Deus amoribus juſtis poſuit, ut quantùm diligitur bonum, tantùm defleatur amiſſum, aut non habitum inquiratur. Solicitudo namque agendi quod juſtè debetur, ponderavit amorem, ipſo ponderatore dicente: Si diligis me, mandata mea ſervate. Et qui diligit me, ſermonem
Joan. 14. meum ſervabit. Timores verò æqua lance cum amoribus ponderantur. Namque timoribus cautelæ atque obedientiæ pondera ſunt appoſita, ut quantùm unusquisque timet ſeparari ab omnium conditore, atque in infernu detrudi, tantùm caveat ſeparantia mala, quod in mundo criminoſi non faciunt. Non cavet latro furta, nec perhorret patibula: non cavet homicidia, nec truncationem capitis odit: non cavet falſa committere, nec propter hoc ignis cavet incendium. Non cavet homo ſeditionem, nec timet à civitate propria exulare. Nec cavent improvidi homines peccata, dividentia nos à Deo, & in infernum mergentia: Sic ſeparationem aut illam intruſionem aſſerunt ſe timere. Proinde divina juſtitia timoribus pondera cautelæ appoſuit, ut ita caveat, ſicut timet. Nam qui timet in veritate Dominum, declinabit à malo. Scriptura dicit: Sapiens
Prover. 14. timet, & declinat à malo. Et alibi: Timor
Ibidem 8. Domini odit malum. Et qui timet pœnas
Eccles. 7. æternas, non committet trahentia mala.
Eccl. 2. Verè timor Domini, cuſtodia legum.
Ibid. Pondus aliud timoris, obedientia eſt. Qui timet Dominum (dicit ſcriptura) nihil negligit. Pondus timoris, obedientia juſſa, ut non omittatur ſanctum præceptum: & quod ſancto mandato ſuſceptum eſt, obedientia ſancta perficiat. Propterea dicitur: Qui timeris Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces veſtra. Illi Deo credunt, qui ejus mandata perficiunt. Et iterum: Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra. Qui verò in veritate diligit, obedit & perficit juſſa dilecti. Et iterum: Qui timent Dominum, requirunt quæ placita ſunt illi. Profectò illi divina placita requirunt, qui ei in his quæ per ſacra eloquia declaravit ſibi placere ſine contradictione obediunt. Hæc ſiquidem pondera è regione Dominus amoribus & timoribus poſuit, velut illa, quæ contra liberanda numiſmata in trutina opponuntur. Sed perſpicacius claret, quòd pondera digniſſima ſuperpoſuit, ſcilicet beneficia, quòd ſumus, & quòd ſic ſumus, & quòd redempti ſuo ſanguine ſumus, & quòd etiam æternorum accipimus repromiſſionem. Hæc nempè ita impoſita ſunt, velut jugum ſuper colla iſtorum boum, ut nihil in amore atque timore ſit ponderoſius & levius ſentiendum. Hoc jugum, Salvator ipſe ſuis ſequacibus nitebatur dulciter atque ſuaviter Matth. 11.
imponere, ut colla lenirentur, non frangerentur. Dicebat enim: Tollite jugum meum ſuper vos. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve. Suavia pondera impoſuit amori: levia verò timori appoſuit, ut ex beneficiis ſuſceptis atque promiſſis amor totum ſe converteret in authorem: omnem autem honorem ſibi timor inferret. Sunt & venti videlicet divinæ punitionis ſive vindictæ, quæ de occultis theſauris Domini, ſcilicet de occultis judiciis ejus producuntur, de quibus Pſalmiſta dicit: Qui producit ventos de Pſal. 134.
theſauris ſuis, inviſibiles vindictas atque punitiones, aut angelos tenebrarum, juſtitiæ Dei ultricis executores, quibus ipſe imperat, ne tantùm ſuæviant, quantùm puniendi merentur, & angelos tenebrarum coërcet, ne tantùm noceant, quantùm cupiunt. Venti agitantes mentis noſtræ naviculam, quibus Salvator imperat & coërcet, ſunt varia conſilia ſive doctrinæ, quæ ſæpè variant animam à veritatis fundamento moventes, ut gradiatur per devia, recta quæque relinquens. Ex hoc enim in Eccleſiaſtico dicitur: non ventiles te in omnem ventum, Eccl. 5.
& non eas in omnem viam. Tanquam proprium poſſeſſorium mens hominum inſtabilitatem poſſidet, & ſæpè credit omni vento doctrinæ, & verbis ventoſis ſub ſpecie boni plerunque præſtat aſſenſum: & eo fit devior, quo pluribus diverſa loquentibus credit. Circumferri murmurum vento vicinum pronuntiat adeſſe mentis naufragium. Venti ſuper terram viarum veſtigia non relinquunt, ſed poſt ipſorum proceſſum oſtenduntur damna, quæ faciunt, eraditiones arborum, ſubverſiones domorum, æquoris tempeſtates, ex quibus ſubmerguntur & naves. Sic ſæpè faciunt inviſibiles dæmones,

mones, non relinquentes vestigia cùm incedunt, sed in posterum sentiuntur mala pessima, quæ fecerunt. De quibus in canonica Judæ Apostoli dicitur, cùm ipse de perversis hominibus loqueretur: Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur. Venti siquidem nubium sunt motores, sed omnino invisibiles, ut res mota videatur, atque discernatur, dum movetur, sed penitus motorem non videat humanus aspectus. Nubes igitur sine aqua sunt sine gratia peccatores, & salutari doctrina contemptibiliter leves, qui ab invisibilibus dæmonibus nunquam visis moventur, quibus solus Salvator imperat, ne submergant concitatis tempestatibus animæ navem, aut à salutaribus mercimoniis faciant remanere inanem. Sunt venti vitales quatuor, à quibus imperio Domini venit vivificans spiritus, & fecit revivisc̃ere ossa, quæ vita carebant: sed neque possunt venti vivificantem spiritum emittere, nisi acti àb imperio summi Regis. Venti flatus sunt: sed quatuor spirituales venti flatum alium ad vitam emittunt. Insufflavit Deus in Adam, & factus est in animam viventem. Insufflant venti ab imperio Domini, & emittunt Spiritum vivificantem. Hos prævidebat Ezechiel, cùm dicebat: Hæc Ezech. 37. dicit Dominus Deus. A quatuor ventis cœli veni Spiritus, & insuffla super interfectos istos, & revivisc̃ant. Cœlum & celatum mysterium ecclesiæ, sive virtutum & beneficiorum Dei, in cujus regionibus sunt quatuor venti, à quibus Spiritus vivificativus egreditur, & insufflat in animas interfectas à diabolo, & revivisc̃unt: quorum unus est studium inquirendi sedulò creatorem. Licet enim omni vivenri quærere verum Deum, & hoc nulla lex hominum unquam prohibuit: quamvis Christum habere & in Deum verum quærere, primum est in omni virtute, atque omnem virtutem virtus ista consociat: & quo prima campum spiritualis agonis ingreditur, ultima remanet, & nunquam egreditur. Ipsa porrò initiat, comitatur, & sine fine finit. Igitur quærere veraciter verum Deum invisibilis & magna commotio est spiritualis venti, à quo Spiritus vivificans provenit. Cui ventus magnæ commotionis subsequitur, scilicet fides, qua supra naturam & intellectum anima commovetur. Nam in hac vita Deum quærere aut invenire aliter non possumus, nisi nos impellat fidei ventus. Ventus iste non est naturæ: quia nec à natura fides ipsa consurgit, nec ab humano intellectu insurgit in nobis: unde commotio fidei, existit omnino mirabilis. Spei ventus sine tempestate procedit de thalamo celati mysterii, & ab inferioribus ad superiora, quem agitat, provehit, & impellit, ut relicta felicitate terrena, omnino speretur æterna. Charitas ventus est suavissimus, & dulciter flat in animas virtutibus aptas, & provehit, & introducit in portum justissimæ atque sanctissimæ voluptatis: nec infinnitatem generat, sed quod sanum est, ipsa producit. Hæ namque quatuor virtutes invisibiles & divinæ solùm habent homines in infidelitate atque in peccatis mortuos vivificare. Cardinales verò tantùm habent disponere hominum bonos mores. Nam si vivificare homines potuissent, arbitraremur hominem posse justificari præter fidem, spem & charitatem: & de multis philosophis esset minimè ambigendum, qui in quatuor virtutibus erant usquequaque solertes, quod credere nefas est. Ab istis quatuor ventis, suave moventibus, egreditur quædam divina & invisibilis potentia, sive virtus, seu incomprehensibilis actio invisibiliter movens, quæ vocatur vivificans Spiritus, ut ab eo quod Ezechiel perspiciebat per ostensam visionem in corpore fieri, similitudo trahatur ad spirituales & invisibiles, quæ fiunt in animabus sæpissime actiones. Unde igitur anima per infidelitatem mortua revivisc̃it, nisi cùm invisibilis operatio istarum virtutum, ipsam revivisc̃ere facit? Unde animæ obrutæ ponderibus peccatorum, ad spiritualem vitam redeunt, nisi cùm ab istis virtutibus mirifico flatu invisibiliter insufflantur? Unde à diabolo diversimodè interfectæ gladiis operum injustorum vitam gratiæ perditam recipiunt? nisi ab istis ventis virtutum insuffletur Spiritus, qui animas mortuas ex carentia gratiæ, non privatas vita naturæ, redire facit ad vitam, quæ donatur per gratiam: Sed nec credatur Spiritus tertia trinitatis persona, sed istis virtutibus quædam secreta conc̃essa potentia. Hi venti, videlicet virtutes invisæ moventes atque sufflantes, hanc vivificantem potentiam non emittunt, nisi divino imperio excitentur. Proinde necessaria est oratio ad ventorum Imperatorem, ut ipse imperet ventis his, ut Spiritum vivificantem sufflent in nos peccatorum gladiis interfectos. Quatuor alios ventos cœli pugnare in mari vidit Balthasar rex Babylonis in ostensa visione. Prætermittentes tamen visionis conjecturam, & ordinem rei gestæ, ut ex conjectura innotuit, quia gesta Christi agimus, moribus intendamus. Quoniam

præter

præter aërem nequeunt esse venti: venti cœli, venti aëris sunt: nam supra aërem in sphæra ignis, & deinde venti esse non possunt, subterranea verò penetrare non valent. Quod si aliquis vapor interdum includitur, cùm exire per naturam in communem aërem cogitur, terra concutitur: nec ingrediuntur profunda secretioris elementi, sed tantùm superficiem agitationibus vexant. Cœlum igitur, unde sunt venti, humana mens est, quæ velut aër corporeas & visibiles recipit impressiones: sic & hominum recipit invisibiles affectiones. Et sicut aër natura obscurus est, nec à seipso dilucescere valet, sed à corporibus superiorum orbium atque cœlorum luminis beneficia suscipit: sic mens hominum sedibus tetralibus sedet, nisi à superioribus potentiis illustretur. Hujus venti, sunt quatuor affectiones in mundo isto, aut in corde hominum, velut in quodam mari magno pugnantes, dequibus aliqui antiquorum de virtutibus subtilissimi tractatores sententialiter diffinierunt cadere non posse seu debere in animo sapientis. Sed non aspexerunt in gratiam Christianam, quæ aliter quàm naturaliter & humanè â naturæ radicibus subvertit humanas hominum mentes: non quòd naturam creatam in aliud mutet, sed aliter faciat affici, atque quiescere. Pugnant quatuor venti, scilicet gaudium, & dolor, spes, & timor in corde hominum: & contra diffinitionem sapientum, aut non sinunt animam esse felicem, sive quietam, aut illam in meliora compellunt. Nam si non gaudendum, ergo nulla sunt bona præsentia: si non dolendum, nolla sunt præsentia mala: si non sperandum, nulla bona futura: si non timendum, non possunt contingere mala. Si ex his nullo modo est variandus affectus, invanum sacra scriptura de his affectionibus in suis locis tantùm eloquitur. Nam gaudet, & ad gaudium præsens invitatur familia Christi sacro redempta sanguine ab ipsa sententia sancta ejus: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Et quamvis gaudium non sit de præsentibus bonis, tamen præsenter gaudendum de futuris. Et licèt gaudendum non sit de exterioribus bonis: gaudendum penitus est de in anima celatis virtutibus. Necnon in tribulationibus vult nos gaudere Apostolus Jacobus, dicens: Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis. Et Paulus Apostolus in præsenti gaudebat, cùm dicebat: Gaudeo in tribulationibus meis pro vobis. Et in Actibus Apostolorum legitur: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt, pro nomine JESU contumeliam pati. Et de animæ puritate seu virtute gaudendum admonet sententia Salomonis: Non habet amaritudinem conversatio ejus, neque tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium: quod de sapientia, quæ verior est virtutis professetur ista sententia. Hic eim audaciter affirmo, quòd esset de virtute gaudendum non solùm, quia vitam inquirimus aliam, sed etiam, si cum vita ista omnis vita finiretur. Et filius Sirach dicit: Non est oblectatio super cordis gaudium, quod aliundè quàm de puritate sive virtute in præsenti evenire non potest. Hinc incipiunt familiæ sanctæ Christi celeberrima cordis gaudia. Inquit enim ad Philippenses Apostolus: Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete. In præsenti gavisi sunt discipuli viso Domino. Et magi, qui sapientes humani erant, videntes, quam perdiderant stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. In præsenti scriptura loquitur justis: Lætamini in Domino, & exultate justi, & gloriamini omnes recti corde. Et alibi: Dedisti lætitiam in corde meo. Et iterum lætabatur David, cùm audivit divina oracula, dicens: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi. Luce clarius patet gaudium adesse istis de præsennbus virtutibus, & in præsenti gaudere de promissis cœlestibus. Similiter & doloribus angitur Dei familia. Et etiam in sapientibus justis, aut vocatis vocabulo Christianis dolor insedit, & affecit affectione dolor ipsorum rectissimas mentes. Doluit virgo divina æterni regis filia, Christi Mater, Spiritus Sancti Sponsa, & cum suo viro verbis de absentia Filii est protestata dolorem, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*) Similiter Simeon transverberando doloris gladio nuntiaverat, quod & factum est tempore passionis. Ipsemet Salvator virtutum author, & forma affectionem doloris assumpsit, quam de verbis protestatus est, dicens: Nunc autem anima mea turbata est in memetipso. Et alibi: Tristis est anima mea usque ad mortem. Et Job doloribus replebatur, dicens: Si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, ipse non recedet à me. Et Jeremias pro Jerusalem doloribus afficiebatur, dicens: Ventrem meum doleo, ventrem meum doleo. Non enim ventrem corporis, sed

Sap. 8.
Eccl. 30.
Philipp. 4.
Matth. 2.
Psal. 31.
Psal. 4.
Psal. 121.
Luce 2.
Matth. 5.
Jac. 1.
Joan. 12.
Matth. 26.

ſed mentis dicebat doloribus agitari. Nec intellexerunt veram ſapientiam, qui ventum doloris atque triſtitiæ animo ſapientis accidere poſſe aut debere negaverunt. Innuit enim ſcriptura divina:

Eccl. 7. Cor ſapientium, ubi triſtitia: & cor ſtultorum, ubi lætitia. Etiam in præſenti quantumlibet ſapientes multi agunt dolores. In ſpe verò omnium viventium & utentium ratione tota vita peragitur non ſolùm pro æternis ſed etiam pro temporalibus & perfunctoriis bonis. In provectoribus verò in virtute ſpes inſidet animo melioris, ſcilicet intellectualis virtutis: quòd enim virturis altitudinem cognoverunt, ſperarunt boni exiſtentes effici meliores. Ad ſpem verò ſuperiorum bonorum mores, geſta verorum omnium antiquorum nos vocant, invitant prophetica dicta. Et omnis ætas, omnis

Eccl 1. Ibid. natio per Chriſtum ſuosque doctores ad ſpem æternæ vitæ invitata eſt. Refellit illos de timore iſta ſententia: Initium ſapientiæ timor domini. Et illa: Qui ſine timore eſt, juſtificari non poteſt.

Proverb. 14. Et illa: Qui timet Dominum declinat à malo. Et tutor eſt ſapientiſſimus pupillorum ſedulus timor. Nec quis in hominibus præter conſummatorem omnium bonorum Jeſum ad tantam perfectionem in hac vita pervenit, ut velut ductore poſt tergum ſequente, comitante à lateribus timore ſancto non indigeret. Conſueverunt etiam aliis nominibus inſigniri: lætitia, turbatio, timor, cupiditas. Sed de nominibus non vertitur quæſtio, ubi eſt in cognitione, quod dicitur. Gaudet familia Chriſti de bonis operibus, de inſitis virtutibus animæ, de promiſſione ſuperna, de proximorum profectu atque virtute. Dolet atque triſtatur, ſi deficit in profectu vitæ agendæ, ſi decidit per negligentiam, ſi aliquando corruit per improbam voluntatem: dolet de proximo, ſi à virtutibus ſe avertit. Concupiſcit aut ſperat in bono proficere, aggregare internas virtutes, ipſarum effectus oſtendere moribus, concupiſcit & ſperat vitam æternam, & pro proximo ſimilis cura creſcit. Timet peccare, timet deficere, timet malè placere, timet divinum divortium, expaveſcit conſortium dæmonum, & ſimili timore ſibi vetat & proximum. Gaudet atque lætatur de virtutibus, dolet atque triſtatur de peccati miſeria, ſperat & concupiſcit miſericordiam, timet horrendam Chriſti juſti-

Dan. 7. tiam. Hi venti pugnant in mari magno cordis hominum. Hi quatuor ventos contrarios mundi habent ex adverſo, his ſolùm Chriſtus imperat verbo ſui præcepti. Iſta quæ prædicta eſt imperatio facta ventis, magnum nobis in imperio & in ventis innuit ſacramentum, ex his quæ poſita ſunt: ac etiam, ut ex eis in ampliora transferatur conſideratio intelligentium, ſed majora conſiderentur, quæ nec poni potuerunt. Hoc ſiquidem addat indagax lector, quod gaudium, dolor, ſpes, & timor temporalium, velut venti turbinum in corde noſtro intrent, atque cum ſuprapoſitis, usque ad finem vitæ noſtræ ſine pace atque ſine intermiſſione pugnant, quibus ſolùm altiſſimus novit imperare, atque compeſcere. Quem pugna delectat exterius, nunquàm noſcit quomodo agatur interius. Actionem quandam atque mirandam noſtri Salvatoris præſigamus mentibus noſtris, in eo, quòd ipſe liber exiſtens, imo dominus omnium, tributa mundi regibus, ad devitanda ſcandala ſolvit: cujus ſolutionis ordinem & cauſam inſpiciamus.

Matth. 17. *Cùm veniſſet JESUS cum diſcipulis ſuis Caphernaum, acceſſerunt bi, qui* pro regibus à Romanis imperatoribus conſtituti, *didrachma capiebant, ad Petrum, & dixerunt ei, Magiſter vir non ſolvit didrachma? Et ait Petrus: Etiam. Et cùm introiſſet in domum, prævenit eum JESUS, dicens: Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum à filiis ſuis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jeſus: Ergo liberi ſunt filii. Ut autem non ſcandalicemus eos, vade ad mare & mitte hamum, & eum piſcem qui primo aſcenderit, tolle. Et aperto ore ejus, invenies ſtaterem, illum da eis pro me & te.* Cenſuum reipublicæ exactores credebant Salvatorem in communitate hominum debere ſubjici terrenis regibus in tributo: nihil aliud in eo, quàm hominem attendentes. Quod utique Salvator noſter prænoſcens, anticipavit Petrum interrogatum, qui de hac re interrogaturus erat & Chriſtum. Et determinatione facta, extitit didrachma ſolutum. Et filii terrenorum regum liberi ſunt à cenſibus: multò magis filius & familia ipſius, ſibi ad ſequelam usque ad mortem dicata: & is maximè debet eſſe liber, qui nihil poſſidet, aut poſſidere intendit, quod jure aliquo, ſub terrenorum Dominio regum cadit. Sed Chriſtus voluit ſolvere, non velut à jure ſolutionis aſtrictus, ſed ut ſcandalum devitaret, non in ſe aut in diſcipulis, ſed in his, qui cenſum ab hominibus exigebant. Expedit enim Salvatoris exemplo, ſi qua poſſumus ſcandala in hominibus devi-

devitare, quousque veritatis vita ſive juſtitia, ſive quæcunque virtus vicina eſſet exilio. Antequàm iſtarum aliquid dirimatur, ſcandalum juſtè à divina licentia permittitur evenire. Non enim aliam allegavit ſolutionis cauſam, niſi ut ſcandalum devitaret in proximo. Pro modica enim re ſolvenda, dimittenda, vel danda, ſeu offerenda, quantumcunque divina jura non cogant, aut conditæ leges in juſtitiæ moderamine non aſtringant: cùm eventus rerum evenit, non ſunt argumenta defenſionis movenda. Temporum verborumque perditio exceſſerunt ſæpiſſimè cenſum: & melius pacem redimere, quàm litigare pro re. Nec noverunt omnes libertatem juſtorum. Et cum exactoribus reipublicæ habere litigium, in præjudicium vertitur litigantium. Omnem enim ſibi vendicat rationem, qui pro republica loquitur, aut certat. Poterat namque Salvator ſupra homines Deitatem allegare, Deus profectò erat, & omnium abdicationem inferre. Nihil enim habebat, neque familia ejus fide genita, quod ſubjaceret cenſibus regum. Poterat enim ſe ſuosque ſequaces, ab omni exactione reddere in libertatem, ſed voluit ſubjacere, velut reipublicæ, ac honeſtæ juſtitiæ non adverſus. Et cùm ſolvere vellet, omnino proprium peculium, unde ſolveret, non habebat. Humanas artes ipſe non fecit, unde pecuniam colligeret atque cumularet: terrenum patrimonium aut matrimonium non habebat. Mortuus enim pater putativus Joſeph, nihil ſibi relinquens hæreditario more, pauper enim carpentarius fuerat. Nec Chriſtus & Virgo leguntur inſtrumenta carpentaria vendidiſſe in proprium, aut expoſuiſſe commercio propter ipſius deceſſum. Mater pauperecula erat, & vitam acu, & colo quæſierat, quousque Chriſtus cœpit evangelizare ſuperna, & ſuæ doctrinæ atque imitationis quærere diſcipulos. Extunc vixit ſecundùm educatum filii atque ducatum: nec ipſa legitur dotis aliquid habuiſſe. Profectò Chriſtus pauperes poſſibilibus rebus mobilibus voluit habere parentes: falſo enim prædicaſſet contemptum mundi, & argueret mundi divites, ſi abundaſſet in cenſibus, & in dolo prædicaſſet ſuperna, terrenis opibus fultus. Et fortè quod tunc in illo collegio aliquid habebatur de ſtipe largita intuitu pietatis. Non enim aſſeverat ſcriptura, quòd ſemper haberet Judas pecuniam in loculis: quia, quæ dabantur, pauperum expendebantur ad uſum. Mos probatiſſimus eſt, quòd qui de datis contribuunt, nec aliunde habent unde tribuant, niſi detur: & cùm vident pauperes indigentes, largiri non differunt, quod non ſemper habent loculos plenos. Quod ſi ſic volumus opinari, magis in impietatem, quàm in pietatem vergit opinio. Si autem omnino in tempore aliquid habebat Chriſti ſanctum collegium, noluit ipſe convertere in proprium uſum, ne ſubventiones pauperum defraudaret, pro quibus permittebat oblata differri: nec expectare voluit ab amico, ne perfunctoria re amicus eſſe alicui videretur: aut confidentiam oſtendere de temporalibus & locupletibus amicis, qui de divitiarum ſunt munere: non de genere paupertatis, quam ipſe ſpendere, & fulgere voluit, quos verè appellavit amicos. Sed quoniam propter legem hominum & cogentis rationis tributum ſolvere diſponebat, præter legem & ordinem, quibus divitiæ atque numiſmata conquiruntur, cenſualem ſtaterem voluit reperiri, ut inveniretur in ore marini piſcis moneta impreſſa ſtigmatibus tribuenda pro cenſu, ut Salvator ait: da eis pro me & te. Pro ſeipſo quare Salvator voluit ſolvi, & de diſcipulis aliis nullam mentionem fecit, ſed de Petro. Pro ſeipſo nempe Salvator ſolvi voluit, ne reipublicæ contrarius videretur aut conturbare publicos bonos mores. Non enim ſpectat ad aliquem prudentem, ipſos etiam in modico conturbare. Placent nempè Chriſto mores publici, ſi ſunt juſti: nec decebat eum contentionibus deſervire in allegetione juris ſuæ altiſſimæ libertatis, cùm etiam aliter potuiſſet frænare omnium mentes ad credendum, quod erat, & quod agebat. Sed cum mundanis & puris humanis humanum voluit habere inceſſum, excepto, quòd divinè redemit, & ſupra humanitatem diffundit in hominum corda gratiam & virtutem. Pro Petro videlicet voluit quod ſolveretur, & pro tota familia ſua ſcilicet Apoſtolorum: ſed Petrum ſpecialius nominavit, velut præordinatum totius verticem chori, & protoſignifer om poſt Chriſtum totius religionis Chriſtianæ Sanctæ Trinitatis cultricis: confirmandum verò ab ipſo, poſt ipſius ſanctam reſurrectionem, ut quod actum eſt pro Petro, pro toto Chriſti collegio factum fuiſſe credatur. In hujuscemodi actione totius noſtræ redemptionis fulget myſterium. Nam actor Chriſtus, piſcis Chriſtus, ſtater Chriſtus: quo exhibito, liberamur a debito tartareo malè tenti. Mare ſæculum, & totalium amaritudo abun-

abundantia paſſionum. Petrus tota eccleſia orthodoxa. Sed mores in hoc volumine præordinavimus, non myſteria, idcirco indiſcuſſa remaneant. Declaratio verò inventi ſtateris, in numero miraculorum potius ponenda cenſetur.

Cap. X.

Qualiter ſe habuerit Salvator invitatus ad convivia.

Luc. 7. 19. LEgitur Chriſtus acceſſiſſe ad convivia invitatus, non edendi aviditate, ſed ad oſtendendam inopem vitam : quamvis non omnia convivia propter ſuſtentationem inopum fiant, ſed ad voracitatem divitum, & convivarum, & prætextu mutuæ viſionis, & in oſtentatione vaniſſimæ laudis. Sed Chriſtus opibus, domibus, laribus, domiciliis propriis carens, etiam in conviviis vitæ ſumebat compendia : ea parcitate, qua virtutum decebat authorem, & forma vivendi, quam ſe hominibus in inferioribus fecerat Incarnatus. Protendebat nanque Salvator ſe communem oſtendere, ne ſingularitate ſuperbiæ notaretur. Et quia in convivia ſæpe oculi edentium familiarius in alterutras facies defiguntur, & quadam certa ſerioſitate geſtus notantur & mores, idcirca Salvator oculis talium taliter ſe objecit, velut qui notari volebat de ſua irreprehenſibili vita : non inaniter, ſed pro intuentium bono. Et quia viſibiliter & probabiliter comedebat, quòd phantaſma non erat, ſed verus homo : & ex aſpectu exteriori humanis mentibus oſtendebat, Divinitatem verò in his & aliis geſtibus reſervabat fidei. Patiebatur Salvator atque volebat, quòd omnis ſuſpicio de cordibus hominum tolleretur, nec aliud crederetur, quàm quod in veritate erat, ut myſterium noſtræ redemptionis atque ſalutis crederetur in homine divinè completum, ex hoc de ſeipſo certitudinem ſecundùm decentiam inferebat. Ibat etiam Dominus ad convivia, ne crederetur fugax : & quod hominum, qui aliquid videbantur, judicaretur devitare conſpectus. Solet enim in conviviis multum conquiri, & tentari virorum prudentia, curioſè ſimiliter & oportunè. Hoc enim Salvator quærebat, ut non ad ſubverſionem, & hypocraſin, ſed veraciter, qualis vita verbis, moribus erat, ab omnibus probaretur, ut probatus non reprobaretur. Accidit ſæpe in conviviis multa loquendi materia, quam exigebat doctor nobilis, ut doceret ignaros, & juſta ac neceſſaria quærentibus atque interrogantibus reſponderet. In quibus mente magis, quàm corpore ſe paſcebat, maximè apud eos, & inter illos, quorum corda erant receptacula Verbi ſui. Et ſumebat corpore cibum, & refundebat ex ore ſuo in audientium corda doctrinam, & nobiliora, quàm acceperat, erogabat : ſpiritualia pro corporalibus benignè rependens, ſimulque prænoſcens infiniti eſſe præmii eum ſuſcepiſſe hoſpitio. Et per corporale hoſpitium ad cordis interiora per fidem tentabat ingreſſum. Volebat enim ab hominibus recipi per fidem, & diligi charitate, quam ipſe paratus erat diffundere in cordibus verè credentium. Hoc totum ſibi ſolùm exiſtimabat ad cibum voluntatem perfeciſſe paternam : quæ talis erat, ut omnis, qui videbat eum, atque credebat, haberet vitam æternam : pro eo, quod qui recipiebat eum à vera credulitate atque dilectione recipiebat patrem æternum, eum in tempore ab æterno præfinito mittentem. Et in hoc tanta familiaritate invitantibus, & convivis & peccatoribus condeſcendit, ut eum ſcribæ & phariſæi falſa ſuſpicione notarent, quòd cum peccatoribus manducaret & biberet, acſi peccator, quia recipiebat in conſortium peccatores. Mos enim eſt & ratio uſualis, ut homo ſuis conſimilibus delectetur. Sed altiori ſenſu eſt de ratione virtutis, ut bonus non turpetur converſatione malorum, magis verò mali commutentur in melius, in converſatione bonorum. De divino jure omnino eſſe prænoſcitur, quòd conſtantior ſit virtus, quæ bona eſt, & bonum habet ſubjectum, quod ipſe ſuper naturam perficit & decorat, quàm vitium, quod eſt malum, & niſi in bono non ſuſcipit fundamentum, quod per privationem deſtruit, atque turpat. Proinde, qui bonus eſt natura & gratia, firmior eſſe debet in ordine ſuo, quàm qui natura bonus, & inquitate turpatus in ſuo defectu. Igitur de ratione veridica, pronior eſt iniquus ad bonum, quàm bonus ad malum : unde morum mutatio ſubſequatur & alterius exemplorum. Sed qui per naturam omnino ad mala immutabilis erat, cum peccatoribus immaculoſè converſabatur, ut velut magnes ferrum, ſic ipſe in inviſibili ſenſu ad ſe traheret frigidos peccatores, quos venerat

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

ſalvare, velut medicus ſubjectos ægrotos, ſub qua metaphora de ſe murmurantibus Salvator ipſe reſpondit: Non eſt opus ſanis medicus, ſed ægrotis. Multa legimus Salvatorem in conviviis docuiſſe, doctrinæ magis quàm cibis intentus, inſinuans ſanctis viris quid ſit agendum, cùm acceſſerunt ad menſas devotorum, ut aut pauperes accedant in Chriſti paupertate conformes, aut prætendant honeſtiorem cauſam. Cùm autem in locum refectionis devenerint, non eligant accubitus primos aut ſecundos, neque deinceps à præſumptionibus agitati, neque poſtremos à ſingularitate præventi, ne contentionibus deſerviant in ordine locandi ſeipſos, aut quos noſcunt fieri commenſales, ſed ſtent ſine contradictione diffinitionibus invitantis, aut ejus, qui habet ordinem convivarum diſponere. Utraque contentio periculum parit: illa præſumptionis, iſta ſingularitatis & occultæ ſuperbiæ eſt germen. Cùm verò recumbunt, aut ſileant, aut loquantur utilia. Servos Dei omnino decet etiam in conviviis, ſi intereſſe contigerit, aut ſilere aut parcè loqui, ſed nec niſi quæ poſſint animarum audientium ædificium in mentibus facere. Hanc enim formam prætaxavit nobis, qui eſt in omnibus miriformis, nec quenquam deſpiciendum docuit, quoniam omnes natura ſimiles ſumus: quanquam ignoremus, quantùm ſumos gratia differentes, aut diſſimiles turpitudine vitiorum. Omnem urbanitatem in conviviis Salvator ſedulò ſervabat, maximè verò illam, quæ invitabat ad regna cœlorum. Jure ſuſpendebantur intuentium mentes in conſideratione urbanitatis ejus, ut inter convivas recumbens, magis ad ſe, quàm ad cibum eos invitabat, quorum aliqui amabiliter & ex imitatione intrinſeca facta mirificè ad eum trahebantur illecti: aliqui verò trahebantur ad eum ex deificis moribus, quos non intelligentes, velut protervi & murmuratores in nequitia remanſerunt. Sed tamen ab utrisque laudabatur virtus altiſſima, & urbanitas Salvatoris, velut ſolis claritas, quæ à ſanis oculis atque ægris laudis præconium recipit: ab illis ſanis, qui delectantur ſolis claritate: ab infirmis, qui eorum defectu tantum fulgorem ſuſtinere non poſſunt. Luc. 9. Non tamen prætereundum eſt, quod ab aliquibus invitatus, apud alios ſe invitavit ipſe Salvator, & prævenit eos, qui forte feciſſent: aut ſi non feciſſent ex puſillanimitate, præſtavit audaciam: aut ſi velut incurii aut improvidi, prærogavit & viam. Quod feciſſe legimus in Zachæo, Multi nempe invitaverunt corpore Salvatorem, & appoſuerunt ad eſum decentia, & ſecum ad eandem menſam, in eodem ſcammo ſederunt: cordis verò menſa non ſibi, ſed adverſariis inviſibilibus & viſibilibus aut indifferentibus hominibus parabatur. Hujus maximum eſt argumentum, quia detraxerunt, nec legimus ab eo ſalutis ſuſcepiſſe doctrinam. Inceſſanter hodie in noſtris lethalibus moribus agitur, ut ab extra multa decentia faciamus: menſa verò cordis alios habeat aſſidentes, & ſæpe ſit dapifera pro adverſis. Sed væ! qui ad menſam interiorem non introduxerunt omnium regum regem. Cant. 4. In cubiculum ſponſa ſponſum introducere feſtinabat, & poculum ex vino condito, & muſtum malorum granatorum promiſerat ſe daturam, ut omnis juſtitiæ opus cùm delectatione perficeret, & ſuſtineret illatam, & diligeret animo, cùm ſentiret: ac etiam omnem orationem ad ſanctos martyres, & unionem ad omnes anima, vita & moribus ſe diſponebat acturam. Aliqui etiam invitaverunt corpore apto, ſed animo promptiore, ut Levi, Martha, Magdalena, Lazarus, qui facti ſunt diſcipuli ejus, & ſalvi facti ſunt, cùm eorum finis advenit. Glorioſum eſt in actibus Chriſtianis animo & corpore acceptum fieri coram Deo, & in corde parare virtutum acceptabilem & dapiferam menſam in conſpectu videntis interiora mentis. Super illius cordis menſam libenter Salvator recumbit, qui novit veraciter dicere cum David: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & pſallam in gloria mea. Hanc protinus præparationem Salvator ſcilicet menſæ cordis requirit, ut ſolus cantus & exultatio ſit in gloria noſtra, quæ eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ: non in exteriori, qua quis delectatus mittendus eſt in tenebras exteriores. Aliam præparationem menſæ cordis oportet apponere, quæ ſit perfectioni vicinior, quam quidem David ſe prætendebat habere. Paratus ſum, & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. Pſalm. 118. Porro ad omnia beneplacita & mandata Dei manere imperturbatum perfectionis eſt augmentum, & in aula impaſſibilitatis habitant imperturbationis amici. Hanc præparationem exaudit omnipotens, ipſo dicente David: Præparationem cordis eorum audivit auris tua. Pſalm. 9. Sunt ſæpe nonnulli, qui corporeis actionibus ſunt privati, corporis prædominante languore, aut venditi corpore pro neceſſitatis mercede, aut in mancipia emendis man-

cipa-

tipati, & jugo alicujus traditi ſervitutis, & catena conjugali conſtricti, qui tamen ignitorum deſideriorum paraverunt in corde ante divinum conſpectum ſacram menſam, ad quam Deus recumbit placidè: quia magna eſt magnitudine affectus, quamvis opere tripedibus non ſubſiſtat. Omnibus ratione utentibus, Salvator pulſat ad oſtium interius noſtræ mentis, ut ingrediatur, comedatque nobiſcum in menſa virtutum, nosque cum illo ex virtutibus Chriſtiformibus epulemur, ut ex convivio ad convivium beatitudinum veniatur. Joannes in Apocalypſi refert Salvatorem ſibi per viſionem dixiſſe: Ecce ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi januam, introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum. Adhuc apud nos nobilis & divinus hæros inviſibiliter in virtutibus, & ſacramentaliter in ſignis & rebus peregrinatur. Væ! qui diu facit illum expectare ad oſtium, magis verò eis, qui omnino ejus crebris pulſationibus ſurdas aures præbent, nec præſtant aditum regi regum. Qui enim negant eum, negabuntur ab eo. Qui non recipiunt eum, non recipientur ab eo. Qui illi menſam ſaltem in corde non parant, convivia æterna deſperent. Qui Sacramenta repudiant, inferni facti ſunt cives. Quid enim poteſt eſſe in virtutibus ſanctius, quàm omnium redemptorem in menſa virtutum habere convivam? Qui ſemper adeſt, cùm paratur, cùm nihil recipit, ſed impendit. Hi qui Dominum ad ſacratam & inviſibilem menſam invitaot, jam occultè à divina gratia ſunt præventi. Non enim potuiſſent in illum pauperem & egenum pro nobis intendere, niſi eos ſuis inſpirationibus prævenifſet. Sed quoniam apud Zachæum ſe non invitatus invitat, excepto myſterio linguæ perventionem ad peccatores oſtendit. Sunt namque nonnulli, quos peccatorum gravis ſarcina premit, torquet conſcientia conglobatim occurrunt occulta peccata, & manifeſta hoſtilem aciem ponunt, confundit pudor, & ex puſillanimitate fidei ad Salvatoris amicitiam aſciſci poſſe deſperant: ſed deſiderio vigent, & captant argumenta videndi, ſed carent audacia invitandi. Hos Salvator occultè, ſimiliter & manifeſtè prævenit, per inſpirationes, & vivas hominum voces, quas ſacris ſermonibus aptavit, ut detur omnibus audaciæ ſanctæ ſignum, quod peccator quorumlibet peccatorum mole gravatus, aut delectorum pondere preſſus, ſi deſiderio ſancto viget, ſi quærit argumenta ſalutis, ne in Dei amicitiam redire poſſe diffidat, ut etiam internum cum homine velit habe convivium. Hæ ſunt deliciæ Salvatoris; referentæ ſcriptura: Deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum in menſa virtutum: ut peracto virtutum convivio beatitudo ſuccedat in ſuperis. Proverb. 8.

Cap. XI.

De patientia Domini ad peccatrices.

LEgimus Salvatorem verbo remiſiſſe peccata, & nullam adjeciſſe pœnam ultricem, ſed futurorum cautelam, quaſi tota pœnitentia præteritorum in cautelam tranſeat futuro rum: nec confeſſionem illorum ſcriptura commemorat, quibus ſunt dimiſſa peccata. Salvator omnium Deus non appendit in lance juſtitiæ ſuæ multitudinem temporis, ſed dolores: idcirco eccleſia catholica, quàm ipſe gubernat, pœnitentiam pœnitentium in arbitrio diſcreti ſacerdotis imponit. Et hæc eſt hominis delinquentis verior pœnitentia doluiſſe de peccatis, ex æquo delectationis veriſſima & probatiſſima eſt exciſiſſe, quam ſolus novit Chriſtus, qui ſuſcepit offenſam. Et cùm præteritorum dolor prohibet committere ampliora in poſterum & præcavere, de commiſſis dolere veraciter eſt certiſſimum ſignum. Proinde Salvator cùm hoc ajebat, dicebat: Vade, & amplius noli jam peccare. Quod idem ſonat cùm Magalenæ dixit: Vade in pace. Nullus ſibi blandiatur de remiſſione præteritorum, ſi ad ampliora, ſeu ad aliqua minima ſuſpirat affectus: nec credat poſſe evadere futura, ſi præteritorum figura præluſerit, aut nauſeam in anima non fecerint, velut corpora ſcatentia vermibus hominum ſolent inferre olfactibus. Nec prætereundum ſilentio, cùm vellet adductam in templo adulteram liberare, quòd ſcribebat in terra. Mirandum utique, imò miraculum, quod ægit Salvator. Inclinabat ſe coram oculis, & ante pedes hominum iniquorum, cum digiti templi tangerent pavimentum. Pavimentum ſanè templi marmoreum erat, ut refert Paralipomenon hiſtoria, nec duritia marmoris ex natura cedit materiei molliori. Sed non virtute carnis, neque virJoan. 8. Marci 9.

tute lapidis, ſed divina Salvator in illo pavimento ſcribebat, licèt uſitato more loquendi dicatur, quòd ſcribebat in terra. Miraculum certè judicari poterat, quòd ſcribebat digito carnis in lapide marmoris. Quòd verò ſcribebat, ſcimus: quid autem ſcribebat omnino neſcimus. Declarandum verò miraculum in ſuo ordine reſervamus. Sed in omnibus geſtis ſuis Salvator noſtros præordinat mores, ut dum quempiam authoritate aut teſtimonio cogimur judicare, ſi pœnitentiam veram agnoſcimus, miſericordiam juſtitiæ præmittamus. Et quamvis conſtet de patrato ſcelere, ſi cognoſcitur pœnitentia, non abnegetur miſericordia: fallit tamen in regimine reipublicæ, quam miſericordia periculis vulnerat, juſtitia ſanat. Prærogatur etiam omnibus nobis forma, ut in liberatione rei, etiam accuſantium ruborem cautiſſimè devitemus. Non enim Salvator peccata ipſorum objecit in faciem, ſed taliter dixit, & ſcripſit, ut confiterentur exterius, absque quod interius verecundiam paterentur, maximè autem Salvator in illa ſcriptione agebat, ut eorum corda confunderet, qui non amore juſtitiæ, aut perſonæ, aut odio patrati ſceleris, ſed quodam dolo commoti ſæviunt in peccantes, quòd nefarium eſt omnino in ordine æquitatis. Secus autem eſt ſe ingerere in accuſatione peccantis, ſecus à tribunali trahi. Si ſe ingerit præter liberum amorem juſtitiæ, omnino delinquit: ſi trahitur, verum omnino non ſileat. Vult etiam, & inſinuat infallibilis judex, quòd, quivult alios accuſare à libera voluntate commotus, ut teneat innocentia Sacramenta, propterea ad Phariſæos intulit ipſe Salvator: Si quis veſtrum ſine peccato eſt, primùm ille lapidem mittat: Et declinans in terram oculos, ſine confuſione notabili eis permittebat egreſſum. Mos ſapientium, & bonorum virorum eſt non aſpicere faciem iniquorum in primo congreſſu, ne confundi timentes: efficiantur verbis & animo ſæviores, ſed avertere faciem, ut in ſeipſis, & non coram aliis erubeſcant: & cùm in faciem non reſpicitur, tergiverſandi occaſio prærogatur. Ad adulteram ſua benignitate oculos levans, quam homo condemnabat, abſolvit: ad hoc enim venerat, non condemnare peccatores, ſi fuerint pœnitentes. Amator omnium Chriſtus quærit unde poſſit hominibus donare peccata, & indulgentiam præſtare quærentibus. Et cùm à juſtitia fit appellatio à peccatoribus ad aulam miſericordiæ, aut omnia remittuntur, aut piè plectuntur, qui facinora commiſerunt. Ipſe profectò eſt advocatus & judex, mirjs modis inquirens, unde abſolvatur, qui ante tempus inventus eſt reus: nec eum judicem accipi noſtra iniquitas fecit, advocatum verò, noſtra neceſſitas: utrunque tamen peccati miſeriam habet germen. Quod autem bis ſcripſit, à præcipiti ſententia cautos voluit eſſe rectores, ne citò proferant, quam revocare non poſſunt. Quando lædit infamia, ſeu cruciat pœna ſenſibilis, ante diſcutienda ſunt jura, quàm ſententia proferatur: prius ex certo poſſibili ſciatur, quàm ex ore judicium exeat: nam vita hominum, per hominem non reſunditur, cùm aufertur, nec ſine ſtigmatibus reſarcitur caro deciſa. Et abſciſum membrum veram imaginem non reſumit. Cùm verò judicaturus teſtes & accuſatores interrogat, terret & monet ab improbis accuſationibus improbos ceſſare actores. Pertinaciſſimum malum noſcitur coram Deo contra quempiam perſiſtere, ſine cauſa juſtitiæ improbitate nocendi. Ex his benignitatem Domini Salvatoris agnoſcamus, qui ad parcendum, quàm ad percutiendum eſt omnino proclivior, niſi hominum pertinacia in ſeveritatem miſericordiam vertat.

Joan. 8.



LIBER V.

De Miraculis Salvatoris.

Cap. I.

De Miraculis factis in aqua.

EXPEDIRE novit, qui omnia novit, miracula fieri ſupra naturam, ſupra uſum, ſupra rationem, ſupra mentis capacitatem, & omnem tranſcendentia intellectum, quod aliter non caperentur, niſi per fidem: & ubi natura, & ars medicinæ deficiebat, virtus divina deſuper innoteſceret. In quibus omnibus aliis prætermiſſis, quid vitæ agendæ aut præcavendæ in noſtris Chriſtianis moribus agitur, aut agere, aut devitare debeatur, prout Dominus donabit, aperiam. Præſciendum tamen, quòd, excepto quòd miraculoſè natus eſt atque demonſtratus, ante egreſſum de deſerto nullum miraculum feciſſe ſacri evangeliſtæ tradiderunt. Completis in ætate Chriſti vigintinovem annis, tredecimque diebus, octavo idus Januarii baptizatus eſt. Et traditatis moſmina neſciens, eodem die ſub ducatu ſpiritus ſancti, ut homo abiit in deſertum, ubi quadraginta diebus & totidem noctibus indeſciſſis moram faciens, decimotertio calendas Martii egreſſus eſt. Et prædicans per univerſam Galilæam in ſynagogis, platæis, viis eſt domibus, elegit Apoſtolos atque diſcipulos, nullum miraculum illo primo anno prædicationis ſuæ faciens, quo revoluto, eodem die quo baptizatus eſt primum ſignorum ſuorum fecit in aqua, cùm invitatus eſſet ad nuptias. Si rationem quæremus in miraculis Chriſti, non eſſent miracula. Si exempla, multa præcedentia haberemus in alia virtute, quàm divina factorum miraculorum, non eſſent ſingularia: ſed ſiqua facta novimus ante Chriſti tempora, divina virtute facta omnino credamus. Veruntamen de licentia Spiritus Sancti, omnia Chriſti miracula punctatim, nec hiſtoriarum ſerie prætermiſſa, ad Chriſtianos mores, quantùm poſſumus, convertamus. Fertur, & ita credimus, quod Salvator noſter ſecreta poteſtate aquam convertit in vinum, propter vini defectum ad ſupplementum nuptiarum, & ad jucunditatem & lætitiam convivarum, ad oſtendendam virtutem ſuæ ſecretæ potentiæ, ut latens in humanitate divinitas crederetur. Pulſat animum noſtrum, ſi quidem Deus inveſtigare permittet, cur incœpit ab aqua convertenda in vinum dominus Jeſus Chriſtus, ſive cur à liquoribus inchoavit. Multa ſanè myſteria legimus Dominum in aqua feciſſe. In prima rerum creatione dicitur, quod Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, ut omnem rerum fluxibilem materiam intelligamus in aquis, ſuper quam fertur Domini Spiritus: quia indigna eſt operatio ejus, nec neceſſitate in eſſe aliquid produxit. Subjacet rebus ipſa neceſſitas, ex qua, ſi creator omnium teneretur, non ſuperferretur Spiritus ejus, ſed ſubjaceret operatio ejus. Nec amor ejus ſubjicitur rebus, indignus eſt enim: intellectus autem ſupervolitat omnibus à ſe factis nihil enim ſubrerfugit eum, igitur Spiritus ejus ferebatur ſuper aquas, ad id rationalem creaturam compellans, ne rebus, quibus ipſa nobilior, imo domina conſtituta, velit malè ſubjici per amorem. Conſuevit enim amor hominum ſubjici rebus, quas diligit, qui ſoli Deo debet eſſe ſubjectus. Nec ſubjiciatur intellectus importunitate intelligendi, cùm neceſſario ſubjicitur ex natura. Non enim omnia & rationes omnium creatorum apprehendit intellectus hominum, & in caſſum conatus eſt philoſophorum cœtus: multa prætereunt philoſophantes, ſed habemus unde ſuperferatur, ſcilicet fidem, cujus intellectus creatis omnibus ſuperfertur. Nec mirum, fide nempe ipſe creator conſpicitur, qui eſt ſuper omnia Deus. Qui ergo pervenit ad ſummum, & id quod inferius eſt exceſſit.

Joan. 8.

Gen. 1.

Con-

Genes. 7. Congregavit etiam aquas in locum unum. Elementa distinxit ab invicem, sed fluidas hominum mentes voluit convenire in unum, in unanimitate scilicet voluntatum ad unum, propter unum, & propter ordinatum ab æterno locum unum. Sed firmamentum divisit aquas ab aquis, superiores ab inferioribus, ut virtus firma divideret filios Dei, à filiis perditionis. Et tu omnem tuam fluxibilitatem ad unum locum ordina, & per firmatam virtutem cognosce cum quibus sis aggregatus, in superis aut in imis
Genes. 6. locandis. Aquis diluvii delevit animam vivam non existentem in arca, obedientiam omnis creaturæ ad vindictam malorum præsignans. Et mundi originalis purgatio facta est per aquam, ut quia fluidæ animæ hominum, & similiter corpora fluebant ad malum, & omnis caro
Exod. 7. corruperat viam suam, dignum judicavit divina justitia, ut à fluido paterentur elemento. Et quia præter Domini voluntatem amor hominum subjiciebatur rebus dilectis, ex quibus percipiebatur abusus, non superferebatur eis, ut Spiritus Domini super aquas, jure ipsis operientibus orbem homines peccantes subjecti, qui octavo numero præsignati, octavam æternitatis possidendam ustendit eis, qui non merentur deleri. Similiter Ægypti aquæ conversæ in sanguinem divinam ultionem ostendunt super eos, qui cuncta creata convertunt in sanguinem peccatorum, de
Psalm. 50. quibus David dicebat: Libera me de sanguinibus. Et aquæ cesserunt Israelitis, &
Exod. 15. Ægiptios suffocaverunt. Et qui creatis fluidis malè non utuntur, non ferant ultionis pœnam. Qui verò maculosé in eis degunt, dignam in illis perferant ultionem. Diluvium & Ægyptiorum submersio, figuraverunt baptismum, in quo deletur iniquitas, & bonitas remanet naturarum. Inventæ sunt aquæ amarissimæ in, deserto, sed sunt dulcoratæ per lignum.
Sapien. 7. Multa sunt in hoc squalido mundo amara & aspera decertantia contra tenerum sensum, sed fecit dulciter tolerare asperæ crucis lignum. Et Christi amor hoc egit in cordibus verorum fidelium, ut pro voto susciperentur corporis passiones. verè amor validi ligni, mundi hujus in-
Num. 16. dulcavit amara. Et benedicitur in veteri testamento lignum per quod fiebat justitia lingnum, per quod facta est tota justitia nostra, crux est, quæ si apparatur his quæ refugit sensus voluntas amabiliter suscipit. Necnon lignum per quod justitia benedictum mentibus nostris insinuat justitiæ sanctum opus, quod si solerter aspicimus, nos pœna undique premit, sive nobis irrogetur invitis, sive cum illam libenter amplectimur, cùm nulla sit digna exhibitio pro futuris aùt æqua recompensatio ligni crucis. Proinde hujusmodi lignum, præstat dulcedinem nostris pœnis, & dulcis fit tribulatio velut aqua labens mundi sine mora labentis. Productam de petra legimus aquam per virgam, ad potandum, & ad sedandum populum murmurantem, & deinde contradictionis aqua extitit appellata, quia de Christi latere aqua nostræ salutis & sapientiæ sanctæ Dei fluxit, qua portaretur humanum genus, quod murmuraverat aut murmuraturum erat in pœnis. Nulla salubrior aqua, quàm quæ defluxit ex latere: nulla sapientia melior, quàm Christum noscere crucifixum. Sed hæc aqua fuit educta per virgam, quia infallibilis & recta & inflexibilis justitia Dei suo secreto judicio & ineffabili modo punivit, quod non peccavit in filio: & ex peccato nocentis, caro plectitur innocentis. Sed contradictionis nomen accepit, quia si ex aqua ista salus multorum, non tamen omnium constituitur, Luca 2.
cùm Christo ab ipsa ineunte infantia usque ad mundi finem ab improbis infidelibus & malè fidelibus contradicetur, quamvis Simeon cecinisset alta de Christo, quia positus esset à Deo patre in resurrectionem multorum, atque ruinam, nihilominus & in signum, cui contradicetur, adnexit. Et ab origine mundi nullius scientiæ majorem contradictionem audivimus, quàm sapientiæ Christianæ, cui verbis & moribus contradicitur etiam ab his, qui suo nomine insigniuntur. Pervenit populus in deserto in locum, in quo duodecim fontes erant aquarum, ubi re- Exod. 15.
focillaverunt animas sitientes. Peregrinabatur genus humanum in Adam expulsum à paradiso, ubi qui quadrifario fonte jugitur rigabatur, nec invenit aquam in copia, sitis copiam auferentem: præter illam sacrosanctam doctrinam duodecim apostolorum, qui mundum universum mirificè rigaverunt. Aquarum multa mysteria facta cognovimus, quas si Deus continet, omnia siccabuntur: si verò emiserit, subvertent terram. Gratiam divinam in his Verbis intelligimus figu- Job. 12.
ratam, quæ ariditate sua deficiunt & siccantur. Si verò de superis abundantur emittitur, terra cordis nostri subvertitur: ut dolendo puniat, quod gaudendo deliquit. Nobiles commutationes in aqua factas esse prænovimus, cùm in illam transient circumsionis asperitas: ut ele-

mentum

mentum ſanctificetur per Verbum & ſenſibile corpus; inſenſibilem in corpore atque inviſibilem gratiam capiat: & fiat cœleſtis, qui per corruptionem huic mundo terrenus apparuit. Non reſiſtit hoc elementum impreſſionibus à duriori aut vehementiori corpore factis: & tam diu tenet impreſſionem, quamdiu ſupermanet impreſſum. Tales animas Deus quærit, ut ſuis divinis impreſſionibus non reſiſtant nec removeant, cùm ipſe ſit ſemper ſuperſedere paratus, & gratiæ ſuæ immobiliter ſituare. Inſipida & frigida & abſcolor eſt aqua: ſic omnium anima, niſi ſaporem ſapientiæ ſuæ, & calorem charitatis ejus, atque colorem pulchritudinis virtualis, ipſe, qui creavit, apponat. Sic & lex Moſaica erat, quam Deus in Evangelium ſapidum & charitate plenum, & optimi coloris ſua poteſtate convertit. Quocirca in myſterio, & pro noſtris moribus ordinandis, Chriſtus in vinum convertit inſipidam & diſcolorem atque frigidam aquam, ut effectum cognoſcamus virtutis ejus inviſibiliter operantis in nobis, per id, quod eum feciſſe foris agnovimus; Necnon & quàm tractabiles & convertibiles ad ſua juſſa nos eſſe velit, ex hac commutatione demonſtrat. Curioſe atque ſuperbè ſcrutari non debemus, quare ab aqua miracula incœpit Salvator, ſed laudare potentiam, & voluntatem ſuam juſtiſſimam venerari. Ad ordinem verò rei geſtæ, ut nullus in eo exorbitet, ſecundùm literam primitus veniamus, ut etiam in his, quæ præcedunt & comitantur, & ſequuntur miraculum, regulam atque formam noſtrorum morum, prout poſſumus, aſſumamus, prætermittentes myſteria, præterquam ubi ad mores, niſi tactis myſteriis, non poſſemus aliter pertranſire. Perfecta omni tentatione deſerti, atque victoria Salvator egreſſus de deſerto in Matth. 4. Galilæam, cœpit prædicare, congregare diſcipulos, illos allicere altitudine, atque novitate doctrinæ. Neque à die ſui baptiſmatis usque ad eundem diem revoluto anno miraculum aliquod fecit, quoniam mutatio aquæ in vinum fuit initium ſignorum, quæ fecit Jeſus. Nemo autem in hoc, quod dico, ſe fallat, quoniam authoritas ſanctæ Matris eccleſiæ longa conſuetudine roborata hoc aſſerere me compellit, quæ illud ſolùm (quamvis non per ſcripturam declaratam) in conſuetudinem invariabilem profectò ſuſcepit, quod à geſtis & moribus Apoſtolorum, Chriſtum in carne videntium, atque diſcipulorum, ipſa in ſuo ortu & inchoatione cognovit. Eo igitur die, quo Salvator baptizatus eſt anno revoluto eccleſia infallibiliter hoc nobis tradente fecit hoc miraculum initium miraculorum. Quod ſi initium, cætera ſunt ſequentia: quia eodem die ſive anni revolutione baptizatus & miraculum aquæ fecit, cùm ſtatim ſpiritus eum expulerit in deſertum, & de deſerto in Galilæam, ubi pluries prædicans & egrediens & regrediens, & vocatis diſcipulis (ſicut referunt alii Evangeliſtæ) tertio die ab illo quo Joannes Baptiſta reſpondit Sacerdotibus, & Levitis; miſſis ab Heroſolymis à Judæis, ut interrogarent eum tu quis es. Nam anno illo primo, quamvis non integro, prædicaverunt Chriſtus & Joannes, qui teſtificabatur de Chriſto, quæ digna videbantur, & ſuos diſcipulos in ſcholam Chriſti mittebat, quem etiam oſtendit diſcipulis ſuis, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Nam Chriſtus poſt egreſſum de deſerto, Joannem iterum viſitavit prædicantem & baptizantem. Diſcipuli etiam Joannis dixerunt ei; Rabbi qui erat tecum trans Jordanem, cui Joan. 1. teſtimonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. Et Pha- Joan. 4. riſæi audierunt, quod plures diſcipulos Joan. 3. faciebat, & baptizabat Jeſus, quàm Joannes, Hæc pro tanto dixerim, quia non ſic legitur in Matthæo; ſtatim poſt egreſſum de deſerto Joannes traditus eſt in carcerem, poſt quam traditionem etiam Chriſtus congregavit diſcipulos coram quibus maximè illis, quos Apoſtolos nominavit Salvator ſua miracula fecit. Nam expediebat ordini & rationi, ut omnes Apoſtoli congregati jam eſſent ad videndum Chriſti miracula, quæ ipſi prædicaturi erant coram gentibus & regibus mundi; & per mortem & ſanguinem teſtificaturi pro eis. Et cùm omnem aggregationem Apoſtolorum primo anno prædicationis fecerit, huc clarius patet, non fuiſſe Joannem vocatum de nuptiis, in quibus aquam in vinum ſecundo anno ſuæ prædicationis convertit. Nec quempiam moveat, quòd erat ibi Mater JESU, ut velit cauſam ſuæ præſentiæ fuiſſe Joannem: plures enim habebat propinquos, quorum alicujus intuitu potuiſſet adeſſe, filiosque Zebedæi Jacobum & Joannem de navi & piſcatione, non de nuptiis legimus eſſe vocatos. *Facta ſunt* igitur *nuptiæ in Cana Galilææ* Joan. 1. Nuptiarum vocabulum, quod quondam verecundiam & honeſtatem conjugii ſignificabat, tranſivit in epulas & in menſas ornatas cibariis. Nam nuptiæ ab obnuendo id eſt cooperiendo vultum & caput anti-

antiquitus dicebantur: nunc verò eodem manente vocabulo, neque tam antiqua ſignificatione mutata, ſed alia ſignificatione adjecta, ex uſitato more loquendi, nuptiæ dicuntur eſſe ſplendidi pro nuptiis comeſtibilium apparatus. Nuptiæ factæ in Cana Galilææ: zelotypum amorem ſive amoris fervorem inter Chriſtum, & eccleſiam ſignant, velut inter ſponſum & ſponſam, ut uterque pro utroque moreretur amoris vehementia inſiſtente: ut Chriſtus pro ipſa eccleſia moreretur, & ipſa eccleſia orthodoxa pro ipſo mundo voluntariè moriatur. Et in martyribus ſuis morte corporis crudeliter ſit extincta ex tyrannorum furore atque terrore, quamvis ipſa usque ad finem ſæculi ſit militando manſura. Cana zelus interpretatur, qui zelus eſt, ut placitam altiſſimo habeat voluntatem. Sed non omnis zelus bonus. Bonus profectò eſt, qui transmeare penitùs ab hoc mundo deſiderat, aut cum homo Deo vivit nihil ſibi approprians de terrenis, non certis manſionibus degens, vita indefinita potitus: Nil certum cupiens, præterquam animi virtutem: nihil certum expectans, niſi mortem & Dei miſericordiam & judicium, & in omnibus eventibus manens inconturbatus: irretitus ab omnibus præterquam ab eo, quod virtutem & Dei beneplacitum reſonat: mundum hunc viſibiliter prout fit poſſibiliter, & inviſibiliter, quia poſſibiliter peragrans. Hic eccleſiæ celebrantur nuptiæ, hic fidelis animæ thalami præparantur. Nam transmeatio mea, Galilæa interpretatur, ut unusquisque ex ſeipſo ex hoc, & in hoc mundo transmeare feſtinet, pro ſua voluntate videlicet, aut ſuo declinando periculo. Nam per Dei naturalem juſtitiam unusquisque de ſuo damnabitur vitio, non de alieno. Et per miſericordiam Dei, de ſua laudabili factione ſalvabitur, non de alieno profectu. Proiode in Cana Galilæa, id eſt in cœlo hujusmodi amoris celebrantur animarum nuptiæ, quibus Salvator interfuit, Maria exiſtente pronuba fidei ſcilicet Chriſtianæ veritatis. Nam dicitur: *Et erat Mater* JESU *ibi*. Suberat cauſa quare Mater Jeſu erat ibi. Rationabilis erat cauſa, quare mundi regina ibi erat. Non enim credamus alicubi absque rationabili cauſa ipſam interfuiſſe. Agebatur enim à Spiritu Dei, velut Filia Dei, Mater Dei, Sponſa Dei, nihil impertinens atque ſuperfluum in ſuis moribus apparebat. At ubi poſtquam interfuiſſe illis nuptiis credimus, juſtam eſſe credentes cauſam, ipſam aliter non quæramus. Non enim omnium actuum à nobis inveſtigandæ ſunt cauſæ: magis verò, quæ ex eis eſt utilitas, capeſſenda. *Vocatus eſt autem* JESUS *& diſcipuli ejus ad nuptias.* Aut velut pauper, aut velut notus à ſponſo, aut ex confidentia parentelæ, aut ſpecialis notitiæ, aut ſuggeſtione matris factum eſt, quæ Filii ſui præſentiam ubique cupiebat. Melius autem divina diſpoſitione factum eſſe credamus, ut Jeſus ad nuptias hujusmodi vocaretur, propter ea, quæ mirabiliter ſunt ſecuta. Qui non juſtos, ſed peccatores vocare venit ad pœnitentiam, omnes ad fidem, omnes ad virtutes, omnes ad gloriam, quamvis non omnes reſpondeant, nunc ipſe vocatur ad nuptias, ad quas non pro paſtu corporis, ſed pro edulio mentis acceſſit. Beatus qui Dominum Chriſtum in ſuis vocat agendis. Et beati, qui eum in carnalibus nuptiis teſtem habere volunt atque præſentem. Et blandiuntur ſibiipſis quamplures, pro eo, quòd Salvator nuptiis voluit intereſſe, ut aut pernitioſa licentia in matrimonio amplius, quàm expediat delectentur, aut vitæ cœlebi præferre audeant vel æquare. Sed advertant, quoniam Chriſtus tota ſanctitas & ſanctificatio eſt, non ergo per blandientes honeſtas matrimonii deturpetur. Ad omnem honeſtatem nuptias oportet convertere, ſi Chriſtum velint habere in judicem & in teſtem. Condemnatur, & teſtificatur contra turpitudines & immunditias Salvator omnium Chriſtus. Nam beatiores profectò eſſent nuptiæ, ſi pro Chriſto voverent caſtitatem, etſi non omnimodam ſaltem ad tempus illam interponerent redolentem. Nam quanto magis comuni aſſenſu caſtitas inter virum mediat & uxorem, tanto amplius in conſpectu Chriſti nuptiæ placitæ fiunt. Pulcheriores atque dinores ſunt nuptiæ caſtitate, quàm copia Filiorum. Et quanto humana caro pia intentione ab amplexibus & concubitu removetur, tanto ad primam illam creationis pulchritudinem propinquat. Et Chriſtianitas, qua illabata manente conjungimur in ſuperis, efficitur ſanctior, quo hominis humanitas contactibus non turpatur. Nec curæ fiat hominibus (ſi non eſſent nuptiæ, aut caſtrarentur propter regna cœlorum) propagationem humani generis defuturam: quia deficere nequit potentia & ſapientia creatoris, qui omnia ex nihilo in eſſe produxit. Nec eſt hominum Dei ſapientiam, & qualiter hominum ſucceſſio fiat, ulla temeritate conquirere, ſed exequi placitum voluntatis noſtræ

Lucæ 11.

noſtræ ſit officium voluntatis. Nec ad confirmationem ſive renovationem voluit Salvator nuptiis intereſſe. Non inter illas firmaverat, aut ſuper eas induxerat vetuſtatem, cùm ipſæ antiquam habeant novitatem. Ad nuptias quippe nihil novi appoſuit, qui virginitatem ex conſilio noviter introduxit, & caſtitatem ejus moribus & doctrina perfecit. Ac per hoc vocent omnes Chriſtum ad nuptias, ut aut eas ex toto caſtificent, aut nihil in eis agant, quàm Chriſtianam deceat ſanctitatem. Vocemus Jeſum in operibus noſtris, & ipſum revereamur omnia inſpicientem, ut venientem judicem ſecura & læta conſcientia videamus. Nec diſcipolos ejus ab hac vocatione legimus intermiſſos. Nam vocatus eſt Jeſus & diſcipuli ejus. Decet ſanè ad ordinem atque profectum vitæ agendæ, ut doctorem & diſcipulos, ducem & milites ad exhortationem ſimiliter, & exemplum mentis intuitu videamus. ut nobis forma vivendi ex agonum poſitore, verisque ſectatoribus luceat. Tu quis es, ad mentem revoca Chriſtum, & quàm humiliatus incedat, adverte. Revoca & diſcipulos ejus, non Ariſtotelis ant Platonis inutilium doctrinarum, ſed diſcipulos ab omni doctrina excluſos, mundo mortuos, repudiantes omne viſibile, ipſum ſolum doctrina moribus & vita humiliter imitantes, ſolùm divinis dogmatibus intendentes. Non revocemus ad ad mentem hominum negligentium vitam, habet enim inducere profectò ſegnitiem, ſed eorum, qui tarditatis & pigritiæ molimina neſcierunt. Præſtat namque ſemper audaciam plus agendi & ſæpè fervor unius aut plurium tempore unius aut plurium excitavit. Bonum omnino cum Chriſto & diſcipulis recumbere in menſa virtutum. Veruntamen edentibus, qui recumbebant, vinum deficere nun-
Joan. 2. tiatur ei, qui omnia prænoverat. *Et deficiente vino, dicit Mater JESU ad eum: Vinum non habent.* Mirum cogitare vel dicere, ubi ſufficientia omnium aſtat, quòd vinum deficiat. Sed naturale deficit, ut ſupernaturaliter factum apponeretur: & ſupernaturaliter innoteſcere inciperet, qui ſupra naturam, & uſum ineffabiliter natus eſt. & deterior ab Evangelio Moſaica lex propinquaret defectioni, ut apponeretur Evangelium novum. In parte deficiente lege Moſaica, deficiente vino humanæ lætitiæ apponendum erat vinum lætitiæ ſpiritualis, & ad defectum ſummus erat adventurus profectus. Cùm creatura voluntariè mundo deficit, profectus divinus advenit. Prænuntia defectus Mater Jeſu erat. Almifica Regina verè compatitur omnibus, & omnium vellet removere defectus, niſi DEI hominum æmula pertinacia è regione tentoria figeret. Et pro omnibus libens ſumit interpellationis officium, ſi amota noſtra protervitate non fuerit, aut ſi rogata humili & fida prece fuerit. Allegat pronuba caſtiſſima in virginitate ſolis claritate lucidior, quòd vinum non habent nuptiæ vel convivæ; quia vel non habent unde lætentur, aut humanam lætitiam propria voluntate contemnunt, ut nolle habere ad non habere reducatur. Vere omnes in hac vita degentes non habent unde gaudeant, ſed unde mœſtitia ſatientur. Pœnalitatibus omnibus corporis ſubjecti ſumus, mors certiſſima in non certo termino comminatur, undique mala viſibilia & inviſibilia ſeipſa conglomerant, obſident, & includunt, crucient & affligunt, & omnis via præcluditur evadendi: exceptis his, qui per viam mundi aſperam mcedere ſtatuerunt. Diſponentem ſe ad futura pericula propter Deum, clades præviſa ſeu inopinata non lædit. Igitur unde lætabitur tot caſtris & malorum papilionibus circumſeptus; Unde lætabitur inviſibilibus agitatus ab hoſtibus, quorum caſtra murtales oculi nequeunt intueri, neque in illa jactare lædentia? Neque cum ſpiritualibus oculis eorum ſemper advertere poſſumus totam fraudem, nec ſentimus inſidias, etiam cùm fecerimus caſum. Quæ lætitia, quæ jucunditas eſſe poteſt in valle miſeriæ, ubi velut regina ſolium ubilibet tenens, ipſa miſeria omnia ferè in ſuam deditionem adſcripſit? Proculdubio cuncti carerent unde in veritate lætentur. Idcircò pro nobis veritatem interpellans, velut pro convivis aut nuptiis alma Maria dicit: Vinum non habent. Aut ipſam humanam quantumliber perfunctoriam humanamqùe lætitiam inhærentem tenuiter à nobis voluntariè abdicamus, ut noſtro merito dici poſſit, quòd vinum hujusmodi non habemus & noſtræ carentiæ redundantia illa ſuccedat, quæ non de creatura, ſed de creatore procedit. Quomodolibet igitur proferatur, ad creaturam refertur vinum, quod deficit, ut ſequatur divinum, quod deficere neſcit. Ad defectum divini refertur legis impoſſibilitas, quæ neminem juſtificavit ex toto. Ad miraculoſum vinum præſtruitur Evangelium, cujus veritas obſervata introducit in regnum. Ad vini defectum pertinet omnis creaturæ carentia, ſed admiraculoſum ſpectat quicquid pro æqualitate non meritum

divina bonitate ſuſpicimus. Ad hunc etiam vini defectum pertinere poteſt, cùm labentium rerum defectum, cùm ipſis utiliſſimus, ſuſtinemus ſperantes bonis altioribus munerari. Ad vinum bonũ ſervatum uſque adhuc ſequitur gloriæ ſtabilitas æternorum. Intentius dictum iſtud trahentes in mores deficiente vino, & vinum non habent, alia ſe parat forma loquendi, ut vini defectus atque carentia ſit à libera hominis voluntate de typicis malis atque tranſſumptis, quæ vinum bibitum ſupra modum facere
3 Eſdræ. 3. confuevit. Legitur enim in Eſdra, cùm de vini fortitudine ageretur, quod vinum ſeducit mentem. Seductio enim mentis eſt à ſuperioribus ad ima prolapſus, & ſeparatio à tramite veritatis & lumine rationis.
Oſe. 7. Unde per prophetam dicitur: Ephraim ſicut columba ſeducta non habens cor. Nam ſæpe hujusmodi avis ab altitudine aëris ſe demittens, terris inſidens propter eſcas & aquas, ad exitium capitur. Sic humo, qui à divinis doctrinis ad ima prolabitur, ad exitium peccati atque inferni plerumque occulta pedica improviſè tenetur. & ſæpe nidificat, unde pulli aufferuntur. Seductio igitur mentis eſt, ibi ſuo conatus apponere, ubi operum perditio ſequitur,
Eccl. 14. quia ſcriptura dicit: Omne opus corruptibile in fine deficiet, & qui illud operatur, peribit cum illo. Hinc verò malo deficere bonorum ſucceſſionem habet in præmium. Necnon ut eadem refert ſcriptura, regis & orphani vinum facit mentem vanam. Nam plerumque in populis regiminis ſceptra tenentes, mundi vanitatem ſectantur: ſimilirer & patre filii deſolati, ut neque conditio ſtatus nobilis vel abjecta
Pſal. 4 ſe velit, & noverit à ſæculi vanitate tueri. Contra quos Propheta ſanctus inclamitat: Filii hominum uſque quo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Profecto vanitas eſt bonorum ſpiritualium, atque verorum firma vacuitas. Proinde vana dicitur mens, quæ delectatur caducis, quæ afferunt ſæpe periculum, nullum verò remedium. Vana eſt mens, quæ virtutibus vacuam peJob. 11. ram habet, & perfunctorio hauſtu pœnaliter amplius ſitit. Et vir vanus in ſuperbiam erigitur, & quaſi pullum onagri liberum ſe natum putat. Jure in altum, quo evaneſcat, ut fumus homo per ſuperbiam tollitur, cujus animus non reprimitur pondere juſto virtutum, quam vacuitatem facit ſæculi vinum, cujus habere defectum ſufficientiam maximam appellavi. Et ſervi ac liberi, pauperis ac divitis & omnem mentem convertit in ſecuritatem & jucunditatem. Ubi humana ſecuritas, ibi cadit fragilitas: & quo ſecuritas major, caſus vicinior atque profundior. Non eſt ſecuritas quieſcere inter hoſtes, neque tutum inter inſidias crudelium ambulare. Tremor & timor manent ſuper nos contectos tenebris peccatorum. Implacabiles ſunt inimici, quos inviſibiliter patimur, & contra nos impaciſcibile bellum gerunt. Peſſimum eſt eſſe ſecurum, ubi athletæ Chriſti maximi trepidarunt. Et ingredienti terram hoſtilem non ſecuritas, ſed timor pro baculo ſubſidii opus eſt. Inimicus eſt nobis mundus, præter cujus terram neminĩ patet greſſus. Et caro corporalis animæ adverſatur, quam deponere non poſſumus, niſi per improviſam mortem. Quis igitur hominum dormiet aliquando ſecurus in caſtro inimici mortem minantis? Quis audaciter nudis pedibus incedet ſuper ſpinas? Quis ſecuritate pernoctabit in domo minanti ex omni parte ruinam? Et procellis in mari ſonantibus non ſecuritas, ſed ignavia eſt dormire. Jucundari autem in loco funeris & triſtitiæ, atque in tempore fendi ebrietas eſt, atque ſtultitia. In hæc cadere vinum ſæculi ſæpe fecit, cujus carentia magis quam redundantia eſt in laude. Sed quod ſequitur, amplius mala malis accumulat, & non meminit omnem juſtitiam & debitum. Qui caret juſtitia, per juſtitiam punietur. Et qui non reddit debitum, pœnarum debitum ſolvet. Obliviſcentis juſtitiæ obliviſcitur Deus. Et non ſolventem Deo debitum, & promiſſum juſtum hominibus ordinavit ad rhompheam. Ebrietas autem corruptibilium, amoris malè diffuſi oblivionem induxit juſtitiæ: debitumque negare creditoribus fecit, & irritare promiſſa. Hoc non bibere vinum, dixi maximum lucrum. Nam ut adjungitur, omnia præcordia facit honeſta, & non meminit regem neque magiſtratum. Pereunt judicia rationis, cùm præcordia videntur. Honeſta pro eo, quòd multos ad malum præcipites, non Deus aut timor, ſed revocavit honeſtas, non tamen illa chriſtiana, ſed humana, cùm nonnulli non timeant turpes in conſpectu Dei, ſed in conſpectu hominum apparere. Cùm autem illa, quæ honeſta non ſunt, tamen, quia cordis penetralia intraverunt, præ affectu honeſta videntur, ſubruitur ratio, perit judicium: vera honeſtas exilio traditur, & malum velut licitum devenit in actum. Necnon & præcipiti audacia contemnitur juſtitia tribunalis. Et docentium ſana doctrina, & annullatur reverentia magiſtratuum, ut ſæpe memo-

moria placitis intenta iſta non recolat, aut velut cæca in peccatorum foveas ruat, quamvis hic vel alibi digna pœna ſuccedat, ſi non exemplo, ſaltem in tempore à Dei providentia præfinito. Hujus vini defectus ſufficientiam aliam ſperat, præ-
Exre. 3. cedit hominem lædens malum, & omnia per talenta facit loqui. Qui per talenta loquitur, vertibilis eſt, & ad hoc ſe donat, quod largitor inquirit, ut non veritas & juſtitia, ſed placitum ſit in jure. Non meminit, cùm biberit, amicitiam vel fraternitatem. Execrabile malum, ut pulchritudo humani generis, & delectatio rationis, quæ amicitia noſcitur, vini potatione oblivioni tradatur: & quos natura ex traduce unionis conjunxit, rejiciat potatio falerni Sed non poſt multum ſumunt gladios. Ecce ad quid manum vinum ſæpe convertit, ut ad lædendum atque perimendum naturæ conſortem gladius ductilis aſſumatur: & hujusmodi facit tranſire in beluam, cùm ad ſui ſimilem parat nocumenta naturam. Multæ namque beluæ odiunt & interimunt homines, quibus truces ipſi ſunt ſimiles. Ad hæc mala ſecutus hujusmodi philoſophus adjungit: Et cùm à vino emerſerint, atque ſurrexerint, non meminerunt quæ geſſerunt. Hoc enim in malis actibus ultimum eſt malorum, ſi oblivio ſequitur malè facti: quia nec intervenit pœnitentia, ſed ſequitur pœna damnati. Quod vinum, amores ſæculi meritò appellavi. Utinam nobis iſtud vinum omnino deficiat, ut Virgo virginum pro nobis ad filium interpellet, & dicat deficiente vino: Vinum non habent, ut interpellando pro nobis obtineat, ſi non habent vinum, amorem videlicet ſæcularem, Proinde quod noveris expedire. Anima terrennis vacuata materiis merito ſe replere chariſmatibus divinis initiat. Cui Salvator omnium Chriſtus non aſperè aut exprobrativè (ut litera ſonare videtur) ſed interrogando reſpondit: *Quid mihi & tibi mulier? nondum venit hora mea.* Luce clarius patet, omnibus Chriſtum ſapienter ad interrogata dediſſe reſponſa vera, non incompacta Quæ igitur fuit pentio Virginis, ut iſta reſponſio ſequeretur? Dicebat alma mater: Vinum non habent. Reſpondit Deus homo: Quid mihi & tibi mulier? Verum virgo protulit, & Chriſtus vere reſpondit. Pia virgo dixit, nec impiè Chriſtus edixit. Non errabat rariloqua Virgo, nec Chriſtus aliquando ipſi exprobavit in faciem, ut coram omnibus convivis videretur habere calumniam. Sed menti humiliter ductæ, per gratiam in atrium ſcripturarum, ipſa ductrix intelligibilem dat ſplendorem. Quid mihi & tibi mulier? Nulla permixtio aut commixtio naturarum, unio tantummodo eſt naturarum, cujus thalamus tu fuiſti. Quid mihi & tibi? Quid mihi Deo & homini, & tibi homini ſoli? Quid mihi creanti, & tibi creatæ materiæ? Quid mihi æterno, & tibi ex tempore enti? Æqualitatem denegat naturarum, non ipſam in denuntiatione ſua exprobrat vel contemnit. Si requiris ut filium, non eſt unde fiat miraculum, aut ſupra naturam apponatur falernum. Si requiris ut Deum, tu mulier, ego Deus, nulla communitas naturarum. Sulcepi ex te hoc corruptibile corpus. Nondum venit hora mea, ut ipſo corrupto per mortem humanum corruptum reſtauretur genus. Quod dixit, nondum venit hora mea, ut homo loquebatur, qui per temporum momenta deducitur. Deus autem temporum momenta non habet, æternus enim eſt: Si ſubmiſſè interrogatione rejecta profertur, aliam intelligendi formulam parat. Quid mihi, & tibi mulier. Quid mihi, & tibi omnino in placito eſt. Quod ego volo, & tu vis. Sumus omnino voluntate concordes. Subvenire volo, & tu vis. Redimere volo, & tu hoc affectas. Quod pro ſalute communi facere volo, tu quoque noſti. Sed nondum venit hora mea, tempus ſcilicet præfinitum à parte. Quod enim tempus præfinivit miſſionis, præfinivit & mortis. Quod nondum venit, ut mortuos juſta morte, injuſta morte lætificem, & quærentibus vitam ex mea morte reſtituam. Argumentum agendorum, & omnis actio Chriſti in hoc maximè, ut horam debitam reddendis debitis expectemus. Quod autem Chriſtus matrem non exprobraverit, ipſius ſequens fiducia manifeſtat. *Dicit mater ejus miniſtris: Quodcunque dixerit vobis, facite.* Noverit ipſa voluntatem filii ſui Salvatoris, & quod non pateretur dictorum ſuorum eclipſim, qui venerat pro omnibus eclipſari. Proinde inſtruit & informat, ut merito ſanctæ obedientiæ defectus vini, ſufficientia Chriſti protinus auferatur. Ait enim pronuba ſolicita: Quodcunque dixerit vobis, facite. Quoniam in præceptis errare non novit, utilia præcipit, poſſibilia indicit, & mandat honeſta. Nihil ergo excludit doctrix virgo ſanctiſſima. Quodcunque dixerit vobis, facite. Sciebat enim ſuum eſſe omnino irreprehenſibile dictum. Nihil reprehenſibile aut impoſſibile dicere poteſt. Si autem dixerit aliquid irreprehenſibile atque poſſibile, fit eo ipſo quod

Geneſ. 3. dicit. Dicit poſſibile Adæ præceptum, in cujus prævaricatione tanto gravius ſunt protoplaſti puniti, quanto ipſius obſervantia honeſtior fuit atque facilior. Dixit Noë, ut faceret centenariam ex tempore arcam, ex omni quantitate protenſam, in tanto diluvio duraturam, in qua ſalvaretur genus creaturæ rationalis & irrationalis ſive ſenſibilis, quod neque affectus tædio, neque labore ſuperatus, nec tempore longo devictus, neque dictus minus incredulus, nec difficultate retractus perfecerat omnino, quod acceperat in mandatis. Dixit Dominus ad Abraham atque mandavit, ut egrederetur de terra ſua, & egreſſus eſt. Præcepit ut immolaret filium ejus, & præſto factus eſt. Et hinc inde progredi juſſus, nihil denegavit efficere, manens inconturbatus. Nec turpe aut impoſſibile ratus, quod eſſe divinum cognoverat. Iſaac a Deo difficilia oracula non accepit, ſed cum vellet tempore famis deſcendere in Ægyptum, dicente Domino manſit in Geraris, ad omnem obedientiam diſpoſitus præceptoris. Jacob in laboribus fuit gratiſſimè obediens voci Domini, omni ejecta dilatatione præcepti. Joſeph occulto mandato Dei fratres ſuos apud patrem crimine infectos, accuſat: eorum odia parvipendens, factus in amore virtutum, venundatus in Ægyptum, potius voluit carceris tolerare preſſuras, & famam pudicitiæ perdere, quàm dilectam perdere pudicitiam, mandato Domini parens, pallium pro ſervanda caſtitate reliquit in manu Ægyptiæ meretricis. Moyſes divinas juſſiones accepit, nihil è regione allegans, niſi propriam vilitatem: nec ventus faciem peſſimi Pharaonis, intrepidus divina juſſa complevit, in nullo baſitans, mira faciebat in virga. Mente cunctans, corpore diviſum mare tranſivit cum cæteris. Juſſus montem aſcendere loquebatur cum Domino, à quo legem dolatis accepit in tabulis nihil agens præterquam ad imperium Domini, deſertum manſionibus calculavit, caſtra ponens ſecundùm voluntatem Domini oſtenſam in ſigno nubis. Nil impoſſibile, nil impertinens in divinis editionibus opponebat, juſſum & facile arbitrans, quod de voluntate ſummi Domini proceſſiſſet. Joſue fidelis, divina non recuſavit præcepta, non expavit pericula, quæ conſueverunt eventus generare bellorum. Ad ardua manum mittens dux novæ multitudinis oriæ in peregre in deſerto, Jordanem à ſuis ſuperioribus velut in murum fitmum aut parietem æqualem & immobilem colligentem, ab inferiori bus defluentem, Domino præcipiente cum omni exercitu tranſivit ſicco veſtigio, ſubvertit terras atque ſubegit. Interfecit reges, in deductionem deduxit rebelles, promiſſam terram Iſraelitis ſorte diviſit. Quod Moyſes cœpit, ipſe perfecit Domini dictum in nullo cunctatus. Proinde non abs te mater Chriſti miniſtris conſulit nuptiarum: Quodcunque dixerit vobis, facite. Gedeon dictum Domini ratus, non exiſtimavit impoſſibile cum trecentis viris plurimam multitudinem debellare, centum viginti millibus ex hoſtibus cæſis, ſpolisque ſuſceptis. In præceptis altiſſimi nihil ad agendum difficile arbitratus (quanquam eſſet in corporibus laſſitudo labore debellandi) ſciebat enim Deum ſimul cum præcepto agendi virtutem ſuppeditare. Multa fecit Samſon præcepto dominico: quo ſuſcepto mentaliter, ſe cum hoſtibus interfecit. Nam ſi non juſſus mente feciſſet, de numero fuiſſet factus homicidarum, nec inter electos eum nominaret Apoſtolus. Etenim qui ſeipſum occidit, hominem occidit, & homicida peccator conſtituitur: quamvis illo in tempore de inimicis ulciſci, abſque peccato permitteretur. Nec diſpendium vitæ ſuæ in aliquo tremefactus expavit, nam nihili pendit vitam, quietem corporis mortem, qui præcepti virtutem, & bonitatem divinè præcipientis agnovit. Samuel domino ter vocanti prompta obedientia mentis ſanctum & poſſibile aſſerebat eſſe mandatum. David multa oracula ſuſcepit à Domino, in laboribus exiſtens a juventute ſua, expugnatus ſæpe: invicto animo divina juſſa complebat, patienter tolerans inimicos, inter quos etiam pertulit, quem genuerat, bellorum labores æque portans, ſecundùm cor Domini factus, in nullo divinis juſſionibus contradixit: excepto, quod peccavit adulter, necem probi militis conſtituens, incauto intuitu imitante materiam, ex quo factus humilior delevit crimen fontibus lachrymarum. Ipſe enim cum virgine divina laudando præcepta de actione concordat, & animat in hac vita quomodolibet miniſtrantes. Inquit enim: Lex Domini immaculata convertens animas. Quis ergo adimplere recuſet ſuis operibus immaculatam atque irreprehenſibilem Domini legem? Quis contumax non perficiet ipſam ad Deum animas convertentem, à mundo peſtifero, & diabolo peſſimo avertentem? Nulla quippe converſio abſque averſione, averſio nulla ſine converſione peragitur. Subjungit David cum Virgine matre Domini, ad ipſius præ-

Genesis, 12

Gene. 2

Gene. 37.

Exod. 3.

Exod. 14.

Joſue 3.

Judicum 7.

Judicum 16

1. Reg. 2.

1. Reg. 12.

Pſal. 18.

præcepta nos animans : juſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda, præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Faciamus igitur, virgine ſuadente quæcunque dixerit, quoniam juſta præcipit, & juſtitiæ ſuæ ſunt mandata, quæ ab ipſo procedunt. Juſtitiæ verò Domini corda noſtra lætificant. Cordis autem lætitiam omnes quærunt, ſed nulla verior in hac vita, quam quæ de juſtitia Domini provenit. Quem verò juſtitiæ Domini non lætificant, æternæ triſtitiæ dimmittitur. Lætificant, cùm juxta Dei conſilium peragimus. Tunc ſanè cordibus hominum eſt vera lætitia, cùm juſtitiæ juſtè complentur. Obnubunt nos profectò tenebræ ignorantiæ, jacemus in terris ſpecubus peccatorum, in avernalibus obſcuritatibus involveremur, niſi præceptum Domini lucidum propellat, Affectat omnis evadere obſcuritatem, lumen requirit exiſtens in tenebris, Viator nocturnus aut qui malè impegit, aut improviſè incidit in latrones, expectat lucem, & bene agere cupit. Tenebræ ſunt aptæ malefactoribus. Qui tenebras refugit, optatque lucem, præcepto ſe Domini ſubdat: nam præceptum Domini lucidum illuminans oculos, illos interiores, quibus inſpicitur veritas: non illos exteriores quos cum animalibus irrationalibus noſcimus habere comune ſæpiſſimè inferiores. Et ſervus Dei, miniſter Dei, miniſter in nuptiis, ubi uſque ad finem ſæculi aſtat, præſentia Chriſti cuſtodit ea, quia in cuſtodiendis illis retributio multa. Multa retributio ſequitur, ubi temporaliter Domini præcepta tenenti vita æterna tribuitur. Magno noſtro merito Chriſti mater loquitur : quodcunque dixerit vobis, facite. Multa conſonantia ſibi reſpondet David ex ſcriptis, qui operibus præcepta divina ſervavit. Dixit Dominus Salomoni, ut templum ædificaret nomini ejus, qui nullam recuſans ſolicitudinem, & laborem : in ſapientia ſibi conceſſa, miro modo complevit. Et quamvis deliquerit, pro divinis explendis mandatis alte ſamxivit. Scripta ejus multis diſſertionibus atque ſermonibus ſonant, quod deifera Virgo uno Verbo differuit : Quodcunque dixerit vobis facite. Præcepta varia & laboriosa Elias accepit à Domino, & ſuſtinentia famis, quaſi profundus in montibus & cavernis, non veritus facies regum, in paradiſo receptus, corpore alacer expectat per ſanguinem atque mortem. Pro Chriſto jubente verus teſtis & hoſtia fieri, quod per obedientiam corda filiorum convertet à patres, ut non fiant anathema, ſi fuerint obſequentes. Noverit enim quid boni eveniat in futuro, qui in præſenti ſæculo divina juſſa compleverit. Eliæus factus in duplici ſpiritu ejus divina non recuſavit mandata, nec cor ejus propter comminatores reges extabuit, divinorum dictorum virtutem conſiderans, ſibi omne præceptum facile videbatur. Prophetam verò voci Domini non obedientem leo interfecit in via, nec ſibi pepercit divina juſtitia pro eo quod aliàs obediverat, cùm in uno deliquit, cùm omnia ſunt facienda, quæ jubet. Nam ſine exceptione dicit : Quodcunque dixerit vobis, facite. Iſaias non requiſitus aut juſſus, ultro ſe obtulit ad divina imperia facienda uberem illorum beata virgo prænoſcens eſſe mercedem. Et ambulavit nudus & diſcalceatus, ſicut ei Dominus imperaverat, in ſignum atque portentum eorum, quæ prædicaverat, atque futura erant. Nuditatem regalem purpuram cogitans, neque frigus, aut inſolitam rem, velut pudendam, ſuos ante oculos poſuit, Nullus pudor in moribus atque rebus, ubi ſit divina voluntas. Superbus eſt miles, qui ad regis edictum opponit opprobrium vel honorem, aut conſiderat qualis in horum altero ſit futurus. Nam tota ſubjecti gloria eſt juſſum feciſſe mandatum, etiamſi a communibus moribus ſingularitate diſcordet totum opprobrium neglexiſſe. Mors verò repugnat procaciter Omnem actionem excuſat, & obtrectantium linguas ligat juſtum regis edictum : multò magis omne, quod inverecundum atque turpe videtur hominibus, divina ſanctio regit. Depoſitio calceorum equm parabat & ocreas juſſa ex promptitudine facienti. Nihil dicere aut facere recuſavit obedientiam imponenti, quouſque regis furioſo imperio ſerra lignea ſectus interiit, mercedem juſtæ obedientiæ ſuo tempore recepturus. Jeremias ad primam juſſionem Domini humilitatem oppoſuit, dicens: A a a Domine, ecce neſcio loqui, quia puer ego ſum. Sed ubi firmam agnovit Domini voluntatem, à colo ſuo jugum tarditatis excuſſit, & vincula, carceres, puteum ſuſtinuit & catenas. Et nec tædio aut triſtitia obediendi affectus, pagellas ſciſſas atque combuſtas iterum reparavit, reprobatus & lapidatus eſt imperium Domini proſecutus, in nullo vitam appendens, ad obedientiam deſuper decernentis. Aſpiciebat enim per fidem, quid contemptoribus divinorum mandatorum, quidve factoribus divina juſtitia tribuat

4. Reg. 2.

Ibidem.

4. Reg. 13.

buat, & quòd in lance ſuæ dijudicationis appendat, Ezechiel in multis obediens, à Domino ventilatus atque probatus eſt: ut etiam cuilibet audienti horrorem & nauſeam faciat, cùm juſſus fuerit centum nonaginta diebus ad exprobrationem domus Iſraël dormire ſuper unum latus, & ad exprobrationem domus Judæ dormire inconverſibiliter quadraginta, & panem mixtum comedere opertum ſtercore hominum ſive boum. Et multa laborem inſinuant & dolorem, nec cum invenimus in aliquo reluctantem, & ut poſſet juſſa exe-
Dan. 1. qui, nihil aſcribebat horrori. Hoc ſolùm execrabile factum eſt, Domini non perfeciſſe mandata, & ipſa nauſeare, lethalis eſt nauſea. Daniel fuit inter filios transmigrationis, & omnia divina decreta ſibi facta complevit, ut nec coinquinaretur cibis regis: non veritus imperium, Deum cœli ad occidentem verſus, feneſtris apertis, ad terram proſtratus, in die tribus vicibus adorabat: & inter leones conje-
Oſee 1. ctus manſit illæſus, & in nullo veritus humanam audaciam, Bel idolum Babyloniorum deſtruxit, & draconem interfecit. Nihil eſt formidabile, ubi Dominus urget calcaribus præceptorum. Oſee de mandato Domini fornicariam accepit uxorem, & nihilipendit Moyſaicam legem talia prohibentem: ubi à Domino firmum mandatum acceperat, & opprobria hominum, & ſuſurramenta crudelia penitùs non expavit. nec quòd à viris in uxoribus abhorretur, abhorruit: nec pudicitiam, quæ magis in eis quæritur, magnipendit, nec turpari timuit converſatione pejoris. Nihil horum conſiderans perfecit mandatum Domini juxta verbum. Abſit, quòd opprobrii notam gerat, ubi mandat, qui creator eſt omnium. Et omnis impudicitia tollitur, ubi præcipit pudica juſtitia: & caſtum eſt omne, quod præcipit conditor caſtitatis: & præceptum novum à veteribus præceptis abſolvit,
Jonæ 2. etiamſi eisdem in aliquo videatur adverſum. Et fidelis executio præceptorum, inter pericula tuetur agentem, & ab immunditiis præſervat intactum. Jonas cùm dictum Domini recuſaret, pararetque fugam, fecit oriri horrendam in æquore tempeſtatem: ſorte deprehenſum, in mare projectum bellua marina ſuſcepit, & quo non acceſſit voluntarius, invitus evomitur, ut luce clarius pateat omnibus ſine ultione non fieri transgreſſionem Domini præceptorum. Ubi autem Jonas ſe cognó-
Reg. 2. vit divina virtute deductum, quo ſponte recuſabat accedere, ſolicitè divina juſſa complevit, non hæſitans præteriri deberé præceptum, cùm fuerit poſitum. Micheas perſuaſioni nuntiorum regis non præſtitit aſſenſum, ut præter voluntatem Domini, felicitarem futurorum bellorum pro regibus Juda & Jeruſalem atque Samariæ cum Prophetis mendacibus prophetaret, & exprobratus alapis cæſus eſt, & ut captivus detentus eſt, donec eventus bellorum verbis ſuis certiſſimam fidem daret. Nam recognoſcentis voluntatem divinam ad peragendam nullæ hominum minæ debent animum perterrere. Omnes quidem Patriarchæ, ſancti reges, Prophetæ veraces, fidam obedientiam Domino præſtiterunt: tradentes dictis, quàm malum divina dicta contemnere, aut non exequi, quòd jubetur: & quàm bonum ſit dicta divina complere, verbis & ænigmatibus tradiderunt. Ecce quanta dicto Deiparæ alludunt, ut juxta ſuam ſuaſionem quodcunque Chriſtus nobis dixerit, faciamus. Plurima & alia teſtimonia, ut quodcunque nobis dixerit Chriſtus, faciamus, prolixitas, quam pro poſſe vitamus, non ſinit admittere. Poſt Chriſtum verò, quanta fide verbum Virginis ſuaſivum ſimiliter & conſultivum, aut teſtimoniis ſit firmatum, dicat & clamet ſanguis effuſus pro Chriſto, innumeræ martyrum paſſiones in conſideratione revelent: diverſa & crudeliſſima ſupplicia nobis inclamitent, quorum atrocitate adimebatur hominis ſenſus, & ſub diro mortis imperio includebatur Chriſti athleta legitimus, necnon carceres & exilia inſinuant, quanto ſit agone certatum, ut quod Chriſtus dixerat, ſervaretur. In enarrando linguæ hominum defecerunt, atque deficiunt, per ſcripturam verò tradendo memoriæ, manus etiam ſcriptorum extabuerunt. Quot & quot fuerunt fide pleni, ſpe ſubvecti, charitate ferventes, ſine exceptione quod Chriſtus dixerit, acceperunt, & quamvis animo & corpore, plus tamen animo quàm corpore facientes. Amoris enim vehementia faciendi excedebat omne, quod in corpore pœnaliter agebatur. Non ſolùm ad illorum, ſed ad futurorum obedientiam Chriſto reddendam ipſius Mater aſſeruit: Quodcunque dixerit vobis, fa Math. 10.
cite. Quod non multò poſt Pater in voce mirifica, in transfiguratione montis confirmaturus erat: Hic eſt Filius meus dilectus, ipſum audite. Ubi verò Chriſti prænuntia, & ſuæ conſcia voluntatis obedientiam miniſtros docuerat, Chriſtus ſtatim illam exegit opere: ad quam illa verbo illos induxerat, dicens: *Implete hydrias aqua. Hydriæ lapideæ ibi erant ſex*

ſecun-

ſecundùm purificationem Judeorum. Declarat Evangeliſta conditionem vaſorum & cauſam, & non absque myſterio, ut in multam conſiderationem audientium atque legentium mentes inducat. Hydria dicitur ab hydros, quod eſt aqua, quia tamen ad continendam aquam deputatæ tenebantur, & miniſtrorum, qui ſerviebant in miniſterio nuptiarum. Multis namque purificationibus utuntur Judæi duntaxat in rebus corporeis ſecundùm legem, atque ſuorum antiquorum traditionem, quamvis animas ſuas relinquant in fæcibus peccatorum. Sex erant, atque lapideæ. Atque nos, qui Chriſtiano nomine inſignimur, ſex hydrias habemus ſecundùm purificationem noſtram, continentes aquam miſericordiæ in ablutionem animarum noſtrarum, & in abſterſionem ſordentium peccatorum. Clamat proſectò ſcriptura veteris teſtamenti: Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis: Vocat Salvator benedictos in regnum, qui ex aqua miſericordiæ ſex laudabilium operum ſpiritualiter purificati ſunt, velut corporaliter Judæi ex aqua ſex hydriarum. Sex ſunt Sacramenta in nuptiis eccleſiæ orthodoxæ, quæ usque ad ſummum animas usquequaque purificant: continentia inviſibilis & divinæ gratiæ mundam aquam, qua peccator abluitur, qua delicta donantur, qua ſacerdos reum funibus turpitudinis irretitum abſolvit. Et munda efficitur anima, quæ per fidem ex aqua eſt: quam Ezechiel Propheta multò ante prævidit, vaticinatus de gratia Salvatoris, quam in ſex Sacramentis ipſe Salvator induxit: Effundam ſuper vos aquam mundam & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & ab univerſis idolis veſtris. Sacramentum verò matrimonii aquam abluitivam non continet, quamvis in ipſo incontinens à magnis criminibus perfervetur, de indulgentia enim non de præcepto in novo teſtamento pennittitur. Quod ad indulgentiam pertinet, magnam aut parvulam notam criminis habet: Et quamvis hoc Sacramentum licitum ſit & juſtum, tamen ſub ipſo manentibus, magis indiget ablui, quàm abſtergat, propter actus impertinentes & blandos, qui ferè à pauciſſimis viris matrimonii geſta ſectantibus evitantur. Necnon ſenarius numerus primam numeri perfectionem in leva exiſtentis enuntiat. Reſultat enim ex ſuis æqualibus partibus idem totum detrimentum non ſuſcipiens, vel augmentum. Prima namque perfectio activæ vitæ: quæ in hujus mundi leva conſiſtit, eſt mundum fieri à peccatis, & purificatum ſepulò fieri à delictis. Hæc verò perfecta purificatio ſignatur in aqua contenta ſex hydriis. Secunda perfectio eſt, virtutibus inclareſcere, quæ habet numerum viceſimum octavum, quod hujus ſpeculationis non eſt. Deinde perfecto numero tranſitur in dextram. Sed ad cœpta ſtudia revertamur. Lapideæ erant hydriæ. Non adobumbrato, ſed claro fideli menti interlucet, quod omne mundificans, ſeu à qualibet inviſibili contagione purificans, & ſi quis quempiam perfectionis gradum aſcendit, virtutem habet, & pedem interiorem poſuit in lapide angulari, qui eſt Chriſtus Deus noſter, à Judæis improbatus, ab infidelibus non aſſumptus, à Chriſtianis peſſimis reprobatus. Ipſe nempe dicitur lapis adjutorii, quia omne adjutorium noſtrum eſt in nomine Domini. Proinde meritò hydriæ aquam gratiæ continentes dicuntur fuiſſe lapideæ. Chriſto lapidi angulari connexæ. Si verò aquam illam ſapientiam voluerimus appellare, ſatis vicinus eſt ſenſus. Qui Chriſtus lapis angularis omnes theſauros ſapientiæ in ſe continens, factus eſt nobis à Deo ſapientia ſumma. Hydriarum verò capacitatem Evangeliſta non tacuit, quam dum binarum aut trinarum metretarum eſſe conſcripſit, diſparem prius dixit, ſed alio ſenſu parem dixit & diſparem. Nam trinum à bino diſparitate ſecernitur. Et quæ bina ſunt, inter ſe paritatem habent, & diſparitatem, quæ diſparia ſunt: diſparitatem, ut in omni Chriſtianorum congregatione inveniatur diſparitas morum ſive virtutum. Et inter ſe multi pares ſunt, ad ſuos verò ſuperiores impares: multi diſpares altiori virtute pollentes, ad ſuos inferiores non pares: quod quamvis eandem in materia rei aquam vaſa contineant, ſed diſparia ſunt, in aqua contenta diſparem faciunt quantitatem. Nam binas metretas illæ animæ ſolum capiunt, quæ duo ſolum ſtatuentes ſervare præcepta, ut plus virtutis capiant non dilatantur. Trinas metretas capiendo recipiunt quæ à mundo ſe abdicant: corpus pulchrè faciunt caſtitate, voluntatibus propriis omnino renuntiant, ſuperiorum directione contentæ. Jubet igitur Chriſtus hydrias implere aqua, ut Sacramenta videlicet punificativa virtute impleantur: ut animæ abluantur à ſordibus peccatorum, ut prima vitæ perfectio habeatur, ut ſapientiam habeamus ipſius placitis, & noſtris utilitatibus aptam. Quod per miniſtros agitur, ſacerdotes inſinuat, qui Sacramenta verbis & divina virtute conficiunt, & prædicatores, qui ſapientia evangelica docendo animas

Luc. II.

Exech. 16.

animas replent. Unde miniſtri nuptiarum Chriſti dicta complentes usque ad ſummum, aqua hydrias impleverunt. Vellet enim omnium Salvator Chriſtus omnem animam capere, quantùm poſſet, & in tantum repleri virtutum monbus & beatifica gloria, ut amplius impleri non poſſet. Nam anima hic vivens non agnoſcit, quantùm dilatari potuit in captione gratiæ ſive virtutum, aut quantùm hic potuit à vitiis deputari: videbit autem exempta cum à corpore fuerit, & tetralibus ſedibus ſita, æque dolebit de hujusmodi negligentia, ut de pœna. In manſionibus verò recepta ſupernis ſine dolore cognoſcet, unde dolendum eſſet, niſi beata foret, & perſpicuè intuebitur, ad quas celſitudines fuiſſet à ſuo redemptore ſublata, ſi dum in hac tenebroſa vita degebat, dilataſſet ſeipſam ad capeſcendas gratiam & virtutes, quantùm ex eis deluper Salvator volebat infundere, qui nunquam ceſſaret, niſi anima faſtidiret. Longè latior eſſe poſſet noſtræ mentis capacitas, quàm credimus: ſed ipſam in anguſtum ſinum colligimus, cùm ipſam intendimus replere caducis, & illa in ipſam intrudimus, ad quæ creata nun fuit. Non autem Deus replet animam juxta capacitatem, quam poſſet habere, ſi vellet, ſed juxta illam, quam ipſa remiſſa voluntate ſibi fecit, & habuit. Veruntamen usque ad ſummum repletæ ſunt hydriæ: ut omnino credamus, omnem animam repleri ſecundùm menſuram donationis Chriſti, ut ait Apoſtolus: Menſura verò donationis Chriſti, non eſt ex parte ipſius, quoniam omnino immenſurabilis eſt ex parte animæ, prout ad recipiendum ſua potentia divinam virtutem & gratiam ſe coaptat, quam aquam in vinum meraciſſimum ſua poteſtate convertit, asque aliquo nutu corporis & prolatione verborum. Sua enim ſemper eſt effectiva voluntas, ut ad imperium ejus, quod non eſt, in eſſe deveniat, & entia ſuam ſpeciem & primam naturam mutent ipſo jubente. Quod factum eo mentibus hominum plus accreſcit, quo ſingularitate pollent: & mox, & ſine aliquo temporis iutervallo factum cernitur, quod natura ſuis occultis ſucceſſibus operatur, dum humorem terræ in vitem viridem trajicit, ex vite in botros varios mittit, deinde arte hominum aceedente vinum eliquatur. Omnia miracula Salvatoris ab ipſo facta, & à ſuis ſequentibus poſteris tanto altiori conſiderarione attollunt rudes hominum mentes, quantò rarius præter naturæ curſum facta leguntur. Et deſervent temiſſa contemplatione majorum, quæ quotidie fiunt: quæ, quia curſu, & ordine naturæ aguntur non interpolato ſucceſſu, in animadverſione noſtra polleant, & multo majora, majoresque mutationes inviſibiliter facta recognoſcimus, quàm acta in corpore lectitemus. Fit miris & occultis modis quotidie mutatio in mentibus hominum, quæ præfertur mutationi aquæ in vinum. Vinum autem mirè factum juſſu Domini ad architriclinum defertur, ut apertè luceat, quod actum eſt ſecreta virtute. Honorem etiam deferri primatibus monſtrat, cùm in nuptiis architriclino primo jubet afferri. Architriclinus erat, cujus nutu & ordinatione omnia in nuptiis agebantur, & in primo menſarum accubitu recumbebat, qui neſciens, quod tacitè geſtum erat, cùm guſtaſſet, prorupit in vocem: & quod ignorabat, detexit, & extollebat vocibus vinum productionis ignorata virtute. Meretur ſemper laudem, quod benè geſtum eſt, ſi originalis cauſa non pateat. Nec expedit latentes cauſas quarumlibet rerum inquirere, ſed inſitam laudare virtutem. Guſtavit architriclinus aquam vinum factam, cujus plusquam ex natura fuerit ſentiens bonitatem, velut admirans vocavit & ſponſum. Hoc ſanè in miraculis factis divinitùs eſt tenendum, quòd virtutem & operationem exceſſere naturæ: non ſolùm in eo, quod præteripſam facta ſunt, ſed in eo, quod pluris bonitatis quàm natura contulerit, poſſederunt. Proinde architriclinus his verbis ſponſum alloquitur: *Omnis homo primùm bonum vinum ponit, & cùm inebriati fuerint, quod deterius eſt, affert. Tu autem ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.* Sed ordine nobiliori quàm homo, fecit omnia Deus homo. Verſa eſt aqua ſqualida, frigida, & inſipida, in vinum contrariis dotibus fultum. Moſaica enim lex, Pſalmi & Prophetiæ in evangelium tranſierunt, & humana natura inſigniori bono refulget, quàm fuerit ante clara. Vino namque verbi præpoſteravit naturam dignificando. In lætitiam verſum eſt per miſericordiam, quod ante per juſtitiam creatura humana dolebat. In æternam lætitiam omnia, quæ ſunt verorum eccleſiæ nuptialium donantur præparanda. Factum eſt absque torcularibus vinum, ut etiamſi non corpore patiamur, fide tamen ſumamus, participemus & ſanguinem. Mentis diſpoſitio, quæ ſignabatur in aqua, illam formam accepit, quam redemptor inſeruit. Et ſapientia ſalutaris in cognitione divinorum novam noſtræ menti exultationem adduxit. Nulla facta eſt permutatio loci, nulla obvenit interpoſitio temporis, nullus ab

Ephes. 4.

extra

extra positus est actus. Præter omnia hæc, liquidum elementum quantitate atque substantia semper eodem modo se habens diversas qualitates accepit. Argumento magno nobis estensum est, ut simplex, & eadem animarum nostrarum natura consistens, semper parata permaneat divinarum permutationem recipere qualitatum prout aquà, dum in vinum verteretur, accepit. Vinum istud architriclinus laudat, qui nomine officii, non individuato & proprio, insignitus princeps trium lectorum dicitur. Virtutes verò, ubi anima velut in lecto requiescit, tres sunt: & hæ dicuntur chirurgicæ, selectæ atque archoticæ, fides, spes, atque eximia charitas, in quibus cubans, architriclinus est, qui non ex nomine proprio, aut ex eò, quòd est, sed ex his virtutibus vinum susçipit, gustat, bibit atque discernit: quàm bonum sit omne quod per gratiam & divina virtute mutatur, & operationem gratiæ novit superferri naturæ operationi, & quod per gratiam acquiramus, quod per naturam perdidimus vel caremus. Et his virtutibus archoticis mentibus hominum suavitas evangelii claruit. Et ex istis, non ex lege, aut ex quadrivio virtutum mores hominum disponentium justificatur homo. Quod Apostolus in plerisque scripturæ sententiis clamat. Quòd omnis homo primo bonum vinum ponit, & quod sequitur, hoc factum est ordine puri hominis. Quòd autem servari dicitur bonum in posterum, ordine divino factum esse cognoscitur, qui meliora semper suo infallibili ordine postponit, quousque perveniamus ad invariabilem finem gloriæ, vel pœnarum. Bonum, quod nos creavit ad imaginem & similitudinem suam. Bonum, quia creavit: melius, quod recreavit. Bona natura, melior gratia: bona lex, evangelium verò illi præfertur. Activa vita bona, sed melior contemplativa, quæ sequitur. Bona synagoga, sed ecclesia prævalet. Bonum est omne, quod in ecclesia in cursu labentis temporis agitur, sed melius, quod in æterna gloria futurum speratur. Semper enim ordine Christi Dei vinum melius servatur usque adhuc, cui humanus ordo è religione procedit. Ordo cogitationum & viarum Dei ab ordine humano rei veritate secluditur. Inquit enim ipse per Isaiam prophetam: Non enim cogitationes meæ, ut cogitationes vestræ, neque viæ meæ, ut viæ vestræ dicit Dominus, sed sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Quæ Verba omnino insinuant, diversum esse divinum ordinem & humanum: quamvis ad effectum misericordiæ Dei Isaias prorulerit. Ordo igitur divinæ providentiæ semper est meliora servare in posterum, sicut ex effectibus hominum & ex profectu virtutum, semper ad superiora & potiora propensio. *Hoc initium signorum fecit Jesus in Cana Galilææ. Et manifestavit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli ejus.* Sed hoc fuit initium, miracula cætera subsequuntur. Initium in aqua in vinum Christi virtute conversa, ut hoc primum, & tanquam vitæ agendæ initium exigere videatur animas nostras ad meliora converti. Nam converti ad Deum, & ad optima quæque virtutum derelictio est peccati, & salutis exordium. Signorum nomine miracula designantur. Factum in Cana Galilææ ubi & nuptiæ, manifestavit gloriam suam, quia plus poterat deitate, quam apparet in homine: manifestans ex miraculo virtutem latentis deitatis in homine manifesto. Hujus miraculi fructus præter id, quod in corpore actum est, credulitas discipulorum fuit: quia quodammodo jam crediderant, cùm vocati sequerentur, sed eorum credulitas viso miraculo est facta validior. Nempe Christus doctrinam verbalem & fidem, ad quam populos invitabat, firmavit miraculis & operibus propriis. Hoc enim protinus exquirit à nobis, ut credamus cum effectu operum, propter quod prærogat acta signorum, & ut credentes habeamus vitam æternam. Sed nullus divinam bonitatem lacessat, in aliquo, aut semetipsum fallaci admiratione suspendat, cur nunc talia miracula non elucent, nam modica nunc esset hominum vel ecclesiæ fides, si miraculis augeretur. Et majora nunc invisibiliter in animabus hominum fiunt, quàm tunc facta in corporibus agnoscamus: quoniam quanto anima nobilior est corpore, tanto quod in ipsa virtuosè peragitur, quàm in corpore plus excedit. Nec infantula seu edentula est ecclesia, ut semper sibi expediat miraculorum lacte nutrmi. Crevit ipsa virtuosis augmentis, quæ si corporalia miracula nunquam exciperet, fide non nutrit, spe non concutitur, charitate non deficit in bene suis cohærentibus membris. Aliter nunc, quàm per miracula evangelium Christianorum mentibus lucet, nec ecclesia velut noviria miraculorum corporalium recipit disciplinam. In anteriora se provehit in suis fideliter fidelibus; & proficit fideli evangelii cognitione atque virtutum. Ac per hoc credamus opera justa fidei assistentis, si miracula legimus Salvatoris, quoniam crediderunt in

Isaiæ 55.

eum viſo miraculo diſcipuli ejus, quos omnes ante Verbo vocaverat, maximè quos Apoſtolos nominavit, nunc miraculo illorum fidem magis validam fecit.

Cap. II.

De tempeſtate in mari orta Chriſto dormiente in navicula ad Imperium ejus ſedata, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

MIraculorum inſpectio bivium ordinis facit, ut aut ſenſibilia ſenſibilibus, & inſenſibilia inſenſibilibus conjungantur, aut ordo actionis eluceat. Senſibilia quidem miracula ſunt, quæ in creatura utroque ſenſu ſenſibili facta noſcuntur, quod ſenſus exterior in meliora mutatum ſe videat, imo de ſenſibili malo inſenſibile bonum veniſſe, & interior ſenſus clara ratione cognoſcat, ſive quod animus ſe videat purificatum à vitiis, & virtutum fulgere ſplendoribus. Inſenſibilia verò ſunt, quæ in rebus ſenſu & ratione carentibus fiunt. Ac per hoc miraculorum nuncupatio ſic emicet, ut omne, quod in creatura ſupra naturam & præter naturam, rationem, uſum & artem agitur, ſenſibile aut inſenſibile miraculum eſſe dicatur: non reſpectu divinæ virtutis, qua mediante agitur, aut reſpectu ejus, à quo divina virtus ad facienda miracula invocatur: ex his enim ſemper eodem modo ſenſibilia ſunt, ſed ex parte illius in quo miraculum agitur, ſenſibile dicitur, quamvis conſideratione videntium omne miraculum ſenſibile vel cognoſcibile judicetur. Sed in hoc parumper actionis ordinem omittentes, prout cœpimus inſenſibilia primò ſerie debita pertractemus.

Matth. 8. Mar. 4. Luc 8. De eo quod Salvator mare increpavit, recitatur ſecundùm Matthæum 8. Marci 4. Lucæ 8. Cùm Dominus Salvator cum diſcipulis ſuis navim aſcenderet. *factus eſt motus magnus in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Et erat ipſe in puppi, ſupra cervical dormiens. Accedentes verò ad eum diſcipuli excitaverunt eum dicentes: Domine, nonne ad te pertinet, quia perimus? Tunc ſurgens imperavit ventis & mari.* Alia litera: *Comminatus eſt ventis, & dixit mari: Tace, obmutesce.* Alia litera: *Increpavit ventum & tempeſtatem, & ceſſavit, & facta eſt tranquillitas. Et dixit eis. Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Alia litera: *Ubi eſt fides veſtra?* Hunc ſiquidem navis aſcenſum in moribus declaravimus Salvatoris, ſed hic, prout ordo miraculorum contexitur, aliter diſſeremus. Omnis Chriſti aſcenſus factus in corpore ad ſpiritualem aſcenſum animas provocat, ſed aſcenſus navis ſuperlationem & tranſeundi ſuper pericula illæſe peritiam monſtrat. Secretum elementum eſt aqua, domicilium eſt piſcium per naturam inditam. Hominum autem ſacramentum eſt, itineris dubii per artem inventam. Non enim à natura homines natant, diſcunt & tranſuadunt per modum natandi, prohibente labore, aut arte carpentaria conditur, quo mare perambulant, ſeu transeunt etiam manente timore. Nam ſemper inquietudo maris & ventus vehemens navigantibus minatur naufragium. Mare, mundus eſt præſens, qui nunquam plena pace quieſcit, quamvis nunc levius, nunc acrius ſuis fluctibus inhorreſcat. Navis eſt quodlibet artificium Spiritus Sancti, quo inhorreſcens tempeſtatibus ſæculum pertranſimus, & pervenimus in portum, non illum, ad quem perveniunt naves ſæculi negotia deferentes, ſed in illum, ubi quies & ſalus æterna conquiritur. Non una eſt operatio navis, nec differentia ſimplex. Primum ſiquidem ſtipatorium ſenſibilium, & irrationabilium, creatorum fuit inſenſibilis venter continens inſenſibiliter ſenſibilium propagines propaginabiles in futurum, quæ à primo protoplaſto prodierunt. Ipſa conſervationis mater, quam Deus velut maternum uterum ab egredientibus filiis occultavit, ut velut ex prohibitione naturæ in illam inſenſibilem, ſicut in ſentientem matrem non poſſit eſſe egreſſus, & in talibus requieſcit montibus, ut difficilis aut impoſſibilis poſſit eſſe acceſſus. Per hanc non deveniebatur in portum ſpatia peragrando, neque pro mercede rerum delatura fiebat: ſed conſervabat omnium ſemina ſpecierum, quæ in principio diſtinctum habuerunt creationis initium, mullis velis aut remis aquarum ſpatia permutabat. Solum attolebat ſe attolentibus aquis, & vagabatur agitantibus undis, prout divina providentia diſponebat, donec in montibus Armeniæ requievit. Hanc corporaliter Dominus noſter adhuc incorporeus non aſcendit, ſed Deus verus divinitus protexit. Hæc ſiquidem diſtinguitur contra omnes, & omnes ab ipſa clara differentia ſecernuntur, ut ipſorum uſus & experientia monſtrat. Navis verò, quam Chriſtus aſcendit, pro negotiis ſimilis cæteris, pro myſterio uſque quaque diſſimilis, ut ex aptis virtutibus, domum ſine fundamento terreno ferentem ad cœleſtia, mundi æquore, transvadato

Geneſ. 8.

transvadato, & præservante nos à fluctibus agnoscamus: aut ecclesiæ sanctæ fidem, quæ semper malis motibus & variis concussionibus quatitur: quamvis Deo gubernante non possit pati naufragium, in qua Christus dormit, velut quiescens in domo virtutum, & in fide ecclesiæ, quam fundavit. Illa nempe dormitio fluctuum perturbatorum dormientis securitatem insinuat, & nihilipendere terrores mundi præostendit. Dormitio non mortem, sed similitudinem mortis habet: & velut mundo mortuos expedit peragere vitam istam. Et humanitatis assumptæ verum testimonium erat, quòd Christus domiebat in navi. Necnon pro eo tempore, quo fiebat illa dormitio, ad punctum & in modico derelinqui Apostoli videbantur, ut probaretur experimento sensibili, quod absque Christi adjutorio in mari lætifero hujus mundi submergimur à varietate fluctuum involuti, à vitiosa involutione ad inferiora pœnarum in posterum descendentes. Sed qui malis aguntur, perforantur doloribus & timore, his vulnerati sagittis quærunt auxilia unde possunt, & vocibus protestantur infeste, quæ sentiunt. Proinde *discipuli accedentes ad Jesum, excitaverunt eum dicentes: Domine, nonne ad te pertinet quia perimus?* Scriptum est in Psal. de veteri populo multis flagelationibus flagellato: Et clamaverunt ad Dominum, cùm tribularentur, & de tribulationibus eorum liberavit eos. Vexatio, quæ vicinum habet periculum, nescit moras innectere, & timor vexatum exagitat, ne secùrè quiescat, & ex hoc accedunt discipuli ad Jesum. Illi tunc mente pariter & corpore accesserunt, nobis autem non corpore, sed mentalis atque fidelis remansit accessus. In navi erant, mari undique cingebantur: alius nullus erat ad quem potuissent pro ope recurrere. Nam extra domum fidei ac virtutum non est adjutorium in nomine Domini. Non poterant in mare apostoli pro tempore descendere, comminans ex omni parte naufragium, & nemo ad inimicum pro remedio refugium facit. Mare sæviebat nitens naviculam operire fluctibus, si tenuissent solidam terram derisissent marina pericula. Qui fidei & virtutum sacramenta sumpserunt, indixerunt mundo & vitiis bellum: sed extra virtutes & fidem nulla sunt compendia evadendi. Extra fidem & virtutem omnia minantur animæ nostræ naufragium, & facta hostilia, pacis desperato mysterio. Existentes in virtutibus, atque fide horum necesse sit sentire contraria, & esse in bello adversùm adversantia bonis. Sed qui fidei & virtutum domum invisibilem non intraverunt, habuerunt in hac vita pacatos earum hostes, quos postmodum sensere torrores. Ac per hoc cupidis infallibilium & delectabilium æternorum est potius navem conscendere ad utraque bella dispositam & à diabolo & à mundo fieri non quietum, quàm ad tempus pati serenitatem æterno turbine subsequente. Navigium vitæ nostræ tranquillitate non gaudet. Quisquis turbari serenitatis marinæ horret blanditias, aut remis & sudoribus remigentium, aut ventis agitantibus pervenit in portum. Non ergo ascensus ad fidem terreat infideles, nec ascensus ad virtutem terreat criminosos: non incipientibus in altiora conscendere pavere faciat secutura tempestas, quoniam his & aliis periculis vita Christiana peragitur, deducitur & probatur, nec aliter perveniet in quietis æternæ portum. Nam per multas tribulationes introire oportet regnum Dei. Et Apostolus ait Existimo, quòd non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Et Jacobus in Canonica sua dicit: Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis, scientes quoniam probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patientia verò opus perfectum habet, ut sitis perfecti & integri, in nullo deficientes. Proinde non timeatur virtutis ascensus, à quo in gloriam sit sublatio, etiamsi omnia mundi mala in unum conflarentur ad pugnam. Sed quia Dominus refugium factus est nobis, in omnibus adversantibus nobis, dicunt apostoli: Domine nonne ad te pertinet quia perimus? Magnæ profunditatis & divinæ inclinationis est Verbum: Domine nonne ad te pertinet quia perimus. Imo ad neminem pertinet, præterquam ad te pertinet, si perimus. Tui enim ex creatione sumus, tibi ergo perimus, si tui sumus. Ad te solum liberare pertinet, ne pereamus, & reassumere de periculo, si incurrimus. Vocasti nos miris modis tuis, sequimur te vestigiis nostris. Patrocinia mundi dimisimus, & sub tua protectione confugimus. Ergo ad te solum pertinet si perimus, neque alium habemus, ad quem indubitata fide fugimus. Aut ergo adjuva, si ad te solum pertinet, ne pereamus!: aut ostende, si ad te non pertinet, ad quem recurramus. Excitaverunt discipuli tactibus aut clamoribus Christum. Faciliter excitatur, qui necessitate non dormit. Facilius excitatur, cujus claudiru tantúm oculus corporeus, mentis verò insopitus est oculus. Per Salomonem

Psam. 106.

Act. 14. Roman. 8. Jacobi 1.

Cant. 5. fuerat ante prædictum : Ego dormio, & cor meum vigilat. Dormire videtur Dominus eis, qui ſibi dormiunt. Nam meritò ſe omnibus exhibet, qualem merita cujuſcunque requirunt. Vocibus verò cordis & amoribus excitatur, nec non clamoribus fervidæ orationis, Dicebat enim David: Clamavi in toto corde, exPſalm. 118. audi me Domine. In toto corde clamat, excitatque Chriſtum, qui omnem intentionem in eum dirigit atque convertit. Tactibus fortè fuit excitatus & Chriſtus, nanque & opera juſtitiæ Chriſtum ad nos evigilare fecerunt, & intendere ſuper tribulationibus noſtris, ut liberaret ab eis. Multoties Chriſtum navem aſcendiſſe cognovimus, ſed niſi ſemel in illa dormiviſſe legimus, quoniam multas operationes Salvator divina potentia in humanitate, velut in artis inſtrumento, fecit in ſæculo : ſed tamen ſemel mortuus eſt, & ſemel excitatus ſua potentia, qua Deus erat, velut à ſanctorum precibus concitatus. In quorum perſona loquebatur David, dicens : Exurge, quare obdormis Domine? exurge, ne repellas in finem.
Pſalm. 43. Et alibi : Exurge Domine adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Et
Ibidem. velut quod perebatur jam factum, gratulatus dicebat : Et excitatus eſt tanquam
Pſalm. 77. dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Et in ipſius perſona David multo ante prædixerat : Ego dormivi & ſomnum cepi, & exurrexi, quia
Pſalm. 3. Dominus ſuſcepit me. Nec vereor dicere, quod dormire dicitur tepidis, quia ſolicitis, ſi precibus excitatur, invigilat. Tunc ſurgens imperavit ventis & mari. Imperat mari Dominus maris, & mitigat mare, ſine cujus imperio aura mare non excitat, neque procella moleſtat. Scriptura enim dicit : Tu dominaris poteſtati maris, motum autem fluctuum ejus
Pſalm. 88. tu mingas. Sæculum præſens diverſis concitatur auris, divina providentia permittente : ſed nec quieſcit ejus horrenda tempeſtas, niſi Domino imperante : inundat undique ſævè mundus, & quacunque Chriſtianas naves concutit, ſubmergit autem nunquam, ſed concuti omnipotens diſpenſative permiſit. Submerguntur plurimæ, ſi Deus navigantium peccatis iratus concedit, ſed imperium Domini ſæculi ferocitatem, & malorum hominum impietatem ſecreta poteſtate refrænat, ne tantum noceat, quantum affectabat iniquitas. Alia verò litera dicit : *Comminatus eſt ventis & dixit mari : Tace obmuteſce.* Comminatio eſt terror incuſſus ex ſequente pœna, ut ipſa prævisa, omnino malè arceatur iniquitas. Comminatio eſt prohibitio ne fiat, addita multatione, ſi fieret. Comminari duntaxat poteſt, qui poſt malè actum juſtam poteſt inferre vindictam. Comminatio ſigno aut Verbo peragitur, facto autem nunquam Signo indicitur, ne fiat aliquo membro corporis cum oſtentatione inſtrumenti, quo ſit plectenda improbitas : Verbo autem, cum expreſſione utrius que infligitur. ſenſibilia, rationabilia & irrationabdia comminationem ſuperioris, aut cujuscunque terrentis agnoſcunt : illa ratione, iſta verò inſtinctu naturæ, conſeutudine Verborum, quibus ſolitò acceribantur. Inenſibilia ſiquidem comminationem non ſentiunt, nec præcipiunt animo, quid ſigno aut Verbo dicatur. Quid ergo eſt, quòd Chriſtus comminatus eſt ventis, & mari dixit, obmuteſce? Nam juxta experientiam intelligentiæ literalis, ita creatura creatori obedit, ac ſi rationali anima intelligeret, quod profertur : qua inſpecta, propenſius altior ſenſus elicitur. Nam venti ſunt validæ hominum tempeſtates, mundum (velut mare) undique fævius moleſtiis concitantinm, qui nullo ſuperiore arcentur, niſi comminatione omnium Domini terreantur. Sunt nanque nonnulli, qui poteſtativa iniquitate florentes, inter homines non habentes, quem ut ſuperiorem timeant, inferunt aliis mala, quæ cogitant, & ſi habent, quem juſtè revereri debeant, animi præverſitate contendunt, maximè cum iniquitas malè agendi acceperit facultatem, & velut ventorum flatus humana poteſtate recludi non poſſunt, ſic eorum, vexatio nequit ab hominibus prohiberi, quibus ſolus Dominus deſuper comminatur, ut aut à malis inferendis reſiliant, aut juſtam demum ſuſtineant ultionem. Quòd mare obmuteſcat ex dicto Domini Salvatoris, ad id refertur, quoniam divina providentia, non humana virtute, ſive peritia interdum mundus in parte, vel in toto à vexatione quieſcit. Alio loquendi genere alius evangeliſta Chriſtum dixiſſe aſſerit, dicens : *Increpans ventum & tempeſtatem* Increpatio eſt reprehenſio ad improbas actiones. Eſt etiam increpatio retunſio mali acti ſeu malæ diſpoſitionis, ne procedat in actum. Increpatio eſt inclamatio contra prohibentia debitam ſeu voluntariam actionem quæ fit propriè ad rationabiles creaturas : ſed accommodato vocabulo in non rationabiles & non ſenſibiles ſcriptura ſacra
Pſalm. 105. ſæpe reflexit. Nam Pſalmiſta dicit : Increpavit mare rubrum, & exſiccatum eſt. Juxta literalem intelligentiam ſic peractum credimus, ut Deus in Moyſe ſervo

ſuo

ſuo, duce populi ſui ſecreta potentia & creaturæ obedientia manifeſta, quòd mare increpavit, & in utramqúe partem coarctaverit aquas, ut populus ſuus ex Ægypto egreſſus, ſicco veſtigio pertranſieret. Hic verò mare increpat & quieſcit, ut in pace Apoſtolorum navigium
Num. 1. fiat. Et alia ſcriptura: Increpans mare & exſiccans illud. Quod ſi præter mundum & ejus horrendas tempeſtates, per mare, cor humanum intelligere volumus, in quo Chriſtus & Apoſtolorum collegium navigat per fidem, arbore ſpei, charitatis velo, cæterarumqúe remis virtutum: nam aliter cor noſtrum quàm his inſtrumentis in hac vita Chriſtum & Apoſtolos portare non poſſunt, non incongruè cogitamus. Spiritus Sancti licentia etiam in hanc interpretationem juſtè venire corda ſcripturas quærennum ſint, quamquam nobis alia prærogetur forma loquendi. Nam quis imperare poteſt cordibus hominum, niſi Deus? Quis mutare poteſt hominum corda, niſi qui condidit? Quis odium & amorem convertere in alterutrum poteſt, aut ex eis inferre, niſi creator omnium Deus? Nam imperatores aut terreni Domini cùm imperant multa fieri, corda non mutant (quamvis mutata videantur) cùm eorum juſſa complentur: quod non ſit ratione præcipientis, ſive præcepti, cùm faciunt, ſed quia omnis homo, niſi alia virtutis fortitudine vigeat, timer vel cupit ſibi. Voluntas enim hominis libera facta fuit, ut à nemine præterquam à Deo, & à ſeipſo in aliquo moveretur. Solus enim Deus ſuper humana corda verum habet imperium, ut illa mutare poſſit ab uno concepto in aliud. Et ipſa ſiquidem ſunt liberæ motionis, nullo præter Deum cogente ad appetendum vel renuendum hoc vel illud. Et quamvis humana corpora multis hominum ſubdantur imperiis, corda verò Deus ſaltem ab hominibus quærit, juxta illam ſententiam: Fili da mihi cor
Prover. 23. tuum. Et multa experientia novimus, ſanctorum corpora multis à Deo tyrannorum vexationibus derelicta, in quibus ipſe omnino reſervavit & corda, quæ ita ejus imperio ſubdebantur, ut nihilipenderent corpora, in quibus tam ſæviſſimè torquebantur. Cordi etiam comminatur quia ibi ratio & intelligentia ſunt, & concupiſcentia, & motus iræ, & illa, quæ reprimenda ſunt, ne coaleſcant in eo per affectiones & placita contra voluntatem Domini creatoris, & ne impreſſa per interminationem pœnarum progrediantur in reprobum actum Dei obedientia derelicta. Necnon & jure increpationes cordi humano fiunt, cùm ſæpè illa delectabiliter meditetur, quæ Dei diſplicentiam generant, & confundunt juſtitiam, ſi patrata conſiſtant. Nonne cor ſæpè coguat, quæ ſunt objurgatione digniſſima? Increpatio namqúe, cùm ad cor hominum dirigitur, eſt objurgatio eorum, quæ contra juſtitiam diliguntur & fiunt. Eſt etiam increpatio per expreſſionem verborum, facta reprobatio ejus, quòd malè creditur, aut erroneo intellectu percipitur. Hujuscemodi mala quàm in corde ſæpè proveniant, & oriantur improvidè, quàm ſæpè celeriter non increpata vel repreſſa in actum deveniant, calculare digitis, & reſolvere per manus, & arte annumerandi velle perquirere, facilius maris numeratur arena. Ex cujus typo cor humanum meritò mare vocatur. Nam inviſibilium cogitationum malarum cordis, ad arenam facta proportione proculdubio arena ſuccumberet. Volubilitatem nempè illius nemo perfectè cogno Jerem. 17. Pſal. 118.
vir, niſi Deus, qui condidit. De quo Propheta dicit: Ego Deus ſcrutans corda. Increpat ergo Deus hominum cor, cùm in alia præter divina ſtatuta ſe tollit. Unde pſalmiſta: Increpaſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis. Tota hominum ſuperbia in hoc præfigitur, cùm à mandatis ejus declinatur. Et maledictio æterna appoſita eſt ſuperbis, qui divinis contemnunt parere mandatis. Hos Dominus increpat; cùm reprimit, aut cùm eos objurgando convertit, aut cùm pœnas addicit non converſis. Si qua verò de mundo, velut de mari ſupra diximus, ad cor hominis coaptatis ſententiis referuntur. Sed increpatum inſenſibile mare, factum increpatori obediens, homines contemptores juſta comparatione condemnat, quòd irrationalia & inſenſibilia ſummo præceptori obediunt, & creatura rationalis cognitione inſignita ſua pravitate contemnit. Sed increpatio Domini ſæpè ſolet eſſe correptio, quam contemnere præſumere non debemus. Nam in Job Job, 5.
dicitur: Beatus homo qui corripitur à Domino. Increpationem ergo Domini ne reprobes, quia ipſe vulnerat & medetur, percutit & manus ejus ſanabunt. Beatitudo quædam eſt corripi, antequam homo progrediatur in malum, aut cùm progreſſus fuerit, ut reſiliat, quia æterni barathri clauditur oſtium, & ferato cœleſtis januæ removetur. Et correptio increpationem ſignificat. Increpatio verò eſt ipſa correctio. Propter quòd ſequitur: Increpationem ergo Domini ne reprobes, quæ tunc reprobari dicitur, cùm ſibi non acquieverit increpatus. Veruntamen damno

pro-

proprio non acquieſcitur propter vitam, quæ fœdis moribus deturpatur, & propter acerbam pœnam, quæ vitam torpentem inſequitur. Quod prophetico ſpiritu & clara cognitione Salomon unumquemque rationis capacem tamquam filium edocebat, cùm à muliere fallaci, ſcilicet à mundi vanitate & ſenſualitate propria cavere cenſebat dicens : Fili ſi mihi non credis, Proverb. 5. vereor ne fortè dicas : Cur deteſtatus ſum diſciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum ? Ineffabilia porro unt mala, quæ hic & alibi cruciabunt increpationibus domini, & prudentium contumacem. Eſt etiam increpatio, cùm quis in corpore proprio à Domino moleſtatur. Proinde cùm dictum ſit : Increparionem Domini ne reprobes, illico ſecutus adjunxit, quia ipſe vulnerat & medetur, percutit & manus ejus ſanabunt. Unde cùm quempiam vulneribus fauciat, perturbat doloribus, percuſſionibus cædit, increpatio Domini eſt, quam abſque periculo noſtro reprobare non licet. Quam ille reprobat, qui adverſus DEI providentiam & juſtitiam murmurat, & corpore cæſus majores in animò patitur cruciatus. Et quia non poteſt removere quod extra divino judicio paritur, de divina juſtitia non lætatur, in mente inviſis Proverb. 5. doloribus perforatur. Sed benè per Salomonem contra hos dicitur : Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis : ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos, cùm vobis quod timebatis, advenerit. Quæ verba hoc ſonare videntur, quòd qui negligunt increpationes divinorum verborum, hominumque prudentium, cùm ipſi mala, quæ verebantur, pertulerint, à Domino deriſui & ſubſannationibus habebuntur. Necnon ad illos iſta refertur ſententia, qui etiam moleſtias corporis à Domino pro increpationibus irrogatas, per odium ipſarum, cùm patiuntur, murmurant. Nam & per eundem Salomon Proverb. 15. dicitur : Qui increpationes odit morietur. Quod de omnibus increpationibus juſtis, ex verbis & factis vera Dei deſanxit juſtitia, ut ipſas odiens moriatur : non tantùm illa morte, quæ communis eſt bonis & malis, ſed illa duntaxat quæ debetur reprobis. Et ipſas relinquens, intellectu & moribus errat. Hinc in Proverbiis di- Proverb. 10. citur : Qui increpationes relinquit, errat. Et ad ipſas in odio factus, ſapientia verò privatus, inſipientiæ ſubjacebit. Et cùm absque ſapientia in hanc miſeriam veniamus, ad ipſam ſuſpirare deberet omnium humanorum interitio, ſaltem adillam, quæ ad ſupernam vitam ducet expediens. Sed niſi per diſciplinam noſtra ignorantia increpetur, ſapientia vera non capitur. Quamobrem ab inſipientiæ tenebris obvelatus in lucem ſapientiæ noſtræ non aſpirat aſpectus, ſcriptura ſacra dicente : Qui diligit diſciplinam, diligit ſapientiam : qui autem odit increpationes, inſipiens eſt. Ecce, quod dilectio diſciplinæ ſapientiam generat, increpationum autem odium inſipientiam pant. Ex quo apertè colligitur, quòd increpatio eſt diſciplina, per quam ad debitam ſapientiam pervenitur, cujus ſplendore præfulgens inter ſapientes irreprehenſibili audacia reſidebit. Et hinc eſt Proverb. 6. quod dicitur : Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientium morabitur. Quod in moribus hominum quanta veritate clareſcat, ipſa experientia magis clamat. Sed ad altiora me rapit ſecretior intellectus. Sapientes viri ſunt ſuperni cives, qui nunquam Domino peccaverunt, ſive in hac vita umbratica peregrini cuſtodes innocentiæ, ſeu reſipientes à delictis & á patraris ſceleribus, addita pœnitentia priusquam vita corporis privantur. Sapientes ſunt, qui reprehenſibilia nulla faciunt, & ſervire ſciunt verbo inviſibili incarnato, in quorum conſortio hic reſidebit ex moribus, & cum beatitudine in ſupernis. Unum verò relatione dignum non repulſa increpatio facit, quod difficile in ſanctis hominibus dixerim, & in non perfectis impoſſibile fieri exiſtimavi, quòd quis cor ſuum poſſet ex omnibus, & ab omnibus coarctare. Sed Scriptura Sacra de increpationibus dicit; Qui autem acquieſcit increpationibus poſ- Proverb. 15 ſeſſor eſt cordis. Ille verò in veritate cor ſuum poſſidet, quòd in nulla diffunditur prava, & rectè omnia meditatur. Meritò igitur nos velut mare arguit, ſi ſuo typo non acquieſcimus increpati. Si verò juxta literam, ventum & tempeſtatem dixerimus increpatos, ſupradicta non abſonant, quin eo ſenſu, quo dicta ſunt de mari, ad ventum & tempeſtatem valeant retorqueri. Nam ventus eſt commotor inviſibilis aëris, quo primitus moto etiam corpora ſolida imperuntur, & minus ſtabilia commoventur. Sic ventus aërem noſtræ mentis exagitans, eſt inviſibilis dæmonum aura, & importuna cordis & non viſa commotio, aut irrationalis vexatio cordis, cujus ſæpè non apprehenditur cauſa, necnon ab extra fit concitatio per improbitatem hominum, cujus non eſt invenire juſtum aut rationale veſtigium. Sed venti mox improviſò nulla prærogata materia inter homines malè moti, etiam quietos ab extra perturbant. Tempeſtas à tem-

poris

poris mutatione nomen accepit, cùm tempus inſolitis & nocuis turbinibus inhorreſcit, quod accommodato vocabulo ad illam tempeſtatem, quam in animo patiuntur & iniqui, aptè refertur: quam ſolus, qui novit abſcondita cordium, inebriat, prohibet & retundit. Similiter & illam, quæ temporum lapſu provenit, cùm tempora ſucceſſione alternantur, & nunc quieta, & nunc inquieta, nunc magis, nunc minus ſecundùm illam ineffabilem Dei providentiam, humana malitia capiente malè agendi audaciam, judicentur. Sed ſub deſignatione eommoti elementi declaratur hic ſæva tempeſtas, cùm alius Evangeliſta dicit. *Increpavit ventum & tempeſtatem aquæ.* Nomine aquæ decurrentem doctrinam ſæpè accipimus. Et in doctrinis variis variæ ortæ ſunt peſtes, inficientes in pluribus robur fidei, & labefactantes mores rectè vivendi. Hanc tempeſtatem Chriſtus ſolus abigit. Unde ſequitur: *Et facta eſt tranquillitas magna.* Modica tranquillitas ex imperiis hominum ſequitur, magna verò ſequitur, cùm imperat ſummus Dominus. Nec quisque quietem inveniſſe ſe credat orationis ſtudio, aut auxilio patronatus humani, ſeu conſortio peritorum, niſi ſupernus homo induxerit. Proinde verè ſecuta eſt magna tranquillitas, cùm Chriſtus increpavit omne perturbans, & ſalvavit in mari ad ſe pertinentes. Tranquillitas magna in viatoribus ſæpè noſcitur, duntaxat verò maxima in beatis. Magna profectò eſt, quæ ſubjectum habet adverſum, aut cùm virtute Chriſti repugnare poteſt adverſo, ut etiam undique inſurgentibus malorum fragoribus, ipſa anima penitùs non lædatur, non ſcuto protecta vitreo, ſed divino. Increpatio verò Chriſti ad diſcipulos de modicitate fidei, ad tractatum pertinet vitiorum. *Porrò homines mirati ſunt dicentes: Qualis eſt hic, quia mare & venti obediunt ei?* Homines mirantur de divinis operibus, quia homines ſunt: non mirarentur, ſi ſupra homines eſſent. Mirantur, quia ut homines in Chriſto divinam virtutem ignorant. Ignorantia ſæpè admirationis eſt cauſa. Provehit in admirationem quod provenit inſolitè, atque ubi non ſervatur uſualis ordo naturæ, & quod ſupra illam & potentiam hominum ſit in admirationem adducit. Continuò admirantur, & deficit humanitas in altiſſimis operationibus Deitatis. Ipſa verò interrogatio ſive inquiſitio inter ſeipſos, incomprehenſibilem ſuper hominem qualitatem inſinuat. Qualis eſt hic? A qualitate inhærente, quales & tales homines appellantur. Sed nihil Deo inhæret. Quod eſt, & quod habet, ſubſtantialiter eſt, & habet: accidentia nulla recipit, ſubſtantia per omnia ſimplex. Si in ipſo eſt, quod abſtracta ſeu concreta locutione de ipſo præfertur, ſubſtantia ſua eſt, quòd de Deo abſtractis & concretis vocabulis nominamus. Ac per hoc huic interrogationi reſponſio terminata non redditur, ſi ad Deum qualitatis interrogatio referatur. Sed nec credamus illos homines imperitos Deum inquirendo velle contingere. Hominem videbant, de quo admirabundi, quærebant: ſi qualis erat, ad cujus imperium venti & mare ſubdebantur, quaſi ſub admiratione proſertur, incomprehenſibilitas qualitatis hujus hominis claret. Mos enim indoctæ plebeculæ, quod non intelligit, plus mirari, & prout intus agitur, foris eloqui. Si verò ſub interrogatione depromitur, de qualitate inquiritur hominis patentis, cùm virtus non adeſſe credatur in carne Dei latentis. Obedientia quippe maris atque ventorum hominis illos ad hanc admirationem atque quæſtionem adduxerat, jubentis ignorata potentia, ſeu in homine viſa, quæ purè noſcitur eſſe divina. Sed quid reſponſum fuerat, ſcriptura non explicat. Nam mutua interrogatio imperitorum, & omnis eorum quæſtio manet inſoluta. Quæſtio atque interrogatio vicaria inter homines ſciolos vel indoctos per profeſſionem ignorantiæ, aut per taciturnitatem melius ſolvitur, & hujuſcemodi quæſtionibus per hujuſcemodi aptius reſpondetur. Sed ſi omnes ab origine mundi peritos interrogationibus de Chriſto & quæſtionibus adoriemur, qualis eſt hic homo Chriſtus, explicare non poſſent, & taciturnitas, & laus bonitatis eſſent in reſponſionibus aptiores. Et ut dialecticos evitemus, non credamus ſub illo verbo qualis, tantum qualitatem, quæ de decem categoriis eſt una, illos plebeculos quæſiviſſe. Aſtutias enim dialecticas penitùs ignorabant, ſed ſimplici & rudi modo loquendi quærebant, quicquid poſſet talem hominem operantem talia diffinire. Sed ad hæc reſpondendi quis idoneus? Habemus tamen hnac quæſtionem, ſimiliter & reſponſionem à Spiritu Sancto prædictam in Canticis canticorum. Nam ſub diſciplina Spiritus Sancti, velut ab ignorantibus, aut extra eccleſiam catholicam poſitis, quæſitum eſt ænigmaticè de Chriſto ſub hac forma verborum: Qualis eſt dilectus ex dilecto, ô pulcerrima mulierum? Qualis eſt dilectus ex dilecto ô pulcherrima, quia ſic adjuraſti, nos. Pulcherrima mulierum, eccleſia catholica eſt. Ipſa ſola per altitudinem fidei qualis ſit Chriſtus, agnovit. Pulcherrima mulierum eſt illa fidelis anima, quæ omnium terrenorum amore privata, duntaxat Cantic. 5.

virtutum decore præfulget. Seu pulcherrima, eſt eccleſia triumphans in ſupernis. Fit interrogatio ab extra poſitis, aut à minus dictis: Qualis eſt dilectus ex dilecto? Dilectus ex dilecto, Chriſtus ex Deo. Dilectus eſt Pater, dilectus eſt Filius. Dilectus ex dilecto, Filius ex Patre. Dilectus eſt Chriſtus, ac ab ipſo noſter diligens diligitur animus. Dilectus ex dilecto, Chriſtus dilectus ab animo, ab ipſo dilecto. Qui qualis ſit inquiritur, ut quæſtio cum diligente pleno animo aſciſcatur. Qualis eſt, &c. Sed quæ novit per fidem, reſpondet per veritatem: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Caput
1. Cor. 11. ejus aurum optimum. Secundùm Apoſtolum caput Chriſti Deus. Pro inde ſi de ſubſtantia quæritur, Deus eſt in homine latens, & homo patens Deitati unitus exiſtens. Si de qualitate, Deus in ſua naturali qualitate non adventitia bonus, ſapiens, immortalis, fortis, omnipotens, rex regum & dominus dominantium, totum bonum, ſummum bonum, omne bonum omnibus præexiſtens. Cæteræ deſcriptiones, quas ſponſa ſubnectit, ad ſenſus myſticos & tropologicos referuntur. Hinc eſt, cùm quæritur, qualis eſt hic, cui mare & venti obediunt? palmariè reſpondetur: Juſtus, & verus, omnipotens Dominus univerſi ad condemnationem omnium contumacium, qui ei obedire contemnunt, cui muta & inſenſibilia, & flatiles auræ ſubduntur ad imperium ejus facientia verbum illius. Et confuſio nontiæ noſtræ cooperiet nos, cùm inſenſibilia nobis obedientibus in ordine obedientiæ præferentur, quæ naturæ ordine poſtponuntur.

Cap. III.

De miraculo quinque panum, & duorum piſcium multiplicatorum, ſecundùm Matthæum, Marcum & Joannem.

TErtium miraculum, quod in re ſenſibili operatus eſt Chriſtus, de quinque panibus hordeaceis & duobus piſcibus fuit. Sed ut apertius miraculum clareat, geſtæ rei eſt ordo texendus. Poſt curationem infirmi longi temporis ad piſcinam, & longam concertationem verborum Chriſti cum Judæis Heroſolymis habitam. *JESUS abiit trans mare Galilææ, quod eſt Tyberiadis. Et ſequebatur eum multitudo magna, quia videbant ſigna quæ faciebat ſuper his, qui infirmabantur.* Ambulans Jeſus mare circumiens Galilææ, circa quod erant plurimæ civitates, & ſanabat ægrotos, ut eſſent habiles ad ſequelam, nec poſſent de infirmitate cauſam excuſationis innectere, ſi non Dominum ſequerentur. Ideo ab infirmitatibus liberat, ut ſequantur: nec ſequi Chriſtum poſſunt, qui ab infirmitibus animæ detinentur, nec ſanari ab alio quàm à Chriſto. Prærogatur igitur non deeſſe ſanitas, ut fiat ſequela ejus, qui omnem animam volentem ducit per ſemitas æquitatis. Sed circa mare Galilææ & Tyberiadis Chriſtus quærit habere ſequelam. Provincia ſive regio eſt Galilæa, ſed Tyberiadis, civitas eſt, à Tyberio Cæſare nominata. Hæc ſiquidem nomina miniſterio & actioni convenient. Ratio dicitur Galilæa ſeu transmigratio; Tyberiadis verò, videns teſtimonium interpretatur. Aquarum congregatio eſt in provincia, ſubjacet civitati. Tranſmeat hujusmodi mare Jeſus, & eum ſequitur multitudo, ut deſiderio in anteriora rotandi, à poſterioribus elevandi, & transmigrandi præſens ſeculum, Chriſtum ſequendo animo & moribus feſtinemus videndo teſtimonia ſanctæ ejus, quæ teſtificantur potentiam & bonitatem magnitudinis ejus. Sequebatur eum multitudo magna. In numero, aut virtute, aut in potentia felicitatis terrenæ. Non in virtute atque potentia, ſed in numero fortè magna. Sed nec magnam profectò ex omnibus dixerim, ſi reſpicimus ducem, ad cujus ducatum omnis multitudo modica, & magnitudo parva eſt. Ex alia inhærente virtute magnam appellare non poſſumus, quoniam propter ſigna Dominum ſequebatur. Eſſet utique magna, ſi propter ejus doctrinam, mores & vitam præeuntem ipſum ſecuta fuiſſet. Nam quomodo magna in fide turba illa fuit, quæ propter ſigna facta ſuper infirmos, Dominum ſequebatur, cùm non propter fideles, ſed propter infideles data ſigna noſcamus? Erat ne magna indocta devotione? Sed nec devotio ſancta, quam vera fides non præſtruit. More humano hic Evangeliſta diſſeruit, apud quem parvum infolitum dicitur ſæpè magnum. *Et cùm eſſet Jeſus cum diſcipulis ſuis in deſerto loco Bethſaida*' usque ad quem Chriſtum turba ſecuta fuiſſet. *Excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei.* Benignè recipit Chriſtus omnes ad ſe venientes, & multa prærogat, ut ſequamur, & dulcedine non fallaci allicit auditores, & ex doctrina demonſtrat fruſtrandam non eſſe ſequelam. Loquebatur enim Illis de regno Dei. Non interſeruit evangeliſta formam verborum, qualiter de regno altiſſimo loquebatur, ſed pia fides noſtris mentibus interlucet, quòd aut promittendo, aut aſtruendo viam cum illa gregaria multitudine de regno Dei Deus homo loqueretur. Et qui curari indigebant, ſanabat,

bat. Indigentibus neceſſaria liberè divina largitas donat, ſed qui ægrotat, præ cæteris indiget ſanitate, qua privati homines ex abundantia cætorum doloribus acrioribus perforantur. Modicum prodeſt vallari copiis rerum & carere ſeipſo, quia nec ſeipſum in pace poſſidet, qui ægrotat. Et ſi propter curporum languores in veritate ſic eſſe decernimus, quàm vehementius indiget ſanari, qui animæ non fruitur ſoſpitate, ſed invisibilibus languoribus dolet, atque tabeſcit. Sed ſanat Chriſtus, qui eum ſecuti per planitiem fuerant, & quæſierant in deſerto, ut etiam ad pabula montis perficiatur aſcenſus. Semper enim Chriſtus ad ſuperiura hominum mentes per deſideria trahit, quousque conferat, quod infallibiliter pollicetur. Sed dies jam cœperat declinare, illa videlicet, quæ ortu ſolis exoritur, & ejus occaſu fitiſtur. Non autem timendum, ubi lux erat mundi, quâ qui ſequitur, tenebras neſcit. *Abiit in montem Jeſus, ubi ſedebat cum diſcipulis ſuis.* Expectabat enim turbam, quam ſignis & verbis allexerat ad ſequelam. *Et accedentes duodecim dixerunt illi: Dimitte turbas, ut euntes in caſtella villasque quæ circa ſunt diverſant, ut inveniant eſcas: quia hic in loco deſerto ſumus.* Præſumunt diſcipuli in magiſtrum, ſapientem indocti, conſiliis indigentes conſulunt veritati. Et modicæ adhuc ſunt fidei, cùm de cibo turbarum anguntur exiſtentes cum Chriſto, necnon malè providenti turbis, quas à Chriſto ſegregare vel ſaltem ad modicum tentant ſub ſpecie pietatis. Sunt enim hæc imperita conſilia, in quæ, qui boni videntur, ex ignorantia ſeu inadvertentia ſæpe cadunt, ut ſub velamine boni animæ diſpergantur. Sed unum eſt caſtellum, & una villa, ſcilicet Sancta Mater eccleſia, cujus fundamentum actor, & rector, & paſtor eſt Chriſtus. in ipſa, non extra ipſam in caſtellis & villis hæreticorum, philoſophorum ſapientum mundi, atque potentum, & divitum terrenorum, animarum quærendæ ſunt eſcæ, ſed à Chriſto, qui in ſanctâ eccleſia corporalem & ſpiritualem omnium curat annonam. Nec pavor empro defectu vitæ corporalis incutiat ſolitudo deſerti: pauetat enim in deſerto cœleſti manna multisannis populum peregrinum. Nam etſi oporteret, tutius eſt cum Chriſto exitiale jejunium, quàm ad votum refici præter Chriſtum. Non ſunt timenda jejunia, ubi paſtor eſt vitæ: nec eſuries corporis propulſanda, ubi paſtus eſt verbi. Prædictum porro fuerat, quia non in ſolo pane vivit homo, ſed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei. Nondum noverant Apoſtoli hanc in Chriſto adeſſe potentiam, nec viderant præter naturæ ordinem multiplicare victum. *Cùm ergo ſublevaſſet oculos Jeſus, & vidiſſet, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad diſcipulos ſuos* ut ſuppleatur litera Evangelii: Vos dixiſtis ut dimitterem turbas, juxta veſtrum conſilium non dimiſi. Ecce turbæ veniunt vos date illis manducare. Sed diffidentibus diſcipulis atque tacentibus, *dixit Jeſus ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi.* Ad Philippum primo prolatus eſt ſermo velut ad hominem, qui erat patrialis, nam erat à Bethſaida illi monti vicina. Nec Chriſtus, velut ignarus, interrogat, ſed ut Evangeliſta refert: *Hoc autem dicebat tentans eum: Ipſe enim ſciebat, quid eſſet facturus.* Tentatio probatio eſt humanæ peritiæ, ut clareat eum qualibus ſapientibus mundum converſurus Chriſtus progreditur. Non enim more dæmonum, aut ſimilitudine hominum tentat Chriſtus. Intentator penitus eſt ipſe malorum. Sed probavit Philippi prudentiam, ſicut in veteri teſtamento probavit obedientiam Abrahæ, ſcriptura dicente: Tentavit autem Deus Abraham. Philippus verò rerum agendarum ignarus, improviſè, atque inconſultè reſpondit, non coæquans victum hominum quantitati. *Ducentorum denariorum panes non ſufficerent eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat.* Utrum verò iſta pecunia ſic numerata præſtò fuerit, ſcriptura non refert: quanquam multi amore illecti pecuniæ, velint illi ſancto Apoſtolorum collegio de pecunia facere impoſturam, ut illorum exemplo in licitum nitantur convertere propriam avaritiam: & eo ſe credant peccato immunes, quo ſanctos in exemplum vitæ moralis induxerunt. Et bonos ſæpè infamant, ne ipſi ſoli deliquiſſe videantur. Sed aliorum turpitudine, ſi adeſſet, turpitudo propriæ nun deletur. Veruntamen ſi affuiſſet illa pecunia, nil adenuſſet Apoſtolorum virtuti, libera enim mente ſuper terrena omnia ferebantur. *Unus autem alius ex diſcipulis, Andreas frater Simonis Petri, dixit ad Jeſum: Eſt puer hic unus, qui habet quinque panes hordaceos, & duos piſces: ſed hæc quid ſunt inter tantos?* Nec refert, quod alius Evangeliſta dicit: *At illi dixerunt: Non ſunt nobis plus quàm quinque panes & duo piſces, vis eamus & emamus in omnem turbam eſcas?* Quia quod unus dixit, omnes dixiſſe videntur, & uſitato more multitudo ſæpè loquitur per unum. *Ait autem ad diſcipulos: Facite homines diſcumbere,* per convivia quinquagenos, & ita diſcumbere fecerunt omnes. *Erat autem fœnum multum in loco. Diſcubuerunt ergo viri numero quinque millia. Acceptis autem panibus, & duobus piſcibus reſpexit in cœlum, & gratias agens benedixit illis. Et fregit, & diſtribuit diſcipulis ſuis,* ut ponerent ante turbas, quantum volebant. *Et manducaverunt omnes & ſaturati ſunt. Dicit Jeſus diſcipulis ſuis: Colligite*

Matth. 14. Marci 6. Lucæ 9. Joann. 6

Deut. 8.

Joan. 6.

Jacobi 1.

Gen. 22.

quæ ſuperaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleverunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, & duobus piſcibus, quæ ſuperfuerunt his, qui manducaverant. Illi ergo homines, cùm vidiſſent quod fecerat ſignum dicebant. Quia hic eſt verus propheta, qui venturus eſt in mundum. Verè quamvis non toti iſti de ſigno tranſierunt ad ſignatum, ut videntes ſignum intelligerent ſupernaturalem authorem, & potentiam extra uſum & virtutem oſtenſam hominibus ſupra ſenſum. Et hæc eſt omnium miraculorum palmaris ratio, ut in cognitionem factoris inducant, & ex hoc hominibus ipſa panduntur. Ex ſigno dato ex homine, quem purum credebant, putaverunt prophetam. Ultra naturam eis ſignum tale produxit: quoniam non ex natura, ſed ex infuſa gratia data eſt hominibus prophetia. Sed modica erat iſta credulitas, quia non propheta magnus erat, porro ampla fuiſſet, ſi omnium atque prophetarum credidiſſent factorem. Sed quid eſt, quod dicebatur, quia venturus erat, qui omnino jam venerat? Et quia non credebant totum, quod Chriſtus erat venturus, fortè ipſorum opinio afferebat: An fortè ad ſecundùm adventum iſtorum opinio ferebatur.

Cap. IV.

De multiplicatione ſeptem panum ſecundùm Matthæum & Marcum.

SEptem verò panum & paucorum piſciculorum multiplicatio, à ſuperiori miraculo in virtute non differt, niſi ex annexis & numero: ſed ordo geſtorum dicendi materiam dabit, & illuſtrabit gratia Spiritus Sancti.

Matth. 15. Marci 8. *Turba multa erat cum Jeſu, nec habebant quod manducarent.* Turba facile turbatur, & turba impetu & clamoribus ſæpe fertur, rarò quieſcit, niſi per providum ducem, ſed quæ ſequebatur Jeſum, turbationis cauſa carebat. Nihil habet unde turbetur, qui ſtare didicerit cum Jeſu: origo enim eſt, & fons indeficiens omnis conſolationis & pacis. Sed hoc non habebant, quod manducarent: quia non ex ipſo, ſed ex nobis defectio eſt, & carentia bonorum. Non habemus unde vivamus, ſed unde moriamur ex nobis. Non habere ſimiliter & deficere, de uno fonte procedit, ſcilicet materia nihili. Unde per creationem in eſſe devenimus, ſed creatoris eſt ſervare in eſſe, quod fecit. Subſiſtere nequaquam noſtræ noſcitur poteſtatis: defectiones noſtrum eſt pati, mederi eſt creatoris. Hinc Jeſus affectum pandit Apoſtolis ſive diſcipulis animi miſerentis. Unde *convocatis diſcipulis, dixit illis: Miſereor ſuper turbam, quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent.* Pro conſilio audiendo diſcipulis enunciare videtur, non velut indigens, ſed ut magis redderentur attenti ad ea, quæ facturus erat. Indicat animi ſui miſericordiam, qua movetur ad

Thren. 3. turbam: quia omnium miſeretur Deus, nihil eorum, quæ fecit, abhorrens. Et miſericordiæ Domini, quod non ſumus conſumpti, nec defecerunt miſerationes ejus. Conſumeremur omnino in nihilum revertentes, niſi ope divinæ miſericordiæ teneremur, quæ neminideficit, niſi homo prius deficiat. Nemini deficit omnino, niſi confidentibus in ſeipſo. Nemini deficit, quod deficere neſcit, quod largitione non minuitur, nec augetur, nullum novit habere defectum. Inexhauribilis, imo in evacuabilis eſt divinæ miſericordiæ vena, quæ nunquam in copia, nec in voluntate defecit. Plus abundat, quàm poſſint omnes angeli & homines indigere. Superabundat etiam dantis voluntas, ſupra quàm velimus recipere. Nulla voluntas ad velle paratior, quàm ad conferendum divina, ſed non omnibus niſi ſuſtinentibus eum. Proinde adjecit: Quia ecce jam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent. Verum eſt quod charitas omnia ſuſtinet propter Deum, patientius verò ipſum ſuſtinet. Sed nec confundi poſſunt, qui Dominum ſuſtinuerunt. Ex hoc Pſalmiſta dicit: Univerſi qui ſuſtinent te, non Pſal. 24. confundentur, quoniam eſt multæ miſericordiæ, & verax omnibus, qui ſperant in eum. Et iterum Pſalmiſta: Expecta Dominum, viriliter age: confortetur cor tuum & ſuſtine Dominum. Exhortatur veritas Pſal. 26. eos, qui ſperant videre Domini bona in terra viventium, ut expectent Dominum, non effœminatè ſeu molliter, ſed ea, quæ ad ſalutem pertinent, agendo viriliter. Et confortetur, ne afficiatur deſidia, neque infirmetur: magis verò ſuſtineat Dominum, qui non deeſt ſuſtinentibus eum. Nam ſive ad tolerantiam paſſionum, ſive ad expectationem promiſſorum Verbum ſuſtinentiæ referatur, in id redit, ut ſuſtineamus omnia propter ipſum Dominum & fidelem exolutorem promiſſorum ſuorum. Hæc ſiquidem differenter & myſticè, variè atque moraliter exhortans eccleſiaſticus manifeſtat. cùm quempiam velut filium erudiret, dicens: Fili accedens ad Eccl. 2. ſervi-

ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum & ſuſtine. Inclina aurem tuam, & excipe verba intellectus, & ne feſtines in tempore obductionis. Suſtine ſuſtentationes Dei. Conjungere Deo, & ſuſtine, ut creſcat in noviſſimo vita tua. Omne quod applicitum fuerit tibi accipe, & in dolore ſuſtine. Et paulo poſt adjecit : Metuentes Deum ſuſtinete miſericordiam ejus, & non deflectatis ab illo, ne cadatis. Bonum eſt timentibus Chriſtum ſuſtinere miſericordiam ejus, quoniam ipſe dicit : Miſereor ſuper turbam, ſcilicet ſuper omnes hominum nationes, etiam ſuper animam unam. Sed illi miſericordiam non conſequuntur, qui eum ſuſtinere noluerunt promittentem, aut qui propter eum ſuſtinere noluerunt prementem perſecutionem. Sed hanc turbæ ſuſtinentiam per triduum factam commemorat, ut hæc trinitas dierum in alias trinitates mentes hominum conſiderando trajiciat, in creatricem ſcilicet, quæ Deus eſt pater & Filius & Spiritus Sanctus. Et in tertio die tridui Chriſtus miſertus eſt turbæ : quoniam in Spiritu Sancto miſeratio fit populorum, & in ſua virtute celebratur remiſſio peccatorum. Et in illam trinitatem virtutum, in qua reviviſcimus in peccatis mortui, cùm tertia interceſſerit fides, ſpes, charitas, iſta trinitas eſt. Et in charitate profecto fit miſeratio peccatorum, quoniam charitas illorum multitudinem operit. Noverat Salvator turbarum indigentiam, cùm miſeratus dicebat Nec habent, quod manducent. Non habent homines, unde ſuas animas refocillent. Nec habent homines in deſerto hujus mundi alimoniam ſpiritualis alimenti, niſi Salvator ipſe contribuat. O utinam annexam humanæ naturæ inopiam cognoſcerent univerſi, quibus bonis privati ſumus, quanta, priusquam Chriſtus miſereretur, genus humanum inedia permebatur : erat horrida fames, ſaturitas non aderat ulla, exhalabant plurimi animas ſuas, omnino in veritate impaſtas, & turbarum multitudo æternum patiebatur exitium. Venit, qui cognoſcebat originalem defectum, ſe offerens ad ſequendum, ut miſertus ſequentibus afferet ſanè remedium. His duntaxat, qui deſerentes animo mundum deſertum Chriſtum in deſerto ſectarent. Nam turbam filiorum Iſrael in deſerto à Moyſe ſequentem Deum, & in columna ignis & nubis cœleſti alimento nutrivit. Et nunc miſeretur turbæ illum in deſerto ſequentis. Et Dominus per Jeremiam commemorat illud præteritum, quod prophetia erat in futurum. Et factum eſt Verbum Domini ad Jeremiam, dicens : Vade & clama in auribus Jeruſalem dicens : Hæc dicit Dominus, Recordatus ſum tui, miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto, in terra, quæ non ſeminatur. Hæc ad Jeruſalem Dominus inferebat. Prædicans turbis Chriſtus oſtendit in corporali alimonia, quod defecit eccleſiæ in ſpirituali gratia. Prævidit pericula Chriſtus, quæ poſſunt ex jejunio bonorum ſpiritualium hominibus provenire, defectum ſcilicet quo homo lanqueſcit in via. Proinde ſubjecit : *Et ſi dimiſero eos jejunos in domum ſuam, deficient in via.* Jejunus à Chriſto dimittitur, qui ſpirituale non accipit alimentum. Sed non eſt parcitas dantis, ſed negligentia non accipientis. Effundit ſed denegat imparatis. Nulla verò noxiora jejunia, quàm ab alimoniis Chriſti ſecerni. Dimittuntur jejuni quam plurimi redeuntes in domum ſuam, cùm unusquiſque proprium placitum ſequitur, Chriſti gratia non refectus. Periculoſum eſt ad propriam redire quietem, & ſpiritualium inedia expugnari. Etenim defectus advenit cadendi ſive ſiſtendi, & quod magis flendum, ſæpius aberrandi. Non cogit Chriſtus ad propria corporis & actionum temporalium non redire, ſed ſacramentorum gratia & mandatorum diſciplina vult eſſe refectos, ut ſacramentalis ſit vita hominum ſub regula mandatorum. Etenim ſic incedentes non deficient in via, non cadent, quin releventur, non ſiſtent, quin perficiant, non aberrabunt, quin redeant. Domum verò cunctorum viventium, terram matrem naſcentium etiam appellavi, ſeu illam cœleſtem patriam, in qua vult Deus omnes homines ſalvos fieri, ad cujus beatitudinem omnium credentium tendit intentio. Via, qua gradiendum eſt, Chriſtus eſt, antequam revertamur ad teram, de qua ſumpti ſumus, & ſine qua pervenire ad cœleſtem patriam omnino non poſſumus. In qua via defecerunt, qui erraverunt à fide, aut qui non pervenerunt ad fidem, qui de Chriſto plus aut minus debito crediderunt, qui deſpexerunt quæ elegit, qui contempſerunt, quæ ſuſtinuit, qui per omnia ejus Evangelio non ſe ſubjecerunt, qui ea, quæ deſpexit, habere voluerunt, qui retrogradè perrexerunt, aut qui ex negligentia remanſerunt. Multi autem rectè pergentes, dum aſpexerunt amœna mundi, ulterius progredi ſunt obliti : ſed nec hi, qui perſeveranter divinis muneribus ſunt refecti. *Quidam enim ex eis de longe venerunt.* Propiores erant aut eſſe debebant ad ſequelam

lam Chriſti, qui de lege Domini erant, quàm qui gentiliter vixerant : ſed inverſum eſt, ut qui debebant eſſe propinquiores, ſunt remotiores : & qui longe erant, proximi facti ſunt. Necnon & de longe ad Chriſtum veniunt, qui extiterunt majoribus criminibus irretiti, & in mundi deliciis atque divitiis plus affecti, quibus eſt celerius divino edulio providendum, ne revocati à priſtinis in via ſalutis deficiant. Dant deſperationis ſeu difficultatis conſilium imperiti, veluti divinam potentiam ignorantes. *Et reſpondérunt ei diſcipuli ſui : Unde poterit iſtos quis hic ſaturare panibus in ſolitudine?* Concordat hæc exinanita reſponſio eum illa, quæ ſuperius dictum eſt: Unde emeinus panes ut manducent hi? Sed hanc protulit Chriſtus, ſciens omnino quid erat ipſe facturus : illam protuleruut diſcipuli, virtutem Chriſti Domini non cogitantes, Naturalibus progreſſibus aſſueti, neſciunt conſiderare divinæ virtutis potentiam, præter ipſam naturam, quam ex toto ſequentes, illam ineffabilem vehementiæ gratiam non aſpexerunt. Verè autem nullus eſt, qui poſſit panibus homines ſaturare in ſolitudine hujus mundi : ſemper enim poſt ſumptum cibum comedendi debellat media, & ſaturatus iterum eſurit. Nullus porro affectus hominum habet ſatis, niſi reficiatur à gratia, cujus nemo penitus hominum eſt largitor, niſi factus homo conditor & redemptor. *Qui interrogavit eos : Quot panes habetis? Et dixerunt ei : Septem, & piſciculos paucos. Et præcepit turbæ, ut diſcumberent ſuper terram. Et accipiens Jeſus ſeptem panes & piſces; gratias agens, fregit & dedit diſcipulis ſuis, ut apponerent. Et diſcipuli déderunt populo ſeu apposuerunt turbæ, & manducaverunt, & ſaturati ſunt.* Cùm Chriſtus legitur interrogare, nunquam velut ignorans interrogare credatur, ſed more humanu loquitur, & familiarem ſe diſcipulis ſuis monſtrat, & ut clareat evidentius quod erat ipſe facturus. Noverat enim omnino quot panes habebant. Diſcubitus turbæ ſuper terram, ordinatio eſt fidelium in eccleſia : ut unusquisque in eo, ad quot ordinatus eſt, ſacramentorum gratiam ſumat. Et ipſa humiliatio ad divina & ad ſacramenta, quæ fiunt penitus ex corruptibilibus & terrenis, ſignatur in diſcubitu ſuper terram. Maxima in hoc noſcitur humilitas hominum, cùm ſe inclinant ex fide ad ſuſcipienda elementa, & gratiam non videntes credunt eſſe ſacramenta. Accepit ſeptem panes & fregit, & dedit diſcipulis ut apponerent. Septem ſunt quæ diſtribuit ſacramenta. Sunt etiam ſeptem dona Spiritus Sancti, quæ hominibus pro ſui diſpoſitione atque capacitate partitur per manus Apoſtolorum. Nam hominibus à Chriſto traditum eſt determinato myſterio, ut alios homines in fide ſubjectos alimento ſacramentalis gratiæ atque divinis ſermonibus paſcant : ut quorum erit una beatitudo, ſit una & mutua communio inter eos. *Et habebant piſculos paucos, & ipſe benedixit & juſſit apponi.* Piſciculorum additio, qui extrahuntur ex aquis trajicitur in dulcedinem, quæ de amaritudine vitæ carpitur : nam amaræ ſunt aquæ maris, & dulces piſces generant. Et ſi dulces ſunt, aut fluunt, aut commoventur à vento : ut etiam tribulatio ſemper ſignetur in aquis, cujus fructus eſt dulcis, conjunctus ei vitæ, quæ dicitur ſacramentalis. Et manducaverunt de miraculoſe productis, & ſaturati ſunt. Profectò ſatur dicitur refectus à gratia. Et depellitur hiſpida fames, cùm Chriſtus ornat ſuis alimoniis menſam. Nemo, niſi quem Chriſtus alit, dicitur ſaturatus. Neque fieri poteſt, ut anima ſatietatem accipiat ab his, quæ inania ſunt. Optima ſaturitas gratia, neque faſtidit animam, ſed amplioribus & ſuavioribus deſideriis auget. Corporis nempe ſatietas quandoque nauſeam generat, & refectum languoribus urget. *Et ſuſtulerunt, quod ſuperaverat, ſeptem ſportas. Erant autem qui manducavarunt quatuor millia hominum : & dimiſit eos.* Sublatæ ſportæ de fragmentis appoſitorum numero correſpondent : etenim ſeptem fuerunt panes. Et quia reſervantur, id inſinuant : ut usque in finem ſæculi eadem perduret miniſtratio ſacramentorum. Sed neque ſeptem panum atque ſeptem ſportarum numerus æquatur non calculatæ multiplicationi factæ à divina virtute, qua tanta multitudo refecta eſt. Nec ullus hominum dinumerare potuit, neque ſcire, in quantum numerum devenerit multiplicatio panum : niſi quod tantùm rei effectus inotuit, quia omnes ſaturati ſunt : quoniam non eſt menſurabilis aut numerabilis ſenſibiliter occulta ſacramentorum virtus, quæ animas reficit, nec beatitudo, quæ venit. Nec alligatur numeris & menſuris illa dulcedo tribulationis, quæ ſignatur in piſciculis ex mari amaro captis. Numerus manducantium claret, ut inclareſcat miraculum. Sed quadratura ultima, ſive majoris muneri ſoliditatem & firmitatem gratiæ, magis verò ætemæ vitæ ſignificat. In rebus enim ſolitis, quadra figura dicitur firmari ſolidius. Et quadrati ſunt lapides juſſu Salomonis, qui ponebantur in fundamento templi. Et operta ſunt omnia

in

in templo opere quadro. Et dimiſit eos, ſcilicet à ſe, ut liberi abirent, ne in via deficerent. Non enim auſert Chriſtus ex præceptis, aut ex ſacramentis, aut ex quibuscunque charismatibus hominibus libertatem, ſed ideo talia confert, ne deficiamus, ne impediamur à ſatana, ut liberi operemur pro ſuperna libertate captanda.

Cap. V.

De miraculo inventi ſtateris, ſecundùm Marcum tantum.

QUoniam (ſicut perſpicua fidelium ratio docet) non debeat dici miraculum, quod poſſet evenire naturæ tempore longo vel brevi, aut myſterio artis, etiamſi nunquam penitus proveniret, ſed illud duntaxat, ad quod vel artis non eſſet aut poſſet eſſe conatus, idcirco quodammodo hæſitaverim inventionem ſtateris in ore piſcis inter miracula computari, quoniam quodam artis myſterio id agi potuiſſet, adjecta ſententia Domini Salvatoris. Matth. 17. Nam ſtater caſu quodam potuiſſet eſſe projectus, quamvis non illo fine, ut ſic inveniretur & ſic etiam pro tributo terrenis Dominis ſolveretur, aut quodam alio fortuito caſu cecidiſſe, piſcemque perquirentem eſcas cum aliis vorandis voraciter aſſumpſiſſe, ſciviſsèque Dominum Salvatorem, qui eſt omnium rerum cognitor. Similiter & de ficulnea, quam ſubitò arefecit, quæ longo tractu temporis ex natura ſive oppoſita inciſione, aut quomodolibet aliter arefieri potuiſſet. Sed præ ſubita actione poſſunt inter Domini miracula computari: quamquam omnino in miraculis comunis ordo naturæ convenire non debeat, neque humana ſtudia caſualia vel proviſa poſſint præſtare juvamen, mora interpoſita, vel repente. Veruntamen, quia magno myſterio acta ſunt iſta, & mox, ut ab ore Domini proceſſit imperium, rei obedientia monſtravit effectum, decrevi omnino inter miracula pertractare. Cùm natura ſive ars potuiſſet diverſimode ſimilia facere, non tamen eo modo, quo facta ſunt, potuiſſet in æternum efficere. Unde quamvis fiat ex miraculo, quod habet natura, & quod facit mira potentia, poſſet tamen ex natura diutinè ſortiri effectum. Et quod fit repente, interdum fieri poſſet ex arte: veruntamen aliis inſtrumentis aliisque mediis, diverſis originalibus cauſis potentia qua miracula fiunt, quàm natura vel ars humana præcepit. Proinde illa inventio ſtateris in ore piſcis miraculum fuit. Decensque fuit, ut eſſet miraculum, quod ad tantum myſterium parabatur. Nam cùm determinaretur cum Petro liberos eſſe filios à ſolutione tributi: tamen ſcandalum devitavit, jubens Petrum ad mare accedere, & primum piſcem tollere aſcendentem, in cujus ore inventum ſtaterem regi terreno perſolveret, quod Petrus Domino jubente perfecit. Mare, mundus, piſcis, Chriſtus ex undis ejus uſquequaque concuſſus. Stater, pretium, quo humanum genus nullo urgente debito, ſed gratuitò ab hoſte redemit. Quis enim illum præparavit piſcem, ut ſic eum ſubita piſcatione inveniret Petrus, niſi qui præparaverat Jonæ alium, in quo reciperetur illæſus? Quis illum ſignatum ſtaterem fecit reperiri, niſi qui homines nolebat malè perire?

Cap. VI.

De miraculo ſubitæ arefactionis ficulneæ, ſecundùm Matthæum & Marcum.

SImiliter & illa ſubita ſiccatio ficulneæ, quæ in admirationem aſpicientes traxit, etiam inter miracula computetur. Nam ſcriptum eſt: *Mane autem revertens in civitatem, eſuriit.* Matth. 21. Marci 11. Chriſti eſuries erat ex voluntate non enim illum illa invitè premebat, nec præter voluntatem famis ſatigabat inedia. Sed per eſuriem corporis ab extra oſtenſam, intrinſecam eſuriem oſtendebat, ſcilicet ſynagogæ, quæ in ficulnea, juxta quam monſtravit eſuriem, ſignificabatur areſcenda ſubito: quia Chriſto vero cultori fructum virtutis ex lungo jam tempore ipſa non dederat: nec datura illis temporibus parabatur, quæ peccatis præteritis, præſentibus, atque futuris ſiccando illico malè dicebatur in ficu, quæ arut ſubitò à Domino maledicta, non appoſito igne, non ferro cædente, non evulſa vento, non defoſſa radicibus, non alio artis ingenio, ſed ſolo Verbo illam Dominus arefecit, ut ſic diſcipuli mirarentur, dicentes: *Quomodo continuo aruit?* Et ut miraculum crederetur, præter ſolitum naturæ curſum, ſimilia & majora poſſe fieri à fidem inhæſitantem habentibus, Salvator aſſeruit, dicens: *Amen dico* vobis

vobis, ſi habueritis fidem, & non hæſitaveritis. non ſolùm de ficulnea facietis, ſed ſi monti huic diceritis, jacta te in mare, fiet. Et quanquam hoc factum ſcriptura nulla comemoret, non tamen credendum hanc defuiſſe fidei poteſtatem. Sed neque Chriſtus, aut hi, qui ab ipſo poteſtatem faciendi miracula ſuſceperunt, aliquando experti ſunt, utrum poſſent montem in mare jactare, ut vocarent ad fidem incredulos, ut darent infidelibus ſigna, ut miraculis moveretur indocta gentilitas, quæ dæmonibus illudebatur, & confunderetur hominum ſapientia, quæ tantum innititur in natura. Nil per oſtentationem in miraculis apoſtoli effecerunt, ſed ad utilitatem videntium: quoniam hæc poteſtas, quæ à Spiritu Sancto conceditur, præterquàm ad utilitatem, nemini exhibetur. Ac per hoc, ſi non invenimus talia facta, invenimus fortè ſimilia. Et ſi nunquam, aut nusquam facta ſciuntur, tamen procul dubio fieri potuerunt, & ſi nunc non fiunt, fieri tamen poſſunt. Et ſi nunquam fierent, fieri protinus poſſent, quoniam ordo miraculorum ſicut exiſtit à divina potentia, ſic per divinam providentiam agitur: ut in illo, præterquam ad opportunitatem in agendo, declinet. Quamobrem, ſi nunc fieri miracula opportunitas flagitaret, habet in ſe virtus noſtræ fidei, unde poſſet efficere: quamvis multi cauſentur miracula tam magna, ſeu ita crebra non fieri, quod ſi fierent, ſequeretur hominum miranda & opportuna converſio. Quibus reſpondemus, quod melius novit divina ſapientia, quid quando opportunum ſit homini, quàm homo cognoſcat, quid ſit utile ſibi: quæ ſi cognoſceret inexhauſta & indefeſſa Dei bonitas, deficere utilitatibus hominum omnino neſciret. Alibi in hoc perſtrinximus, quare non fiunt crebra miracula.

Cap. VII.

De miraculis in Domini paſſione monſtratis, ſecundùm Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem.

Matth. 27. Marci 15. Lucæ 23.

ILla etiam meridiana ſolaris eclipſis, quæ in pleniſſimo & in medio hemiſphærio Chriſto morente huſmanos perſtrinxit oculos, ordinem miraculorum omnino non deſerit: ſed tanto magis auget miraculi dignitatem, quo per univerſum orbem illico, & in momento innotuit: ut ſicut lucerna accenſa in domo ſubitò per radios totam domum illuminat: eo verò celeritate, qua extinguitur, in omni parte domus tenebræ diffunduntur: ſic cùm lumen mundi viſibilis, ſcilicet radius ſolis ſubitò fuit extinctus, imò ipſe ſol in ſuo corpore obſcuratus, totus ſenſibilis mundus in omni ſua parte obtenebratus eſt: ut tunc mundi ſapientes, & ſtudentes in motibus ſyderum notarent eſſe miraculum, præter ſolitum naturæ curſum & conſuetum eclipſationis modum, quæ nunquam in ſole agitur. niſi cùm inter ſolem & terram in tota vel in parte luna interponitur, & tunc libarabatur in inferiori hemiſphærio ſub terra deorſum: ſol verò in ſuperiori hemiſphærio ſuper terram in altioribus ſuæ ſphæræ partibus ferebatur Diviſio veli templaris, à ſummo usque deorſum, ſciſſio ſaxorum, apertio monumentorum, aſtruunt omnino miraculum: quoniam opus naturæ non fuit, nec ars humana, ut hoc operaretur, acceſſit. Terræ motus verò qui nunc & in reſurrectione conterruit, etiam miraculum fuit: quoniam quamvis ex naturæ curſu interdum proveniat, etiam tam vehemens, ut ædificia ſæpè ſubvertat: non tamen illo in tempore opus naturæ fuit, ſed natura in ſuis à Domino requiſita morienti & reſurgenti Chriſto ſervivit. Exitus aquæ atque ſanguinis ex latere ad miraculum ſpectat, quoniam poſt mortem, infrigidatumque corpus jure naturæ nec ſanguinis aut aquæ poteſt eſſe decurſus. Hæc quoniam alibi aliter tractavimus, hic longè differere intermittimus: duntaxat ad miraculorum in rebus inſenſibilibus patratorum ordinem convertentes.

Cap. VIII.

De curatione hominis ſpiritum immundum habentis, ſecundùm Marcum & Lucam.

COngruum fuit, & irreprehenſibiliter divina formavit juſtitia, ut qui divinitatem ſibi concupivit adeſſe præter illum ordinem, quo benignitate ſua viſione diſpoſuerat beatificare mortales. quod dæmone repleretur, & fieret homo immundus per ſpiritum immundum, qui veram munditiam inobediendo reliquit. Veruntamen, quia divina bonitas miſereri non deſinit, nec continet in ira miſericordias ſuas, Filium ſuum miſit in terras, ut paſſiones humani generis in protoplaſto damnati, quas in ſingularibus patiebatur hominibus, quas neque natura vel ars poterant ſua virtute curare, divina & ſupernaturali atque ſuperartificiali virtute depelleret,

pelleret, ut oſtenderet, quid in animabus facturus erat, qui ſic corpora refovebat. Et primò cœpit à ſexu virili, qui primò creatus eſt, & ab expulſione dæmonis, qui primò hominem in Paradiſo decepit. *Unde cùm eſſet in ſynagoga Capharnaum civitatis Galilææ, etiam in illa erat homo in ſpiritu immundo, aut habens dæmonium immundum, & exclamavit voce magna, dicens: Sine, quid nobis & tibi Jeſu Nazarene? Veniſti ante tempus perdere nos. Scio te, quia ſis Sanctus Dei.* Marci 1. Lucæ 4. Quòd hæc infectio ad totam humanam naturam referatur, non eſt ambigendum. Attamen homo habens dæmonium immundum, eſt omnis, qui immundis cogitationibus delectatur. Eſt autem mentis immunditia, omnis delectatio præter Deum. Sed in dæmonio hæc immunditia poſſidetur, cùm ipſe illam ſuadeat, ad hocque conatur, ut animas à vera munditia, quæ Deus eſt, avertens ad turpia retrovertat. Perverſa immunditia idololatria fuit, ad quam induxit eos, qui Deum ignoraverunt, ut inclinarentur in cultum idolorum, creaturam pro creatore venerantes. Spurca eſt omnis anima divinis honorbus venerans creaturam. Et immunditia eſt incontinentia genitalium membrorum, ad quam ſpiritus immundus impellit, & ſuæ invidæ ſuaſioni præſtatus aſſenſus rebellionem in illis fecit adeſſe, ut de nuditate in natura laudabili erubeſcerent. Et immundus motus eſt generatns in carne, in oſtenſionem, quòd dæmon non natura, per averſionem, ab authore ſuo factus immundus, in hanc immunditiam genus humanum ſua deceptione perduxit. Quærit omnis dæmon à Domino tentare permiſſus, in illam immunditiam omnem, quem tentat, inducere, in quam ipſe deveniens à Deo reprobatus eſt Hic homo in ſynagoga erat. Siquidem meritò, quoniam illa repudiabat Chriſtum, ut etiam vellent per præcipitium morti tradere. Nam omnis congregatio dæmonium habet, quæ veritatis & juſtitiæ ſermonibus eſt adverſa: & quod in uno potiſſimè oſtenditur, ſignum erat etiam cæterorum. Veruntamen exclamavit voce magna dæmon in homine, quem invaſerat, non in ſe. Carebat enim ſua natura inſtrumentis, quibus poſſet in vocem formare. Dicebat audaciæ: Sine, quid nobis & tibi Jeſu Nazarene? Veniſti ante tempus torquere nos. Peſſimus dæmon ſuam immunditiam cupiens ubique regnare, quam primis parentibus perſuaſit, de Chriſto querimoniam facit, quem vellet ſinere atque permittere, quod incepit Unde aperto verbo exprimit, ut Chriſtus ab eorum vexatione quieſcat. Quid nobis, &c. Patet dæmones ad malum eſſe concordes, & qui in hoc nulla diſcordia dividuntur, cùm unus non pro ſe tantùm, ſed pro omnibus querulatur, & neceſſariò confiterur, quoniam Chriſti ad eos nulla ſit juſta conventio, hoc dontaxat excepto, quod Dominus eſt eorum, & quod ſuo imperio peraguntur. Notat iſte dæmon per vocem jam obſeſſi, quòd Jeſus ſit patria Nazarenus, & quem ſynagoga exhonoraverat, iſte tremendo veneratur, & confitetur eum eſſe magnæ potentiæ, ut eos poſſit torquere: quem peſſima ſynagoga præcipitio tradere prætentavit. Inſinuat ſpintus immundus veri mundatoris adventum, dicens: Veniſti ante tempus torquere nos. Jam dæmones torquebantur, & erant eorum ruina æternis ignibus mancipati: quid ergo eſt quod iſte conqueritur, quod ante tempus à Chriſto torqueantur? An fortè iſte dæmon erat de his, quibus iſte aër plenus eſt? Sed absque tortura etiam hi eſſe non poſſunt: quoniam eo ipſo, quo de cælo ceciderunt, torti ſunt. Ut autem hujus verbi vinculum abſolvamus, advertite. Velut inſatiabiles ad malum & ad pœnas hominibus inferendas torturam æſtimant, quia pelluntur à corporibus hominum: magis autem, quia Chriſto vocante homines expelluntur à ſedibus animarum. Et quòd eurum præda, quam tot millibus annis tenuerant, dinpienda in brevi erat: & claudendæ portæ inferi, ne amplius quis invitè factus, præda deſcenderet, hoc ſibi ad torturam immanens torquebat. Etiam in hominibus ſævis plerisque contingit, quòd in ſeipſis torquentur, ſi alios torquere non poſſunt. Hoc enim habet proprium obſtinata crudelitas, ut pœnam patiatur, ſi pœnam non inferat. Ante tempus hoc inferri eis deplorant, quia fortè adhuc Chriſtum venire non autumabant, aut quia non credebant Dei juſtitiam eſſe completam, ut miſereri jam humano generi voluiſſet exiſtimantes fortaſſe, quòd ſicut ipſorum, ita hominum puniro eſſet æterna. Dicebat etiam hic dæmon per os hominis, quem vexabat: Scio te, quia ſis Sanctus Dei. Sicebat dæmon, prout ſibi Chriſtus ſcire permiſerat, quòd ipſe Sanctus Dei eſſet. Dant dæmones teſtimonium veritati, & inimici Chriſti de ipſo teſtificantur, quòd ſit Sanctus Dei, ut homines increduli confundantur, Chriſto non credentes vera dicenti, & rara, & miraculis confirmanti ſuos ſermones. *Et increpavit illum Jeſus, & comminatus eſt ei, dicens: Obmutesce, & exi de homine* Increpavit audaciam dæmonis Chriſtus, etiam vera dicentis, ne ob hoc in venerationem hominum veniat, ne in mendaciis ſibi fides pro veris præſtaretur in poſterum, ne ipſe videatur laudibus dæmonum delectari. Etiam homines ſuo modo increpandi ſunt, cùm in facie laudare præſumpſennt. Spectat ad hominum bonitatem, cùm inferuntur, laudes publicas improbare: ſed Chriſtus increpat & comminatur & imponit ſi-

lentium, velut habens ſuper eos proprium dominatum: quo etiam ab homine juſſit egreſſum, tanquam ei, qui non proprium domicilium habitabat, tanquam ei, qui rem invaſerat alienam. Et obedientia creaturæ ſtatim perficit divinum imperium: quanquam depravata, ſed impotens reluctari. *Et diſcerpens eum ſpiritus immundus, illum hominem projecit in medium*, ſcilicet hominum in ſynagoga ſedentium. *Et exclamans voce magna, exivit ab illo, nihilque ei nocuit:* quoniam integra ſemper manet natura recedente malitia, quæ nec de bono ſecum poteſt quippiam ferre. *Et mirati ſunt omnes, ita ut conquirerent inter ſe, dicentes: Quidnam eſt hoc? Quæ doctrina hæc nova? Quia in poteſtate & virtute ſpiritibus immundis imperat, & obediunt ei.* Mirantur, quia non intelligunt divinam virtutem: quam ſi intelligerent, protinus non mirarentur, quoniam jure atque ſine exceptione Chriſto Jeſu ſubjicitur omnis creatura. Sed non ſolùm de patrato miraculo, verùm etiam de doctrina, quæ eis nova videbatur, tremendo admirantur. Sed nec mirum, quia protinus nova erat, excludens figuras, umbras & cæremonias Judaicæ vetuſtatis: ex qua mundus novis erat reparandus Sacramentis, novis moribus inſtruendus. Protinus novus homo novam afferebat mundo doctrinam: qua mundus contemneretur, qua præſtaretur indulgentia ferventi, qua ſuper conjugium virginitas ferebatur, qua dignitatem cœleſtem terrena vilitas mercaretur, qua per pœnas & opprobria homo poſſet in ſuperna conſcendere, quæ in ſimplicitate fidei magis, quàm in prudentia humana conſiſtit. Nova doctrina initians vitam novam ad mortem veteris hominis, & ad induendum novum hominem, qui ſecundùm Deum eſt, ſuos animans dociles auditores. Tam verò arduorum geſtorum Chriſti fama divulgabatur in circumjacentis regionis civitates.

Cap. IX.

De ſanatione ſocrus Petri febricitantis, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

FActa eſt mulier ex latere viri ſoporati, non vigilantis, ne Dei adjutor eſſe videretur, aut conſiliator ad ea, quæ creator agebat, & ut ſcientia magnificaretur amplius poſt factionem cognoſcens, quod ex corpore ſuo ſumpta erat. Ad præſagium etiam futurorum, quòd ex latere dormientis in cruce, per aquam & ſanguinem Chriſti orthodoxa eccleſia formaretur, quæ quamvis cum eo, de quo erat tradu&ta, in Paradiſi deliciis moràretur: primò tamen malæ ſuaſionis inſultum perpeſſa eſt: nihil verò niſi ſeipſam, non generis poſteritatem læſiſſet, prioris creati hominis aſſenſu non præſtito. Igitur Eva non poſteritati, ſed ſibi periculo fuit. Homo autem Adam ſibi & cunctæ propagationi ſequenti traducem maculam propinavit. Proinde Adam cunctorum hominum Patriarcha exiſtens, proditionis prima fuit occaſio. Quamobrem prius in viro, deinde in fœmina generis humani eſt caſatio celebrata: cùm poſt expulſionem immundi ſpiritus, à viro de ſynagoga conſurgens, pro ſanando acceſſit ad fœminam:

Matth. 8. *cùm ſurgens de ſynagoga introivit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur*
Marci 1. *magnis febribus.* Marcus verò ſic dicit:
Lucæ 4. *Et protinus egredientes de ſynagoga, venerunt in domum Simonis & Andreæ cum Jacobo & Joanne. Recumbebat autem ſocrus Simonis febricitans.* Sanato quippe primo creatus fuerat, ad ſanitatem proceditur, quæ primo ſeducta fuerat. Veruntamen hæc mulier hic tacetur ex nomine, ſolùm ex affinitatis neceſſitudine deſignatur, quia ſocrus erat Simonis. Tria officia ſunt, quorum duo ſpeciem maternitatis habent, ſed tertium veritatem, ſocrus, noverca, genetrix. Hæc mulier quæ patiebatur, ſocrus erat, quia per filiam cum ipſo ſocietatem quandam contraxerat, quæ patiebatur validas febres. Si ſignificata conſpicimus, natura eſt humana, Eſt etiam ſynagoga penitus Judæorum, qui ex febre patiebantur: ſed nec hoc differere libet. Si verò diſcutimus tropos, hæc mulier, fides eſt, quæ cum Simone ſocietatem per dilectionem fecit: etenim dilectio filia eſt fidei. Et fides illa ſalvat, quæ per dilectionem operatur. Eſt igitur fides ſocrus Simonis, ſed magnas habet febres, cùm ſemper impugnetur à dæmone. Quod proximus paſſioni Petro Salvator ait: Ecce Satan expetivit te à me, ut cribraret te ſicut Lucæ 22. triticum. Patiebatur febres, cùm ſi quis Chriſtum confiteretur, extra ſynagogam fieret. Paſſa eſt febres in omnibus Apoſtolis & diſcipulis, cùm eo relicto fugerunt, denegantes eum velut hominem purum, in territoriis tyrannorum & principum mundi patiebatur magnis febribus cum vexatione, cùm omnes Chriſtum confitentes, traderentur exitio, & exilia horribilia paterentur. cùm cogerentur cultum divinum idolis exhibere: non facientes, illico exponebantur ad omnia genera tormentorum, & tandem ſuper eos mortis ſententia dictabatur. Erat tunc etiam fides vexata febribus, cùm tot perſecutionibus agebantur omnino fideles. Sæpè quippe febricitavit in animo, ſi pro non viſis erant tot ferenda tormenta. Febricitavit fides in falſis aſſertionibus hæreticorum, ſed per Dei gratiam, unique ſanata eſt. Sed adhuc in moribus

ribus hominum febres quotidianas patitur, quoniam mores hominum fidei Simonis non conveniunt : potius autem improbiſſimè adverſantur, ut plerunque inſpecta vita regentium, ſubditorum fides ferè defi-cit. Et cùm in conſiderationem veniunt ſapientium & docentium mores, imperito-rum fides à magnis febribus & dubiis agita-tur. Febricitan fidem facit in ſubditis, cùm in præſidentibus vita regimini non concor-dat : & validè concutitit animum audito-rum, ſi cum doctrina non convenit vita doctorum. Socrus Simonis ipſa Chriſtia-norum generalis eſt virtus, quæ ſe homini-bus ſociat, cùm ejus dilectio ſive cognitio in ſpirituali matrimonio copulatur, quæ fre-quenter magnis febribus angitur, cùm in-diſcretè tenetur, cùm prætermittitur impro-viſè, cùm creditur atque cognoſcitur : ope-ribus verò perverſis contunditur, cum mundi delectationes, atque peccata ex omni parte adverſùs illam inſurgunt, ut decumbens lecto à febribus hujuſcemodi agitata ſurgere non poſſit, neque mini-ſtrare Chriſto ſuoque collegio, niſi per Chri-ſtum expulſis febribus, ipſa ſanetur. Sed venit Chriſtus in domum Simonis & An dreæ quæ obedientia eſt. Eccleſia eſt, ubi Chriſto Apoſtolorum precibus ſupplicatur, ut ei ſanitatem reſtituat. Valent preces fi-delium ad remiſſionem peccatorum, ut fa-cilius & ocyus recedatur à vitiis : non ta-men valent ad cumulum præmiorum. Va-lent ad Dei gratiam promerendam, non ta-men ad gloriam plus augendam. Impe-traverunt ſæpe Dei miſericordiam aliorum preces, ſed beatitudinis, niſi per merita pro-pria, nunquam fuit auxeſis. *Et rogaverunt illum pro ea. Stans ſuper illam elevavit eam apprehenſa manu, & imperavit febri, & con-tinuò dimiſit eam febris. Et illa continuò ſur-gens miniſtrabat illis.* Neceſſariæ ſunt pre-ces verorum fidelium adhuc exiſtentium in hac vita mortali : ut quod non poteſt unius indigentis facultas, interceſſione plurium largiatur : & quòd minus acceptus impe-trare non poſſet, potior in fide ac amore conjunctus obtineat. Ecce Salvator volun-tarius & rogatus acceſſit. Unde exaudibili-ter rogatus, quia voluntarius : ideo volun-tarius, quia rogatus. Fruſtra enim rogare-tur, niſi de quo rogatur, vellet efficere : ſed vult omnes homines ſalvos fieri, vult omnes ſanare, vult omnibus meliora, quam petant conferre. Accedit, & ſtat. Accedit corpore, Deitate ſtat. Accedit voluntate, ſtat, ut quod rogatus erat, efficiat. Stat ſuper illam infirmam intuens, & ut eam ele-vet, ſtareque faciat, quæ jacebat. Unde *apprehenſa manu elevavit eam.* Magna be-nignitas Salvatoris, quòd manum porrigit, manumque febricitantis apprehendit. Con-

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

ſeruntur manus Dei & hominis Salvatoris & ſalvandi. Redemptoris & redempti, juſti Dei, & hominis peccatoris. Manus po-tentiam in pleriſque ſcripturæ ſententiis ſi-gnant : juxta quod David ſpiritu prophetico poſtulabat : Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. Ecce manus Dei expetitur contra hominum manum, ſcilicet, ut Dei potentia, de potentia iniquo-rum eripiat. Per manus etiam opera per-aguntur : juxta quòd de Dei manibus dici-tur : Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt. Et in libro Sapientiæ legitur : Non enim impoſſibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia inviſa. Sic & de manu hominum legitur : Quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare. Et Jeremias, cùm de retributione malorum loqueretur, juxta opera manuum fieri precabatur, aut ſic nunciabat futurum : Reddes eis vicem Domine juxta opera manuum ſuarum. Necnon & largitatem beneficiorum in ſcri-pturis manus ſæpè ſignant, ſicut in Prover-biis Salomonis dicitur : Extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Ac ſi Deus conquerens hominibus loqueretur, quòd multa contulerit, nec fuerit, qui gra-tanter acciperet atque rependeret. Similiter in hanc ſignificationem manus hominis ve-nit, quod Eccleſiaſticus apertè diſſeruit : Non ſit velox manus tua ad accipi-endum prorrecta, & ad dandum collecta. Ecce potentia Dei ſemper valida, potentia hominis ſemper infirma, niſi una in alte-ram pro relevatione conferatur. Ex quo præfulget ſententia Salvatoris : Sine me nihil poteſtis facere. Opus Dei ſemper in-tegrum, opus verò noſtrum ex omni parte corruptum, niſi per conſertionem divini operis perficiatur. Et beneficium Dei, ſi cum eo, quod homo poteſt efficere, jun-gitur : nniſtrum utique revaleſcit. Et ap-prehenſa manu infirma quodam ſublevata de lecto, in quo febricitans inquieta jace-bat, febri mandavit abſceſſum. Quamquam enim homo relevetur à delectatione rerum temporalium, in quibus velut corpus in lecto agitatus undique perturbatè cubabat, quamvis reſpirare videatur, quamvis in ſu-perna ſuſpiret, non tamen contractum vi-tium, non Satan infeſtans, niſi per divinum imperium à jam in vitiis immerſo recedit. Nam ſi omnis fuent ſublata occaſio peccan-di in quocunque genere deliquendi, niſi Dominus jubeat, vitium non abſcedit. Actus & occaſio vitiorum plerunque aguntur ex-terius. Vitium autem cùm admiſſum fue-rit, animam habet in ſedem, à qua duntaxat per Dominum Chriſtum poteſt expelli. Proinde ipſe imperat febri, ut dimittat illam,

Psal. 143.

Psal. 118.

Sapient. 11.

Eccles. 9. Threno. 3

Proverb. 1.

Eccl. 4.

Actor. 3.

quam pœnaliter moleſtabat : ipſe imperat vitio, ut recedat, non bonæ naturæ, ut expellat : quia nec datum eſt alicui naturæ bonæ, ut poteſtativè vitium, cui ſe voluntariè tradidit, poſſit expellere, quamvis ſit ei permiſſum, ut poſſit admittere. Ad cujus imperium continuò hoſtilis febris febricitantem dimiſit. Et reſpondens Chriſti ſubitæ actioni continuò ſurgens miniſtrabat illis, Chriſto ſcilicet ſanatori ejus, & ſanctis Apoſtolis interceſſoribus ejus. Non iſta beneficium otiosè ſuſcepit, nam recepta illico ſanitate, contulit ſe ad agenda : conſpiciens ſore necetſitatem & decentiam Chriſto pauperi, & ejus collegio miniſtrare. Non expectavit de miniſtratione præceptum, quanquam non ſine præcepto importuna febris abiſſet. Videbat enim Chriſtum ſtipe humana egentem, & pauperem, ſuper quem intendere beatitudo erat : Videbat eum carere famulis, pediſſequos & pediſſequas non habere : hoſpitia ſibi non erant in mundo, ſtabulum non conduxerat, videbat generum ſuum omnia dimiſiſſe, omnesque Apoſtolos contempſiſſe terrena, & contendentes occupare cœleſtia : ſurgens miniſtrabat illis de facultatibus, & corpore circa obſequia ſe præſtabat. Optimum in moribus eſt acceptæ gratiæ cooperari, & omne, quod à Deo accepimus, in dedicationem convertere creatori : ſicut iſta ſanitatem receptam in obſequium illico ſtatuit largitoris. Nihil erat iſta mulier ad ſeipſam, velut aliorum intenta compediis, & præter ſolitum ſœminarum morem, quæ cùm ab infirmitatibus convaleſcunt, ſibi de quieta manſione corporis blandiuntur. Sed nec iſta in aliquo ſibi de quiete blandiebatur, velut infirmitatis oblita : magis autem credendum, quòd Chriſtus ſibi ampliorem valetudinem mox, & miraculosè ſanando dederit, quàm tractu temporis opera medicinæ potuiſſet accipere, aut habebat, priusquam infirmata fuiſſet. Et in hoc quædam miraculorum eſt claritas, quòd melius quàm habuerat natura, tribuitur. Potior eſt in omnibus Spiritus Sancti potentia, quàm natura. Benè igitur miniſtravit, quia beneficium ſuſceptum retorſit in largitorem. Sic igitur ſurgendum à lecto, in quo malè delectati jacuimus, ne torpeamus ſuſcepta virtute, ne mareſcat negligentia virtus, ne tempus otio pereat : ſic miniſtrandum Chriſto, ſic ſancto collegio aſſiſtendum, ut ea, quæ placita novimus, faciamus. Sed ad excuſabilem intelligentiam miniſterii exhibendi generum hujus ſanatæ ſocrus perpenſius audiamus. Vos autem omnem curam ſubinferentes, miniſtrate in fide virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem, Hæc enim ſi nobiſcum adſunt & ſuperent, non vacuos nec ſine fructu nos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione. Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum. Ecce miniſterium gratum eſt necetſitas miniſtrandi : hæc ſunt in quibus miniſtrandum eſt bonorum omnium largitori. 2. Petri 2.

Cap. X.

De ſanatione infirmorum, languidorum, energumenorum : ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

Marci 1. Lucæ 4. *Veſpere autem facto cùm ſol occidiſſet, omnes, qui habebant infirmos, & multos dæmonia habentes, & variis languoribus ducebant illos ad eum. Et erat omnis civitas congregata ad januam.* At ille, ſingulis manus imponens, curavit eos, ut ad impleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem : Ipſe Iſaiæ 53. infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portavit. Curationem infirmorum, & variè languentium, & energumenorum, per tempus & locum & modum evangeliſtæ deſcribunt. Veſpere facto, ſole habente jam occaſum, omnes malè habentes ad Dominum deferuntur, ut ex hoc agnoſcamus poſt mortem, imo per ipſam Chriſti mortem, mundo fuiſſe redditam ſanitatem. Necnon cùm adveſperaſcit terrenna proſperitas, aut cum humana claritas obſcuratur in nobis, tunc eſt tempus percipiendæ ſalutis. His ſplendentibus deſuper malè ſe habentes ad Chriſtum non veniunt. Quouſque humana claritas terrennos homines, circumfulget, quouſque terrena proſperitas hominibus placet, ad clarum illum utique non venitur, qui cœleſtem claritatem hominibus repromiſit : nec divina quærunt humanis illecti, ſed cùm ignominia facies hominum implet, tunc quærunt nomen ejus. Tunc enim ignominia facies hominum perfunditur, cùm urget in occaſum terrena felicitas. Tunc ſiquidem

dem ad eum ducuntur infirmi, ſcilicet qui proni ſunt ad cadendum, fragiles ad reſurgendum. Infirmi ſunt, à quibus vitiorum ingreſſu omnis virtus abſceſſit. Tenentur variis languoribus, qui multiplicibus amoribus languent. Nihil adeo animas hominum languidas facit ſicut multiplicium rerum multiplicata dilectio. Dæmonia protinus habent, quorum eſt deſperata correctio, qui ſemper ſuperbiunt, qui dæmonia per contumacem inobedientiam imitantur. *Et omnis civitas congregata eſt ad januam.* In domo Simonis adhuc erat Jeſus, nec ſanata ſocru ſtatim diſceſſit, expectabat enim alios infirmos, quibus conferre volebat remedia ſanitatis. Et bene in domo Simonis erat, ſcilicet in domo obedientiæ, in qua ſanatur malè febricitans, ante hujus januam multitudo civitatis expectat, ut ſanet infirmos & energuminos liberet, ut videat illa ſigna, quæ ante nemo hominum fecerat, Beati, qui ante domum obedientiæ congregantur. In obedientia Chriſtus erat uſque ad mortem crucis. In obedientia Chriſti protoplaſti inobedientia compenſatur. Ad obedientiam Chriſti, & eccleſiæ oportet accedere, ſi qui volunt conſequi de inviſibilibus vulneribus ſanitatem, *At ille ſingulis manus imponens, curabat omnes.* Magnum ſecretum offertur, quòd Chriſtus poſſet omnes ſolo Verbo aut voluntate curare, qui ſingulis manus imponebat. Una eſt Dei potentia, Dei virtus, Dei gratia, quæ omnes ſanat: ſed ſingulariter & ſingulatim imponitur ſingulis, quia propriis & ſingularibus infirmatur quiſquis peccatis, nec omnes uno vitio languent, aut una infirmitate peccatorum laborant. Expedit ut ſingulis adhibeat medicamenta peccatis, protinus cùm ſicut infirmitatum corporalium, ſic & ſpiritualium cura ſit à contrariis. Nam aliter timor mentis ex genere, aliter ex ære, aliter concupiſcentia dominandi, aliter elatio Spiritus, aliter propria reputatio, aliter præſumptio, aliter auri fames, aliter invidia, aliter indignatio, aliter dedignatio, aliter furor, aliter negligentia, aliter incompaſſio, aliter æmulatio, aliter gula, aliter immunditia mentis, aliter cùm ex ipſa lapſus eſt corporis, aliter appetitus, aliter appetitus mali alterius, aliter malæ cogitationes, aliter mala Verba, aliter mala opera, Omnia iſta & his ſimilia, curationem diverſimodè ſuſcipiunt, cùm ſanantur. Nec omnium eſt una malorum affectio, & ſi plurium hominum eſſet, non tamen omnium æquè intenditur. Sed ille, quem latere nihil poteſt, qui omnia deſuper ſpectat, qui librat hominum voluntates, qui novit figmentum noſtrum, qui omnia mala trutinat in ſtatera juſtitiæ, qui non fallitur in ponderibus ſingulorum, qui peccata vider, quomodo inhæreant, qua cauſa inhæreant, quàm tenaciter inhereant, quàm longa ſeu recenti conſuetudine inhæreant: qui habet omnium medicaminum apothecam, ſingulis manus imponit, omnibus non unam, ſed illam adhibens medicinam quam expedire conſpexerit: idcirco ſanaturus infirmos ſingulis manus imponit. Ubi etiam attenditur maxima dignatio Salvatoris: qui non dedignatur tangere creaturam, propter admiſſam malitiam. Et tangendo refovet bonam naturam, cùm expulit, quod illam infecerat: ut adimpleretur, quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem: *Ipſe infirmitates noſtras portavit.* Iſaiæ 53. Longè ante prophetaverat Iſaias, quod nunc Matthæus aſſumit in teſtimonium ſcilicet quòd Jeſus hominum infirmitates accipit in notitiam, ut argumento medicinæ propellat, & ægrotationes hominum purgaturus, velut qui freneticum ſuſtinet, & quemlibet infirmum, volens adhibere ſalutem. Portat Chriſtus ægrotationes, cùm tolerat ſæpe cadentes, cùm exſpectat, ut reſipiſcat, cùm illico nunpunit, prout iniquitas exigit. *Exibant autem dæmonia per impoſitionem manus Chriſti à multis, clamantia & dicentia: quia tu es Filius Dei. Et increpans, non ſinebat ea loqui, quia ſciebant ipſum eſſe Chriſtum.* Quia expellebantur, exibant, non voluntarius eorum erat egreſſus. Inſatiabiles ſunt in malo. Stetiſſe protinus voluiſſent, quouſque animas detraxiſſent ad luca tartarea. Et clamabant non per proprias voces (carent etiam inſtrumentis, quibus vox diſerta formatur) ſed per voces illorum à quibus egrediebantur, quos invitè dimittebant. Et dicebant, quòd erat, qui ea expellebat, Filius Dei. Hoc enim ideo conclamabant mirabilem potentiam & inevitabilem ſupra ſe ſentientes, cui reſiſtere nequibant. Et quoniam ſciebant, quis eſſet Chriſtus, ſcilicet Dei Filius, ut tacerent, Dominus increpabat velut eorum Dominus, velut devitans humanam jactantiam: quanquam nullum vitium Chriſtum potuiſſet contingere. Et ne in poſterum deciperent mendaciis, cùm aſſoliti fuerint connectere falſa veris, conſimiliter vera falſis. Maximè coram turbis & indoctis dæmones arguit, ne crederent inter confeſſionem deitatis, pietatis in eis aliquid remanſiſſe. Etiam nolebat innoteſcere mundo prædicationem dæmonum, quibus apparebat vita, doctrina & operatione miraculorum. Ma-

ximè verò nobis ſalutare dogma datur, ne ſuperborum & reproborum hominum aliqua bona modica, cùm egerint, acceptemus : ne videamus ſimul & mala horrida eorum accepiſſe dignanter. Poſtremo, ne quempiam approbemus prupter veram doctrinam, ſi vita nequam extiterit. Etenim dæmonia vera dicebant, ſed in omnibus reprobi erant. Heu multorum Chriſtianorum miſeranda conditio, qui ſimiles dæmoniis facti ſunt, Chriſtum confitentes, & vitam odientes, ſed unnam non pejores. Nam dæmones credunt, & contremiſcunt : perverſi verò ſæpe credunt, & non verentur.

Cap. XI.

De leproſo, quem curavit Jeſus in deſcenſu montis, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

SUmma munditia creaturam rationabilem immundam eſſe non patitur, & in utraque ſubſtantia ipſam mundaturus advenit, ſi ab originali, & ab his contagiis, quæ voluntate contraxit, velit ipſa mundari : quanquam hic omnes corporum maculas non abſtergat, relinquens in electis ſuis in reſurrectione generali penitus abſtergendas, & ſe dedit infirmis obvium, ut inveniri poſſit ab eis ad ipſorum curationem, à quacunque infirmitate tenerentur. Unde

Matth. 8. Marci 1. Lucæ 4.

cùm decendiſſet Jeſus de monte, & turbæ eum ſequerentur : ecce leproſus veniens adorabat eum, dicens : Domine, ſi vis, potes me mundare. Ecce occurrit homo Jeſu ad noſtra humilia deſcendenti : non à nomine, ſed ab infirmitate notus, quia leproſus erat. Illo morbo laborans, qui erat in populo anathema, cui niſi pro ſtipe vivendi licitum in civitatem intrare non erat. Quem Lucas in una civitate ſcribit ad Dominum acceſſiſſe, non tamen adverſatur Matthæo, quòd ponit in montis deſcenſu, quia poſt illum deſcenſum hoc factum Evangelica ſcriptura commemorat. Et adorabat eum, per quem credidit conſequi poſſe ſalutem, Cultu latriæ adorabat, in quo ſe purum hominem, Chriſtum verò Deum & hominem fatebatur. Et ore profitetur, quòd Chriſti eſt potenter effectiva voluntas, ut omnia quæ velit, poſſit efficere, cùm dicit : Domine, ſi vis, potes mundare. Tamen velut dubius, utrum velit, ſupponit conditionem: quam protinus non præmiſiſſet, ſi ſciviſſet quanto amore ſuper homines ferebatur, & ſi ſui cauſam cognoviſſet adventus : quoniam nihil aliud, quàm amor ad terram eum de cœlis eduxerat, nec ob aliud venerat, quàm mundare infectos, ut omni contaminatione deterſa, in ſuperna poſſit inferre mundatos, quod etiam non ſolùm ſubiſſet. Sed ignarus hic leproſus erat, an eum Dominus mundare dignaretur, cùm ipſe ſe ſentiret indignum, ita Verba ſuæ petitionis & affectionis ſubmiſſè promebat, dicens : Domine, ſi vis, poteſt me mundare, Si vult, poteſt: ſi poteſt, vult : ſua voluntas, ſua potentia eſt: nihil enim vult, quod non poſſit, & nihil facit invitus, & ordinatiſſima eſt oratio, nec habet quin tranſcat oppoſitam nubem, ſi tamen quod Dominus velit concedere, petitur : ut nec alia importunitate fatagat inflectere, concedere poſtulata vadentem, quam ad ſuam voluntatem referre, quod petitur. Petitio relata in voluntate rogati nullas calumnias patitur, reprehenſione caret, omnibus licita eſt, ſi non admittitur, juſtè tamen porrigitur. Sic petere omnibus conceſſum eſt : Domine, ſi vis, potes mihi quod quæro conferre. Nec non & in ore jure damnandorum congruè Verbum ſonat : Si vis, potes me liberare : quoniam ſi Deus decrevit, quòd quæritur fiet : ſin autem, poſtulatio tendit in vanum. Hoc Eſther. 13, enim modo Mardochæus pro populo ſuo liberando ante Dominum preces fundebat, dicens : Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit reſiſtere tuæ voluntati : ſi decreveris ſalvare Iſrael, continuò liberabimur. Jeſus autem videns, quod in voluntatem ejus referebatur petitio, annuit ſic humiliter deprecanti. *Et extendens manum Jeſus, tetigit eum, dicens : Volo, mundare.* Tetigit eum, qui prohibebatur à lege : quoniam ipſe Dominus legis erat, nec ſub lege Moſaica tenebatur. Et propter lepram non abhorrebat ut homo, quam ut Deus creaverat ipſe naturam. Extenſio manus ejus, largitatem beneficiorum juſtè petentibus monſtrat. Tactus verò, ad meliora eſt excitario. Vult & illico efficit, cùm dicit : Mundare. Imperativum eſt Verbum, Parent omnia imperio ejus. *Et confeſtim mundata eſt lepra ejus.* Reconverſa locutio non ex veritate rei, ſed ex uſu loquendi, quoniam nullum malum purgationem ſuſcipit : caret ſubſtantiva poſitione, ſed natura buna purgatur à malo.

Non

Non enim illuminantur tenebræ, sed fugantur à luce. Non mundatur lepra. Nihil supra seipsam alterius mali habebat, à quo mundaretur : neque malum alterius est substrata substantia. Solùm quod bonum est, malo subjicitur : quod bonum natura est, sine malo esse posset : malum verò, præterquam in bono, existere non habet. Quid ergo? mundatur à lepra, quæ ipsum invaserat, aut ad totam pernitiem, aut ad diminutionem ejus quod bonum erat, quæ non à potestate naturæ potuit ejici. Etenim in primordio, si potuisset resistere, non concessisset ingressum : nec ab alia peritia procul pulsa est sed à conditione naturæ degente in carne jussa fecit abscessum *Et ait illi Jesus : Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moyses in testimonium illis.* Pruhibitio de non publicando miraculum, quamvis videatur in devitationem vanæ gloriæ tendere, nihilominus tamen, ne insipientibus divulgatio divinorum per neophytos, aut quoquo modo in virtute novitios fiat, prohibetur. Sed istum duntaxat prius voluit ostendi sacerdoribus, quàm prædicationis officium assumpsisset. In quo forma datur, ne quis propter singularem gratiam atque privatam prædicare præsumat, nisi quod ecclesia noverit commune. Protinus nulla privata gratia universali ecclesiæ præjudicium, sed ei debet esse conformis. Et zelo magno Christus zelatur ecclesiam & sacerdotium constitutum, vult cum eis sua privata beneficia convenire, atque suo testimonio approbari : ne ante fiat prædicario privatorum, quàm offensio sacerdoti. Et vult munus offerri in testimonium, quod Moyses ante mandaverat. Sacerdotale munus in lege figura erat muneris gratiæ, sed, quod legis est, auffertur, quod verò gratiæ offertur. Etiam in hoc Salvator legis Mosaicæ reverentiam servabat, ne in omnibus solvendo non legem, sed ceremonias legis ab ejus injuria incœpisse videretur.

Cap. XII.

De curatione pueri Centurionis : secundùm Matthæum, Lucam & Joannem.

QUàmvis in curatione hujus pueri, pro Centurionis accessu, aliter Matthæus, aliter Lucas, quod unus per seipsum, alter per nuntios eum accessisse describat : curatio tamen, ad quam Evangelica versatur intentio, una esse monstratur, ante quam fidem Centurionis expedit intueri. *Cùm intrasset Jesus Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dixit : Puer meus jacet paraclyticus in domo, & malè torquetur :* Lucas verò dicit : *Centurionis cujusdam servus malè habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Et cum audisset de Jesu, misit ad eum seniores Judeorum, rogans ut veniret, & sanaret servum ejus. At illi cùm venissent ad Jesum, rogabant eum sollicitè, dicentes ei : quia dignus est, ut hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse ædificavit nobis.* Variis & typicis sensibus ista florescunt sed morum fructus magis carpere libet. Centurio à præeminentia centum militum dicebatur, sicut statutum erat à Cæsare Augusto, ut universus orbis servaretur in pace, quòd essent legiones, cohortes & centuriæ distributæ. Nomen officii hoc est, non particularis hominis. Et præsagium, quòd misit, aut venit ad Christum : quia jam gentilis populus erat venturus ad illum, velut centenarius numerus à leva transit in dexteram. Cui erat puer non ætate, sed à servitute, ut alter evangelista expressit. Et hic erat malè habens, quoniam paralyticus, & torquebatur, & quasi moriturus erat. Et pretiosus erat ei scilicet gratioſè serviens, & fortè intellectu vigebat non parvo : quoniam acceptus est Domino minister intelligens. Servus Centurionis, activa est vita, quæ per se supernæ vitæ dextralibus servire deberet, sed malè se habet, cùm paralysim patitur, quæ dissolutio est membrorum. Porro mores hominum vagantur incerti, cùm compage virtutum in omnibus dissoluti, cùm unusquisque in agenda fertur non mandato justissimæ legis, sed placito pessimæ voluntatis. Et nulla morum major dissolutio, quàm non quod decet, sed quod libet velle perficere. Torquebatur hominum vita, cùm infirma jacebat in lecto quietis humanæ, quæ quamvis quies esse videatur, anxius labor est, & ex omni parte calamitatibus plena, quæ in omnibus frustrata, tabescit, nisi verè pro cœlestibus serviat. Afflictio spiritus in omnibus est, & tortura mentis & corporis omnibus dominatur. Et moriturus erat, quoniam ex toto cuncta hominum actio tendisset in mortem, nisi Christus sua potenti misericordia liberasset. Pretiosus est interdum servus Domino suo,

Matth. 8.

Lucæ 7.

Joann. 4.

Prover. 14.

sic

ſic & actio, quæ adfuit de placito voluntatis. Nihil tam in hac vita hominibus gratioſum, quàm habere in placitis facilem actionem. Etiam ſervus paralyticus jacens, eſt communis hominis timor. Semper enim timor ſervitutem habet. Servitus quoque timoris calcaribus angitur, niſi ubi libera charitas ſeruit, ſed paralyſim patitur, cùm diſſolvitur.

Eccl. 8. Et æternum væ ſcriptura comminatur, qui in anima diſſolvuntur. Inquit enim: Væ! diſſolutis corde, Corde porro diſſulvitur, qui timens perdere quod delectat, committit, quod vitiat, timensque pœnam corporis Dominis ſervit iniquis Corpus hominum protinus animal ſervile eſt, ſed paralyſim ſuſtinet, cùm vitiis omnibus diſolutum in peccatorum fœcibus jacet. Sed Centurio qui talem poſſidet ſervum, cernensque infirmum, de alieno defixus auxilio, primo mittit ad Chriſtum, non facto ſuperbiæ ad ipſum venire dedignans, cùm in eadem civitate tunc eſſet, ſed quoniam cultor idolorum erat, Chriſti eſt veritus præſentiam, melius ratus ad eum Judæorum (de quorum populo Chriſtus erat) mittere ſeniores rogaturos eum, ut ſervum ejus liberare dignaretur. Qui venientes preces poſuerunt, ſubmittentes cauſam, qua dicebant eum meritò exaudiendum, quia diligebat gentem populi Judæorum, ac etiam ædificaverat ſynagogam, Jam conjungi cœperat gentilitas cum populo Judæorum, jam incipiebat grata ſocietas, jam lex Moſaica derivabatur ad gentes, jam tempus erat, ut paganitas idololatra unum Deum crederet, & ejus filium incarnatum per oracula prophetarum. Quid enim eſt gentem Judæorum diligere, ſynagogam ædificare, niſi id velle diligere, quod veri Hebræi dilexerunt, quod lex per Moyſen data decernit, quod continet Decalogus quæ prophetæ de Chriſto venturo veriſſima prædixerunt. Hoc eſt gentem diligere Judæorum, hoc eſt enim conſtituere ſynagogam. Non illam ſævam, quæ ſæviter Chriſtum mortis proſcriptione damnavit. Nihil enim diligitur, niſi ſub ratione boni, quanquàm ſæpe in dilectione homines fallantur. Pars eſt prudentiæ, ſe non exhibere coram eo, apud quem credit acceptum non fieri: pluris enim eſt eos præmittere, quos noverat eſſe acceptos, & per quos conſequi gratiam ocyus ſperat. In hoc enim ſic docemur agere coram Deo, ut noſtram indignitatem firmiter agnoſcentes, ad intercedendum ſanctos patriæ, ſimilirer & quos in via bonos credimus præmittamus. Juvat incunctanter bonorum oratio præmiſſorum, ſeu oratio præmiſſa bonorum: maximè, ſi in quo interceditur, invenitur aliqua juſtitia, quæ ſubmittatur in cauſa. Sed interceſſoribus Centurionis Salvator reſpondit: *Ego veniam & curabo eum. Et ibat cum illis.* Quia ſemper Chriſtus juſtis interceſſoribus adeſt, & ſequitur, ut juſta vota perficiat. *Et cùm jam non longè eſſet à domo, miſit ad eum Centurio amicos ſuos, dicens: Domine noli vexari. Non enim dignus ſum, ut intres ſub tectum meum. Propter quod & ego meipſum non ſum dignum arbitratus, ut venirem ad te. Sed tantùm dic Verbum, & ſanabitur puer meus.* Patet, quòd Centurio non impoſuerat ſenioribus Judæorum rogare dominum de adventu, ſed illa plus petiverunt, quàm illi condixerit. Poſtquam enim fidem Centurio de Salvatore concepit, ſemper eodem modo ipſe retinuit, quod poſſet Salvator ſervum ſuum etiam in abſentia liberare. Nam prænoſcens ipſum ſua benignitate venturum præmittit amicos, ne Dominus veniendo vexetur, per eos confeſſus ſuam indignitatem & fidem, quam de ipſo conceperat. Inquiunt enim nuncii, aſi perſonaliter Centurio acceſſiſſet, & ore propno loqueretur: Domine noli vexari, non enim dignus ſum, ut intres ſub tectum meum: nam & ſic Matthæus videtur innuere. Acceſſit ad eum Centurio, rogans eum. Sed quod per nuncios factum eſt, per eum factum meritò dicitur. Senſum rei geſtæ, non rem geſtam Matthæus accepit, cùm major fidei quàm corporis ſit acceſſus. Fide protinus prior acceſſit, qui ſeniores perſonaliter miſit, ſimiliter & amicos: non enim illos miſiſſet, niſi ante per fidem ad Chriſtum habuiſſet acceſſum. Profitetur Centurio ſuam indignitatem, quia gentilis erat idolorumque cultor: & nulla indignitas pejor, quàm gentiliter vivere ſicut genitus eſt, quàm divinis legibus non eruditi, quàm unius Dei creatoris non habere notitiam: & in hanc miſeriam prolabi, & ſimulachris adorando proſterni. Sed nec iſte Centurio ſuæ vilitatis cognitor extitiſſet, niſi aſpexiſſet in veritatem, cujus lumen oſtendit hominibus, quid ſint natura, quid moribus, quid affectibus, quove vigeant intellectu, quid boni aut mali fecerint, quid verò in poſterum ſit agendum. Porrò nemo gradum, in quo eſt, cognoſcit, niſi ubi non eſt, æquè cognoſcat. Nemo ſe cognoſceret in imo manere, niſi ſummum ante vidiſſet, neque in tenebris habitare, niſi cognita luce. Omnia ſeu per comparationem aut per oppoſitum in notitiam veniunt: nam bona per meliora, & per hæc optima; mala per pejora,

&

& hæc per peſſima : malum per bonum, nox per diem, tenebræ per lucem, infirmitas per ſanitatem, mendacium per veritatem, vitium per virtutem, turpitudo per honeſtatem, & ſi qua ſimilia hujusmodi agnoſcuntur. Dignitatem Chriſti Centurio noverat, unde ſe Chriſto & ſua præſentia judicabat indignum. Dignus Centurionis ſermo : quem eccleſia, cùm corpus Chriſti recipit, ante præmittit, in quo noſtri vilitas & Chriſti dignitas nuntiatur. Et per quandam compoſitionem ſui ad Chriſtum ejus dignitatem differuit dicens : *Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites. Et dico huic vade, & vadit : & alio veni, & venit : & ſervo meo fac hoc, & facit.* Attendamus hujuſ humilis comparationis proceſſum. Homo ſum, & tu Deus, & homo es. Sub poteſtate Cæſaris ſum, tu ſub nullius rediges poteſtate, tu omnibus dominaris, tibi omnis creatura ſubjicitur. Habeo ſub me milites, tu ſupernas virtutes hominesque terreſtres. Mihi ſunt ab Imperatore ſubmiſſi, tibi omnia naturali dominatu ſubduntur. Obediunt mihi, quia volunt, tibi verò nihil repugnare valet. Dico huic vade, & vadit, & alio, veni, & venit. Tibi omnia pro tua voluntate obediunt, ut nec expediat Verba formare, nec inſtrumenta commovere. Prompiè obediunt mihi, quia ſic decrevit imperatoris authoritas, qua non decernente, non Centurio, ſed unus de commilitonibus eſſem : tibi verò à te ipſo, quia Deus es omnium, eſt una inſeparabilisque poteſtas. Et ſervo meo fac hoc, & facit : & tibi omnis creatura ſciens & neſciens ſubjecta deſervit. Sed quid ſit inferendum ex his Verbis, evangeliſtæ tanquam planum habentes non exprimunt : hoc tamen loquendi ordine ſequebatur. Si mihi homini obediunt mihi commiſſi, multo magis tibi Deo vero, & homini vero ſamulabuntur Angeli tui, diſcipuli, quos elegiſti, quod ſi quid impoſueris, poterunt in tua virtute perficere. Siquidem amplius, ſi Verbo mandabis abſens, illico paralytica infirmitas à meo ſervo recedit, *Audiens autem hoc Jeſus miratus eſt, & ſequentibus ſe dixit : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael.* Miratio de novis, & inſolitis accidentibus eſt, quæ ſupra id, quod conſuetudine naturæ vel morum agitur. Hæc ſiquidem non cadit in eum, apud quem nihil eſt novum, nihilque inſolitum, ſed more hominum egit, ut de novitate fidei, quam in Centurione ipſe plantaverat, ſe oſtenderet admirari. Prorſus ipſe fidem dederat, nec ab alio, quàm ab ipſo poteſt ineſſe hominibus vera fides. Non ergo ut largitor, ſed ut auditor illius fidei mirabatur, quam per comparationem fidei Iſraelitici populi prætulit dicens : Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Iſrael. Non de ſingulis perſonis, qui in eum veraciter crediderunt, credendus eſt dixiſſe Salvator, ſed de populo Judæorum, cum ipſi habuiſſent Moyſen & Prophetas, unde potuiſſent ocyus credere. Centurio autem ab omnibus his alienus, ut audivit de Chriſto ſermonem, adhubuit fidem tantam videlicet, ut crederet, quòd ſicut Verbo creata ſunt omnia, quoniam dixit, & facta ſunt, & ita Verbo poſſit omnia deperdita reſtaurare, atque ſanitatem malè habentibus reddere, necnon & verebatur abſentiam, cujus præſentiam Judæi perfidè contemnebant. *Dico autem vobis, quòd multi ab oriente & occidente venient, & recumbent cùm Abraham, Iſaac & Jacob in regno cœlorum. Filii autem regni hujus ejicientur foras, & mittentur in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Quòd longé fuerat ante prophetatum, nunc Salvator pro fide iſtius gentilis commemorat, acti in eo fides gentium ſignificaretur, quæ de omnibus partibus in proximo erant creditura in Chriſtum. Nam cùm per Iſaiam conſolaretur Dominus populum Judæorum, appellans eos ſemen Jacob & Iſrael, inter cætera hoc quoque dixit : Ab oriente adducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te, dicam aquiloni, da : & auſtro, noli prohibere. Magna concordia eſt verborum, major ſententiarum. Magna conſonantia novi & veteris teſtamenti : quanquam hic figuræ, illic veritates appareant : hic umbræ, illic ſerenitates : hic velamina, illic omnia nuda luceſcant. Nam à quatuor partibus mundi conſtituti ſunt fideles ex gentibus. Ab oriente per lumen fidei, ſpes ſupernotum in omnibus, quæ noxia ſunt dedit occaſum, Aquilonaris tribulatio multos martyres fecit. Auſtralis charitas operit peccata converſorum & errores gentilium. Et recumbet cum Abraham, Iſaac & Jacob in regno cœlorum. Menſa eſt in eccleſia omnium chariſmatum ſpiritualium, ſuper quam recumbent quia omnia quæ de Chriſto ſunt, incunctanter credunt : eam fidem cùm Abraham, Iſaac & Jacob tenentes, quam habuerunt de Chriſto futuro, quem vera fides nunc tenet de Chriſto jam facto. Menſa eſt in cœleſtibus, ubi recumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob hi, qui à qua-

quatuor mundi partibus venient illa credentes, quæ illi crediderunt, imitantes, quæ illi fecerunt : quoniam filii patriarcharum non in traduce carnis, ſed in ſpiritu & fidei ſemine computantur. Porro hi tres aliquid inſigne myſterii atque virtutis habuerunt, quòd cæteris prætermiſſis ſoli nominantur, quòd cum eis in regno Dei recubitus ſit futurus. Equidem Abraham primus circumciſionem accepit, diſtinctus à cæteris populis, ad Imperium Dei paternam domum, cognationem omnem derelinquens, quo jubebatur, in peregre profectus eſt, credens per omnia Deo, juſtus, & amicus Dei appellatus eſt. Non diffidens de promiſſione propagandæ prolis in filio, ipſum jubenti Domino victimam dabat. Iſaac etiam fuit mirandæ virtutis, qui jubente Domino ſimiliter & in peregre factus, & multa ſunt in ipſo celebrata myſteria. Quid de Jacub dicam? in quo ab eo tempore, quo adhuc in materni corporis ergaſtulo claudebatur, uſquequo diem clauſit extremum, non defuerunt myſteria, non magna præſagia futurorum, non prophetiæ. Qui morti vicinus, benedicens filios, ventura ſæculo prophetavit. Si quis Beſith plenè diſcutiet, videbit ipſorum magna myſteria, necnon & eognoſcet, quod imitatione ipſorum in moribus ſit agendum. In Abraham quoque pater, in Iſaac filius, in Jacob Spiritus ſanctus oſtenditur. In Abraham fides, in Iſaac ſpes, in Jacob charitas deſignatur. His tribus patriarchis omnis ſtatus verorum fidelium reperitur, cum quibus eorum imitatores recumbent in regno cœlorum, qui non carnis, ſed filii ſunt virtutis. Filii autem regni hujus ejicientur in tenebras exteriores. Hi ſunt reprobi Judæi, qui filii ſunt patriarcharum traduce carnis, non imitatione virtutis : Filii ſunt regni hujus, quia duntaxat hæc temporalia dilexerunt, ideo ejicientur in tenebras exteriores : ſicut in exterioribus delectati, ſpirituali delectatione carentes. In tenebras exteriores ejiciuntur, quicunque intrinſecus privati lumine veritatis, affecti corruptibilibus ex divina juſtitia pœnas poſitas patiuntur, ut nemini adjiciatur exterior obſcuritas, niſi mentis aſtiterit cæcitas : nullusque crucietur exterius, niſi qui exterioribus mente corruptus eſt : non tamen ſi eorpore per modeſtiam uſus eſt, ut inde quisquam luat ſupplicium, unde contempta modeſtia quæſivit habere ſolatium. Quamobrem ibi erit fletus & ſtridor dentium. Fletus pro temporali lætitia & quia noluerunt flere per feneſtras mortis ingreſſum, quoniam gemet æternè, qui temporaliter peccata non flevit. Stridor dentium pro his, qui ſuperbiunt & ſuperbiendo furiunt, & indebitè innocentibus iraſcuntur, & in mundo ſonitum jactando ſe faciunt. Dabunt pœnaliter in infemo hi ſonum dentium, quoniam in hoc ſæculo culpabiliter ſonuerunt. *Et dixit Jeſus Centurioni ; Vade, & ſicut tu credidiſti, fiat tibi.* Senſum ita Matthæus exprimit, non tamen totam ſeriem rei geſtæ, cùm Centurio perſonaliter non acceſſerit & nuntiis tanquam ſibi præſenti Dominus loquebatur, dicens : Vade : Cui juxta menſuram fidei Chriſtus reſpondens, ſervum ejus reſtituit ſanitati. *Et ſanatus eſt puer illius ex illa hora. Et reverſi qui miſſi fuerant domum, invenerunt ſervum qui languerat ſanum.* Ex illa hora puer ſanatus eſt, qua Chriſtus dixit : Sicut credidiſti fiat tibi. Quem ſecundi nuncii Centurionis redeuntes invenerunt ſanum, qui diffauſerunt Chriſto ne veniret in domum. Sed libet in fidem hujus Centurionis intendere, quoniam fides initium eſt materque virtutum, ſine qua Deo placere impoſſibile factum, quoniam ſine operibus mortua. Libet in ejus deſcriptionem conſiderationem immittere, ſimultatim verò expedit iſta conquirere, Fides de inviſibilibus argumentis exoritur ſupra naturæ uſum & modum & omnem conſuetudinem, ſupra rationem & practicam conſtituitur. Hac Centurio motus acceſſit ad Chriſtum propius, quam ſine ipſa corpore, ita ut tangeret, acceſſiſſet. Hæc illuminat hominem ad cognitionem ſuam, ut in veritate ſuam indignitatem agnoſcat, cui omnino Chriſti non proportionatur dignitas. Et ſpem generat fides, ſimiliter & petendi promptitudinem præſtat, & utrunque in Centurione operata eſt. Pronunciat Centurio, quod habet eſſe cum hominibus in natura, & quòd ſibi authoritate humana conceſſit. Euge, cui ex virtute hujus cognitionis adeſſet proceſſus. Homo ſum dicit Centurio, ergo mortalis : nam ſic factus eſt homo, & ipſe ſe per peccatum mortuum fecit. Homo, ergo ſimilitudo Dei in illo erat, ſic enim ad ſimilitudinem factus. Horum conſideratio timorem generat, & cautelam à malis, cùm adſit homini neceſſitas moriendi parit bonorum cuſtodiam, ne dignitatem, quam in creatione accepit amittat. Nulla major dignitas exemplaris, quàm quòd ad ſimilitudinem Dei factus ſit homo, quam non cuſtodiens pecoribus ſimilis factus eſt, demum dæmunibus

Gen. 27. Gen. 12.

Gen. 49.

nibus

nibus ſociandus. Hominem ſe dicebat Centurio, & hominis Deus eſt memor,
Pſal. 8. quod admirans Pſalmiſta ait: Quid eſt homo,
Pſal. 143. quòd memor es ejus? Amplius verò, quia homini Deus innotuit. Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei, aut filius hominis, quia reputas eum? Et hominem
Job. 7. Deus magnificat, conſiderat, viſitat & probat, quod Job in ſe expertus aſſeruit: Quid eſt homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum? Viſitas eum diluculo, & ſubitò probas illum. Vilis
Pſal. 88. eſt homo quia moritur. Nam quis eſt homo qui vivet, & non videbit mortem? Quaſi dicat: Nullus quia miſerias patitur, hinc Job:
Job 14. Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miſeriis. Qui quaſi flos egreditur & conteritur, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Et breves dies hominis ſunt. Vilior, cùm ſe viriorum ſervum conſtituit. Vilior eſt homo peccato, quàm conditione naturæ. Ex alio autem ordine, magnæ dignitatis eſt homo. Similitudo & imago Dei eſt, ſortiri poteſt conſortium angelorum. Et Deus factus eſt homo. Non poteſt ulterius humanitas provehi, quàm ſe potenit Deitas inclinare. Beatificari poteſt homo, & in repromiſſionem ſuperna regna ſuſcepit. Utinam ab hominibus agnoſceretur, quid eſt homo, & præeminentia quam accepit ſuper animalia, ſervaretur, & expaveſceret culpam, ne deveniret in pœnam, magis autem ne amitteret gloriam. Sub poteſtate hominis etiam hic homo conſtitutus erat, quem timebat: & nos Dei effugere non poſſumus dominatum, cui nobilius charitas, quàm neceſſitas ſervit. Necnon & ſuper alios habere dominum fatebatur, ut haberet milites euntes & venientes, & operantem ſervum. Miles vadens, intellectus inquirens: miles rediens, affectus diligens: ſervus operans, corpus eſt ſerviens. Beatus qui hanc militiam & dominatum rationabiliter tenet, ut intellectus inquirat, non quæ corpus, ſed quæ animam optimam faciunt: & affectus veniat ab his, quæ malè dilexit, ad illa quæ ratio vera invenit: & corpus in illam tranſeat actionem, non qua caro ſpiritui dominetur, ſed ipſi ſub divina lege peſſundata jaceat. Fidei verò rettributio juxta menſuram ad omnes virtutes extenditur, ut ſicut illarum compotes ſumus, ita noſtrarum juſtarum petitionum aſſequamur effectum.

Cap. XIII.

De ſuſcitatione adoleſcentis, ſecundùm Lucam.

FOntalis vita Jeſus, quia Deus, & apud quem eſt fons vitæ, in ipſoque vita omnium ab æterno manet: nihil ſibi moritur, ſibi omnia vivunt, ablaturus æternam mortem daturusque vitam, in mortali aſſumpta carne mundo ſubvenit. Et oſtendens ſe habere ſuper mortem imperium, quæ non ex ſeipſo, ſed invidia ſatanica, patratione peccati in orbem terrarum intraverat, ac etiam indefectibilis vitæ verum eſſe datorem, mortuos in hac vita revocavit ab inferis. Unde factum eſt deinceps à curatione pueri Centurionis, *Ibat* JESUS *in civitatem, quæ vocatur Naim, & ibant cum eo diſcipuli ejus & turba copioſa.* Quo ibat, ubique conſiſtens? quo ibat, omnia continens? quo ibat, immobilis? quo ibat, qui omnia poterat voluntate perficere? quo ibat, qui omnia in præſentia tenet? quo ibat, in omni loco effectivè prædominans? Ex forma ſervi erat, quod iret pedibus, oſtendens ſe hominem veraciter factum, nec ſubjugalibus utens, ad unam civitatem iens ſalvaturus omnes advenerat, prænoſcens accidens affuturum pro quo ibat. *Et ibant cum eo diſcipuli ejus.* Non Philoſophorum, non ſapientum ſecundùm carnem, ſed duntaxat ejus, qui ſupra humanam prudentiam docebat: ſed in tanta ſimplicitate, quòd ſenſus prudentium ſecundùm carnem corrumpebantur in illa. Remoti erant à cæteris diſcipuli ejus, quia ipſum ſequentes ſolum, quæ virtutis ſurſum ferentis & beatitudinis ſunt, addiſcebant. Non enim decebat alia docere Jeſum, niſi ea, quæ ſalutis exiſtunt. Doctor & doctrina convenientes erant. Actu & theoria perficiebat ſalutem. Et optimus diſcipulatus nihil improbabile, nihil per contentionem, nihil inutile docet. Diſcipulus Jeſu, etiam qui videtur abjectior, profeſſores omnes excedit alterius facultatis. *Et ibat cum eo turba copioſa.* Non tantùm numero, ſed comitatu JESU, qui omnium viſibilium & inviſibilium copiam habet. *Et appropinquans portæ civitatis,* corpore, mente jam erat. *Et ecce defunctus efferebatur*, quia per ſe ambulare non poterat, nec noverat portitores. Turpabatur porta ex portatione defuncti, & turpatus lectus in quo jacuerat, ſimiliter & domus in qua ferebatur, nec honor portatoribus erat. Omnia ſunt horrori, omnia dedecori ubi de morte cauſatur: quam ſi ad animam vocabulo mutato transferimus, omnia ſunt culpanda ubi agitur de peccato,

catò, quod mortem animæ protiùs esse cognoscimus. Nihil est laudabile in participantibus cum anima peccatrice, nihil in corpore turpius morte. Ut autem doctius loquar, nil turpius habet corpus solitum vivere, nisi cùm remanet præter vitam: sic & anima, cùm peccatum commiserit, perdideritque virtutem. *Erat iste filius unicus matris suæ.* Unus est hominis affectus (quamvis multiplicetur in rebus) qui ad prohibita ire deliberans, illico incurrit exitium. Ecce vita & mors, salus & infirmitas, justus & iniquus, in porta simul obviaverunt ad magnam scientiam eorum, quæ invisibiliter aguntur: quoniam miris modis fit, ut Salvator malis deliberationibus hominum obvier, ne malè concepta progrediantur in actum. Nam & Balaam & Saulo aperrè obicere fecit, ut ille Dei populum non malediceret, Num. 22 & ne Christicolas iste alligaret. Illum arguit per subjugalem, istum per vocem de cœlo terrentem. Et aliud mysterium se offert ad dandam doctrinam, quòd vidua occurrit Christo, cum copia hominum filium secuta defunctum, delatum ad sepulturam. Vidua, sed honoranda, si verè vidua erat. Relicta siquidem à carnali viro per mortem, in spiritales nuptias commutanda erat, Christo despondanda per fidem, quæ duo damna tolerabat, mariti & filii mortem. Quorum typo peccatrix anima duobus spiritualibus malis addicitur, ut regentem intellectum amittat, & amorem ad prohibita sequatur ipsa defunctum. Cui aderat copia civitatis, quæ sequebatur viduam, non ut dolorem minuerent sed augerent. Multa quidem hominibus suppetunt ad mala complenda, sed qui venerat obviare periculis, fletum revocavit in gaudium. *Quam* (viduam) *cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: Noli flere.* Homo Christus erat, & corporaliter intuitus est viduam deplorantem, sed mente plus noverat, & misericordia motus super eam. Non nova misericordia novi motus est motus, ab æterno misericors, ut ab æterno Deus est. Motus misericordiæ ad ostensionem refertur. Ostendit ei ut horno, quoniam ab illa cordis affectione movebatur, & omnibus misereri cupiens, quærebat super quos illam posset effundere. Sed omnes indigent, non tamen omnes se præparant ad illam suscipiendam oportet enim misericors se ad misericordiam præparare. Omnis autem, qui misericordia indiget, miser est: & omnes indigent, igitur omnes miseri sunt, sed non omnes misericordiam consequuntur. Sed huic, super quam misercordia motus est, dicit primo: Noli flere. Prohibet fletum suscitaturus mortuum. Mors quippe causa fletus erat. Et nihil fletus causa, quàm spiritualis mors. Nihil plangendum ab hominibus, quàm peccatum. Quid civitatum excidia? Quid exitia corporum? Quid cùm mundi hujus mala universa crebrescunt, si non incurritur in peccatum, ac si destruerentur ea, quæ virtutibus sunt inimica? Solùm peccatum justam habet materiam deplorandi. Sed quare Salvator fletum prohibet, cùm ex multis scripturis veteris testamenti fletum indixisse sciamus? Vult Deus fletum fieri pro spiritualibus malis, non autem pro corporalibus damnis. Sed si peccatricis animæ ista vidua typum habet, cur revocatur à fletu? Meritò propter præsentiam Salvatoris, qui etiam ex præteritis criminibus profundere lachrymas prohibet, & piè abstergit illas ab oculis hominum, cùm in eum fit tota conversio, cùm ipse vult adesse per gratiam, cùm ad ejus perfectum incessanter acceditur, cùm omnium peccatorum est indulgentia irrogata. Etsi prohibet interdum doloris lachrymas, cùm omnium peccatorum est facta remissio, amoris equidem lachrymas non rejecit. Cessat in vidua illico Christo jubente mœstitia. *Et ipse accessit, & tetigit loculum. Hi autem, qui portabant steterunt.* Corporaliter gesta sunt hæc, & sensibilem historiam habent, sed ea in alium sensum convertimus. Accessus Christi JESU, approximatio est in infirmitatibus nostris, maximè siquidem cùm in peccato jacemus mortui, ad eum accedere non valentes, nisi prius ipse accedat ad nos. Tangit loculum, scilicet animæ insensibilitatem, in qua ferebatur. Statio fit portatorum, quoniam operante Christo sistunt fluida nostra, & ea, quæ portant hominem ad humandum in humo terrenorum. Portatur corpus ex quatuor elementis ad mortem, & anima ex quatuor affectionibus malè ordinatis emoritur. *Et ait Jesus: Adolescens, tibi dico surge. Et resedit qui fuerat mortuus.* Non nomine proprio, sed ex ætate eum nominans, ab inferis revocat: innuens, quòd ætas est aliquando in culpa. Fervet in juvenibus sanguis, & animositas, cùm depravantur ad omnia, est in eis ad iram, ad cædes, ad mortes, ad prædam, ad lubricitatem. Res est infrunita juventus, nisi à virtute aut terrore hominum fuerit coërcita. Protinus aliquid signandum datur, cùm iste defunctus revocatus ad vitam, ex ætate nominatur. Imperiosum est DEI Verbum, & quod præcipit statim fit, quamvis posset omnia sola voluntate perficere. *Et resedit*

Actuum 9

resedit, qui fuerat mortuus. Ad sedem rationis, & ad judicium ejus internè reversus est, qui obruta ratione in sceleribus actu obruendus velut insensibilis ferebatur. Prior enim actio spiritualiter suscitati est, ut revertatur ad sedem mentis, ad rationis judicium, ad illam partem, qua cunctis aliis animantibus excelsior factus est, qua præter illum, qui se præcellit, nihil debet inquirere, ac redire in eum, à quo rectitudinem rationis dimittendo recesserat. Hinc per Isaiam dicitur: Redite prævaricatores ad cor. A quo recedentes homines per lubrica vel vana vel devia perguut. Resedit igitur, qui fuerat mortuus, in sede rationis. Jam noverat quo pergebat, & quievit ab actionibus pravis, mentè audiens vocem dominicam: Quiescite agere perverse. Solerti verbu Evangelista lucutus est, quia, qui ad malè agendum ferebatur in præceps, resedit ad dominicam vocem quietem menns enuncians. Et cùm Dominus dixerit: surge, non surrexit totus in corpore, sed resedit: ad illam resurrectionem rationis introrsus refertur, ubi est primò prulapsus, ubi primò est resurrecho celebranda, ubi primò est malè agentis quies. Cùm enim interior homo sistitur à virtute, ne ulterius prohibita appetat, exterior perverso declinat ab actu. *Et cœpit loqui.* Signum erat animæ omninu ad corpus reversæ. Sic &, cùm peccator revocatur ad vitam, incipit loqui, confiteri scilicet mala, quæ fecit, & gratias agere, quòd exsistens divinæ potestati rebellis, toleratus est, expectatus est & quæsitus ad veniam, non derelictus in malis, non illico factus inimicus Dei suam pertulit ultionem, magis verò erumpat in laudem, quòd relaxatis vitiis supernorum bonorum pollicitationem accepit. Posthæc matri restituitur deploranti. Nam *& dedit illum matri suæ.* Quoniam maternè peccatoribus comminatur, ut redeant & deplorent adversa: conversos recipit, dirigit rectè agentes, sine quo nullus rectè agere potest. *Accepit autem omnes timor, & magnificabant DEUM dicentes, quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia DEUS visitavit plebem suam.* Timor iste admirationis erat, etenim insulita intuebantur. Magnificabant autem DEUM non effectu, sed existimatione atque verbo, quia Propheta magnus & insolitus surrexit in sæculo, & per eum visitavit Deus plebem suam. Magnus siquidem Propheta dicebatur, eratque major, quàm diceretur, imò maximus omnium: qui omnia videbat, omnia noverat, nihilque subterfugit sapientiam ejus, cui non est numerus, à cujus conspectu nullus peccat invisus. Sed utinam hoc mortales homines expaveiscetent, atque meditarentur, cùm deliberant perperam agere, quòd si humanos devitant oculus, istius aspectum devitare nun possunt, quoniam in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Et si Giezi Elisæi Prophetæ non potuit uculos effugere, dum contra voluntatem ejus motus à concupiscentia indebita plus habendi à Naaman vestes & munera extorsisset: quantò minùs nos subterfugere poterimus malè agentes, oculos præter obicem cuncta cernentis? Numquid qui aliis prophetiam præstat, ipse privabitur? Aut qui finxit oculum non cunsiderat? Nec peccatum Prophetæ David Prupheram potuit latere Nathan, qui per similitudinem ad eum reprehensurus advenit. Et peccatum Saul factum est cognitum Samueli. Terreantur igitur homuum corda, quoniam Propheta magnus surrexit in nobis, quem nihil latere potest, qui omnia æquè præsentia, præterita & futura, prævidens bona & mala, sedulam actionem bonorum, & malorum devitationem prædicando suasit. Quid excusatiunis justæ habere possit humanum genus, quid inquirere ad alium appellandum, ignoro: si DEI Filius in carne prophetat, si evangelizat superna, si ad inferos detrudendos denunciat criminosos. Sed ecce retradatio ex adverso consurget. Nam si Prupheta est magnus, cur sibi tota illa turba non credidit? Cur non eum secuta est? Sed timor eos apprehendit, cur non mutavere vitam? Cur non sunt ad meliora conversi? Cognitio, quam de Propheta perceperant, ipsorum est condemnatio. Sicque fit, ut qui novit, cui possit adhærere per doctrinæ veritatem, & negligit, quòd ipse spernatur ab eo, quem nuvit. Et agitur sæpe magno cognoscentium detrimento, ut solùm verbis, non imitatione velint laudare rectè docentem. Et quia visitavit Dominus plebem suam. Profitebantur isti se divinam benignitatem agnoscere, quia visitavit Dominus populum suum: sed in hoc plus erat verborum sententia, quàm ipsorum cognitio. Non istam visitationem in assumptione carnis à Verbo factum esse credebant, non ad Dei Verbum, neque ad Spiritum Sanctum attolitur credulitas Judæorum. Attamen verè sic erat, quòd Dominus in Filio incarnato visitaverat plebem suam, quam dixerim omne humanum genus, quanquam singulariter & peculiariter credatur populus Judæorum. Sed nobis, qui credimus, & hanc in baptismo suscipimus fidem, perpetua & acerbiora debentur

Isaiæ 46. Isaiæ 1. Proverb. 15. 4. Reg. 5. Psal. 93. 2. Reg. 12. 1. Reg. 13.

tur tormenta, ſi contempſerimus viſitantem, ſi divinæ viſitationi non coaptabitur totus homo. Quid hac viſitatione dignius, ut altitudo divina ubique conſiſtens, has inferiores partes in humano habitu viſitaret? Quia & habitus inter homines, & cum hominibus eſt inventus ut homo. Phil. 2. Viſitavit ſupernus Medicus ægrotantem in lecto terrenæ delectationis, quem mala conſuetudo premebat. Et malè ſecum, & cum omnibus uſus erat ei, & invenit in illo velut alteram factam naturam ab illa, quam dederat, quæ ſibi non in ſubſtantia, ſed conſtabat ex moribus. Et tam longævi temporis erat illa corruptio, quòd ex omni parte fœtebat, nec aderat potentia reſurgendi. Viſitans cum medicinæ argumentis interdum non agnitus: interdum agnitus, ſed contemptus eſt. Erat adverſùm ſenſus medicum ſtudium, ſed eo laudabilius, quo plaga damnoſior: & quo aſperius, eo ſaluberius erat. Nihil ſecum tulerat, quòd non conferret per omnia infirmanti. In omnibus autem, qui contempſerunt medicam actionem, ad damnationem æternam ægrotatio facta eſt. In his ſiquidem, qui ſe commiſerunt divinè ſalutem hominum operanti, æterna eſt ſubſecuta. Captivum viſitavit in carcere, in omnibus membris compeditum inveniens: illis ſanè compedibus, quibus non corpora, ſed hominum ligantur affectus: omnino inexplicabiles, niſi viſitans explicatos abſolvat. Igitur ad viſitantem, catenas nos invisibiliter detinentes, extendamus manus, oſtendamus affectus, & omnem vinculationem pandamus ei. Novit enim, etiamſi occultabimus, ſed ei voluntariè pro ſolutione fateamur. Sed numquid viſitare deſiſtit; Nonne ſemper exercet viſitationis officium? Tunc exercuit, cùm ipſe bibens mortis potum, ſanavit ægrotum: cùm ingreſſus in carcerem, communicans cum captivo, miſeratus vinculati pauperis omni alia ope carentis, pro ipſo pretium ſanguinis ſolvit. O quàm bonum obviare JESU, quàm bonum cum ipſo conjungi. Revocatus ab inferis mortuus. Vidua verò carnis ſpirituales cum Chriſto in fide nuptias celebravit. Nam ejus diſcipula benè docta facta eſt, & filius ejus ſecutus eſt ab inferis revocantem. Videntes optimus timor invaſit. Jam ut Prophetа Salvator agnitus, Dei benignitatem cœperunt fateri, quòd viſitaverat plebem ſuam. Ex hoc circuitus, propter hoc itinerarium noſtræ mentis eſſe omnino deberet, ut eſſet mutua & interna obviatio inter Chriſtum (adhuc inter nos inviſè ambulantem) & nos in hujus vitæ tenebris ambulantes, & ſuſpirantes in ſupernas ædes, ad quas, niſi ipſe non obviet, non poteſt eſſe acceſſus, neque à tumulo pravæ conſuetudinis, & obduratæ malitiæ regreſſus. Nec poſſumus ad intima noſtra reverti, à quibus per inania ſenſitiva objecta diſceſſimus in incerto laci, niſi Jeſus iens pro utilitatibus noſtris occurrat.

Cap. XIV.

De ſuſcitatione filiæ Jairi archiſynagogi, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

Vita vivens in ſeipſa vita, nec ab alio, vita indefectibilis, vita immortalis, omnino vita creavit in rebus creatis vitam, & unde in hominibus perpetuetur, oſtendit: & interminatus eſt mortem, quam non fecit, ut amplius cuſtodiretur, & amaretur vita. Paululum duravit ejus imperium, fraude immortalis maligni ſubintravit mortis imperium. Regnavit quoque ab Adam usque ad Chriſtum, & à Chriſto usque ad ſæculum, illa, quæ corporalis eſt, nec deſtruenda per aliquem ante judicium. Noviſſimè autem inimica deſtruetur mors. Vita mortem odit, mors in vitam ſævit. Fruſtra quiſpiam fecialis accederet, tractaturus concordiam inter ipſas, ſolùm altera, altera conflicta quieſcere noviſt. Non habebat creata miſera vita, unde poſſet illam profligare de finibus, aut à ſuis dilectoribus ex toto depellere, niſi ſumma vita calamitoſæ vitæ præſtaret auxilium, quod & fecit: attamen mortali carne veſtita, & perſequebatur omnimode mortem, quæ ſuum regnum ſatanica fraude invaſit. In cujus judicium jam perituros revocabat ad vitam, ut regnaret quod fecit, deſtrueretur, quod ipſe non fecit. Unde dum Joannis diſcipulis reſponderet: *Et ecce venit vir, cui nomen Jairus, & ipſe princeps Synagogæ erat, & acceſſit & cecidit ante pedes Jeſu, & adoravit, rogans eum, ut intraret in domum ejus, quia filia unica erat illi, feré annorum duodecim, & hæc moriebatur.* Alius Evangeliſta: *Quoniam filia mea in extremis eſt,* Matth. 9. Marci 5. Lucæ 8.

eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, ut ſalva fiat, & vivat. Et contigit, cùm iret & ſanaret in via hemorrhoiſſam, venit quidam ad principem ſynagogæ dicens: quia mortua eſt filia tua. Quid ultra vexas magiſtrum? Aut noli vexare illum. Sed ſecundùm alium evangeliſtam: *Ipſe tunc acceſſit (ſcilicet iterum) & adoravit eum dicens: Domine, filia mea modo defuncta eſt, ſed veni, impone manum tuam ſuper eam, & vivet. Jeſus autem audito Verbo quod dicebatur, ait archiſynagogo (ſcilicet patri puellæ) Noli timere, crede tantùm, & ſalva erit. Et cùm perveniſſet ad domum principis, non permiſit introire ſecum quenquam, niſi Petrum, Jacobum & Joannem fratrem Jacobi & patrem & matrem puellæ. Et cùm vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem flentes & ejulantes multum, dicebat ad eos: Recedite, nolite flere: non eſt mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum, ſcientes quod mortua eſſet. Ipſe autem ejectis omnibus, tenens manum puellæ, ait: Tabitha cum: quod eſt interpretatum, tibi dico ſurge. Et reverſus eſt Spiritus ejus, & continuò ſurrexit, & ambulabat. Et juſſit illi dare manducare, & præcepit, ne alicui dicerent, quòd factum erat.* Magna præſertur in allegoriis occaſio differendi, ſed ab illis alia tropologia me avertit. Multiformis gratia Dei multipliciter hominibus innotuit, operans ſuæ virtutis antidota, Et oſtendit archiſynagogi filia, cùm ejus precibus & fide à morte revocatur ad vitam. Jairus eſt, cujus filia infirmatur, & moritur, & illuminatio ſiquidem interpretatur, & officio inſignis, quia princeps in ſynagoga erat. Ex quo timor incutitur, ut neque lumen ſcientiæ, neque dignitatis ſufficiant ad tantam animæ infirmitatem, neque peccatorum prolapſum declinandum. Virtute opus eſt, ut non peccemus: directio gratiæ fecit, ut nondeveniatur ad mortem. Quid illuminatio, qualitercunque magna, cui non eſt illuminatio Dominus? Sed qui verè illuminatus erat, dicebat: Dominus illuminatio mea. Pſal. 26. Nullius ſcientiæ ſermones illuminant, præter ſermones Domini. Pſal. 118. Inquit enim ſcriptura: Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis. Non enim declarati Domini ſermones in animo ejus erant, idcirco infirmitas & mors in domo ejus intraverant. Quid alicui unquam profuit illuminatio, præterquam in domino? Nec enim divinorum ſcientia profuit Salomoni, ſquin rueret procul pulſa virtute. Vera mentis illuminatio protinus eſt virtutis: non ſolùm cognitæ, ſed aſſantis. Illuminat ſol hemiſphærium noſtrum, dum in ſphæra ſua agitur ſuper terram: ſequuntur illico tenebræ, cùm fecit occaſum, etiam luminis notitia remanente, quæ omnino tenebras non depellit. Sed non verè virtus illuminat, niſi cùm aſſat in anima, & ipſa videt debitas actiones. Cùm verò noſtra voluntate illam propellente de finibus, velut ex ejus occaſu tenebræ ſubſequuntur: & erit lumen non lumen, lumen cognitionis, non lumen accepti decons, ſed tenebræ peccatorum, quæ noſtram infirmant animam, cùm verò denſantur, operantur & mortem. Porro contra a liis quàm luminibus divinis, quàm virtutibus verè luciſens & ſervatis, maxima hic invectio tenderetur: ſed ſubſequens hic diu ſiſtere me non ſinit. Principatus In hominibus, nunquid obſiſtit ut peccata non faciat? Non me fallit ſcriptura gentilium, in qua reperi, quòd principes gentium publicè atque occultè turpiter peccaverunt. Et quos humanus aſpectus & rumor reipublicæ avertit à crimine, clandeſtinum plus infecit. Sed quid mihi de his, lege Dei carentibus diſputare? Ad legi deditos revertamur. Princeps Saul à deoque oſtenſus in regem, trifarie deliquit, ut ex toto ob ſua demerita reprobus haberetur. David etiam 1 Reg. 11. deliquit, nec ex eo, quod à Deo rex ordinatus eſt, peccata præteriit. 2 Reg. 12. Salomon rex multifariè perperam operatus eſt. 3 Reg. 11. Omnesque reges Juda & Samariæ in ſacris voluminibus inveniuntur criminibus magnis obnoxii, nec à principatu moderati ſunt: quoniam virtus non retinebat habenas, ac per hoc principatus & ſcientia deflexa virtute à peccatis homines non avertunt. Infirmata eſt igitur filia Jairi archiſynagogi, dilectio illa videlicet, quæ generatur. Hinc Pſalmiſta deplorabat: Infirmata eſt in paupertate virtus mea. Virtus ſiquidem in infirmitate quieſcit, cùm dilectio bonorum operum ob gratiæ carentiam deficit. Sed quouſque facta ſit in pœnis finalis intruſio, non deeſt quærentibus recurſus ad auxilia, maximè ad divina, ubi deficiunt humana. Proinde hic audita fama Chriſti, acceſſit ad Chriſtum, procidit ante illum, ſupplicabat pro infirmitate filiæ, quæ unica ſibi erat. Commune factum eſt nobis, Chriſto humiles preces porrigere, cùm unica noſtra dilectio infirmatur, & expetere manum potentiæ ſuæ ſuperponi nobis. Similiter enim liberari poſſunt, qui Spiritu mentis ægrotant. Hæc filia in extremis erat, ut nihil deeſſet ad mortem. Ad extremas iniquitates, interdum ſe dilectio perverſa protendit.

Sed

Sed ſunt extrema vitiorum, ſunt virtutum, utraque periculoſa : ſed vitiorum extremitas omnino inexcuſabilis, omnino damnabilis eſt. Virtus verò extrema ſe interdum excuſatione tuetur, Extremum in omni re dicimus, ubi nihil amplius eſt de ipſa. Unde extremum eſt, ultra quod nihil eſt ejus, ad quod refertur. Proinde extrema vitiorum, protinus ſunt progreſſiones ad ultimum, ultra quòd ex inordinata voluntate non poſſit in vitio ulterius progredi, quamvis poſſit vitium multotiens iterari. Sunt plerique, qui voluntate deordinata, & ratione perverſa, uſque ad extrema peccatorum deveniunt, ut nihil omittant in malis concupiſcentiis, nihil in odio, nihil in vanitate, nihil in ſuperbia, nihil in arrogantia : & cùm adeſt facultas, actione conſummant. Extrema verò virtutum aut reputatione ſunt noxia, cùm quis opinatur illarum apicem attigiſſe : aut actione, cùm per indiſcretionem ad actus extremos lædentes omnino naturam devenitur. Sic filia, hominum dilectio ſive voluntas, aut actio, laborat ut pluriimum in extremis, ſicut in infirmitate fatiſcens, cùm in extremis vicinus eſt morti, ad quam extrema vitæ terminantur. Sed timenti Deum, bene erit in extremis : quoniam in illis extremis timore Dei concutitur. Nec deſperandum eſt de extremitatibus, ſi divinus timor occurrat. Ubi verò Dei timor non fuerit, periculo ſunt extrema. Hinc per ſapientiam dicitur : Extrema gaudii luctus occupat. Et quanquam hic intelligantur extrema temporum, nihilominus intelligitur extremitas vitiorum, ut qui uſque ad extrema temporum ſine timore in gaudiis & temporalibus fuit, à luctu interminalibi teneatur. Contra quos per Jeremiam dicitur : Quia gladius Domini devorabit ab extremo terræ, uſque ad extremum ejus. Alia translatio ; à termino uſque ad terminum. Qui ſunt hi, qui tenuerunt extrema vitiorum, ex omni extremo vitæ temporum atque pœnarum deſolentur. Sed nec illis philoſophorum regulis involvamur, quibus extrema dicuntur per æque à medio diſtantia, ſeu quæ in medio aliquo conveniunt, ſeu quæ naturam medii ſapiunt. Sed extrema omnium noviſſima ſunt eorum quæ adjici poſſunt, etiam ad virtutem & ad dignitates & ad nobiles actiones. Sed in iſta puella, pro termino vitæ ſumitur : in malè agentibus malorum finis. Moriebatur iſta duodennis puella nec CHRISTUS ante mortem voluit ſubvenire ut per revocationem à morte attolleretur miraculum, & fides ſcientium amplius firmaretur. Igitur à CHRISTI potentia non retenta puella, mortis fecit occaſum : & nuntiatum archiſynagogo, ne vexaret ultra magiſtrum, acſi in eo non eſſet potentia ſuſcitandi. Deſperat natura omnino ſeipſam, ut cùm mors viventem extinxerit, quòd ipſe vificare non poſſit. Nec ex natura, nec ex uſu, nec ex ratione inſurgit iſta cognitio, quod per hominem ſit ab inferis revocatio ſuper terram. CHRISTUS reputabatur homo ; & ſi magiſter, non Deus. Per omnes archiſynagogi conjunctos deſperabatur de vita. Monſtrat hoc denuntians mortem, ſuadensque, ut non vexet magiſtrum. Sed inſiſtit Jairus oportunè, non improbiter : fide ſubnixus, non hæſitans. Accedit iterum in eadem fide, adoratque ſimili latria, & annuncians ſibi denuntiatam mortem, adhuc ejus implorat adventum & impoſitionem manus. Fide hic agitur, ſed non plena, cùm denuntiat ſibi mortem quam ipſe jam noverat : cùm petit præſentiam ejus, quæ æque potens eſt abſens. Ad infirmitatem fidei ſuæ intorquebatur quòd denuntiabat, quòd quærebat adventum. Removet Salvator dubium fidei ejus. Auget in animo fidem, ſpondetque in fide non hæſitanti ſalutem. Nam ait archiſynagogo : *Noli timere, tantum crede, & ſalva erit.* Videbatur archiſynagogus timere, ne tantùm valeret potentia Salvatoris in mortua, ſicut in infirma valuiſſet. Non bene noverat, quoniam Dei potentia eſt in parvis rebus & in magnis, & in omnibus æqua. Removet timorem, ſicut in vidua fletum. Hinc accipimus contingere poſſe timorem ex dubio futurorum : & differt ab aliis, qui ab arguta ſapientia ſunt vocati. Removet hunc Salvator ; quoniam nihil ſibi præter inconveniens impoſſibile. Noli timere. Ac ſi dicat : Omnia mihi æque poſſibilia ſunt : Crede tantùm, & ſalva erit. Non quod fides duntaxat ſua virtute ſalvet, niſi creditus Salvator efficiat. Nihil poteſt efficere fides, neque fidelis in his, quæ ſupra naturam fiunt, niſi Deus aut Deus homo factor & facturus accedat. Sed ideo fides exquiritur, quia ſolùm fidelibus jam factis, aut ut fiant hujuſcemodi, ſupernaturalia ſunt præſtanda. Meritum fidei, ſive fide natus nihil in ſupernaturalibus operatur, ſed ex his voluntariè motus, omnipotens ſuper naturalitur operatur. Proinde cùm Salvatori Deo irremotè adſit omnipotentia operandi, ex parte indigentium fides exquiritur. Magnum munus fidei datum

Eccl. 1.

Proverb. 1.

Jerem. 12.

eſt,

eſt, cùm dicitur : Crede tantùm, & ſalva erit. Itaque dubietatis depulſo timore, ſuaſa in homine fide, Jeſus ad puellam exanimem facit ingreſſum. Invenit tibicines, eos videlicet, qui muſicabilibus inſtrumentis utebantur in funeribus, in ſono lugubri, eum lugubribus vocibus conciliatis. Mos enim tunc temporis in illis regionibus erat, ut ad provocandum luctum illis ſymphoniis in funeribus uterentur : ſed à quibusdam tibiis appoſitis ori virtute flatus immiſſi, ſuper foramina nunc appoſitis digitis, nunc remotis lamentabili ſono ſonantibus. Init turbam tumultuantem pro funere flentes & ejulantes multùm pro filia, quia erat unica patri. Hi omnes ſunt augentes in temporali damno dolorem. Hos Salvator removet, dicens: *Recedite, nolite flere : non eſt mortua puella, ſed dormit.* Si peccata planxiſſent, non eis Dominis indixiſſet receſſum, nec avertiſſet & fletum. Mortua tamen puella erat, dormiebatque ſibi, unde ab ignorantibus virtutem ejus pariter deriſus eſt. Nec mirum, non enim amplius in eo, quàm quod eſt hominis cognoſcebant. Derident plerique in homine Deum, nec in Deo verum hominem venerantur Non enim intelligebant hi, quo ſenſu Dominus loqueretur. Sed omnes Chriſtus ejicit deriſores. Gerebant enim iſti pro fururis pellimum typum, eùm multi deriſui fecerint vitam Chriſti, ſimiliter & doctrinam, in qua docetur agenda vita, ſimiliter & ſperanda : ex qua ex velata fide cognoſcitur, quod à morte peccati revocatio ſit ad vitam. Ejicit eos Chriſtus, qui miſerias aliorum deplorant : adverſus autem proprias quaſi beati conſiſtunt. Et ejectis omnibus, tribus apoſtolis, duobus parentibus ſtantibus cum Chriſto, mortuam puellam ipſam revocavit ad vitam. Hi teſtes miraculi. Hos puella revocata de morte aperiens oculos primum debebat aſpicere, nec alia objecta prius opponenda erant redditæ cognitioni. Autorem vitæ, deſtructoremque mortis, bona naturæ in parentibus, bona gratiæ in apoſtolis revifura, ut facta comparatione, cognoſceret qualiter videndum foret, & quibus amplius deferendum. Acſi ad puellam ſuſcitatam exhortativus & excitativus ſermo diceretur : Iſti ſunt ô filia parentes tui, per quos in hanc vitam miſeram deveniſti, qui te genuerunt mortalem ipſi mortales, peccatis obnoxiam ipſi peccatores. Volente Deo naturali ordine infuſo, corruptibili ſemine te gignere potuerunt, ſed te invadentem infirmitatem acerbam prohibere nequiverunt, neque ſubſequam mortem. cùm jacuiſti exanimis, luctus erat, nullumque juvamen. Ecce vitæ factor & dator vocatus advenit, tibi data manu, ſolo Verbo te revocavit ad vitam. Inſpice igitur eum, & ſi amatrix es vitæ, datori vitæ ſubdaris. Ipſe ſolus vitæ atque mortis habet imperium. Nihil in hoc tibi tui profuere parentes, ad abigendam mortem & revocare vitam. Inſpice filia : Expulſi ſunt tui naturæ carnis conſortes, qui te mortuam lamentabantur ſteriliter. Conſortes gratiæ tibi eùm à morte revocaris adſiſtunt. Vide Petrum, reſpice Jacobum, contemplare Joannem : hi alumni ſunt gratiæ, hi vitam veterem omittentes, tranſierunt in novam, quorum ſimilitudine ſit tua vita deinceps. Obliviſcere patrem tuum, matrem carnis nullo pacto ſequaris. Supra naturam ſuſcitata, ſuper naturam vivere ratio te compellit. Vide in Petro cognitionem Chriſtianam : in Jacobo Chriſtianum agonem & luctum : agnoſe in Joanne coadunante quomodo gratiæ innitaris. Iſta ſunt, quibus amodo oportet inſiſtere. Iſti ſunt quos Salvator ſecum duxit: tuos verò ex natura parentes tecum invenit : Chriſti ſocietati adhæreas ad vitam denuo revocata, parvipendens ea, quæ tibi ad vitam prodeſſe nequibant. Nam neceſſario factum eſt his, qui peccatorum revocantur à morte, mutare in melius vitam : & illis aſſiſtere, qui non ſecundùm naturam, ſed ſecundum gratiam vivere ſtatuerunt. Et cùm talibus teſtibus, acceſſiſſet vita omnium Chriſtus ad corpus exanime, omnibus aliis ejectis, tenens manum puellæ illa ſignificatione, qua ſocrus Simonis ſanando manum tenuerat, ait: *Tabitha cumi, quòd eſt interpretatum, puella tibi dico ſurge.* Quod in Evangelio interpretatum legimus, nobis aliter interpretari non licet. Directo Verbo in puellam excitata eſt, revocata ut ſurgeret per gratiam à defectu, in quem ecciderat per naturam. Mortuis omnibus in peccatis dicitur, ut reſurgant ab illis malis, in quæ voluntariè ceciderunt. Audivit illico Verbum Spiritus, qui corpus reliquerat. Ubi autem, & quàm longè à corpore ille Spiritus abierat ſolùm novit qui revocavit. Sed ubicunque fuiſſet detentus ad horam, audivit dominicam vocem : ſenſit divinam virtutem, quæ ubique omnipotens eſt, nihil habens exſpatiis abſens: & reverſus eſt Spiritus ejus, & ſurrexit continuò. Reverſus ſpiritus ad corruptibile corpus, & ſubitò harmonia deſtituti corporis reconciliata eſt, & mortui & inſenſibiles ſenſus redivivi facti ſunt. Eadem ima-

gine hæc operatio in animam transit, cùm revocatur a malis. Et continuò surrexit puella ut actu exteriori appareat, quod intrinsecus actum est. Et ambulabat de virtute in virtutem, progressum insinuans in his, qui regressi sunt ab exitio peccatorum. Et jussit illi dare manducare. Et post pœnitentiam peccatorum, post primam resurrectionem, post virtutis eximum jubetur, ut sacramenta corporis & sanguinis Christi apponantur. Ipse, qui
Joann. 6. jussit, aliàs dixit: Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Ideo anima revocatur à Christo de morte ad vitam, ut beatè vivat in æternum. Panis autem corpus est Christi, tribuens illam vitam. Proinde post virtutum exercitia jubetur apponi, ut manducet anima ineptis atque perversis fessa laboribus, ut vivat in æternum. Etiam incomprehensibile beneficium, propter æternam vitam omnia Christus operatur in nobis. Rectus siquidem progressus in gratia, cùm à morte peccati revocandus est impius, ut perveniat in salutem. Fiunt primo preces, apponit Deus manum potentiæ suæ Verbo imperat, revertitur spiritus ad ergastulum, unde discesserat, scilicet anima redit in ordinem rationis, surgitur ab omni peccato, ambulatur, fitque profectus semper ad amplius: jubetur ut apponatur cibus illarum rerum saltem in
Joann. 6. fide, sine quibus nemo potuit vivere in æternum, sicut Salvator apertè monstravit, dicens: Amen amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducaverit meam carnem, & biberit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et præcepit, ne cui dicerent, quod factum est. Opera prædicabant quidem ipsum, non indigebat humanis relationibus prædicari.

Cap. XV.

De suscitatione Lazari quatriduani, secundùm Joannem tantùm.

MOrtalis à Deo factus est homo, non mortuus: à quo aversus, mortuus fuerit, & utrunque secutum est, ut averteretur & moreretur: nec erat regressus ad posse non mori, & ad mori non posse. Prævaricatio edicti æquissimi hoc efficit, & editi parentes primi, & omnis præpagatio subsequa ei, quod Deus non fecit solvere tributum. Merito siquidem, quoniam qui, quod Deus noluit, fecit: subjiciatur morti, quam ipse non fecit. Scriptura
Sapien. 1. dicit, quod Deus mortem non fecit. Et qui, prætergreditur quod Deus vult, fiet ei, quod ipse non vult. Alia enim dicit scriptura: Non vult Deus mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. Etsi non vult mortem, quam meretur justè
Eccli. 18. peccator, multo minus nec volebat mortem ejus, qui non peccaverat. Nulla mors de voluntate Dei est, quoniam ipse omnis vita, & ad se constituit omnium vitam. Sed qui sibi ipsi placet, sibique donatur: qui sibimet datus est, moritur: non enim habet, unde de se plenè vivere possit. Jura nihilitatis consistunt in homine, non entitatis. Ex nihilo enim in anima & corpore factus est homo, sed in sua erearione de nihilo spiraculum vitæ suscepit, ut fieret in animam viventem: non custodiens vitale pactum, in regionem mortis dejectus est: sibique subjectus, illam vitare nequit. Et necessitas facta est de eo, quod poterat esse voluntas: & non relevatur ab illa depressus nisi ab eo, qui creavit ad vitam: qui ut nos ab illa liberaret, sibi factus est subditus. Et quia homo moriebatur in humanitate nobis factus consors, illam insecutus est: non, ut non amplius interimeret, quousque hominum generatio non cessaret, sed ut non detineret in cinere corpora, quæ de pulvere facta sunt: quanquam animæ reorum in illa morte æterna, quæ potius dicitur infelicissima vita, detineantur. Et præsagium fecit Christus homo nobiscum in his, quos revocavit ab inferis, quoniam solvi poterat per filium Dei & hominis imperium mortis, licet suscitaverit velut iterum morituros, quousque generalis resurrectio fiat mortuorum. Et oportebat, quod daretur intelligi, quis qualisque hic esset, qui aliam vitam daturus advenerat. Sed gens stolida Judæorum, signorum ostensione nutrita, non intendebat in eum, nisi esse, quod erat, signa faterentur. Proinde in majora signa per Christum devenrum est, scilicet ut fœtens mortuus sua voce revocaretur ad vitam, quamvis plurimorum obstinata voluntas etiam post signa in eum noluisset intuitum credulitatis defigere, sed hostiliter insequi, velut mortis reum adversus quam deitatis potentiam ostendebat. Sed qui tanta ostensione revocatur, his modis in mortem devenerat. *Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Martha sororum ejus.* Raro quidem scriptura

ptura divina ubi quiddam posuit, proprium nomen adjecit : cùm quiddam absque adjectione proprii nominis, aut aliquem inclytum aut indignum propter facinora nominet : sed ommisso loquendi genere quid in re gesta potissimum sit, videamus. Languor mortem præcedebat, ad quam inducendam cum natura corporis decertabat. Sic enim in unoquoque corpore agitur, ut aut languor intantum prævaleat, ut mortem irroget, aut natura languorem superet, mortemque devitet. Hic typus in anima generatur, ut aut affectus malus, qui languor est animæ, mortem peccati inferat, cùm concertat, aut gratia vincat affectum pravum, actumque depellat. Languebat hic Lazarus languore vehementi, & morti propinquabat ex ipsa potius, quàm illum ex se impelleret, ut jam desperatio de salute sororum assistentium animos titillaret. Sed unde corpori languor adveniat, nobis inquirere non licet, sed magis unde anima ipsa languescat. Ex vitio siquidem, ex virtute autem interdum anima languet. Sæpe neque vitium neque virtus ipsam languere compescat, sed communis seu quædam applicata natura. Sed prout languor infirmitas est : languet, anima cùm quod quærit non invenit : sive intelligere, sive polidere aliquid quærat. Languet, cùm invenerit, si minus quàm crediderit bonum fuerit, aut aliquid incommoditatis attulerit, etiamsi sine reprehensione dilexerit, similiter languet : & si non fertur in sibi expediens, languet. Omnis amor sine adeptione languet. Sed hæc ad rem corruptibilem referuntur : vitiosus est languor, si ad incorruptibilia virtus illum effecit. Ex neutro siquidem cum decentia non assistunt, & insistunt lædentia, duntaxat quòd pro carentia vitii voluntati divinæ voluntas hominum supponatur. Erat languens Lazarus languore mortali, ut ita invalesceret, ut halitus non remaneret. Et vergebat protinus in occasum, ut hominis extingueret vitam. Hoc omnis infirmitas intendit in corpore : hoc peccati languor in anima satagit : & languor prolixior gravat medicum. Sic perseverans languor ab origine mundi gravavit medicum Christum, ut ipse medelam sumeret, unde languidus sanaretur : ut pateretur in corpore malum, à quo in anima & corpore expiaret infirmum. Sed in Bethania Lazarus infirmabatur, quæ castellum erat Mariæ & Marthæ sororum ejus. Ad notitiam facti Evangelista ista commemorat, scilicet locum & cognationem. Totusque mundus infirmitatis est locus, nec humana cognatio illam valet avertere : nam Deus est qui percutit, & qui sanat, & nec est qui seipsum aut alium de manu sua possit eruere. *Maria autem erat quæ unxit Dominum unguento, & capillis capitis sui tergebat.* Verba sunt Evangelistæ contextus historiam, qui Mariam dicit cum Martha castelli Bethaniæ fuisse participem, quam etiam ex officio pietatis distinguit à cæteris, quoniam & plures erant Christi discipulæ, quæ hoc nomine vocabantur. Adstabant istæ sorores plenæ mœstitia lectulo infirmantis, verbis exhortabantur, ut bono fieret animo suadebant, ut moris est muliercularum piarum blandiri ægrotis. Et cùm adverterent, quòd evidenter in ipso natura deficeret, nec ars medica poterat afferre remedium, quid agendum foret perfectè simul consultarunt, ut ei per nuntium intimarent, qui jam multos infirmos sanaverat, & duos ad vitam revocaverat à sepulchris. Melius enim sibi dolentibus & fratri languenti providere non poterant, quàm ad eum recurrere, qui supra naturam & artem potest conferre subsidia. Et multa in periculis docet necessitas, multa facit opportunitas cogitare, ut desperantes de humanis ad divina se conferant. Non tamen istæ ab altitudine fidei, cùm miserunt ad Christum velut ad ignorantem, scientiam dabant de infirmitate germani : magis autem, si eum scire credentes hæsitabant, quòd suis amatoribus ad oportuna deficeret, qui diligentes se diligit, & ipsæ jam experimento probaverant, quòd amabatur à Christo, ex eo quod hospitium apud eas quadam singularitate susceperat, & quòd Mariæ indulserat peccata multa, & à qua se tangi consensit, & in altera fluxum sanguinis desiccavit. Et invenientes nuntium domesticum domus, qui Jesum ex mutua visione cognoscerent, transmiserunt legationem parvam in verbis, magnam in pondere imponentes. *Domine, ecce quem amas, infirmatur.* Jura præmittunt amoris, cui nulla deneganda est justa subventio, cùm dicunt : Ecce quem amas. Et ipsius sequuntur regulam, qui multa non loquitur, sed tantùm, ut constitutus est in prosperis vel adversis, notificat diligenti : quoniam verè diligens, novit formare affectum & exhibere subsidium, secundùm contingentia in dilectum. Sed in his duabus sororibus, duas vitas cognoverim, contemplativam videlicet & activam, quæ subvenire cupiunt homini ægrotanti, mittentes amorem legatum ad Christum omnium vitam, qui nostra mala impugnaturus advenit. Aptius quidem orationem dixerim officio legationis insistere, quæ causas malè advenientes novit exponere, atque adversa indicare, quæ patitur author ejus. Hæc existens in terris, cœlo se inserit. Constituta in

imis, alta pulſat. Sibi non obſiſtunt intervalla locorum. Nulla minima ſibi obiceni faciunt. A longè ut de propinquo loquitur. Hæc velociter currit ad exponendum mala, quæ patimur, ad denunntiandum, quæ nobis ex adverſo conſurgunt. Et plena eſt ſcriptura veteris teſtamenti hujuſcemodi teſtimoniis, quòd omnes ſancti, cùm tribulationibus agebantur, orationem Domino præmiſerunt, nec quem nuntium expediorem ad Dominum mitterent, invenerunt. Hæc breviter inſeſtantia mala denuntiat. Non proſequitur Dominum multiplicatione verborum in ictu & jaculatè, quæ protectorem novit alloquitur: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Sed mira ſunt verba, magisque miranda ſententia. Si amas ó Chriſte! quomodo & qualiter infirmatur? Sinis ne tuos infirmari dilectos? Si infirmatur, ubi eſt quod amas? Nam à te non diligi, hæc eſt penitus mortalis infirmitas: cùm neminem diligis, niſi quem diligendum agnoveris: neminem tua dilectione prives, niſi juſtè decreveris. Noverat Dominus antequam ſibi diceretur, quòd Lazarus infirmabatur, & nihilominùs ab alio nunciante ſuſcepit. Simili modo cunctorum miſerias novit, & ad repellendum expedit, ut ei humiliter exponamus. Nam David cùm ſæpè oraſſet ad Dominum, ſemper ſuas miſerias replicat, ut in pſalmis pluribus legentibus claret. Populus Dei cùm orabat, etiam cuncta mala, contra quæ interpellabat Dominum, replicabat, Job, Tobias, Eſdras, Nehemias, cunctique Prophetæ, Judith, Eſther, cùm Dominum precibus exorabant, illa moleſta, contra quæ orationibus intendebant, explicando in medium proferebant. Sic iſtæ ſorores corpore abſentes, mente præſentes, adeuntes Dominum per nuntium ipſi moleſtiam animæ indicabant. Non autem orabant voce, ut veniret, ſed mente, proferebant tamen quòd ipſarum animum aggravabat. Ecce quem amas, infirmatur. Quid ſubnectendum fuiſſet, ſi verbis ulterius proceſſiſſet oratio: Ecce quem amas, infirmatur. Igitur aut eum ſanitati reſtitue, nosque à doloribus exuas: aut ſi pro melioribus decedere decreviſti, ſibi requiem, nobisque patientiam præſta. Equidem aliter: Ecce quem amas, infirmatur. Ergo quod melius eſt decerne, & de omnibus voluntas tua fiat: nosque tuam ſemper laudabimus bonitatem. Nunquam melius noſtræ terminantur preces, quàm ut referantur in Domini voluntatem, ut in his quæ decernit ſibi noſtra voluntas pacata ſubdatur. *Audiens autem JESUS, dixit eis: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed ut glorificetur Filius Dei per eam.* Ecce quare permiſit infirmari quem amabat: quia non ad mortem æternam, ſed ad probationem virtutis, ad examinationem bonitatis. Ut etiam in malis, quæ patimur, Dei gloria reluceſcat: multis nos tentari variis tribulationibus ſinit. Attamen illa infirmitas ad mortem corporis erat: etenim ipſa ſecuta eſt: ſed non eſt apud eum, qui fontalis eſt vita, ſed nec ad mortem, ut pro ejus imperio ab ipſa irrevocabilem retineret, ſive ut poſt illam temporalem corporis infirmitatem, æterna mors in anima ſequeretur, ſed ut glorificaretur Filius Dei per eam. Non ad augmentum illius, quam ab æterno poſſidebat, aut nova gloria, qua caruit, ſed apud diſcipulos ejus, & apud gentem incredulam Judæorum, quam conabatur ſignis & verbis ad ſua rudimenta convertere, necnon apud futuros fideles usque ſæculi finem, qui Chriſto tribuunt gloriam, cùm eum audiunt & credunt ſupra naturam hujuscemodi feciſſe myſteria. Non autem in his, quæ Chriſtus operabatur, unde glorificaretur ad ſeipſum velut ad indigum, aut humana delectatione affectum aliquid intorquebat, ſed veſtris utilitatibus altè conſultus ſic agebat. Non ſuſcipit incrementum Filius Dei, nec homines augent ſibi gloriam, cùm ipſum ex mirè factis extollunt, aut laudibus prædicant. Inimitabilia & immutabilia omnia ſunt in DEI Filio. Sed ſic agendum eſt nobis, ut eum glorificemus, ſi gloriæ ejus volumus eſſe participes. De nullo quidem ſigno ſive prodigio ſic gloriam ſuam Chriſtus manifeſtari afferuit, quàm de iſto: licet quoddam ſimile de cæco nato dixiſſe videretur, ſcilicet ut præter peccata propria & propinquorum parentum ob id cæcum fuiſſe natum, ut DEI opera in illo manifeſtarentur. Quoniam quatriduanus ſuſcitandus erat: neminem Chriſtus tantæ diuturnitatis extinctum revocavit ab inferis nullum tam inſignem virum atque magis deploratum, ante ſuam paſſionem ſuſcitavit à mortuis, ut ſpes etiam aliter utilor præſtaretur, quòd poſſet & quantumcunque in peccatis diutinos ad juſtitiam revocare. *Diligebat autem JESUS Marthan & ſororem ejus Mariam & Lazarum.* Hoc Evangeliſta denuntiat, qui noverat & mores ejus & ſigna dilectionis ejus, quæ ad iſtos monſtraverat apud quos elegerat jura hoſpitii, ſicut apud filios pacis, quos & arguit Dominum dilexiſſe, quia ipſe diligentes ſe diligit. Quid autem gratius invenire poſſit ignoro, quam à Domino eſſe dilectum: virtutem enim præmonſtrat ineſſe in delicto, quoniam

niam ipſum non perſonarum, ſed virtutum credimus acceptorem. Et beatitudinem quandam inſinuat, quòd à creatore creatura, homo à Deo, miſer à beato, mortalis à vita diligatur. Etſi omnia, quæ ſunt in optionem venirent: diligere Deum, & ab ipſo diligi, eſſet præ cæteris eligendum. Nam unum eſt conſummatæ virtutis, alterum verò beatitudinis eſt. Si verò inter iſta duo compoſitiva electio adveniret, diligere potius ſuaderem, quoniam hoc magis & præſertim expedit omni viventi, ex electione nanciſci, quod ſui eſt juris & debiti adagendum. Diligere quidem Deum juſtitia ipſa compellit, noſtri eſt juris atque virtutis: diligi verò à Deo, ſuæ duntaxat eſt poteſtatis. Amor ad Deum eſt meriti, amor à Deo eſt præmii. Amor ad Deum retributionem acquirit, amor à Deo retribuit. Et amor Dei ſemper retorquetur in noſtrum, noſter autem non ſemper retorquetur in Deum. Hæc maximè à cunctis ferè mortalibus ex dilectione appetuntur, ſcilicet diligere & amari. Et ſemper quædam ſuſpicio diligentium animos vexat, ne minus quàm diligant diligantur: non autem ex ſuſpicione laborant, ne plus diligantur, quàm diligant. In jure verò aut arte dilectionis ſolertes atque periti ſemper ſatagunt, quàm recipiant, plus inferre. Interdum verò experti ſunt, qui tantum tranſitivo amore, non retranſitivo alios dilexerunt. Etſi hoc inter homines & homines quotidie agitur, quantò magis cunctorum mortalium omnis deberet eſſe conatus, ut Chriſtum diligerent, ut ab ipſo amarentur. Sed nec expediret conari in ſecundum, ſi verè præferatur & primum: quoniam diligebat Jeſus Martham & Mariam ſororem ejus & Lazarum: non quia hoſpites, non quia nobiles, non quia mulieres, non quia vir inſignis & prudens, non quia divites: ſed quia ſuos cognoverat amatores. Optima iſta trinitas, quam Chriſtus Dominus diligebat, quam ſi quis acutè ſpeculari tentabit, aliquid occulti myſterii ſupra ſenſum humanum inveniet. *Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc manſit in eodem loco duobus diebus.* Hæc mora fuit, ut in ſua corporali abſentia Lazarus moreretur, & quatriduanus fieret in ſepulchro. *Deinde poſt hæc dicit diſcipulis ſuis: Eamus in Judæam iterum. Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, nunc quærebant te Judæi lapidare, & iterum vadis illuc.* Ordine ſociali Chriſtus cum ſuis diſcipulis agit, cùm hortatur, cùm agenda prædicit, non eos poteſtativè deducit. Et volebat ob Lazarum venire iterum in Judæam, à quo paulò ante diſceſſerat. Sed terrentur diſcipuli pro ſeipſis, magis autem videntur zelum præferre magiſtri, allegantes Judæorum veſaniam, qui eum tentaverunt lapidare. Boni diſcipuli, qui volunt præſervare magiſtrum, maximè docentem utilia & ſurſum ferentem virtutem: & illa, quæ non corpus in hac vita, ſed quæ animam optimam faciunt. Puſillus ille grex erat ſolicitus de paſtore, qui eos verbis vitæ paſcebat, ne à Judæorum invidia traderetur exitio. Manipulus iſte inermium militum, præter ducem non ſperabat victoriam de congreſſu: tunc quia non poterant eum tueri armis, conabantur in fugam. Nolebant orbari patre miſericordiarum & gratiæ, qui naturales relinquerant. Quoddam ſimile reperitur in veteri teſtamento de zelo ſervorum ad Dominum. Nam cùm David egreſſus eſſet ad bellum contra caſtra Philiſtinorum, quidam de Philiſtæis niſus eſt ſignanter percutere David, qui Abiſai filio Sarviæ præſidio exiſtente evaſit. Tunc intraverunt viri David dicentes: Jam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam in Iſraël. Prudenter atque probiter decreverunt viri David bellare bella ejus præter præſentiam ejus, ne ut aſſolet evenire, ipſe rex interiret: quo capto vel mortuo, bellatoribus non eſt ultra vigor ſeu cauſa certandi. Et hæc eſt probata fidelitas ſervorum ad Dominum, ut exponant ſe periculis propter ipſum, & velint in laboribus eſſe Domino quieſcente. Timebant ne in Iſraël lucerna extingueretur, quoniam ipſe ordinatus à Deo illum populum regimine ſuæ ſapientiæ gubernabat: & erat velut lucerna in domo præſtans omnibus, in quam actionem declinare conveniat. Plus enim eſt in regno providentia regis quàm bellatorum. Sic zelantes Chriſtum diſcipuli, quamvis modica fide, cùm credebant, quòd poſſet invitè mori, diſſuadebant ulterius cum improbitate Judæorum velle habere congreſſum. Excuſabat tamen pius amor in eis fidei parvitatem, quoniam Chriſtus niſi voluntariè pati non potuit. Sed nec adhuc omnia noverant Chriſti myſteria, necdum animabantur ad mortem, quoniam non adhuc ſpiritus ille divinus infulſerat, qui pro vera vita corporum ſecit exponere vitam. Inductione humili conatur cœleſtis dux degens in terris, ſuos commilitones quos elegerat, ſuam inducere ad ſequelam: quia ſive abſterrentur mortis metu, in ſeipſis aut in cœleſti duce ſequi renitebantur. Hinc Salvator ad eos, acſi dux pro futuro bello ad ſuos animandos milites loqueretur. *Reſpondit Jeſus: Nonne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt.* Si quis

literam & non ſenſum advertit, importuna videtur reſponſio. Sed nec aliter eis Chriſtus reſpondere debuit, niſi quia duodecim ſunt horæ diei, pro eo, quòd in eis facilè atque tantundem hominem imitari contingit, & in ſucceſſione temporum ſæpè fuit ſucceſſio voluntatum, ad imitationem agendæ nequitiæ vel virtutis, nihil exiſtenti ſtabile in hominibus ſuper terram. Magis autem naturalis ordinis debito ſequelam exigere videbatur, velut horæ diem, ſic ipſum ad omnia ſequerentur. Quoniam ſi quis ambulaverit in die, non offendit. Multi enim in die ambulant, & offendunt, quia lucem videre non poſſunt, aut videre contemnunt. Claudere ad lumen oculos, impingere in obicem absque duce neceſſitas facta eſt. Si verò ad ſpiritualem actionem referimus, univerſitas omnium rectè agere volentium eſt in horis, quæ diem inobſcurabilem Chriſtum ſequi debet ad quaslibet actiones. Ambulatio diurna, offendiculum non ſuſcipit, nocturna verò ſcandalum patitur, & absque diſceptatione ſeu objectione verborum in hoc nobis ſufficiat Chriſti patrona ſententia. Senſu altiore iſta penſantes, lux inviſibilis & rationalis mundi eſt rectus amor: nox verò, amor obliquus. Lux veritas, nox falſitas eſt: lux timor Dei, nox timor mundi, in quo ambulans ſcandalum paſſus eſt. Videte qualibus rationibus atque ſermonibus hortatur Jeſus ſuos diſcipulos ad ſequelam, & ad doctum ducem omnino ſtatuit ſpectare tyrones, & diſcipulos ad magiſtrum, ſervos ad Dominum. Et poſt hæc dicit eis: *Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado ut à ſomno excitem illum.* More antiquo (ſicut vetus ſcriptura narrat) Dominus loquebatur, ubi ſæpe dicitur de mortuis, dormit cum patribus ſuis. Et
P ſal. 72 Pſalmiſta dicit: Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis. Et in libro
2. Mach. 2. Machabæorum legitur de his, qui cum pietate dormitionem acceperant, ut ex dormitione hujuscemodi mors intelligatur, Nec credatur Dominus locutus fuiſſe juxta intelligentiam linguæ latinæ, ut ſibi dormiret propter potentiam ſuam faciliter ſuſcitandum, ſed verè mortuum aſſeruit. Quod Apoſtoli de ſomni dormitione intelligentes: cùm dormire ſit commune morti atque quieti, adjecerunt dicentes: *Domine, ſi dormit, ſalvus erit.* Sed occultam energiam Dominus fuiſſe in Lazaro hic oſtendit, cùm ſuum & totius diſcipulatus ejus appellat amicum, dicens: Lazarus amicus noſter. Nihil amplius apud proceres mundi inventur, quàm ipſos habere amicos: etenim mediatores inter amicos ad neceſſaria ſeu ad conquirenda placita non exiſtunt: percunctatur amicus, ſi ignorat amici decentia: & ſi novit, impendit. Omnipotens & omnia ſciens eſt Chriſtus; beatus ergo cui extat amicus. Virtutem & miſericordiam poſſidet, qui Chriſtum & diſcipulatum ejus habet amicos. Et ad vitam agendam nihil expeditius, imo nihil majus, quàm amare Chriſtum, diligereque doctrinam. Sed quæ conventio Chriſti ad homines, ut eos velit habere amicos? Quæ dignatio eſt, quæ ſubvectio eſt, quòd appellatur amicus; Non tamen hominis ad Deum eſſet aſcenſus, ut illo in amicitia frueretur, niſi dignaretur ipſe ad noſtra infirma inclinari. Nam Moyſes qui cum Domino velut amico loquebatur, fiebatque converſio, ipſe in montem Sinai aſcendebat, & ad eum Dominus deſcendebat. Amicus pro amico non novit in neceſſitate recuſare labores. Et ecce cœleſtis amicus pro terreno ſe diſponit ad itinera, dicens: *Eamus iterum in Judæam, & reverſus vado, ut à ſomno excitem eum.* Inſidens adhuc in cordibus diſcipulorum terror ſeu zelus ad Chriſtum, eos ad ſequelam inclinari non ſinit. ſed ſemper cum ſpecie pietatis contendunt, dicentes: Domine, ſi dormit, ſalvus erit. Intelligebant diſcipuli dormitionis duntaxat alteram partem, ſed ut Evangeliſta exponit: *Dixerat autem Jeſus de morte ejus. Illi autem putaverunt, quòd de dormitione ſomni diceret.* Nimis à juſtitia ſubjectionis ſunt alieni, qui ſemper cum dictatore contendunt, etiam ſi præferant pietatem: ſi ſpecie melioris boni, ſi prætextu periculi evadendi, ſi zelo dilectionis accenſi, cùm ex ſæpe latis verbis animum noverunt dirigentis. *Tunc dixit eis Jeſus manifeſtè: Lazarus mortuus eſt, ſed gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Aperit Jeſus, quod ipſi neſciebant, & Lazarum mortuum nuntiat. Gaudium verò Chriſti propter apoſtolos id inſinuat, ut ipſi credant eum omnino ſcire abſentia ut præſentia, & nihil penitus eſſe quod ſuam ſcientiam fugiat. Non enim Chriſtus ſua, ſed diſcipulorum utilitate congaudet, quæ de firma Chriſti credulitate naſcitur: ut non aliter, ſed ſicut eſt, ita credatur. Si præſens fuiſſet, nil magni videretur Lazarum ſciviſſe defunctum. Excedit porro humanam ſcientiam, quod absque relatore, abſens agnovit. Non enim nuntium de infirmitate ſuſceperat, & hoc adjecit: *ut credatis, quoniam non eram ibi.* In pavorem atque cautelam hoc Verbum corda diſcipulorum

pulorum vertere debuit, ſi omnium ſecretorum præſentium & abſentium parem notitiam habet, ut etiam terrerentur aliquid mali agere, vel cogitare ejus ſcientiam vitare credentes. Quod malè infelix Judas advertit, qui in ſuis malefactis fortallis ejus credebat declinare ſcientiam. Sed omne cor intelligebatur ab illo, & eum nihil latere poteſt. Et jam gaudium propter diſcipulos Chriſto erat, quòd ex revocatione illius à mortuis in fide amplius firmarentur, quem fortè ab ejus ſororibus rogatus devenire non permiſiſſet in mortem, aut fien quatriduanum. Semper tamen pro majori augmento fidelium fuerunt geſta Domini Salvatoris. Attamen cùm hæc dixiſſet, & ſtatuiſſet omnino reſuſcitare defunctum, calefecit corda tepentium, & tabeſcentium animos erexit, quod & Thomas oſtendit, cùm alios affaretur. *Dicit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad diſcipulos: Eamus & nos, & moriamur cum illo.* Impoſſibile factum eſt detineri à morte eum, qui cum vita morerentur: etenim Chriſtus eſt vita. Ecce bonus comilito, qui ad probitatem ſocios animat, & velut ignitus carbo alios extinctos nititur facere redivivos, & à mortis pavore jam factus extraneus, alios invitat ad mortem: dignum omnino ratus omnes milites, ſi expedit mortem ſubire cum duce, maximè illam modicam caterνam poſt cœleſtis ducis mortem vita judicabat indignam. Propterea omnes hortatur ad mortem, ſi ipſe mori decreverit ac ſi diceret: Quid nobis vita poſt ducem? Eſt ne pretioſior vita omnium noſtrum, quàm ducis & Domini omnium? Quid eum ſequi cunctamur: ſi vult ad bella procedere, ubi non nos ante præmittit, ſed ipſe primus vult habere congreſſum? Cur illi adhæſimus, ſi ſequi retardamur? Cur ei fidem dedimus, ſi terga vertimus ſine bello? Magna nobis aſcriberetur ignavia, ſi ipſo jubente nollemus præcedere non dicam ſequi Dominum præeuntem. Necnon inexpiabile dedecus eſt omnium militum, etiam rege exiſtente in aula, ſi ad imperium ejus nollent adverſus hoſtes arma movere. Non eſt ſubjectorum ad quid eos velint exponere præcedentes. Etiam ad Thomæ eloquium pertinebat. Nonne omnia dimiſimus propter iſtum, quem non propter terrena, ſed propter cœleſtia imitamur, quem non purum hominem confitemur? Magna fidei & amoris adhæſio erat in Thoma, qui timori mortis repudium dederat, animabatque ſocios hujuscemodi timorem abjicere. Sicut legimus in veteri teſtamento, ſecundo Regum decimoquinto, cùm Ethai Gethæus ergo David ſuadenti ut remaneret in civitate, nec proſequeretur eum perſecutionem à filio ſuſtinentem: noluit acquieſcere, ſed hoc fertur dediſſe reſponſum: Vivit Dominus & vivit Dominus meus rex quoniam in quocunque loco fueris domine mi rex, ſive in morte ſive in vita, ibi erit ſervus tuus. Et ſi ad terrenum dominum noſcitur uſque ad incluſionem mortis ſervata fidelitas, quid ad omnium creatorem & Dominum? In futuram martyrum cædem, Verbum iſtud etiam ferebatur, qui altitudine fidei, fervore charitatis, in mortem ſua corpora propter Dominum tradiderunt, & in domino mortui ſunt: quoniam beati mortui, qui in Domino moriuntur. Et propter eum mortui ſunt primo propriis voluntatibus, & his, quæ mundus ſuis amatoribus offert: deinde in promptitudine ſpiritus ad mortem corpora tradiderunt illi, quos tyrannorum infidelis terror invenit: quam plures verò velut abdicati mundo mortui, mortem corporum non ab aliis illatam, ſed ex divina providentia cum gaudio expectaverunt. Et nihil majus repertum eſt ex virtute in actionibus hominum, quàm mori cum illo & in illo, & propter illum, qui pro omnibus mortuis in peccatis & in corpore moritùris, mortuus eſt & reſurrexit. Omnis virtutum fervor exhalavit, cùm dixit: Moriamur cum illo. Sed cùm omnes mortis debito teneantur obnoxii, quid Chriſto ex mori cum ipſo tribuitur? In quo Thomas credebat gratificari amplius coram Chriſto, cur condiſcipulos invitabat ad mortem, ad quam impelluntur omnes homines ex natura? Dixerim ipſa præventio temporis, quo quis mortem poſſit devitare, ipſa moriendi voluntas, ipſa indifferentia moriendi, deſiderium conformitatis ad caput. Et ipſa Chriſti formitas mereri homines, glorioſosque martyres fecit. Et ſi illo in tunc cum Chriſto apoſtoli non ſunt mortui, nec tempore paſſionis ejus, in poſterum verò mortem cum Chriſto & in Chriſto promptiſſimè perſolverunt: non decubantes in lectis, ſed tyrannorum terrore in verberibus & ludibriis & in ſanguine conſecrati. Sed ut quid ſubintulit Thomas: eamus & moriamur cum illo, cùm ipſe Chriſtus non de ſe morituro, ſed de Lazaro ſuſcitaturo loqueretur? Ad timorem diſcipulorum Verba protulit, qui memores perfidiæ Judæorum adverſus Chriſtum etiam ipſi affligi cum ipſo metuebant. Sed cùm fervor fidei in cordibus hominum invaleſcit, nihili penditur vita, deridentur minæ, vilipenduntur terrores, furor tyrannorum, & gemitus puerorum,

Verba

Verba terrentia ut clamor eorum, miniſtri ſcelerum ut manus infirmorum. Nihil enim eſt ex inductionibus dæmonum, ex inventionibus hominum, ex genere ſuppliciorum, quod fervorem fidei poſſit reprimere, cùm ferveſcit, aut charitatem extinguere, cùm ardeſcit. *Venit itaque Jeſus & invenit eum quatuor dies in monumento habentem.* Motu corporis venit, qui animo præſens erat: præſens omnino, qui inventurus erat. Invenit quod ſciebat, quod ipſe non prodiderat. Nec novum aut inſolitum ſibi videbatur hominis diſſoluta compago, nec ad vitam revocatio impoſſibilis quatriduani cadaveris. Sed quatuor diebus voluit jacere humatum, ut diſſoluti corporis vita receſſiſſe probaretur, & anima revocata integram ſpectantium aſtrueret fidem, præſtaret ſolamen afflictis, divina gloria monſtraretur in homine, & perfidorum omnino confunderetur improbitas, cùm ſic mirificè revocaretur quatriduanus ad vitam. Peſſima quadra iſta, cùm peccator jacet incluſus, ut nihil deſit ad malorum efficientiam, quouſque peccarum, cùm conſumatum fuerit, generet mortem, illam videlicet, quæ non corpus anima,
Amos. 1. ſed animam vita privat. Et cum in octo commitationibus & improperiis ante factis, quas diverſis gentibus facit Dominus per Amos prophetam, ſuper quatuor ſceleribus facturum converſionem ſe denegat, ut ſciant homines quanta ſolicitudine oporteat cuſtodiri, ne quarti diei rotà ſubjungatur ad culpam: ut primum ſcelus ſit delectatio mali: ſecundum conſenſus: tertium actio perverſa: quartum impœnitentia. Sic & hi quatuor dies, quos iſte habet in monumento, eadem ſerie calculentur, ut velut in corpore mortuo, nulla eſt ſurgendi poteſtas, niſi virtus ſuperna perfecerit: ſic nulla valetudo recedendi à vitiis his, qui peccata in longam conſuetudinem traduxerunt: jacent ſub lapidea duritia tumulati, ſed omnia ſunt poſſibilia apud Deum. *Erat autem Bethania juxta Jeruſalem quaſi ſtadiis quindecim.* Optima ſituatio hujus caſtri, quia propè Jeruſalem. Semper enim domus veræ obedientiæ, juxta viſionem pacis aſſiſtit. Nam ſi obediens non videt in anima ſua pacem, fruſtra obedientiæ ſubjacet in animo perturbatùs. Et ad pacificam obedientiam poteſt fieri ſuſcitatio in anima mortuorum. Domus obedientiæ Bethania, Jeruſalem pacis viſio interpretatur, quæ quindecim ſtadiorum ſpatio interjecto junguntur: ut in decem præceptis, in ſenſibus quinque obedientia plena fiat. Aliter autem obedientia & viſio pacis non continuantur ad invicem niſi per hujuſcemodi numerum ſtadiorum. Stadium quippe à ſtando dictum eſt, quia exortum à magno Hercule habuit, qui centum vigintiquinque paſſibus uno anheliru abſque reſpiratione currebat, ſicque ſtabat. *Multi autem ex Judeis venerant ad Mariam & Martham, ut conſolarentur eas de fratre ſuo.* Conſolatores oneroſi ſunt, qui niſi verbotenus non poſſunt afferre juvamen, & præterquam lingua non valent inferre lætitiam, nec cauſam removere triſtitiæ. Niſi recompenſatio fiat de perditis, non conſolationem adduci, ſed ad patientiam poteſt induci privatio amantis. In antidotis duntaxat ſolet conſolatio adhiberi, addeſperatè dimiſſa patientia opus eſt. Quæ conſolatio his, qui rem amatam irrecuperabiliter perdiderunt? Quam conſolationem ſuper mortuos poſſunt præſtare mortales? Plangere ſimul poſſunt in augmentum doloris, non ipſius ammovere materiam. Ad omnem rerum privationem, per antidota poteſt conſolatio provenire, præterquam in morte charorum & perditione membrorum, Non habet hoc humana potentia, ut vitalia poſſit afferre. Et ut trajiciamus in alium ſenſum quæ conſolatio his duabus ſororibus, ſcilicet animæ & carni, ſuper affectum mortuum in peccatis, ſuper ſepultum interiorem hominem in terrenis, ſuper ſpiritum noſtrum conſuetudinarium in delictis, ſuper cor impœnitens, theſaurizans Dei iram in die iræ? Ad hujuscemodi funus, nequeunt conſolari mortales, ſed ſolus, qui à tumulis valet revocare ſepultos, ſicut & ſcriPſal. 39. ptum eſt: Conſolationes tuæ ſcilicet Dei, non hominum, lætificaverunt animam meam. Et Apoſtolus ait: Bene-
2. Corin. 1. dictus Deus & pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra. Et deplorans propheta Jeruſalem, dicebat: Non eſt qui Thren. 2. conſoletur eam ex omnibus charis ejus. Non eſt verè conſolatio mortuis in peccatis ab hujus ſæculi charis, niſi verus conſolator adveniat. Proinde Martha conſolatores oneroſos & humanè loquentes dimiſit, cùm Chriſti novit adventum. *Martha autem, cùm audivit, quia Jeſus venit, occurit. Maria domi ſedebat, quia nondum noverat adveniſſe Jeſum.* Dimittit Marthâ domum, dimittit ſororem, dimittit conſanguineos & amicos, dimittit qui humanè venerant præſtare ſolamina, & inconſulta venit cùm ſuperiorem potentia & virtute advenire cogno-

vit,

vit. Dimmittuntur bona, cùm meliora proveniunt. Et ima pro ſummis terrena pro cœleſtibus, humana pro divinis, dimittere ratio ſic ſana docet. Nec ſunt expetenda conſilia, ubi evidentia meliuris apparet. Et ſumma Chriſtus eſt cauſa, ut omnia fiant repudio, cùm advenit. Et humana conſulatio deſeratur, ut ſe promittit adeſſe divina. Beatus igitur eſt, qui Chriſto venienti feſtinus occurrit, nec novit tarda mulimina in occurſum de ſuperis properanti. Et cùm veniſſet, *dixit Martha ad Jeſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Infideliter & fideliter, infirmiter & altè Martha loquebatur, cùm dicebat: Domine, ſi fuiſſes hic. Ibi fuerat, ſed ipſa neſciebat. Secundùm hominem prorumpebat in verbis, non conſiderans ubique præſentiam Deitatis. Fortè dolor hanc conſiderationem ademerat, aut modica fides intellectum confuderat, ut non poſſet Jeſus niſi præſens deſtruere mortis imperium. Sed fideliter & altè protulit, quòd mors ipſo præſente cauſam non feciſſet in fratre. Rectè pronuntiavit, quia ubi vita præſens, mors ipſa defugit. Competit hoc verbum omnibus voluntariè labentibus in peccata, quæ mortem in anima priusquam in corpore operantur. Domine ſi fuiſſes nobiſcum, prolapſi non fuiſſemus in mortem. Protinus ubi Chriſtus animarum vita non aderit, peccatum regnat in corpore, mors peſſundat ejus animam ex toto. Sed non cauſemur Chriſtum, cùm ipſius non habemus præſentiam: nobis adſcribamus malitiam, quòd injuſtè Chriſtum deſerentes, juſtè ab ipſo deſerimur, qui nunquam deſerit, niſi deſeratur. Attamen ad fortiora fidei ſe Martha convertit, cùm adjecit: *Sed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris a DEO, dabit tibi DEUS.* Si purum hominem credit, magnæ potentiæ, magnæque ſanctitatis eum autumavit apud DEUM, quòd ſuorum precum interventu, frater revocetur ab inferis. Si verò DEUM & hominem credit, in parte fidei ejus hebeſcit, quòd niſi porrigat preces in alto, ſuſcitare non poſſit, cùm nihil ſit quod nequit perficere Deus Homo. Et quamvis interdum coram ſtantibus preces ad Patrem prorrexit at homo, non ut Deus fecit, humilitate hominis, non neceſſitate potentiæ; ut aſſeveret orandi morem, non indigentiam paſſus: etenim æquæ potentiæ ut Pater eſt Filius, nec ab illa minoratus in aliquo factus Homo. Sed huic fidei JESUS ad vota reſpondet & deſiderio deplorantis, dicens: *Reſurget frater tuus.* Non fuit prophetia, ſed promiſſio, ut Lazarus ſua poteſtate reſurgeret, quia eum paulò poſt ſuſcitaturus erat. Dulce verbum animæ, cùm promittitur reſuſcitandus affectus. Sed Martha non in præſens, ſed ſuam fidem trajicit in futurum, cùm dicit: *Scio quia reſurget in reſurrectione in noviſſimo die.* Amor ferinus pollidendi quæſitum tardum reputa quousque poſſideat, nec credit factum fieri, niſi completum aſpiciat, & cauſatur intercapedine temporum promittentem, niſi confeſtim votum conceſſerit. At Jeſus non illam avertens à fide ultimæ reſurrectionis, agnoſci cupidus qualis eſſet pro quo facturus illico erat, ad plenitudinem fidei ſe totum prærogans, interrogando provocat Martham. *Ego ſum reſurrectio & vita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: Et omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc?* Reſurrectio eſt Chriſtus pro mortuis, vita pro vivis: ut ad duplam reſurrectionem noſtram pro duplici morte, quæ regnat in nobis, ipſius ſimpla reſurrectio referatur. Similiter ſit in virtutibus & beatitudinibus ipſa vita duntaxat in credulitate credentibus. Quamobrem interrogatur Martha, ſi credit, nam non credentibus, non eſt conferenda beata reſurrectio neque vita: quanquam etiam ad pœnam ampliorem ſint etiam impii reſurrecturi. Et benè Chriſtus noverat, ſi hoc Martha credebat. Sed ſi corde creditur ad juſtitiam, ore tamen ſit confeſſio ad ſalutem. Ipſe quidem fidem infundit, aliàs autem nemo credit, verbum hujus in auribus Marthæ ſonans, juſtitiam fidei transfundebat in anima. Sic quoque verba credendorum per doctores ſonant in auribus audientium, ſed ſolùm DEUS credulitatem immittit in cordibus. Proinde Martha ſic provocata reſpondet: *Ego credidi, quia tu es Chriſtus Filius DEI vivi, qui in hunc mundum veniſti.* Omne fidei myſterium Martha complexa eſt, cùm in una perſona DEUM & Hominem confitetur: & Filium non Patrem, non Spiritum Sanctum aſſerit incarnatum. Hominem confitetur in Chriſti vocabulo, quoniam non DEUS, ſed Homo unctus eſt: Filium & DEUM Patrem vivum, & Spiritum Sanctum amorem, cùm ipſum fatetur veniſſe in mundum, non aliter hîc viſibilem, quàm per ſuſceptam carnem. Ab ore utriusque ſexus hanc confeſſionem Chriſtus Dominus exquiſivit,

quandò Petrus interrogatus cum cæteris, quem dicerent Filium Hominis, à Patre ſuperno doctus, reſpondit: Ego dico, quia tu es Chriſtus Filius DEI vivi, qui in hunc mundum veniſti. Et nunc à Martha, quem æqua & ſimili confeſſione fatetur. Hæc confeſſio meretur nobis, quicquid Chriſtus operatur in nobis, & præter hanc confeſſionem omnia ſunt irrita vota mortalium. *Et cùm hæc dixiſſet, abiit & vocavit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt & vocat te.* Non credamus Martham ſuo arbitrio à Domino receſſiſſe, quamvis affectione ſororis in anima teneretur, quam ſciebat anxiam viſione Magiſtri, ſed à Chriſto recepiſſe innutionem, aut ſignum, aut ipſam accerſiſſet, aliter mentita fuiſſet, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te. Etenim Dominus quamvis loqueretur cum Martha, & illam ſuis inquiſitionibus ad confeſſionem veræ fidei protraxiſſet: quamvis eam diligeret, ut ſupra textus eloquitur, non ſuis precibus fratrem revocabat à tumulo, plus meriti & virtutis aſpiciens in Maria, quàm velut dilectam diſcipulam expectabat, necnon quæſita, ob abſterſa ſcelera videretur data contemptui. Sed nec acceptorem perſonarum Dominum judicemus, hujuſcemodi & omni labe carentem, cùm fuerit propenſior ad Mariam: ſed majorum virtutum potius inſpectorem, & eos, qui peccaverunt materna charitate foventem. Et cùm duas vitas in his duabus mulieribus legamus eſſe ſignatas, activam & altam meditantem: plus contemplativæ, quàm activæ donaturus eſt Chriſtus, cui activa ſemper prior occurrit, quæ ad magna conſideranda myſteria juſſa eſt vocare ſororem, ſcilicet ſpeculationem internam, quæ actioni quaſi germanæ ſociatur. Etenim in actionibus ſenſibilibus ſolummodo conſtituti non poſſunt inſpicere alta reſurrectionis myſteria, niſi revertatur introrſum in illud ſecretum, ubi ſedes eſt ſapientiæ, ubi eſt ſpeculatio veritatis, ubi veritas ipſa refulget, ubi abſque ſtrepitu regnat ventatis imperium, & in ſilentio capiuntur dogmata Deitatis. Proinde Martha ſilenter accerſivit ipſa ſororem. Acſi diceret: Acceſſi ad Dominum exponens miſeriam, quærens miſericordiam, alta reſurrectionis myſteria pertentans. Sola repulſam patior, tecum optata vota feram, non me, qui potens eſt, exaudit abs te, omnino te vult accerſiri, mecum penitus venire feſtina, ipſe te vocat, ut venias. Verè ſic eſt, quòd nec ſine juſſu Domini actio ſpeculationem habet in ſociam, & niſi DEUS vocet, ipſa non venit. Supra ſenſum eſt hominum alta contemplari. Sed cùm dicit: Magiſter adeſt, & vocat te, Dei appropinquationem inſinuat factam electis ejus, cui poſſibilitas humana proxima fieri nequit, niſi prius ipſe nobis approximet. Fit Dominus nobis præſens, ut ſibi poſſimus eſſe noſtra ſpeculatione præſentes, à quo nunquam ſubterfugiendo, aut quomodulibet aliter poſſumus eſſe abſentes. Adeſt profectò Dominus omnibus invocantibus eum in veritate vocans, ut propius accedamus, velut ad magiſtrum cœleſtia & divina docentem qui Magiſter verax eſt, viam Dei in veritate docet, ut per eam inobliquè gradientes, in id veniamus, à quo ipſe venit ad nos. Quærit iſte Magiſter inſtruere ignorantes, & viam veræ ſapientiæ atque immortalitatis monſtrare mortalibus. Sic enim per ſapientiam dicitur: Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, & ducam per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non coarctabuntur greſſus tui: & currens non habebis offendiculum. Sed væ his, qui huic vocationi non præſtant auditum. Scriptum eſt enim: Vocavi, & renuiſtis: extendi manum, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, cùm vobis quod timebatis advenerit. Et multa ſiquidem, quæ ibi ſequuntur in ultionem eorum, qui vocationem ſummi Magiſtri deſpiciunt. Manet in erroribus, qui non audit vocantem divinè Magiſtrum, ad cujus verba, interna præſtanda eſt auris. Corporalis enim, licèt in ſono à doctore verba ſuſcipiat, quid ſapiant ipſa, non percipit. Unde, velut auris corporis, Martha internam ad Magiſtrum tam altè docentem invocat aurem mentis ſcilicet Mariam, quæ domi remanſerat nondum mota: quia prius quod animale, deinde quod ſpirituale eſt. Feſtinat auris mentis ad doctrinas divinas, & abjicit tarda molimina, cùm ſupernum audierit adeſſe doctorem. *Hinc illa, ut audivit, ſurrexit citò, & venit ad eum.* Cito ſurgit, quem Dominus vocat, & malè ſedabat, qui vocatus cito ſurrexit: aut meliora novit eſſe, ad quæ vocabatur. Malè ſedet ſpeculatio mentis domi terrenorum, & cum conſultoribus oneroſis. Malè ſedet auris interior, ſi non aſſurgit audire divina, ſolùm humanis illecta. Sed præfertur omnibus, qui adeſt ipſe Magiſter. Et Maria ſolita erat videre JESUM, in cujus viſione atque eloquiis internè jucundabatur, ut etiam ab omni actione corpus compeſceret: quæ cùm privabatur ad tempus, reddebatur ardentior ad videndum. Ad quem audiens advenisſe, maximè, quia vocaverat,

Proverb. 1.

Proverb. 1.

rat, concito gradu venit: ſtupens, quod ejus memoriam ſic apud ſe ſervaſſet Magiſter. *Maria ergo cùm veniſſet ubi erat Jeſus, videns eum, cecidit ad pedes ejus, dicens: Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus.* Benè cecidit ad illos venerandos pedes, quos rigans lachrymis, capillis tergens: ſupra quos oſcula crebra defigens, perungens totius devotionis unguento, remiſſionem omnium ſuorum receperat peccatorum, & vocem ſalutis audierat atque pacis æternæ. Procidit ante pedes, qui eam viſitaturi advenerant, & ſuſcitare germanum, qui pro ipſa laboraverant, ſuper quos ipſa gradum pravæ actionis defixerat, ne laberentur in pejus, in quibus terminati fuerant greſſus iniqui, in quibus ty erat in ſacramenta cœleſtia. Malè ſtatur in ſe, ad ruinam ſe paret, qui ſtare in ſemetipſo diſpoſuit. Angeli magni & primi hominis caſus edixerat, quàm periculoſiſſimè in ſe ſtatur. Sed cecidiſſe ante dominicos pedes, obedientia prompta, humilitate profunda, eſt reſurrectionis initium, abolitio caſus, immobilis firmatio, ſituatio inconcuſſa, debitum creaturæ, ſolutio debiti: quies itineris laborioſi, proſtratio ad ſalutem, humanitatis in Deitate humilis latria. Sed nec Martha cecidit ad pedes Jeſu, quoniam minus veneratur dilectum omnis in amore remiſſior: Nec honorat honorandum neſciens, ſicut ille, qui novit. Excedebat Martham in amore Maria, & de Chriſto noverat altiora: quanquam Martha omnem fidei altitudinem in Chriſto confeſſa fuiſſet. Sed primo aſpectu non proſtravit ſe ad pedes, forſan non tantùm noverat, quantùm duce Chriſto novit in poſterum. Sed ſi hoc trajiciatur in tropos, anima plus quàm caro, ſpiritus quàm corpus, ſpeculatio quàm actio, auris interna quam exterior plus diligit atque cognoſcit, & omnia divina profundiùs veneratur. Talia, ſed non tot Maria ut Martha fatur ad Chriſtum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus. Adhuc ut mos eſt mulierum, ſenſualiter loquebantur, & ab amore proprio exordiebantur, cùm utraque frater meus exprimeret, acſi nihil eſſet Jeſu, & ante mortem intimaverant: ecce quem amas infirmatur. Inſpicienda ſunt hujusmodi verba, quòd priusquam moreretur, erat amatus Jeſu non frater nominatus, ſed mortuus dicitur frater meus: nam unaquæque à proprio fodiebatur dolore, quamvis dolendi eſſet cauſa communis, velut in uno funere, ubi multæ ſunt perſonæ proprio dolore plangentes, Sed unum eſt funus, una cauſa plangendi, ſcilicet qui deceſſit. Sed quia vivens erat amatus Jeſu, id dixerim: quoniam Chriſtus eſt vira, & qui rectè vivunt, ſunt amati Jeſu, etiamſi aliquando ſpiritualiter infirmentur. Mortui non Jeſu, quia Deus mortem non fecit: nec lætatur in perditione morientium, & totum eſt hominum non Dei, quod in peccatis morimur, quòd corporalis vita morte concluditur. *Jeſus ergo, ut vidit eam plorantem, infremuit ſpiritu, & turbavit ſemetipſum, & dixit: Ubi poſuiſtis eum?* Totum ſe CHRISTUS in humana contraxit, humanè compatiens flentibus factus eſt ei ſimilis in doloribus abſque peccato, non tamen in cauſa doloris voluntate propria fremitum doloris inſinuans. Et ſeipſum turbavit ab aliis imperturbabilis & imperturbatus exiſtens. Non enim ſemetipſum turbavit ironicè, neque damnum amiſſæ rei, aut indigentiam ſeu aliquid involuntariè paſſus, ſed exhibuit ſe flentibus compaſſivum, oſtendens quia homo verus erat, & ut DEUS hunc quatriduanum ſuſcitaturus erat. Et præmonſtravit humana, ut altè crederetur de homine, cùm divina ſuccederent. Interrogat quod ſciebat, ut ipſi proderent mortuum, quem ipſe faceret redivivum, ut magis clareſceret aſtantium oculis, quod abſque dubio agebatur, ut non poſſet parari calumnia, quamvis eſſet invidia ſecutura. Inquirit ubi poſuiſtis eum, veluti exigens confeſſionem patratorum ſcelerum. Non enim ignorat noſtra facinora, nec aliquid agentes ſubterfugere poſſumus cjus ſcientiam, ſed ore vult à nobis manifeſtari, quæ fecimus, ut agnoſcamus in qualem miſeriam peccando prolabimur. Sic etiam exquiſivit Adam, cùm fregit obedientiam: Adam ubi es, quod ipſe optimè noverat: ſed invitabat eum ad confeſſionem fractæ obedientiæ, nec non ut agnoſceret, in quam vilitatem devenerat, qui honoris ſui faſtigium neſciverat cuſtodire. Sed hinc velut ſi diceret: O mortales, ubi mortuum poſuiſtis, ex quo terreri debetis, quia ſicut ipſe fuit quod eſtis, ſic eritis vos ipſi, quod eſt. Ubi poſuiſtis eum, qui vita privatus, ambulare non potuit? ubi eſt naturæ conſors, genealogia conjunctus, converſatione domeſticus, amicitia charus? O utinam in cordibus mortalium teneretur, in quid mors cogit redire corpus, & ubi peccata triſtem animam ponunt. Profectò dixerim, quod hæc conſideratio à via iniquitatis multos averteret. Sed velut eſſet inexplicabile malum, dicunt: *Veni & vide. Et lachrymatus eſt Jeſus.* Oſtendens mentis affectum, quanta Genes. 3.

compaſſione ſuper miſeros homines ferebatur, pro quibus divinas lachrymas fundit, quæ teſtimonium ſunt doloris & amoris inviſi. Sed animadvertendum eſt quid ſit, quod rex ſæculorum velut mœſtus illachrymatur, & creator omnium Deus fuſis lachrymis triſtitiam proteſtatur, & Deus homo rigatis aqua maxillis internum pandit amorem, & plangendo præfert dolorem conſolator datorus cito lætitiam. Quid eſt, quòd hominibus ſimilitudine tanta ſe ſociat, ut etiam cum plangentibus plangat: Omne ſæculum invitatur ad lachrymas, cùm in valle lachrymarum Jeſus genas & ora perfudit, cùm Dei filius lachrymatur humanè, Chriſtus homo divinè deplorat. Una protinus illarum lachrymarum pro redemptione humani generis ſuffeciſſet in pretium, ſi pretium ejus appenderetur in ſtatera juſtitiæ, ſi fundendum ſanguinem voluiſſet in lachrymas commutare. Magis iſta contemplatione ſunt tradenda, quàm ſcripto. Sed nec prætereat, quòd Maria ſociata venit, quam ſunt cæteris conſolatores ſecuti, & quòd ad adventum ejus Chriſtus prorupit in lachrymas: quoniam cùm anima movetur, ſeu contemplatio ad aliquid peragendum; ſi qua ſunt corporis, trahit ſecum: & omnia fiunt admiratione eorum, quæ ſupra ſenſum aguntur in anima. Et ſupernus aſpector interiora noſtra reſpicit magis, quàm ea, quæ ſenſibus exterioribus fiunt, & ad motus interiores ipſe movetur, & internè nobis ſe ſociat: factus familiaris votis internis, fere videatur unus ex nobis. Nam ita Chriſtus exteriori geſtu plorantibus factus eſt ſimilis, ut aſtantium animos in admiratione ſuſpenderet, ut etiam ad invicem loquerentur. *Dixerunt ergo Judæi: Ecce quomodo amabat eum.* Unde iſta oſtenſio amoris demonſtrata per dolorem, niſi quia fremens & turbatus lachrymas fudit? *Quidam autem ex ipſis; Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere ut non moreretur?* Nam ipſa confeſſio Judæorum confundit eos, & inexcuſatè accuſat, ſi non credunt in Chriſtum, cùm ſic fateantur, quod aperuit oculos cæci nati, & confiteantur de ipſo miracula, quæ nullus hominum fecit. Iam ipſi divinæ poteſtatis in iſto argumenta conficiunt, ut ſi unum ſupernaturale potuit facere, quod & reliquum poterat. Sed bene potuit præſervare à morte, qui mortuum fecit iterum rediviuum: attamen noluit, ut ejus potentia fieret omnino potentior. Si ad calumniam protulerant hæc verba Judæi, quod Chriſti eſſet diminuta potentia, quòd unum poſſit, alterum nequit, apparebit illico quàntum poſſit. Si ex animo protulerunt, juſta & ipſorum confuſio, juſta eos damnatio ſæva tenet, ſi confitentur miraculum, quòd authorem deſpiciunt, quòd ad Chriſtum fide non veniunt. *Jeſus iterum fremens in ſemetipſo, venit ad monumentum.* Ingeminat actus ſalvator omnium Chriſtus, quibus oſtendit amorem pariter & dolorem quibus aſſimilatus eſt nobis. Et iterat actiones exhibitas propter nos, ut veritas ipſarum magis inclareat. *Erat autem ſpelunca, & lapis erat ſuperpoſitus ei.* In ſaxis concavis ſic homo poſitus erat, & ſaxo deſuper premebatur, ut ex omni parte cognoſcamus duritiam peccatoris & obſtinatam vitam, quem inferi non terruerunt, non allexerunt ſuperna, circumſtantia non eos inducerunt in dilectionem & notitiam creatoris. Merito data eſt peccatori ſepultura conſimilis, ad cautelam & præſagium ſimilium futurorum. Et totum humanum genus in hoc mortuo intellexerim, quod inter lapides idolatriæ jacebat defoſſum, maximè gentilem populum, qui lapides ſculptos ſua religione colebat. *Ait Jeſus: Tollite lapidem.* Lapis ſuperpoſitus, qui jubetur auferri, duritia eſt cordis humani, quæ niſi præcepto Domini auferatur, reſuſcitari non poteſt mortuus in peccatis, ſicut ſcriptum eſt: In ſimilitudinem lapides aquæ durantur, ſcilicet voluptates hominum, cùm ad peiora ſemper decurruut. Et à ſe-ipſo peccator eſt immobilis ad peccatum dimittendum capeſſendamque virtutem, ſcriptura dicente de impiis: *Fiant immobiles quaſi lapis.* Et quod impoſſibile dicitur apud homines, poſſibile eſt apud Deum. *Dicit ei Martha: Domine, jam fœtet, quatriduanus eſt.* Hanc vocem Dominus audire cupiebat, ad hoc venire diſtulerat, ut audiret fœtentem atque quatriduanum in monumento, ut reſurrectio mirabilior ſequeretur. Sed verum prænunciatur de mortuo, quòd fœtet, quod in eadaveribus ſemper contingit, ut etiam ad cadavera referatur, quod Iſaias dicit: Et erit pro ſuavi odore fœtor. Nam quanto humana corpora delicatius nutriuntur, tanto fœtidius reſoluuntur. Et alibi de malitioſis interfectis pronunciat: Et de cadaveribus ipſorum aſcendet fœtor. Porro cunctandum non eſt, quod ex corporibus mortuorum huiuſmodi fœtor proveniat, nam aſtantes chariſſimi abhorrent chariſſima corpora mortuorum, ut ſæpe nares comprimant, ne fœtorem olfactus ſuſcipiat, & cito humare feſtinant, ne fœtor inficiat remanentes. Si fœtor mortuorum in iniquitatibus ſentiretur, converſatio mortalium omnino ſcinderetur, nec eſſet aliqua neceſſitudo, aut

Exodi 15.

Job. 38. Matth. 19.

Iſaiæ 3.

Iſaiæ 34.

copula

copula ſeu amor innectens ſimul converſari conſentientes. Sed fœtor peccatorum, qui percipitur & ſentitur, eſt utique mala fama & deteſtabilis actio & exemplaris infectio proximorum, cùm exemplo unius perperam agentis multi corrumpantur. Nam etſi verba Iſaiæ traiiciantur in alium ſenſum, quòd pro ſuavi odore fœtor adveniat, quid dixerim, quòd quanto magis quis ad ſeipſum accuratius vivit, tantò amplius fœtet ad proximum, & infectorum in anima malè vivendi peſtilentia inficiens pervagatur in plurimos? & quatriduanus hic erat, ut ſupra diximus. Sed omnis labis hic aperitur confeſſio, ut velut eſt quadra virtutum, ſic & quadra vitiorum: ut contra prudentiam imprudentia, contra juſtitiam injuſtitia, contra fortitudinem imbecillitas, contra temperantiam intemperantia è regione conſiſtat: & ſic per effectum malorum quatriduanus denunciatur, aſſolitus in peccatis. Sed quia Martha vel timebat, ne Dominus ſentiret fœtorem aut difficultatem, audivit à Domino: *Nonne tibi dixi, quia ſi credideris videbis gloriam Dei.* Hoc eſt quod ante prædixerat: Infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed ut glorificetur filius Dei per eam. Gloria Dei & reſurrectio mortuorum non ad ſeipſum, ſed ad eos: qui credunt & beatè reſurgunt. Gloria Dei, potentia eſt ejus, quam nihil ſubterfugere poteſt, quæ taliter natione hominum primo demonſtranda erat. Porro credulitas ad omnia bona incunctanter eſt prævia, ſine qua nemo in ſe atque in alio videre potuit reſurrectionem inviſibilem à peccatis. Et in hac vita quædam non modica eſt gloria eripi à criminibus, reſurgere à tumulis peccatorum. *Tulerunt ergo lapidem* malè gravantem duritiem & iniquitatem. Quoniam ſicut in ſua natura lapis eſt gravis, ſic in ſuo effectu eſt iniquitas gravior. Hinc David formam converſi peccatoris incipiens ait: Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me. Tollitur lapis ſituatæ duritiæ, cùm per prædicatorum vocem auditor aut amore mollitur, aut timore conteritur, aut cùm prædocta hominis ratio peccatoris dedecus novit, & decus virtutis intelligit. *Jeſus autem elevatis ſurſum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audiſti me.* Elevat oculos ſurſum ut homo, unde cuncta bona procedunt, ſicut Jacobus dicit: Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt. Et quia Chriſtus homo erat, ſe miſſum à patre, & omnia ſuſcipere ab ipſo lingua, moribus proteſtatur, ad hoc què ſatagebat, ut ſicut erat, ita crederetur. Et formam petitionum præbet, cùm ſupplices odas & gratiarum actiones facit ad patrem. Legimus namquè Salvatorem noſtrum pluries ſuos oculos levaſſe in cœlum orando ad patrem, cùm multiplicavit quinque panes, & duos piſces ad refectionem ſequentium ſicut tres evangeliſtæ teſtantur: ut quicquid ſit ſpiritualis alimenti, & etiam quo corporaliter vivimus, habemus à patre. Et cùm ſanavit ſurdum & mutum, ſuſpiciens in cœlum ingemuit, ut recta obedientia & auditio veritatis, & oris confeſſio ad ſalutem, non aliunde, quàm de cœlo proveniat. Et cùm panem in ſui corporis ſubſtantiam ſecreta poteſtate convertit, ut teſtatur eccleſia, oculos elevavit in cœlum, in deſignationem occultæ virtutis, quæ non aliunde, quàm de cœlo deſcendit, qua unum corpus ſumus cum Chriſto, qua & poſſimus in ipſa cœlorum ſuperna conſcendere. Et cùm ſui clarificationem expenvit à patre, oculos in cœlum levavit. Sic enim ſcriptum eſt: Et ſublevatis in cœlum oculis, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum. Quid ad Chriſtum verba iſta conveniant, ſubticemus, torquentes in mores, ut qui claritatem appetunt, non terrena poſtulent, ſed cœleſtem: & non ab hominibus, ſed à Deo. Quid enim prodeſt ad tempus inter homines clarum fieri, ſi à Domino non approbamur, ſi non ſumus ſupernis aptati, ſi ſuperno lumine illuſtratati non ſumus, ſi ab æterno & cœleſti Patre non diſcernimur? Et cùm mortuum quærit ad vitam, etiam ad cœlos oculos erigit, quoniam inde reſurgendi virtus. Pro cœlo eſt reſurrectio ordinata prima ſive ſecunda. Et nemo à ſua iniquitate reſurgit, niſi mente feratur in cœlum. *Pater, gratias ago tibi, quoniam audiſti me. Ego ſciebam autem, quia ſemper me audis, ſed propter populum qui circumſtat dixi, ut credant quia tu me miſiſti.* Semetipſum declarat cui gratias egerit, quia ut erat, ſic credi voluit. Hoc enim optimum omni nationi, Jeſum credere miſſum à DEO in noſtra carne mortali, ſua impaſſibili ſervata natura. Et quòd verè ſit Filius Dei, commonefaciens omnes quod in omni gratiarum actione petitiones noſtræ innoteſcant apud Deum, & quòd antequam exaudiamur, gratias referamus, etiamſi petiones noſtræ contemptui traderentur. Et ſi ante impetrationem docemur gratias inferre, quid cùm petitionum noſtrarum ſortimur effectum? *Hæc cùm dixiſſet, voce magna clamavit: Lazare veni foras,* Remoto lapide Lazarus,

Joan. 6.

Matth. 7.

Joan. 13.

Joan. 12.

Pſal. 37.

Jacobi 1.

Luce 23.

zarus, prout positus erat, ab omnibus videbatur, & idcircò in ordine rei gestæ facta est illa remotio, ne suscitandus alius, quàm Lazarus crederetur. Ne de phantastico corpore potuisset illo in tunc esse cunctamen, quanquam plurimis argumentis probandus esset, quòd ipse resuscitatus qui fuerat mortuus. Et cùm ita pateseceret oculis intuentium, voce magna vocatur egredi foras. Voce magna à Magno. Voce magna à magno effectu, à magno mysterio, pro magno miraculo, pro magno auditu, pro divulgatione magna, pro memoria magna. Voce magna in hanc miseram vitam revocat mortuum, qui pendens in cruce clamans voce magna tradidit spiritum: quoniam æquè magnus moriens, sicut vivens. Magnus super vitam, magnus super mortem, utriusque tenens imperii potestatem. Cùm magna vox ad aliquem vocandum emittitur, aut nimis distat à vocante vocatus, aut profundè soporatus est, aut circa eum aliqui alii soni perstrepant, quos vocis magnitudine oporteat superari, aut à vocante faciem habet aversam, aut intentè occupatus in aliquo, seu aliqua surditate tabescit. Hæc quidem omnia peccatoribus hujus sæculi usquequaque conveniunt, ad quos expedit, ut vox magna plus in effectu, quàm in sono emittatur. Longè distant à Domino peccatores, sicut in Job scriptum est: Vidi stultum firma radice, & maledixi pulchritudini ejus, statim longè fient filii ejus à salute. Stultus est firma radice, qui mente decepta in hac vita radicem suæ voluntatis fundavit, atquè firmavit, cujus filii, desideria videlicet atque opera, longè sunt à salute, cùm solum quæ sunt terrena sectantur, à salute omnium, quæ est Christus, elongantur. Et in Psalmo dicitur: Longè à peccatoribus salus, quia justificationes tuas non exquisierunt. Etiam per Solomonem dicitur: Longè est Dominus ab impiis. Sed non aliter impii sunt, nisi quia à Deo elongantur. Nam non Deus ab hominibus, sed ab ipso homines longè per impietatem effugiunt. Et de hypocritis & fallacibus Isaias pronunciat: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Quod verbum contra scribas & Pharisæos Dominos improperat. Et alibi per Isaiam Dominus clamat: Audite me duro corde, qui longè estis à justitia. Qui longè sunt à justitia, longè sunt à Christo: quoniam ipse factus est justitia à Deo. Proinde opportunè voce magna clamatur ad eos, qui tam longè in suis iniquitatibus à Domino recesserunt Nam nulla distantia major, quàm inter Deum & homines peccatores. Sopore gravi dormiebat fugitivus Domini Jonas, ad quem excitandum in interiora navis nautæ descenderunt. Profundè dormiunt, qui Dei obedientiam, velut Jonas, effugiunt. Et ascendunt navem euntem in Tarsis, terrena gaudia explorare tentantes. Tarsis enim exploratio gaudii interpretatur. Ibique quiescunt, sed dormientes mortui sunt, De quibus Apostolus ait: Exurge qui dormis, exurge à mortuis & illuminabit te Christus. Si dormit, quomodo exurget à mortuis? Si à mortuis, quomodo dormit, aut à dormitione resurgit, nisi quia est mors dormitio, quies videlicet in peccatis? Sunt etiam nonnulli, quorum aures prurientes doctores requirunt, qui non vera, sed placita loquantur, à veritate aversi, vanitatibus sæculi delectati, qui vocem suavem non audiunt, nisi in magnitudine donorum aut tormentorum inevitabilium proferatur. De quibus per Apostolum ad Timotheum dicitur: Erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus. A veritate quidem auditum avertent ad fabulas autem convertentur. Aliquid malæ doctrinæ perstrepit in auribus hominum, cùm contemptui habetur sana doctrina, neque ab auditoribus sustinetur. Et qui quærunt magistros humanis auribus delectantes, vocem audire nolunt sensibus adversantem, & illecti vanitatibus sæculi, à veritate auditum avertunt, & convertuntur ad fabulas impertinentes, ad illas videlicet narrationes, quæ nec habent nec habere possunt aliquid DEO dignum. Hos sic superatos, expedit magna voce superari. Faciem quidem aversam habent, qui contumaci animo pacta divina servare contemnunt, de quibus per Psalmistam dicitur: Avertunt se, & non servaverunt pactum quemadmodum patres eorum, conversi sunt in arcum pravum. Contemnunt plerique divina servare promissa, pessimorum viam animo & moribus imitantes, & convertuntur in arcum pravum. Pravus est arcus, à quo spicula rectè non prodeunt, & à quo in amicum velut inimicum sagitta dirrigitur. Sed non hæc est arcus pravitas, sed intendentis. Qui enim percutit, quem debet protegere, eum odit, quem debet diligere. Et justo justitiam parat, & damnandum impium liberat à perditione, velut Judæi, pro quibus hæc prophetata sunt, justum Christum tradentes exitio, Barraban impium liberantes. Contra quos etiam per Jeremiam dominus loquitur: Et verterunt

Iob. 5.

Psalm. 118.

Prover. 15.

Isaiæ. 29. Matth. 15.

Isaiæ. 46.

Jonæ. 1.

Ephes. 5.

2. Tim. 4.

Psalm. 77.

Jerem. 8.

ad

ad me terga & non facies, cùm docerem eos diluculo, & erudirem, & nollent audire me, ut acciperent disciplinam. Semper enim contumaces & proterui faciem, scilicet veram cognitionem à Domino
Zachar. 6. avertunt, & terga vertunt, divina dogmata audire nolentes, de quibus per aliam prophetam dicitur : Et noluerunt attendere, & verterunt scapulam recedentes, aures suas aggravaverunt ne audirent. Et cor suum posuerunt ut adamantem, ne audirent legem. Proinde sic faciem aversam habentibus magna voce clamare expedit, ut faciem ad Dominum vertant, terga revertant. Et qui occupantur in magna solicitudine negotiorum mundi magna voce indigent, ut avellantur, à quibus velut à vinculis arcetiti sunt. Nam occupatio magna creata est omnibus hominibus, & jugum grave super filios Adam, & à die exitus de ventre matris eorum, usque in diem sepulturæ in matrem omnium. Sed nec à Deo creatam credamus occupationem, quæ peccatum habet : sed ideo creatam, quia de nihilo exortam, quæ nihil aliud est, nisi quædam mentis distractio & illaqueatio animæ, suffocatio spiritus : quæ illa, quæ salutis sunt, cogitare, aut audire, non sinit, quæ aut sub specie necessitatis, aut per curiositatem, aut per damnatam cupiditatem animum implicat. Hæc super filios Adæ, scilicet super homines peccatores velut jugum grave pessundat, ab eo die, quo nascimur, quousque moriamur. Sed ideo criminosa, quia voluntate propria cum illo contrahimur, ac per hoc ad magnam occupationem ambigendam magna oportet voce clamari. Porrò pernitiosa surditate tabescunt, non, qui non audiunt auribus corporis, sed qui mentis auribus veritatem audire nolunt : sed si auribus corporis sermones percipiunt, abjecta obedientia, jussa non faciunt. Nulla surditas major,
Psalm. 17. quàm inobedientia designatur, juxta illud quod dicitur : In auditu auris obedivit mihi. Et alibi : Audiam quid loqua-
1. Reg. 3. tur in me Dominus. Et Samuel domino dicebat : Loquere domine, quia audit servus tuus. Econtra de reprobis
Psalm. 80. dicitur : Et non audivit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Et de audientibus & non facientibus per Ezechielem dominus querelatur:
Ezech. 33. Audiunt sermones & non faciunt, in canticum oris sui verterunt illos. Et per
Isaiæ 42. Isaiam de pernitiosa surditate Dominus clamat : Quis surdus, nisi ad quem missi sermones meos ? Igitur in horum malorum designationem, voce magna Christus clamavit ad Lazarum, hos enim criminosos magnis vocibus expedit excitace. Et siquidem vox magna, cùm profundè deterret : Nisi conversi fueritis, Psalm. 7. gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum. Et cùm mandata Moysi diceret, pro contemptoribus mox adjecit : Ego sum Dominus Deus Exodi 20. tuus, fortis, zelotes. Et in Psalmo cla- Psalm. 9. ret apertè vox magna ejus in comminationibus ejus : Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes quæ obliviscuntur Deum. Pluet super pec- Psalm. 10 catores laqueos, sulphur, spiritus procellarum. Vox domini confringentis cedros. Tu verò deduces eos in puteum interitus. Et plena est scriptura de comminationibus Domini, ex quibus velut ex magna voce, oportet peccatorem sepultum in vitiis revocari. Magna in promissionibus vox Christi, cùm pœnitentiam agentibus regna cœlestia pecomituntur. Agite pœnitentiam, appropinquat enim regnum cœlorum. Vox magna contra vitia magna, magna pro virtutibus magnis. Vox magna à magno, quia magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis, tam in pœnis, quàm in beatitudinibus magnis. Veni foras, qui malè infra vitia jacebas. Veni foras in lucem, qui tenebris obvolutus eras. Veni foras in publicum, qui occultò operabaris iniqua. Semper occulta nonnulla vitia petunt. Veni foras, qui jacebas compeditus in carcere. Liquet de Christo Isaiæ 43. prophetatum esse : Educ foras populum tecum, ut ab omnibus malis eductus, quæ sustinebat in carcere, palam publicam Dei bonitatem aspiceret. *Et statim prodiit, qui fuerat mortuus.* Bene statim prodit ad vocem magnam imperii magni. Nam Deus dedit ei vocem virtutis, ut quando imperat, tanta velocitate creatura obediat, ut vix ab obedientia discernatur imperium. *Ligatus manus & pedes institis, & facies ejus erat subdario ligata.* Omnia hæc in miraculo auxesim faciunt, quòd statim prodiit mortuus, anima revocata de occultis sedibus, quòd ligatus ambulabat, quòd velatis oculis venit in publicum, quòd fœtoc, qui timebatur, abcessit. Quanta sunt & qualia incommoda peccatorum ? ligatur manus, ne quippiam boni faciat : ligantur pedes, ne, quæ sunt bona desideret : pedes siquidem ad affectus pertinent. Velatur facies, ne quæ sunt agenda, cognoscat. Ponitur in tumulo, sepelitur in sceleribus undique lapide elauditur, ex omniverso in animo induratur, & ex se aliquid nequit : sed possi-

poſſibilia ſunt omnia divinæ poteſtati *dixit eis : Solvite eum, & ſinite abire* apoſtolis & diſcipulis dicit, & myſterium abſolutionis hic conſecratum eſt. Nam primo Chriſtus peccatorem in animo ſuſcitat, deinde ſacerdotibus traditur abſolvendus. Nam ſi primo non ſuſcitaretur à Chriſto in anima, ſacerdotalis abſolutio fruſtra prodiret. Hinc ignorantia omnes detinemur, an, qui verbo ſacerdotis abſolvitur, ſit ſuſcitatus à Chriſto in anima: quod ſi utrunque in id ipſum convenit, nulla ſit de abſolutione cunctatio. Si alterum ſeu, utrumque defuerit, adhuc mortuus fœtet, & jacet in tumulo quamvis ex vera pœnitudine animæ Chriſtus ſæpe reſuſcitet, ubi abſolutionem ſacerdotum impoſſibilitas adimit. Et libro arbitrio redditur abſolutus, cùm ſinitur, ut non neceſſitate, ſed voluntate libera ſe compeſcat à vitiis, & amator fiat poſſeſſorque virtutum. *Multi ex his qui aderant, viſo miraculo crediderunt in Chriſtum.* Multi iverunt ad narrandum Phariſæis & ſcribis, unde ſecutum eſt pernitioſum conſilium: collegerunt ergo pontifices, &c.

Cap. XVI.

De ejectione dæmonis, cui nomen Legio, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

INimicus dæmonum Chriſtus non naturæ, qua ſpiritus ſunt, ſed ipſorum perverſæ voluntati, qua ſe à Domino averterunt: mundo degens ſæpe obviam habuit ſuo ſecreto diſpenſationis myſterio; quo eos adſe venire cogebat, ut quia Chriſtum evitare non poterant, tanquam eorum Dominum, quem non tantùm in deitate, ſed etiam nunc eos in humanitate terrentem ſentiebant. Nam cùm perveniſſet ad terram Geraſenorum, quæ eſt contra Galilæam, & de navi egreſſus eſſet ad terram *occurrit illi quidam vir ſpiritu immundo, qui habebat dæmonium.* Jam temporibus multis & veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed nocte & die in monumentis erat. Et multis temporibus dæmon arripiebat eum, & nemo poterat illum domare, & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtoditus, & ruptis vinculis agebatur à dæmoniis, in deſerto clamans, & concidens ſe lapidibus. Interrogavit autem illum JESUS: Quod tibi nomen eſt? At ille dixit: Legio. Quia intraverunt multa dæmonia in eum. Ne prolixior materia ſit loquendi, quid ſermo literalis & allegoricus habeat, ſileatur. Inſinuatur iſte legentibus, quales homines dæmon efficiat, cùm cœperit eos poſſidere, ac qui ſunt dæmoniaci homines, cùm ipſi ſibipſis facti dæmones: quoniam nullus dæmon magis impugnat hominem quàm ipſemet, cùm ſuperbia ſua in ſemetipſo fuerit depravatus. Ejicit veſtimentum à ſeipſo, concuſſus à dæmone vel à ſe, ut illam habeat nuditatem, quam protoplaſti per inobedientiam incurrerunt, gratia DEI expoliati, & à ſecilitate Paradiſi ejecti. Sed hanc nuditatem agitatione dæmonis factam illam impudentiam dixerim, qua homo peccare non erubeſcit: juxta quem ſenſum, Jeruſalem per Prophetam à Domino increpatur: Frons meretricis mulieris facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Sæpe quidem damnati homines in tantam impudentiam veniunt, ut neque DEUM omnium inſpectorem, quem latre nihil poteſt, nec propter angelum noſtræ cuſtodiæ deputatum intus in conſcientia, nec propter homines exterius pudeat deteſtanda mala committere, cùm ſæpe homines Dei timore rejecto, ne ab hominibus erubeſcentiam patiantur, perperam agere reformidant. Sed cùm abjecerint pudoris habitum in eam ſcelerum apicem deveniunt, ut in rebus peſſimis glorientur. De quibus per Salomonem dicitur: Lætantur, cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis. Quid autem eſt non indui veſtimento, niſi non frænari pudore, ſpolari decore naturæ, nudari gratia, exui honore inditæ rationis, ſimilem beſtiis fieri, quæ agunt omnia ſine rubore. Nec iſte manebat in domo, ſcilicet in ſancta eccleſia Dei, quam ſanctitudo decet, nec infra conſcientiam habitabat, ne ab ipſa interdum compungeretur, & reſiliret à malis. Fit protinus in perverſis, ut propriam conſcientiam magis effugiant, quàm judiciariam poteſtatem. Sed habitabat in monumentis, in operibus mortuis obverſatus nocte ac die, ut tenebroſitas peccatorum & pœnarum eum à malo non averteret, neque dies veritatis & luminis ad meliora converteret. Erat autem in monumentis, ſcilicet

Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8.

Jerem. 3.

Prover. 2.

ſcilicet mortuorum imitatus exempla. Semper enim depravatus homo ſibi quærit exempla malorum, ut liberius agat quod malè diſpuſuit, ut ſibi ſocios inveniſſe videatur, ne ſingularis appareat in peccatis. Quærit malus exempla malorum, quibus poſſit eſſe deterior; non bonorum, quibus poſſet reſiliens à malis, ad meliora converti. Erat in monumentis, ſed nec unde dicta ſunt monumenta captabat. Et ad exaggerationem iniquitatis malorum cedit, quod ſepulturas hominum cognoſcentes, ſocios & coævos mori conſpicientes, nec non ſæpe deferentes ad tumulos cadavera mortuorum, nec ſic aliquando compunguntur, ut à nefandis operibus reſipiſcant. Hic vir multis temporibus ex diuturnitate temporis detentus à dæmonibus erat, & multis temporibus, videlicet multis horis, ſed interpolatis horis dæmon arripiebat illum: quam multi ſunt, qui longa conſuetudine temporum à conſuetudine ſatanica detinetur: ſed fit intercapedo temporis, ut actu ſemper ad mala non defluant, ſed nequaquam in diſpoſitione mala intercapedo ſit, ut multis horis non exagitet perverſa voluntas, & in effectum deducatur mala facultas. O quam malè judicatur de arreptitiis corpore, ſed quam peſſimè judicatur de his, qui mente continuò à diabolo ſunt arrepti. Crudele ſpectaculum, videre hominem à diabolo arreptum. Grande ludibrium & incomparabile malum, videre hominem à ſeipſo arreptum, imo excepta natura & poſſibilitate pœnitendi, per omnia dæmonem factum. Et clamans ſe lapidibus concidebat. Verbo confuſo & duris læſionibus ſe verberat depravatus. Ad cumulum mali meriti omnino accedit, quòd homo ſemetipſum confodiat. Nemo enim malus ab alio, quàm ſeipſo amplius læditur. Et mira ſummi diſpenſatoris vindicta in perverſis hominibus agitur; ut ex peccatis illico per pœnitentiam non deletis, ſemper in peiora labantur, unde crudeliter crucientur, & plectantur pœna mentis, antequam dolores cum dæmonibus ſubſequantur. Vinciebatur catenis, ſcilicet legalium præceptorum, & compedibus æternæ promiſſionis ligabatur, ne laberetur in malum. Semper fuerunt appoſita humano generi divina præcepta, ſive in originali juſtitia, ſive in lege ſcripta, ne homo à deo diſſiliens per peccata defleueret, quæ quædam catenæ ſunt animam inviſibiliter vincientes. Et compedes appoſiti ſunt pedibus, ſcilicet affectibus noſtris divinarum retributionum, quoniam in cuſtodiendis illis retributio multa. Numquam Deus gratis mandata dedit, quibus ligaremur, ut non retributiones adiiceret, quibus beatificaremur. Nec aliquando catenis æternæ damnationis nos terruit delinquentes, quin & compedibus aliæ retributionis juſtè viventes. Magna ſunt iſta, quibus redimamur à malis, cuſtodimur in bonis: quibus diruptis, depravatus à dæmoniis, ad loca deſerta propellitur, non ut pœnitentiam agens vivat ſolitariè in deſerto, ſive ut aptius divinis contemplationibus vacet, ut multos legimus ſic feciſſe, ſed ut liberius peccet, ut ſteriliter vivat, ut reprehenſorem nullo modo patiatur, ut Deo relicto nec hominum vereatur aſpectus. Sed potius ad oſtenſionem ejus quod patiatur, in deſerto à dæmoniis agebatur: ut deſertus à Deo, deſerens primo Deum, deſertum dæmonum agitatione incoleret. Et mira obſtinatione in homine agitur, ſi catenas & vincula in ultione delinquentium apponantur, quod ſic illa depravatus animo contumaci dirumpit atque contemnit. Et nemo poterat illum domare. Deſperata perverſitas, & obſtinata conditio, & inferior beſtialitate ferali. Nam ſæviſſimæ beſtiæ arte quadam placida ſæpe ab hominibus domantur, & ad manus hominum manſueſcunt. Et homo jam in ſimilitudine dæmonum factus, imo ut de Juda Chriſtus aſſeruit, non ſpirituali natura, ſed animi pravitate in diabolum commutatus, ut nullis terroribus nullisque minis, nulla Chriſtiana doctrina valeat edomari. Sed nemo domat, quem Deus deſpexit: neminem deſpicit, niſi qui diabolo factus eſt ſimilis. *Interrogavit autem illum Jeſus: Quod tibi nomen eſt?* Non interrogat neſciens, qui omnia novit: ſed quia multa turba ſequentium fretus erat, innoteſcere voluit quanto malo iſto premebatur, ut porrectum beneficium amplius effarentur, & notum fieret non ſuper unum dæmonem tantùm gerere poteſtatem, qui poterat expellere legionem *Cui ille dixit: Legio. Quia intraverunt multa dæmonia in eum.* Confundantur qui dicunt dæmonia eſſe corporea, cùm una legio dæmonum unum hominem invaſiſſet. Eſt enim legio, ſex milia, ſexcenti, ſexaginta ſex, ut per ſenarium numerum millenarius, centenarius, denarius multiplicetur, & ipſe in ſuis unitatibus ſubſtet. Qui numerus, ſolus infra denarium perfectus eſt, in ſuis æqualibus partibus nil amplius vel minus reſultans, ut ex omnibus malis genus huma-

num advertamus fuiſſe completum, quem dæmones in ſua deditione ſuſcipiunt, aut quem præter dæmones ſua ſe quiſque voluntate depravat. Quòd verò duo in alio evangeliſta dicantur, de uno in aliis, tanquam de famoſiori fit mentio. Sed hi duo ſævi erant nimis, non natura ſcilicet humana (quæ ſæva non eſt) ſed crudelitate dæmonum inducunt protinus homines in ſævitiem, ut non ſolùm in ſeipſis, ſed etiam in proximos operentur iniquitatem. *Ut nemo poſſet tranſire per viam illam.* Maxima ſæviti agitur, ut depravati etiam bonis præſtent impedimenta virtutis, cum quibus viam ſalutis peragere tentaverunt. Hoc eſt omnis intentio dæmonum in ſeipſis & membris, quæ poſſident, ut per viam veræ vitæ nullus incedat. Hoc cum terroribus tyrannorum, hoc cum pſeudoprædicatorum, hoc cum aſſiduitate tentationum efficiunt, & aliis ſubtilioribus argumentis, quæ illis ad ſcientiam nulla deficiunt. *Qui clamaverunt: Quid nobis & tibi Jeſu fili Dei? Veniſti ante tempus torquere nos?* Verum eſt, quod nulla conventio Chriſti ad Belial, ſed eſt omnino Chriſti authoritas ſuper eum, à quo ante tempus à dæmonibus expectatum conqueruntur ſe tortos. Expectabant dæmones ſalvatorem venturum ex vaticiniis prophetarum, ex ſanctis patribus, qui tenebantur incluſi apud inferos, in quos, juxta ipſorum ſævitiam, pœnaliter deſævire non poterant, etiam quos verè noverant poſt temporum ſpatia liberandos: ſed tempus liberationis ipſorum, & totius generis humani ignorabant. Proinde velut de nimia temporis feſtinatione queruntur, quòd ante ſic validè torquebantur. Ad torturam protinus ipſorum deputant, cùm inferre non poſſunt hominibus torturas. *Et adiuravit* (ſcilicet) *Jeſum unus illorum: Adiuro te per Deum ne me torqueas.* Confitebatur filium Dei eſſe, nihilominus tamen tanquam hominem adjurabat, ne torqueretur expulſione ab homine. Ae per hoc dæmones tacere non potuerunt: quin confiterentur utranque in Chriſto naturam. Nam hic dæmoniacus adoravit ut Deum, confeſſus eſt filium Dei: nunc verò ut hominem adiurat, ne torqueat, Deum enim per Deum neque per patrem filium diabolus adjuraret. Et cùm eis mandaſſet egredi, alias preces ſubmiſerunt, dicentes: *Si ejicis nos hinc, mitte nos in porcos, nec nos expellas extra regionem, aut mitte in abyſſum.* Nollent dæmones ſeparari ab hominibus, quamvis unuri nequeant humanæ naturæ, ſed nec ab eorum vexatione ceſſare, nec dimittere illam regionem ſeu provinciam, ſive animam, quam norunt eorum moribus aptam, quam ſuis vitiis imbuerunt, nec retrudi in abyſſum ante multam damnationem hominum, ubi ſunt in fine ſæculi perpetuo religandi. Etſi propelluntur ab hominibus idololatria omnino abjecta, ac errore depulſo, quod ſtatim immundos homines carnaliterquè viventes valeant poſſidere. *Quod & factum eſt* Non ipſorum merito exauditi, ſed demerito immundè viventium ingredi eos permiſit. *Equidem erat tibi non longè magnus grex porcorum paſcens, in quos permiſſione Chriſti dæmones ſunt ingreſſi. At ubi hoc factum eſt, impetu vadens grex præcipitatus eſt in mare.* Magnus terror ſuper capita Chriſtianorum poſitus eſt, quod ab idolorum cultu ſunt liberi, ne ob carnalitatem & terrenorum immunditiam à dæmonibus poſſeſſi, ſubmergantur in mari damnationis æternæ. Fit plerunque in hominibus, ut vitium pellatur à vitio: & ſi non à depulſo pœna ſequatur, ſaltem à ſuccedente ſuccedat. Nam ſi pœna non ſequitur ex vitio, quod aut pœnitendo, aut carendo deiecit, torquebajt tamen pœna ex ipſo, quod in anima ſupervenit. Et mirum quidem, quod hæc legio creaturam rationalem ſuffucare non potuit: irrationalem verò in aquarum profundo ſubmerſit. Nec ſubmerſus grex porcorum, quia legiu egreſſa fuit ab homine, ſed quia in illum ingreſſa. Nec merito exauditi ſunt dæmones, quorum quamvis ſit bona natura, & permiſſio Dei juſta, voluntas tamen ſemper ad mala protenditur. Sunt quidam qui tentantur, non ſubverſa ratione, & conſcientia inceſſanter repugnante. Sunt quidam, in quibus omnis obruitur ratio, depravatur conſcientia: beſtiarum more ſemper ima reſpiciunt, velut porci carnalium voluabris delectantur. His præcipitium jure propriæ deptavationis debetur. Non autem ſentiendom, quod ex libera ratione unius alteri culpa ſeu pœna proveniat: propriis meritis atque dementis ſuper homines juſtitia divina decernit. Siquidem à legione dæmonum liber conſedit ad pedes Jeſu, virtutem deitatis in humanitate adorans, humiliatus ad obedientiam præceptorum Chriſti, quieſcens ſub eo, velut refugio mortalibus & vitioſis omnibus conſtituto, veſtitus ornamento virtutum gratiæ, ſana mente refulgens, ubi ſananvarum virtutum, fidei, ſpei, charitatis trinitas dæmonibus

expul-

expulſis quieſcat. Proinde liber à vitiis, à dæmonibus alienus conſidit ante dominicos pedes, veſtitur pudore peccandi, & mentis ſanitate lætatur.

Cap. XVII.

De curatione paralytici depoſiti per tectum ante pedes Jeſu Chriſti, ſecundum Matthæum Marcum & Lucam.

OB gratiam ſoli Chriſto cognitam ipſe palam factus mundo civitatem Capharnaum ſæpius viſitavit, illam illuſtrans miraculis atque doctrinis, ut ſua ex frequentia diceretur, & Nazareni ſibi improperativè dicerent: *Quanta audivimus de te facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* In qua dum eſſet in una domorum ipſius civitatis. *Et convenerunt ad eum multi, ita ut non caperent neque ad januam. Et loquebatur eis verbum.* Ubicunque Chriſtus aderat fide attrahebat devotos, & curioſitas & occaſio multos impellebat ad eum, quia ſæpe in domibus, cùm doceret, eſſet ad invicem coarctatio, nec advenientium locus capax. Et convenerunt ad eum multi, ita ut caperent, neque ad januam, & loquebatur eis verbum. Sed commutato grammaticorum uſu hic Evangeliſta ſeu interpres locutus eſt, ut actum nominis transferret in verbum, verſa ſubintellecta vice. Sed neque ad januam tracti deſidero audiendi. Et ipſe intrinſecis & extrinſecis loquebatur verbum. Etſi non omnes divinæ viſionis, DEI Verbi tamen poſſunt eſſe participes. Etſi non omnes aſpiciunt, audire ſiquidem poſſunt. Multi protinus in domo cum Domino, multi expectant ad januam. Baptizati & catechumini diſcernuntur in his: contemplativi & activi, quieti & ſolicitudinibus intendentes, pœnitentes & pervenire cupientes. Minor ſiquidem multitudo in domibus, ſemper cum Domino aſtitit, quàm in planitie, quàm in montibus, quàm in templo, quàm in viis: non tamen ex hoc virtutes conclufit in arctum, ut quòd uni aut pluribus pro omnibus dixit. Sed non omnis multitudo ſic properat appropinquare Jeſu, nec ſe infra ſepta parietum continere, atque moribus claufiralibus vivere; faciliori actione atque libera plurimi ſunt imitantes. Et cùm protenderetur ſermo divinus, fides adduxit homines indigentes. *Et venerunt ad eum, ferentes paralyticum, qui à quatuor ferebatur.* Impotentia eſt hominis ſic infirmi, qui bajulatur ab aliis. Diſſolutionem membrorum habet inferre infirmitas paralytica. Amplius autem motum illa invifibilis, quam iſta deſignat. Sed defertur à quatuor ante Medicum ſupra naturam & artem malè habentes curantem. Quatuor ſunt in corpore elementares qualitates, ignea, aërea, aquatica, & terrea!, quibus accomodata ſimilitudine anima inſignitur. Nam ex terra timor, quia præ cæteris elementis gravior terra. Præ cunctis affectionibus timor animam gravat, quamvis & multi pondus animæ amorem aſſerant, quibus non è regione conſiſto. Sed timorem gravius & amplius & acutius dixerim ponderare, in quo finis per dona deſcendendo conſtruitur, & ab ipſo velut ab imo aſcendendo incipitur, ſicut in Iſaïa ſcriptum eſt: In connumeratione donorum per deſcenſum definitur in timorem, per aſcenſum exordium eſt ab ipſo. Qui teſte Pſalmiſta, initiat ad ſapientiam: quia initium ſapientiæ timor Domini, & intellectus bonus omnibus facientibus eum. Ac ſi ſine timore verus eſſe non poſſit ſapientiæ intellectus. velut pars vitalis panis apponitur timor ei, qui gradi voluerit viam novam, ſicut ſcriptum eſt: Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus. Et ſine interceſſione connectitur, & aqua ſapientiæ ſalutaris potavit illum, ut timor ſapientiæ, velut aquæ terra ſubdatur. Sed nec donorum conterendus ordo hic quæritur, ſed tantùm in illis quatuor delatoribus ipſe primus & infimus. Cui ſecunda mentis affectio, aut affectiva qualitas ſupereſt, ut ſapientia ſit in voto ad timorem ſubſequens, velut ad terram aqua. Et cùm aderit ſapientia intellecta in aqua claritatis, bonorum contemplatio ſupervolitet, velùt aër ſuperfertur aquæ. Cui ſubſtantia ignei elementi ſuperponitur, ipſa videlicet charitas, quæ omnibus ſupereellit. Hæ ſiquidem qualitates ſunt paralytici, ſcilicet malæ ethici hominis debilitates, ſubmittentes eum ante humanum DEUM, ut ipſum ſanet potentia Deitatis. Myſterium protinus non mediocre ad conſiderandum affertur, quod ſuper tectum aſcendunt, ſub quo Chriſtus auditoribus prædicabat, JESU facti corpore ſuperiores, quoniam ipſe omnibus factus inferior, portans ſuper ſe omnium noſtrorum ſarcinam peccatorum, cùm DEUS poſuerit in eo iniquitatem omnium noſtrum, & verè languores noſtros ipſe

Iſaïæ. 11. Pſal. 110. Eccl. 15. Iſaïæ. 53.

D. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

ipſe tulit ; & dolores noſtros ipſe portavit. Nam exemplo videmus oniferum animal ſalino ſuperpoſito ſubjici, nec tamen ſalinum ex natura deterius. Et tectum detegere occulta eſt manifeſtaſſe peccata, quibus detectis, invenitur Jeſus, velut Sacramentis in inferioribus partibus iſtis incluſus. Igne decoctas, ex luto fictas removere tegulas, ut ipſis remotis, deorſum ſubmittatur moribus diſſolutus ante conſpectum Domini Salvatoris. Ex terra quippe fiunt tegulæ, à tegendo dictæ: ut quibus ſuperpoſitis domibus dicitur tectum, inferiores atque intraneas partes domus tegens. Et decoquuntur igne, ne imbribus cœlo delapſis in lutum reſolvantur. Tegulæ quidem tegentes Chriſtum igne decoctæ figuræ ſunt & prophetiæ de ipſo, at ipſo igne Spiritus Sancti ſolidatæ ; quibus detectis, devenitur ad Chriſtum. Nam & Apoſtolus dicit: Cùm
2. Cor. 3. tranſieris ad Chriſtum, auferetur velamen: ut ſit converſa locutio. Cùm aufertur velamen tranſitur ad Chriſtum. Et cùm ſubmiſſus eſſet paralyticus à delatoribus ante Jeſum: *Videns JESUS fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Non pro peccatis remittendis, ſed pro ſanitate corporis paralyticus inferebatur. Sed Chriſtus ſemper bonus, & meliora exhibet petentibus, quàm rogatus, & ex fide inferentium, prius ſanavit animam, quàm donaſſet corpori ſanitatem, ut ex peccatis cognoſceretur, adeſſe illa turpis infirmitas propriis aut paternis, & ut oſtenderetur prius animarum quàm corporum quærendam eſſe ſalutem. Sed opprimit ſæpe mentem, tenet hominum ſenſus, ut cùm conturbatus extrerit, prius ſibi quàm animæ quærat adeſſe medelam. Sed amator hominum Chriſtus conferendo docet, quid in donis primò ſit ab ipſo petendum, cùm ſanitati corporis ſanitatem animæ prætulit, & in remiſſionem peccatorum. Necnon & poteſtatem ſuam ex hoc oſtendere voluit populis, & illis Scribis, & qui aderant Phariſæis, ut ſubſecuta murmuratio manifeſtat. *Nam & ecce quidam de Scribis dicebant inter ſe: Hic blaſphemat. Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus DEUS?* Optimè judicans, quia nemo niſi Deus peccata dimittit; ſed à vera credulitate deficiens, quia Chriſtum Deum eſſe non credunt. Et non credentes, juſtè decernunt ipſum appellando blaſphemum, eſſet enim, ſi peccata dimitteret, niſi Deus eſſet. Nam blaſphemia maximè eſt in Deum, ſi quiſquam homo Dei ſibi arroget potentiam. Nec non comparando adinventæ ſuæ poteſtatis effectus, prius præſtitit animæ ſanitatem. Proinde ſequitur: *Et cùm vidiſſet Jeſus cogitationes eorum, dixit eis: Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris? Quid eſt facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, ſurge & ambula?* Videt cogitationes, atque cognoſcit antequam per verba formentur: quoniam omne cor intelligitur ab illo, & malas cogitationes arguit, antequam exprimantur, ut cognoſcamus etiam mala cogitando peccare. Sed nulla cogitatio peior, quàm malè ſentire de Chriſto. Attamen facilius eſt dicere, dimittuntur tibi peccata, quàm impotentem hominem, membris omnibus ſui corporis diſſolutum ab ægritudine liberare. Et unum horum viſibiliter, & aliud inviſibiliter agitur: unum in anima, aliud in corpore perpetratur. *Sed ut credatis*, me in anima veram habere potentiam, etiam in rebus inviſibilibus inviſibilem poteſtatem, in corpore viſibiliter oſtendendo virtutem. *Ait paralytico: Surge, & tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et ſurrexit, & abiit in domum ſuam.* Oſtendit ſigno viſibili, quod inviſibiliter poteſt, & difficilius eſt, quod homo, quem purum me creditis, ab incurabili languore ſine peritia medicorum ſanet hominem, quàm quod Deus, quem me non creditis, peccata dimittit. Et ut credatis, quia filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata, paralyticus iſte ſanus coram vobis aſtabit, ut me Deum & hominem pariter eſſe credatis. Geſtum in ſcriptura comperimus, ut ad credendam rem verè incredibilem res incredibilior prærogetur, & ad credendum id, quod divina virtute inviſibiliter agitur, miraculum ut ſupra naturam factum viſibiliter antecedat, Innitatoria quodammodo ſunt ad virtutem inviſibilem oſtendendam miracula, quæ foris aguntur. Si verò majus eſt, quod in anima fit, quàm in corpore, pro eo quod ipſa corpore melior: nihilo minus magna introductio eſt ad poteſtatem filii hominis credendam, ad dimittenda peccata hominibus ſuper terram id quod in corpore paralytico actum eſt: quia hoc ſolius eſt Dei, cujus virtute ſacramentales homines etiam peccata dimittere videntur, iſtud verò ſolius hominis videbatur ab his, qui eum tantum hominem exiſtimabant. Et iſta ſalvator in hominibus venabatur, ut Deus & homo inviſibilis & viſibilis crederetur. Ac per hoc inviſibilem inviſibilis ſuæ poteſtatis effectum in anima remittendo peccata, & ſuæ inviſæ virtutis viſibilem effectum mon-

monſtravit in corpore. Sed nec juſſio hujuſcemodi à myſterio vacat, quòd paralyticus jubetur ſurgere, grabatum ſuum tollere, in domum ſuam ire. Malè jacebat in humanis atque temporalibus & terrenis, qui à Domino æterno ſurgere jubetur, & grabatum tollere, ut ſecum ferret memoriam eorum, in quibus ægrè delectatus eſt, Dei lege contempta. In domum ſuam ire jubetur, ut ſeptus parietalibus legibus cœleſtium mandatorum, fundatis in fidei fundamento, deſuper tecto charitatis impoſito, firmatis portarum ſeris, ne ingrediatur hoſtis: exeat qui dilexit, ſecurus conſiſtat, & amplius non vagetur in latitudine ſæcularium platearum. Quod cùm feciſſet, timore magno eſt admiratio & glorificatio in turbis vulgaribus ſubſecuta, quia ſupra uſum & rationem, naturam & artem, videbant homini poteſtatem divinitus eſſe donatam. Homo duntaxat exiſtimabatur Chriſtus, ab his qui ultra hominem & hominis naturam cogitare non noverant. Proinde velut ſi acceperiſſet ex omni ſe poteſtatem à Deo miracula faciendi, glorificaverunt dantem Dominum Deum, cùm ex hominibus talia faciendi nulla poſſit eſſe poteſtas. Indecens pro patre videbatur, quod ferebatur in laudem, ſi Chriſtus exiſtimabatur quòd erat, videlicet Deus & homo: quia Deus pater Deo filio nihil temporaliter contulit, ſed æternè generavit. Sed ſi tantùm credebatur homo, magnificatio utique vera erat, quia miracula ſupra naturam facere, à ſeipſa natura non obtinet, nec alicui vigore aut naturæ ordine noſcitur effetributum, nam ſupra id, quod experimento reſcitur, miracula patrandi eſt conceſſa facultas.

Cap. XVIII.

De ſanatione filii regudi, ſecundùm Joannem tantùm.

SPes & refugium omnium Chriſtus ſed, in quem, qui ſperavit, nunquam confuſus eſt. ad quem qui refugium fecit, juſta petita pro voto, & pro utilitate reportavit. Qui eb hanc cauſam in hunc mundum venit, ut agnoſceretur, quæreretur, amaretur, & ad ipſum pro juſtis deſideriis eſſet acceſſus. Omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret, parvos & magnos, ſubditos & reges, neminem volens ſuæ miſericordiæ manere expertem, niſi quem non viditſane credentem. Ad quem cùm veniſſet in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum, indigens regulus pro filii ſanitate ſupplex acceſſit. *Num & erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum.* Joan. 4. *Hic, cum audiſſet, quod Jeſus adveniret à Judea in Galilæam, abiit ad eum & rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus.* Quanquam iſtud ſit ſecundum miraculum, quod Jeſus in Galilæa fecit, & ſecundò debuerit pertractari: attamen alia ratio me coegit, ut ordine præpoſtero miracula dominica pertractarem. Erat regulus non parvus cognitione, ſed regno. Altè protinus novit, cùm acceſſiit ad Chriſtum. Nulla ſapientia potior, quàm ad Chriſtum habere acceſſum. Non parvus fide, ſed numero ſubjectorum. Fides enim commovit animum ejus, ut ad Chriſtum veniret, quanquam non eſſet ex omni parte perfecta. Hujus filius infirmabatur Capharnaum. Amor ejus ægrotaverat in pinguedine mundi. Aget quippe pinguedinis Capharnaum interpretatur. In abundantia temporalium rerum habita vel quæſita infirmatur hominum amor, qui dum habet abundè, quod habendum eſt temperatè, ipſa intemperantia eſt ægrotus. Si autem non habet, habere plus debito exoptans, affligitur & anxiatur. Ipſa rerum temperantia in voto vel uſu ſanitas eſt affectus. Immoderatus amor ſemper in laboribus eſt, & languoribus cruciatur. Pinquedo corporis ipſum magis gravat quàm leviget: ſic rerum qinquedo animum curvat, & ſæpe mentem avertit à Deo, juxta quod per Moyſen dictum eſt: Incraſſatus eſt dilectus. & recalcitravit, in Deut. 32. craſſatus, impinguatus, dilatatus. Dereliquit factorem Deum ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Ecce pinguedinis malum in perfunctoriis rebus, incraſſatus dilectus, eſt populus electus, aut quilibet homo creatus. Sed cùm incraſſatur, recalcitrat divinis mandatis atque præceptis, & inobediens cœleſtibus diſciplinis, & derelinquit ſuum creatorem rerum pinquedine temporalium delectatus, & recedit ab æterna ſalute, hìc temporaliter appetens ſaluum eſſe. Nulla verò major infirmitas, quàm ab æterna ſalute recedere, quàm derelinquere, longequè fieri ab omnium ſalutari. Satis interpretatio loci competit homini ſpiritualiter infirmanti Proinde omnium conſideratio aſſurgat, ubi amor hominum infirmatur, præcavens ne infirmetur. Sed ad quid, quæcunque in homine alia ſanitas, ubi amor ægrotat? ſit in mundi hujus pin- Geneſ. 27.

guedine terræ Isaac caligans oculis filios benedixerit. Sed est pinguedo ecclesiæ, quæ consistit in abundantia divinorum charismatum & virtutum, quæ animam
Genes. 49. lenit, perungit & sanat, Et panis Christi est pinguis, regibus delitias præbens. Et Isaias: Panis frugum terræ
Isaiæ 30. erit uberrimus & pinguis. Et Nehemias
Neheм. 8. justit comedere pinquia. Quæ omnia gratiæ pinguedinem in sacramentis & donis dominicis insinuant, in qua sanatur amor hominum, non ægrotat. Infirmatur protinus in pinguedine labentium rerum, cùm in ipsis extollitur, & adversùs Deum è regione concertat. De qua pinguedine armatur impius, de quo in
Job. 15. Iob scribitur: Cucurrit adversùs Deum erecto collo, & in pingui cervice armatus est. Quæ pinguedo non solùm in rerum opulentia constat, sed in abundanti superbia, qua se quisque peccando excusat, & se tuetur multitudine peccantium, ut suum paruum, aut nullum videatur sibi esse peccatum. Pinguis enim cervix est, quæ abundantia rerum extollitur, valetudine corporis labitur in luxuriam: quæ se post peccatum excusando tuetur, ante peccata cumulando gloriatur.
Psalm. 21. Sæpe pinguedo accipitur pro scientia terrenorum alta sapientium, de quibus per Psalmistam dicitur: Tauri pingues obsederunt me. In persona Christi, spiritu prophetico loquebatur David, quod scribæ & Pharisæi secundùm carnem alta sapientes circundederunt Dominum Christum ad interemptionem. Quod & sæpe nunc in perversis hominibus agitur, ut terrena sapientia inflati, quæ Christi sunt doctrina moribusque confundant.
Isaiæ. 30. In quibus pinguibus tenuitatem se Dominus missurum per Isaiam comminatur, dicens: Mittam in pinguibus tenuitatem, ut infirmati ex defectu virtutis, & tabe vitiorum, multatione divinæ justitiæ amplius infirmentur. Mala quæcunque pinquedo, unde infirmitas oritur: ac per hoc, omnibus sic malè prohiberi dicitur. Pro-
Psalm. 72 diit quasi ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis. Sed regulus audiens adventum Jesu, accedit ad eum. Regulus quidem intellectus rationalis est, cunctorum ratione utentium, qui regere debet amorem, tanquam filium imperitum, & ab eo removere lædentia, & sibi utilia providere. Nam philos Græcè, Latine amor, unde filius patris amor. Intellectus siquidem amoris generat, Nihil enim amatur nisi cognitum. Et ab intellectu procedit in aliquid diffusus amor, quamvis amativa virtus, æquè ut intellectus insit hominibus à natura. Proinde ista infirmitas est ex patre, cùm amor in aliud non feratur, præterquam in id, quòd ei superior intellectus velut bonum ostenderit. Nunquam errat amor, aut infimatur, nisi ab intellectu deceptus: cùm ex se non quid, sed tantum diligere novit, cui multa non diligenda, sed ad diligendum erroneus aut perversus intellectus ostendit. Sed interdùm ad bona seu ad meliora conversus, quærit à superiore sanitatem pro amore, quem infirmavit: cùm ipse in languorem tantùm deducere potuerit, non sanare. Prius quidem expedit sanari erroneum intellectum, ut rectè intelligat, & tunc velut regulus optimè intra regens pro hujusce modi filio sanitatem inquirat ab eo, qui quomodolibet potest sanare percussum. Et petit regulus iste Christi descensum, ut sanet filium suum. Fortè corporaliter in loco erat, à quo descensus erat ad Capharnaum, sed sensus alius plus elucet. Non potest esse nobis sanitas, nisi ad nos virtus divina descendat, cùm ad ipsam in sua celsitudine consistentem non possumus ascendere, quanquam regulus accesserit quo filius infirmus nequiverit. Fit protinus, quod intellectus in sublime virtutis & rerum humanarum, acultate intelligentiæ atque fidei, velut quibusdam pennis attollitur: ad quæ amor hominum rerum visibilium pinguedine delectatus, nequit suo molimine subleuari. Optima necessariaque oratio quatenus Jesus, quo infirmi jacemus, descendat, non necessitate videndi, aut majoris exhibendi effectus ratione præsentiæ, sed nostra opportunitate medendi, cùm ubique, absque quòd corporis præsentiam præstet, cùm voluerit sua effectiva virtus infunditur. Imperfectionem tamen fidei arguebat in regulo, si credebat Christum plus præsentialiter, quàm in absentia posse conferre salutis. Instabat audaciter & supplex ut descenderet & sanaret. Cujus rei causam evangelista subinfert, dicens: Incipiebat enim mori. Non potest inficiari, quodab eo, quo invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, exipso quòd quis incipit vivere, incipit & mori, quia nihil non vivens tendit in mortem, sed quòd vivere potest, & mori debet, cùm vivere cœperit, & mori penitus incipit. Et affectus aut animus nostri, qui sic factus est, ut mori ejus natura non possit, tunc à vera vita incboat mortem, cùm ab ipsa diversus ad egena convertit. Tanto quisque mortem incipit per miseriam atque culpam, quanto se ab ipsa summa vita divertit, & (quòd dicitur) reconvertitur. *Jesus verò ad eum dixit*, velut increpativè loquens: *Nisi signa & prodigia videri*.

videritis, non creditis. Hoc pro tanto salvator omnium utilit, ejus quia expetebat præsentiam, non credens quòd posset absens efficere quod præsens, cùm neque major ex præsentia, neque minor ex absentia virtus ipsa consistat. Et ad defectum credentium scribitur, ad credendum signa & prodigia perquirere. Non enim ex his fides, sed ipsa ex fide. Nihilominus salvator supplens quòd ei deficiebat in fide, alienus quòd ipse in fide non meruent, sibi sua benignitate providit, dicens: *Vade, filius tuus vivit*, scilicet ex virtute mea, jam sibi deficiente natura, ut mori jam inciperet, fuissetquè mortuus, invalescente languore, nisi revocassem, quòd necat: *Credidit verò sermoni, quem dixerat illi Jesus, & ibat.* Adaucta & huic fides in verbo Domini, ut simpliciter crederet non amplius expetendo præsentiam. Nam nemo sibi fidem ad plenum vendicare potest, nisi Deus dederit auxeritquè. Nec solùm sermoni credidit, quia sic prolatus erat secundùm virtutem divinam, in eo quod dixerit: Et ibat plenè fidelis, magis gaudens de fide, quàm de liberata prole. *Jam eo descendente:* quia sic regio sita erat, *servi occurrerunt ei, dicentes: quia filius ejus viveret.* Servi soliciti circa filii languorem patrisquè dolorem nunciant filii convalescentiam, ut patris mœstitia mitigetur. Optima seruorum conditio, cùm Dominorum saragunt removere dolorem. *Interrogabat autem horam ab eis, in qua melius habuerat*: ut apponeret horam liberationis, & prolati à Jesu sermonis, ad cognoscendum experimento, sicut fide acceperat, an tantùm divina virtus, an natura seu medica peritia filio subvenisset. *Et dicebant ei servi, quòd heri hora septima reliquit eum febris. Tunc apertè cognovit, quia illa hora erat, qua dixit ei Jesus: filius tuus vivit.* Et virtuti divinæ filii liberationem attribuit, non naturæ nec alicui humanæ subventioni. Et credidit ipse, & domus ejus tota, scilicet omnis familia credendo transivit ad Christum, etiam liberatus à febre, cùm in se cognovisset divinum operatum esse medicum, non humanum. Liberatus à febre filius septima hora diei, liberationem humani affectus insinuat, ab inæqualitate rerum temporalium æstuatus, aut infrigidatus à perversa timore, propter carentiam charitatis: febricitans siquidem, aut nimio calore aut frigore torquente, vexatur. Septima hora hic filius relictus à febre in potestate verbi Domini: non in terminatione sudoris, aut argumento naturæ, seu medicinalis peritiæ. Fecit salvator ineffabilis & medicus supra naturam cùm hora labentis temporis jam convenire virtutem, ut etiam indigens illius opis agnosceret, & agnitum fateretur. Nec tamen alligatam divinam potentiam horæ septimæ autumamus, ac si in aliis potenter aliquid non effecerit. Etenim primo mane & tertia & sexta & nona & undecima sunt conducti & missi operarii in vineam ad salutem. Et hora diluculi venit ad templum: & mane facto, præsentatus est præsidi, & tertia damnatus, & sexta crucifixus est, & nona expiravit in cruce, & undecima depositus inde, & ultima sepultus, & matutinali resurrexit. Et primo mane apparvit Mariæ Magdalenæ. Et hora tertia missus est Spiritus Sanctus ex alto. Et nulla dies & hora & momentum prætereunt, quin pro nobis salvator aliquid boni fecerit. Proinde non contemnendus, cùm signanter describitur numerus,

Matth. 9. Marci. 5. Lucæ 8.

Matth. 20. Joan. 18. March. 27.

Marci 16. Actor. 2.

Cap. XIX.

De sanatione Hemorrhoissæ, secundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

IN alio loco de sanatione hujus fuerat differendum, cùm prævenit suscitatione pulleam. Nam cùm Jesus archisynagogum sequeretur, ut filiam ejus excitaret à morte: *Ecce mulier quæ fluxum sanguinis patiebatur. annis duodecim aut in profluvio sanguinis erat. Et fuerat multa perpessa à compluribus medicis, & erogaverat omnia sua*, scilicet substantiam suam, *nec quicquam profecerat, sed magis deterius habebat, nec ab illo potuit curari. Cùm audisset de JESU, venit in turba retro, & tetigit vestimentum ejus. Dicebat intra se: Si tetigero tantum fimbriam vestimenti ejus, salva ero.* Et confestim siccatus est fons sanguinis ejus & cessavit fluxus, & sensit corpore, quod sanata esset à plaga. Et statim JESUS cognoscens in semetipso virtutem quæ exierat de eo, conversus ad turbam, ajebat: Quis tetigit vestimenta mea? Aut quis me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: Præceptor, turbæ te

te comprimunt, & affligunt, & tu dicis quis me tetigit? Dicit eis: Tetigit me aliquis, nam & ego cognovi virtutem de me exiisse. Et circum ſpiciebant & viderunt mulierem quæ hoc fecerat. Videns autem mulier, quòd non latuit, ſciens quòd factum eſſet in ſe, timens & tremens venit, & procidit ante pedes illius, & ob quam cauſam tetigerat eum, indicavit coram omni populo: & quemadmodum confeſtim ſanata eſt. At ipſe dixit: Filia, fides tua te ſalvam fecit, vade in pace. Patenter Evangelica hiſtoria pandit, quòd, cùm Chriſtus ad archiſynagogi filiam vocaretur & iret, iſta prævenit tot annis ſanguinis fatigata profluvio, quot illa puella erat ætatis, ut præter comparationem populi Judaici populum ad gentilem, quorum tunc unus infirmatus eſt quando alter divina rudimenta ſuſcepit, ad moralem ſenſum eruditiùs animus fertur, ut quanto ſe protendit puritas, tanto impuritas infirmetur. Et pro quanto virtus exiſtit in pretio, prò tanto vileſcat & vitium, ut & quanto illa extollitur laudibus, tanto illud opprobriis laceretur. Nec non & virtute naſcente, vitium è regione conſurgat, aut in notitia luceſcente ſuo contrario, aut in pugna cum ſua æmula, quam ſemper conatur extinguere. Non vacat à myſterio horum proportio temporum, ut quot una ætatis, tot altera in infirmitate annos habuit. Sed fluxus ſanguinis, infirmitas hujus erat, in omne genus peccatorum carnalium ſine intermiſſione ſeu deciſione defluere, à quibus Pſalmiſta ſe liberari poſcebat, dicens: Libera me de ſanguinibus. Pſalm 50. Oſeæ. 4. Et alius propheta, horum multiplicitatem videns, dicebat: Sanguinem tetigit. Et quoniam per ſanguinem ſignatur peccatum, per ſanguinem in veteri teſtamento fiebat expiatio peccatorum: & in novo, Chriſtus per proprium ſanguinem omnes ſanguines naturæ humanæ delevit. Et infirmitatem hujuſcemodi malè patiens, à naturæ auxilio à medicorum argumentis diffiſa; in quibus omnem ſubſtantiam fuderat pro ſanitate captanda, fide actúque acceſſit ad Chriſtum, qui præter naturam & artem refundebat hominibus ſanitatem. Et quanquam prout textus alloquitur, re ipſa vera conſtiterint, ſpiritu quidem ſimilia ſæpe fiunt, ut nihil natura profit, aut valeat quempiam retinere à vitiis, nec oratores, aut ſacerdotes, & quicunque cauſam apud Deum bene vivendi peritia ſunt aut creduntur adepti, in quos ſæpe pro precibus fundendis ad Deum temporalia bona multa funduntur, revocare valeant à peccatis aut obtinere, ſi non in fidei humilitate omni ſpe abjecta viventium, inretroverſibiliter veniatur ad Chriſtum. Non quòd ſupervacuum dixerim impendere temporalem ſubſtantiam his, quos dignos & egenos credimus: ut eorum interceſſio fiat ad Deum, nec audire doctos viros, dum in veritate indigentibus prædicant & quoſcunque doctores, & eis emolumenta terrena impendere pro mercede ſuadente neceſſitate. Sed nec iſta fluxibilem animam curat, niſi per ſeipſam retro ſua ſequendo veſtigia confidenter, & humiliter accedat ad Chriſtum. Sed anima fit ſæpe deterior ſub cura mortalium, etiam optimorum, niſi corde deliberet, actuque perficiat tangere fimbriam ſalvatoris, quæ fimbria Chriſti mores enunciat, qui tacti, non crediti tantum ſanant. Eſt & veſtimentum, eſt & fimbria, id eſt, extrema pars veſtis ornatior atque pretioſior ad decorem veſtiti conſuta, quam in veteri teſtamento videbatur ſummus ſacerdos habere, cùm malis Punicis, atque tintinnabulis interpoſitis alternatim, ut in Chriſto ſonum prædicationis enunciet Chriſti per fimbriam omnia tangi. Quis incarnationem ejus atque nativitatem, illamque unionem potuit & cætera Chriſti myſteria per omnia tangere atque explicare? Sed Chriſti mores in carne geſti tangi potuerunt quodammodo ad ſequelam, quia immutabiles, ſi non ad plenum, ſaltem in ſua parte fuerunt. Ieiunare, orare, prædicare, proximo ſervire, compati animo, ſubvenire ope, fieri ſiquidem poteſt: & patientem eſſe ad lædentem, humilem loco, ſic ſeipſum exhibere impoſſibilitate caret. Et contemplativum & ſegregatum fieri à non opportunis, & ſecedere in deſertum & in quietas partes, & ob metum cedere improbitatibus & improbis, fugam facere humilem: nec non doctos per eum mores facultas ex gratia plenè adeſt, & inexcuſabiliter adultis. Et hæc eſt fimbria Chriſti veſtimenti, quæ à fœmina tangitur fluxum patiente ſcilicet ab eccleſia collecta gentibus, & à quacunque anima tali vitio laborante. Quam, cùm tetigiſſet, ſtatim ſiccatus eſt fons, ſeu ceſſavit fluxus ſanguinis: fons, quia fundebat: fluxus, quia fluebat, ſiccatus eſt, ut non funderetur: fluxus, ne flueret ſanguis ſcilicet peccati ab intimis ad actus exteriores turpiter defluentis. Salutaris effectus optima & congrua præcedentia in ſe habuit. Primo ſiquidem audivit.

Nam

Nam & auditus per Verbum DEI eſt. Deinde non otioſa ex auditu venit in turbam, nec ſingularis manſit, ſed venit. Sequentium atque credentium Chriſtum nemo ſibi arroget, quòd absque communitate credentium & communi Chriſtianorum fide, nec non & absque ſequela poſſibili t non in ſingularitate morum, ſed in vera communitate cum unitate credentium ſalus aliunde ſibi proveniat. Acceſſit retro, velut Dominica ſecutura veſtigia, non ante, ne præire videretur Dominicam voluntatem. In ſemetipſa ſanè deliberat, quòd ad veſtimentorum tactum ſit ipſa receptura optatam ſanitatem. Veſtimentum Chriſti, humana caro ab ipſo ſuſcepta. Fimbria, ornamentum morum atque geſtorum ejus. Nam in ſua carne olim Salvator oſtendit urbanitatem regni cœlorum, ad quam ſequendam invitavit præſentes atque futuros
Matth. 10. audientes, dicens: Quj vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem
Joan. 8. ſuam, & ſequatur me. Et alibi: Ego ſum
Joan. 12. lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Et alibi: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Senſit illa corpore, quòd ſanata eſſet à plaga. Non prodibant divina miracula, etiam quæ viſibiliter & in corpore agebantur, ſine ſenſitiva cognitione illorum, qui recipiebant: quia, quod agebatur in ſenſu corporeo, ſentiri neceſſarium erat corporis qualitate mutata, & æquè ſenſibile corpus ſe ſanum, ut infirmum agnoſcat. Nam velut percipitur oculis, cùm lux depellit tenebras, ſic cùm dolorem & paſſionem malam ſanitas fugat: ſic & anima ſentit levamen à malis, cùm ſibi gratiæ infunditur ſanitas. Et ſicut ipſa fluxum patiens ſenſit, cùm ceſſavit, ſic & ille DEUS homo quando de ſe virtutem emiſit. Proinde illico dixit: Tetigit me aliquis? Et ignorans Petrus cum cæteris, quam ob cauſam Chriſtus hoc dixerit, reſpondit: Præceptor, turbæ te comprimunt, & affligunt, & tu ducis, quis me tetigit? Verè JEſum turbæ comprimebant, quia de facili turbantur & turbant, & ex peccatis turbarum compreſſus interiit. Sed nec turbæ firmato propoſito tetigerunt, ſperantes inde virtutem: ſed mulier una, ſola Eccleſia videlicet collecta de gentibus. Et ſæpe in his turbis, quæ crediderunt, ſingularis fidei fervor obtinet, quæ multitudo nequivit, maximè dum in turbis credentium non ſit ſemper una, ſeu æqua neceſſitas. Nec ha-
Matth. 9. bent opus medico ſani, ſed qui infirmitate detinentur. Attamen ne illi negarent, velut ignorantes, quod nec propoſito tactus eſſet JESUS, ex effectu virtutis ſe tactum omnino denunciat, nolens occultum manere, quod tanta fide agebatur in fœmina, & tanto myſterio fiebat in rem, quamquam & alibi ſciamus Dominum juſſiſſe ſua occultari miracula. Sed nec ipſe legibus moralibus alligatur, ut uniformiter ſemper faciat: cùm informiter nunquam ineedat. *Et circumſpiciebat videre mulierem, quæ hoc fecerat.* Videbat enim illâ, quoniam in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Sed in noritiam aſtantium & ſequentium turbarum illam venire cogebat, ut fieret evidentior atque certior fides pateſacto miraculo, & confirmaretur fides mulieris in ampliùs, & appellaretur in fide ſua, quæ per legem ſegregatum habebat, & confiteretur ore ad ſaluiem, quæ corde crediderat ad juſtitiam. Nec non & ut turbæ cognoſcerent, qualiter virtus divinæ largitatis infunditur, ut non ore petita, ſed corde verè credita concedatur. Et aliè contemplari oportet, quòd virtus diffuſa divina ſemper ſuiipſius diffuſiva, nunc ſingulariter pronuncietur emiſſa: niſi quia cùm ſemper diffunditur, non tamen ſemper operatur, velut ſolaris lux obice interjecta non ſemper in objecta refulget, non defectu irradiantis luminis, ſed interjecti obicis. Sic & virtus divina ſemper ageret ſupernaturales effectus, ſi ſe objecta ſuis infuſionibus coaptarent. Proinde Salvator aſſerit exiiſſe de ſe virtutem, quia invenit, ubi absque ſatana ſuum operaretur effectum. Et ipſe novit, qui ſunt ejus, & in quos operatur ſua virtus inviſibilis. *Videns igitur mulier, quia latere non poterat:* in conſpectu omnia cognoſcentis, *procidit ante pedes ejus*, timens ac tremens, nè velut indigna tangens digniſſimum Chriſtum, condemnaretur ex lege, aut ex temeritate, narrat rem coram omnibus à ſe geſtam, adjecit & cauſam, ſcilicet recuperandæ ſalutis in fide tacti hominis, & quod ſaluiem optatam ſuerat conſecuta. Miratur turba mulieris fidem, quam & Salvator, ut in illam animet circumſtantes, magnis laudibus effert cùm filiam vocat in fide fundatam, & fidei attribuit ſanitatem. *Quia fides tua te ſalvam fecit.* Non virtus tua, ſed Medici: non ego ſine fide tua, ſed fides tua. Scilicet à te credita virtus mea. Hominem quidem mortalem oculis aſpexiſti, non ab aliis in natura diverſum, ſed ultra hominem in illo crediditi virtutem. Quamobrem fides tua te ſalvam fecit. Sed quoniam nobilibus actionibus & ſtrenuis alta præmia conceduntur, nihil in actionibus inviſibilibus altiùs, quàm fidei directionibus regulari, nihilque deſideratius, quàm pace potiri, ut igitur fiat retributio digna, dignè dicens: *Vade in pace.* Sed nec pax ab hoſte, niſi eo concordato, ſive ſubacto, neque pax cum cæteris, niſi ordine cuſtodito. Nec pax fi-

deli animæ, nisi succedat visio DEI. Ac per hoc unde ista mulier, quasi pro præmio fidei in pace dimittitur, nisi quia Deo grata facta per fidem, infirmitate depulsa recepit corporis sanitatem. Et pax quidem corporis omnium sanitas est membrorum, ut ex hoc ad nostra invisibilia transeamus, & tunc credatur animæ pax, cùm nulla erit infirmitas, cùm omnis, quæ Christus est, aderit sanitas.

Cap. XX.

De illuminatione duorum cæcorum, secundùm Matthæum tantùm.

A Multis, imo ferè ab omnibus horrenda est corporis cæcitas, quia non videntur visibilia DEI, per quæ ad invisibilia consideranda humanus animus rapitur. Sed plerique non dolent illam incurrisse, quia ex visis gradus ad invisibilia contemplanda non ponitur, sed quia transitoria delectatio ista ex rerum visione carpitur. Sed interior cæcitas flenda amplius, cùm interior animus suo privatur lumine, ut non videat illam ineffabilem pulchritudinem universi, qua turbari non potest divinum imperium, ut in aliquo reprehendi possit à præsumptione mortalium: nec illam ineffabilem divinam prudentiam qua omnia suis dispositionibus inculpatè decurrunt. Et quod solum rationalis creatura malè usa libertate concessa reprehensibile atque damnabile fecit: non fortuna, non fatum, non syderum cursus, non divina præscientia perperam agere rationalem creaturam aliquando coarctavit. Nec illam divinam intuetur bonitatem puris animis semper esse præsentem. Cessaret quippe audacia hominum in DEO, & de DEO jaculari judicia, si mentalibus oculis infpiceret veritatem. Deflenda & corrigenda cæcitas, non illius carentia visionis, quæ hominibus & bestiis noscitur esse communis. Sed à Christo multi curati sunt corporaliter cæci, ut eatur introrsus ad poscendam illuminationem invisibilium oculorum inviſibiliter intuentium. Nam transeunte JESU à loco ubi Archi-Synagogi filiam à morte levaverat, *secuti sunt ei duo cæci, clamantes & dicentes: Miserere nostri fili David.* Matth. 9. & 20. Cæci corpore, jam mente videbant, quia in fide sequebantur illam lucem, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Melius videre mente quàm corpore, ut post vitæ vadatur authorem. Nec movetur passibus anima, sed affectibus, ut ex lumine possit pergere, quia nequit terreum corpus, aut aëreum, aut igneum, etiam quacunque velocitate, aut agilitate dotatum. Implorant misericordiam, nam à miseria permebantur, à qua liberari quærebant & exigunt à filio David, quoniam sic JEsum audierant nominari. Hæc enim fides ex auditu eis erat. *Cùm autem quandam domum* Salvator omnium *intrasset*, ut eis & aliis facilior esset accessus, nam commodè commodum in locis & temporibus commoditatibus hominum semper se coaptabat. *Et accesserunt ad eum cæci*, ducatu hominum corpore, fide duce accesserunt mente. *Et dixit eis JEsus: Creditis quia hoc possum facere vobis? Dicunt ei: utique Domine.* Ob hanc causam JEsus sic interrogat, quia filium David vocaverant, si plus in ipso, quàm in cæteris hominibus crederent, & si amplius in ipso, quàm de communi hominis filio existimarent. Nam filius David erat ex carne longa generationis interjecta traduce, sed ex hoc sibi miracula patrare non erat, sed ex Deitate, quia filius DEI erat. At illi fide in majora subvecti, confitentur ejus potentiam divinam esse, non humanam. *Tunc Salvator tetigit oculos eorum, dicens: Secundùm fidem vestram, fiat vobis.* Tangit oculos manu, visu carentes, ut confirmetur eorum assertio, quia filium David ex carne vocabant, ut scirent eum iterum corpus habere impressione manus edita super corpus. Et ex Deitate aperit oculos reseratos, trajiciens in fidem illam, qua eum posse facere non dubitabant. Et ad mensuram fidei, reddendum lumen ipse promittit, ut nec amplius credatur consequi posse Salvatoris omnium beneficia, nisi quantum fidei adhæsent omnia receptura & divinæ opis indigens. *Et aperti sunt oculi eorum.* Insistente fide ad divinum imperium. *Et volens* quodam modo latere Christus, aut fidem illorum amplius experiri, *comminatus est illis, dicens: Videte ne quis sciat.* Et mirum videtur mentibus hujuscemodi prohibitio, ne sciantur sua miracula, cùm Hemorrhoissam ad confitendum publicè ipse compulit. Sed nec quis de alternatione præceptorum, & omnium operum suorum, verborum, aut cogitationum altercatione contendat, noverit justis causis ipsum variasse edicta, ut nunc palam fieri, nunc occultum fieri ipse voluerit, nunc prohibere, quæ noluerit observari, nec vitandæ laudis præstare materiam, nunc ad utilitatem credentium velle laudari,

ri, & ut DEUS agnoſci: *Illi autem* ne viderentur ingrati & condemnatione digni, ſi recepta beneficia ſiluiſſent, exeuntes ab eo, & de domo, *diffamaverunt eum in totam terram illam.* Diffamaverant quidem non vitio, ſed almifica fama, qua ſupra homines in ſuis actionibus ferebatur, cùm eorum aperuit oculos, quos oſtendebant hominibus ab eo ſolo tactu & verbo imperioſo eſſe illuminatos, quos paulo ante ipſi aſpexerant cæcos. Nec incurrerunt criminis notam, comminationem Domini non verentes in notificatione geſtorum, cùm reddendi ſunt laudabiles, qui beneficia Domini divulgant, ut creſcat audientium pietas, & fides multiplicet ipſa fideles. Optimum eſt dona prædicare divina, & DEO, non ſibi attribuere, quod accepit: & alios invitare ad fidem, provocare ad ſpem, animare ad amorem, & concionem facere, ut divinam veniatur in laudem.

Cap. XXI.

De muto & dæmonium habente; ſecundùm Matthæum tantùm. Et de curatione multorum.

Matth. 9. EGreſſis autem illis, ſcilicet duobus cæcis, *obtulerunt ei hominem mutum & dæmonium habentem. Et ejecto dæmone, locutus eſt mutus. Et mirata ſunt turbæ, dicentes. Nunquam apparuit ſic in Iſrael.* Verè nunquam apparuit talis in Iſraël, qui talia faceret, aut poſſet: quia nemo niſi unus homo DEUS. Alium mutum & cæcum & dæmonium habentem infra habebimus, idcirco hic ſilentio transeundum eſt. *Et circuibat JEſus omnes civitates, & caſtella, docens in Synagogis eorum & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem.* Nec otioſe, nec perdirè Chriſtus agebat. Erat ſiquidem in laboribus oportunus, circumjens habitationes mortalium & civitates, & manufacta caſtella, ut eos ad cœleſtem civitatem omnes invitaret: quia ſecundùm
Hebr. 13. Apoſtolum, non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus. Non declinabat pauciorés ob multitudinem, neque ruſticos propter urbanitatem, civitates & caſtella perquirens. Et in Synagogis in congregationibus quidem prædicans Evangelium regni, non temporalis, ſed æterni. Nam complectens brevi deffinitione ſanctum Evangelium, nihil aliud eſt, niſi diverſis doctrinis vocatio ad regnum æternum. Et curabat omnem languorem & infirmitatem: quia nullum malum per culpam in natura condita introductum ſuæ potentiæ reſiſtebat Venerat enim ipſe naturam conditam liberare à malo culpabili & pœnali. *Videns autem JEſus turbas, miſertus eſt eis, quia erant vexati jacentes ſicut oves non habentes paſtorem.* Miſeretur, quia miſerias hominem novit, in eo, quòd à dæmonibus limitè vexabantur: ut depravatis affectibus & moribus vivant, quos ſecum optant in pœnis habere conſortes. Et vidit jacentes inclinato animo ad terrena, ſicut oves non habentes paſtorem, quæ paſci neſciunt in montibus aliis virtutum & divinorum Sacramentorum, nec ſe tueri à luporum infernalium morſibus, non aſſiſtente ſive gubernante paſtore. Sæpe jacuerunt homines in malis voluptatibus proſtrati, absque paſtore neglecti non requirente rationales oves, plerumque verò in lupum converſo ſubjectos devorantem & propulſantem ad mala. Sæpéque bonus inventus eſt paſtor, ad cujus vocem excitationémque malè delectatus grex ovium non ſurrexit.

Cap. XXII.

De curatione hominis manum aridam habentis: ſecundùm Matthæum, Marcum, & Lucam.

IN omni membro corporis humani naturam notamus eſſe multatam illius peccati merito, quo protoplaſtus omnes infecit, ut etiam manus, in qua eſt hominis actio, quæ ſibi ad operandum eſt tradita, ut operaretur & cuſtodiret ſibi commiſſum, etiam in ſubſequentibus ſuis, quamvis non in cunctis & ſinguis etiam punita eſt: non ſolùm ſiquidem ex punitione humanæ ultricisque juſtitiæ, ſed etiam punitione originalis juſtitiæ prætermiſſæ. Hinc in Evangelio legimus: quòd, *cùm JEſus intraſſet in Synagogam Judæorum, & ecce homo manum habens aridam. Interrogabant eum, dicentes: Si licet Sabbato curare? Ut accuſarent eum.* Sæpe legimus JEſum Synagogas intraſſe Judæorum, ut doceret legem ex lege, atque aperiret clauſam intelligentiam veteris legis, quæ intra literam & ſenſus hiſtoricos tenebatur. Et ut interrogans

Matth. 12. Marc. 3. Luc. 6.

intellectus depelleret tarditatem, interrogatus in veritate apologiam daret, & per mira opera ſe monſtraret in lege promiſſum verum eſſe Meſſiam. Et ecce homo, à ſeipſo aut ab aliis introductus, adveniens, manum aridam habens ſcilicet dexteram. Arida manus, operationem ſterilem aut nullam inſinuat. Non autem ariditas in Scriptura Sacra æquè damnatur. Etenim juſſit aquas congregari ad locum unum, ut arida videretur. Et aridam firmaverunt manus
Gen. 2. ejus. Apparitio aridæ, ut deſuper ab ea defluat, fluxibile protinus elementum ab ipſa in apparentia fiat, velut ceſſante aqua cauſa humida, quid fructificet arida terra, demonſtrat. Non arida omni aquæ humore depulſo, ſed ut terræ aridum elementum in ſua ſpecie diſtinctè, ut factum eſt, appareret. Sed arida manus, ex iſto prævaricationis actu, in multatione facta, quo tactum eſt vetitum pomum, & vitium habet non debitæ actionis, quia dextera ei arida erat. Dextera quippe manus operationem inſinuat pro ſupernis, & infallibiles actiones. Nam in dextera navigii miſſum rete capturam magnam & infallibilem fecit. Et cùm ſic iſte aridus eſſet adductus, oritur diſputatio ad calumniam ex animo Judæorum: ex Chriſto ſiquidem veram doctrinam, ſi quæ noſcitur, verior obſervatio Sabbathorum. Interrogant Judæi Chriſtum, interrogat ipſe Judæos: Si licet Sabbatho curare? Illi ut accuſent: ille, ut doceat & perficiat opus ejus. *Et ait homini, qui habebat manum aridam: Surge, ſta in medio. Et ſurgens ſtetit.* Statuitur in medio velut judicandus, aut abſolvendus, aut ſanandus, vel in ſua infirmitate dimittendus. Inter iniquitatem & pietatem poſitus eſt: inter falsò judicantes & rectè diſcernentem conſtitutus eſt. Interrogat pietas: interrogat veritas: interrogat vera decernens: *ſi licet Sabbatho benefacere, an malè: animam ſalvam facere, an perdere?* Et adjecit paradigma. *Quis erit ex vobis homo, qui habeat ovem unam, & ſi ceciderit hæc Sabbathis in foveam, nonne tenebit & levabit eam: quantò magis eſt homo melior ove? Itaque licet Sabbathis curare: At illi tacebant. Et circumſpiciens eos omnes, cùm ira contriſtatus ſuper cæcitatem cordis eorum: tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera.* Sabbatha celebrare contigit Judæis in figura: nam non eſt Sabbathum celebrandum ab operibus bonis, ſed à malis. Et ex paradigmate convincuntur Judæi: quoniam, cùm ſuadet neceſſitas, etiam corporaliter ſibiipſis in rerum perditione ſubveniunt: quantò magis facienda ſunt bona in hominibus die Sabbathi, & impendenda indigentibus opera charitatis. Non ſolvitur Sabbatum ex operibus juſtis & piis, ex impenſione bonorum & relevatione oppreſſorum, nec ex auxilio miſerorum. Et contriſtatus Chriſtus ſuper hominum cæcitatem, cùm nolumus aut nequeamus ex litera intelligentiæ carpere veritatem. Nam ſæpe factam Chriſto legimus de Sabbatho quæſtionem, cùm miracula ipſe plura operaretur in Sabbatho. Et ipſe quidem vigilanter die illo ſua operabatur miracula, ut quæſtione Judæorum exorta, veritas ex ſua doctrina clareſceret; quoniam Sabbathum dies eſt quietis, & nemo ſanus, niſi quieſcat, nemo quieſcit, niſi ad ipſum perveniat, nemo pervenit, niſi qui ab impedimentis omnino receſſit. Sed verum Sabbathum noſtrum erit in requiem ſupernorum, ubi depulſa erit omnis infirmitas, ubi ex omni parte ſanitas plena erit. Sanat hunc Dominus Sabbatho manum aridam in bonitate naturali reſtituens, ut pro Sabbatho vitæ ſupernæ opera recta & competentia operetur. Et ſiqua miracula fecit in Sabbatho, id aſtruunt mentibus hominum, ut ea membra deperdita, quæ bonitate naturæ carebant, quæ inſtrumenta virtutum eſſe non poterant, reſtituta in illam pro æterno Sabbatho non otiosè agant debitas actiones.

Cap. XXIII.

De curatione dæmoniaci cæci & muti: ſecundum Matthæum, & Lucam.

INter omnia mala, quæ naturam demerito protoplaſtorum occupaverunt, & hoſtiliter invaſerunt humanam: hoc horrendius, quod homo poſſit à dæmone poſſideri & vexari, non ſolùm in anima, in qua dæmoniacorum infinitus eſt numerus, ſed etiam in corpore, ubi corporeus opprimitur ſenſus. Et ea juſtitiæ vindicta ſic eſt in homine vindicatum, quo divinitatem appetiit, ut dæmoniis etiam in corpore traderetur. Cæcitas etiam ex vindicario jure, quo in vetitum ipſorum eſt directus aſpectus. Mutitas verò, quoniam habuerunt colloquium cum ſerpente, in quo diabolus loquebatur, ut divina obedientia frangeretur. Sed venerat Chriſtus oſtendere hominibus mala, quæ juſtè patiebantur, & afferre medelam his, qui ad eum converte-

ban-

bantur, ut etiam videntes animarentur ad fidem: ad cognoſcendum in homine DEum, in creatura Creatorem, in mortali corpore immortalem: & ſuper deſperatis malis expellendis, divinam adeſſe virtutem. Unde *oblatus eſt Chriſto dæmonium habens,*
Matth. 12. *cæcus & mutus. Et curavit eum, ita ut*
Luc. 11. *loqueretur & videret.* Lucas tacet cæcitatem, & ſic inquit: *Erat JEſus ejiciens dæmonium, & illud erat mutum. Et cùm ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.* Luce clariùs patet, quod ſenſus in iſto confundebatur ex dæmone: quo ejecto, vidit & locutus eſt: ut ſæpe in perditis moribus hominum ſic credamus, quòd malitia ſatanæ fiat in his, qui ſibi ſimiles facti ſunt, quòd ſenſus natura vigiles opprimantur: ut cùm homo videre poſſit ſibi natura propinquum, & audire ſibi familiariter loqui, & dicit ſæpe, quod nequit. Cui aliunde facultas non defuit, niſi ex eo, quòd à diabolo detentus, factus eſt ſimilis. Oportet igitur, quòd ante illam diabolicam ſimilitudinem abrogemus, ſi officiis ſenſuum cum proximis participare contendimus. Nec non & dæmon, cùm ſerpendo corda hominum penetraverit, excæcat oculos mentis, & obnubilat interiorem aſpectum, quo veritatem & virtutem in ratione, DEUM in fide anima intuetur. Et claudit aurem obedientiæ, ut anima contumax fiat: & horrendam mutitatem inducit, ne laudetur & glorificetur in omnibus
Rom. 10. DEUS, & ne proximum ore ſuadendo ac diſſuadendo juvet, & ne ſeipſum accuſet: maximè præintendens, quia corde creditur ad juſtitiam, ne ore fiat confeſſio ad ſalutem. Sed non ejicitur dæmon ab eo, quem invaſit humana potentia, niſi potentioris manus adveniat. Proinde hic oblatus eſt Chriſto, qui dæmonum terror & Dominus erat. Hinc Chriſto ſe offerat, qui ab hoc nefando imperio detinetur, cui ſe potuit in dominium tradere, ſed non ſua poteſtate liberari. Divina tamen providentia homines protegit, ne ab ipſis, etiam, cùm evaſerint, libertas arbitrii auferatur. Non enim tantùm deſævire poſſunt in homines, quantùm cupiunt, nam & rationem vellent auferre, virtutem ſimiliter, & arbitrii libertatem, qua omnino dempta ſemel lapſus non adjiceret, ut reſurgat. Sed quamdiu in hac vita ſumus, prædominante in nobis judicio rationis redire ad Chriſtum adeſt plena & donata libertas. Igitur præſenteris Deo dæmonium paſſus, aut concupiſcentiæ non natura, ſed voluntate perverſa dæmon effectus, ut ipſum ejiciat, tèque ſenſibus tuis plenè reſtituat. Quod cùm in homine factum eſſet, & vigor ſenſuum rediret ad ſenſus, ſtupor in turbis naſcitur, & eſt admiratio ſubſecuta. Sed nec mirum. Mirum autem eſſet, ſi non mirarentur, cùm viderent hominem à diabolo poſſeſſum, ſenſuum valetudine deſtitutum, in libertatem & ſanitatem ultra humanam potentiam provehi. Nec Chriſtum ſupra hominem credebant attolli, ita ut dicerent: *Nonne hic eſt filius David?* Ac ſi eſt filius David generatione traditâ, plus quàm homo non eſt, & propellere ab obſeſſis corporibus dæmones non eſt in hominum poteſtate. Sed tamen turbæ non denegabant huic exiſtimato tamen homini ſupra hominem adeſſe virtutem, ſed mirabantur, & ſtupebant, quorum intellectus non in alta ferebatur. Sed hi, qui à diabolo poſſidebantur in anima amplius, quàm iſte curatus fuiſſet poſſeſſus in corpore, ſcilicet Phariſæi, hoc audientes dixerunt: *Hic non ejicit dæmonia, niſi in Beelzebub principe dæmoniorum.* Diabolici viri, non niſi diabolo eorum principi, eorum, quæ fiunt, tribuunt poteſtatem. Etenim ſuum Dominum honorando præveniunt. Famoſa eſt hiſtoria unde vocabulum Beelzebub fuerat exortum, & quamobrem attributus fuerit principatus, quam hic interſerere longum eſſet. Sed ob hoc Chriſto hanc objiciebant nefandiſſimam authoritatem, ut execratus à populo haberetur, non ut DEI filius, aut Propheta ſanctus cùm ſanctus Elias Propheta Ochoziam regem, DEI mandato arguerit, & corri- 4. Reg. 1.
puerit duos quinquagenarios ad ſe miſſos, eo quod miſent ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron, acſi non eſſet DEUS in Iſrael, ut ſic iſte merito tradendus eſſet exitio, qui ad Beelzebub, non ad verum DEum haberet in ſua operatione recurſum. Sed improbat JESUS, quàm ipſi improbiter ſint locuti, & eos ſua reſponſione confutat. *Qui ſciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum in ſeipſo diviſum, ſeu contra ſeipſum diviſum, deſolabitur. Et omnis domus diviſa contra ſe non ſtabit.* Meliora ſunt hæc, & hominum rationi experientia uſquequaque clariſſima, quod diviſione interjecta ruinæ omnia mancipantur. Et quoque modo connexa, diviſa depereunt regna, provinciæ, civitates, domus, familiæ, aut quocunque vinculo colligata, cùm in diſcordiam venerint, interitum faciunt. Ipſa quidem hominum & animalium corpora ex hoc intereunt, quod humores ex inæqualitate ab invicem dividuntur. Ac per hoc Salvator contra iſtos intendit, quia regnum dæmonum per omnia unitum eſt ad malum. Nec ſic in ſe noſcitur eſſe diviſum, quod hominibus amici ſint, ut poteſtate unius alter ab homine depellatur: ſed cùm in ſe diſcordiam habeant, à veriſſima pace averſi, ad noſtram, & in noſtra damnatio-

ne, noſtróque malo reperiuntur, nullo diſcrepante, concordes, & invariabile perſeverat regnum malignitatis ipſorum. Proinde Salvator infert: *Si ſatanas ſatanam ejicit, & adversùs ſe diviſus eſt, quomodo ergo ſtabit regnum ejus?* Sed regnum tenebroſum, atque ſatanicum ſtat, & in ſua pertinacia perſevérat, ergo ſatan non eſt diviſus. Si non diviſus, non ejicit ab homine in ſua natura & in depravatione conſortem. Si non ejicit ſatanas ſatanam, nec ego in nomine illius ab homine dæmonium depuli, ſed in ea virtute, qua mihi curvatur omne genu. *Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt? Ideo ipſi judices veſtri erunt.* Apoſtoli filii Judæorum, accepta poteſtate, ejiciebant dæmones: ſed nec Beelzebubinæ potentiæ attribuebant, ſic nec ſibi attribuere debebant hujuscemodi nefariam poteſtatem. Proinde inter cætera, quæ Apoſtoli ſint judicaturi in extremo judicio, cùm ſedebunt ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſraël, ſuper hoc deſantient, quòd cum ipſo Chriſto pellendi dæmones acceperunt poteſtatem, quod ipſe à ſatana non accepit. Alioquin ſequereter, quòd ipſi in poteſtate nefaria dæmones expuliſſent, quod de Apoſtolis legimus nunquam dictum. Porro *ſi in Spiritu DEI, aut in digito DEI*, quod idem eſt, *ejicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum DEI.* Chriſti reſponſione, confracta opinione Judæorum peſſima, regnum DEI in mundum veniſſe teſtatur, quia in virtute divina, ſcilicet in digito DEI, cui magi Pharaonis in Ægypto ſua falſa miracula æquare nequiverunt, in ſigno tertio tabeſcentes, qua etiam legem in tabulis lapidcis ſcripſit, dæmones ab obſeſſis hominibus procul pellit. Nam ex ſubjecta ſimilitudine fortioris ad fortem arguit, quòd non à ſatana ejectus eſt ſatanas, ſed ab eo, qui ſuper omnia regnat, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui per carnem venit in hanc tranſitoriam vitam, quærens in hominibus regnum: non quo magnificetur regnans, ſed quo rectus alius ſublevetur: non honore regnandi actus, ſed utilitate peccatorum. Etenim ipſum fugiſſe legimus, cùm turbæ ipſum vellent, more humano, facere ſibi regem, & regnum coram Pilato ſe denegavit habere terrenum. Pervenit in homines DEI regnum, cùm dæmonum eſt retruſa poteſtas, ut, quantùm cupiunt nocere, non poſſunt: nec invitè trahere ad loca tartarea, qui hujus regis & regni Evangelicam voluerint ſervare juſtitiam. Ac etiam quos improbiter detinebat, ipſe rex DEI regni liberaturus advenerat. Pervenit regnum DEI, cùm ipſe rex fortior Chriſtus ſupervenit ad diabolum fortem, ad deſtruendum imperium ejus, & ad divertendum homines à tyrannide illius: ut qui erant vaſa iræ, fierent vaſa miſericordiæ: & ipſe regnaret ſuper eos per miſericordiam & gratiam, ſuper quos rex ſuperbiæ diu regnaverat per iniquitatem & culpam, ut in neminem amplius poſſit jure tyrannico, præterquam in eos, qui libero arbitrio malè uſi, propria voluntate voluerint ſibi ſubdi, obedientes immundiſſimis legibus ejus, ſpreta lege ſupervenientis noviter regni DEI. Regnum DEI, ubi regnat DEUS per virtutem & gratiam. Regnum DEI, Eccleſia ſancta: Regnum DEI libertas à vitiis, habitúsque virtuum. Regnum Dei non in ceremoniis, ſed intra nos eſt. Regnum DEI amor eſt ejus. Regnum DEI promiſſio ſancta ejus beatitudo æterna: quod hic promittitur bonitate regis, hic acquiritur gratia ipſius pro nobis morientis, ibi percipitur ſui largitate donantis.

Apoc. 19. Joan. 9. Joan. 19.

1.

Exod. 8.

Cap. XXIV.

De curatione filiæ Cananææ à dæmonio vexatæ, ſecundùm Matthæum, & Marcum.

Diſtinctum in ſexu genus humanum editum, quamvis prior vir, deinde mater omnium Eva exiſtit, & ambo in prohibitum conſenſerunt, appetentes fieri ſicut Eloim, ſupra id quod ab Eloi humana natura ineſſe per Creatorem devenerat. Et propter illicitum appetitum rei ſuperioris, exarſerunt in ventum, unde graviter in eis eſt ultum, ut qui tunc ſolum rationem protoplaſtorum vexaverat, nunc etiam vexat & corpora, non tamen deſiſtens à vexationibus ſubſtantiæ potioris, prout concitare poteſt, & inviſibiliter vexare: non ſolùm ſimilorem partem, ut virum, ſed infirmiorem, ſcilicet mulierem: ut ipſa etiam, quanquam ab Apoſtolo ſeducta in illa prævaricatione dicatur, non vir, tantùm ſed & ipſa in appetitu Deitatis pariter cum viro deliquit: quo merito & ſexus fœmineus in paſſionem nefandi dæmonis devenit. *Nam cùm ſeceſſiſſet* JESUS *in partes Tyri & Sidonis, & ingreſſus neminem voluit ſcire, ſed non potuit latere. Et ecce mulier Cananæa gentilis, Syro-Phœniſſa genere, cujus filia habebat ſpiritum immundum: à finibus illis egreſſa, ut audivit de eo, introivit*

Gen. 3.

2. Tim. 2.

Matth. 15. Matth. 7.

&

& *procidit ante pedes ejus & clamabat, dicens: Miserere mei Domine fili David, filia mea à dæmonio vexatur. Et rogabat eum, ut dæmonium ejiceret à filia sua.* Antequam curatio subsequatur, præcedens ordo describitur. Secessus Christi JESU in partes Tyri & Sidonis civitatum gentilium, citò futuram approximationem per Apostolos ad gentes insinuat, ac demonstrat JESUM non esse acceptorem populorum & personarum, & fidem communicabilem factam Judæis atque gentilibus. Et quod ad fidem nullorum valentior est, sed omnibus potest esse æqua conventio: per quam non distinguuntur sexus, non populi, non aliquæ regiones, sed una existens omnibus, eodem modo potest esse communis. Solis similitudinem habet, cujus lumen omnibus æquè diffunditur, nisi præpediant obstacula interjecta. Tyrus quidem & Sidon civitates fuerunt gentilium, de quibus multa in sacra scriptura, & in historiis enarrantur. In quarum partes Christus secessit æquali amore affectus ad salutem gentilium, sicut & Judæorum, ubi expertus est facilitatem in fœmina veniendi ad fidem, cùm eis Evangelium innotesceret regni DEI. Et magnam aperuit sanctæ pertinaciæ viam, cùm sic illam mulierem pluries exprobravit. *Et ingressus neminem voluit scire.* Modus est dicendi, acsi noluisset sciri, se habuit: quod si penitus sic & fuisset omnino. *Sed non potuit latere, quia nolvit.* Nec simulatio culpabilis, sed ostendebat latebram, ut in illa propensius quæreretur ex fide. Ad experientiam fidei eorum gentilium, in quorum partes advenerat, latibulum finxit, sicut & post resurrectionem longius ire. Et cùm multi advenissent ad eum, tanquam omnino ad novum, & eis insolitum hominem, de ista singulariter textus loquitur, eo quòd ex defectu ab eà depulso facta sit famosior. *Et ecce mulier Cananæa; illam incolens patriam, quam Cananaica possedit exorta ex tertio Noë filio, scilicet Cham, cujus filius Chanaan. Et Syro-Phœnissa*, inter Syriam & Phœnicem provincias. Ex patria & ex sexu describitur, ex nomine subticetur, ut natura, non nomen existat in pretio, & ut omnino credatur gentilibus inferenda gratia, si ad fidem humiliari decreverint: & quòd patria nemini sit præjudicio, si ex omni se aspexerit in salutem. Sed neque demerita præcedentium subsequentibus derogant, si ex toto corde convertantur ad Dominum. Et ex iniquis proletariis oritur sæpè, qui renascitur in fide prædestinatus ad gloriam. Habebat ista filiam habentem spiritum immundum. Porro ista gentilitas rationem habebat immundam, quæ agitatu dæmonum, creaturam pro Creatore colebat, & erat sub dominatu ipsorum, ut etiam omnem immunditiam mente depravata, corruptis moribus sequeretur, in quam immunditiam propter nefarium cultum gentilitatem traditam ad Romanos testatur Apostolus. Et alibi, quod desperantes semetipsos immunditiis tradiderunt. *Et procidit ad pedes JESU.* Descenderat hæc de altitudine animi tumescentis. Se curvans ante Dominicos pedes, citò erigenda per spem, si perseveraverit in oratione. Super sidera elevatur, qui ante Christi pedes, & humilitate atque devotione prochivum se fecit. Ex fama non docta ista mulier venit ad Christum in domum, ubi existebat, & velut debitor fidei atque devotioni latere non potuit, quia suam bonitatem petentibus & quærentibus negare non potest. Quomodo se negabit, qui ad hoc creaturam rationalem fecit, ut se sibi communicando donaret? Jam mente in fide & actu corporéque facta prochiva, ut ipso inclinato, animam jam in fide prostratam ostenderet, & fateretur gestu corporis renovationem interioris aspectus. Exclamat verbo dolentem animam verberante. *Miserere mei Domine fili David, filia mea malè à dæmonio vexatur.* Misera ad misericordiam recurrit, de sua miseria liberari desiderans, ab eo petens, qui & largiri potest. Misericordia non peteretur, si non molestaret miseria, quæ & si posset aliter procul pelli, nec ipsa misericordia interpellaretur. Miser protinus est, qui non habet, quod vult, & qui habet quod vult se lædens, & qui non vult quod sibi confert & expedit. Miser, & qui non potest adversa ultro depellere. In miseria erat mulier Cananæa, quia nec suo, nec alicujus hominis adjumento, vexatam à dæmonio filiam poterat liberare. Multimodè sunt miseri, ope misericordiæ indigentes. Sancta Judith miseram se vocabat, dicens: Exaudi me Domine miseram deprecantem: aut ex humilitate proprios defectus conspiciens, aut quia suam civitatem ab exercitu circumdatam videbat, à quo, nisi divina potentia, nulla erat copia evadendi, & populum prospiciebat per omnia calamitosum fieri. Sive, quia cogitabat aliquid factura supra virtutem fœmineam, ad cujus complementum in se non videat vires suas posse suppetere, proinde Dominum precibus humilibus exorabat. Aliam novimus esse miseriam, quæ ab illusionibus & camis infirmitate nascitur illis resistere non valentis. Quam David de seipso fatetur: Miser factus sum, & curatus sum usque in finem, tota die contristatus ingrediebar. Hujus miseriæ subnectit & causam: Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea. Et con-

Rom. 1. Ephes. 4.

Judith. 9.

Psal. 37.

confuſio non illa, quæ ſecundùm ſapientiam adducit gloriam, ſed naturæ rationis, juſtitiæ, virtutis & morum miſeria, facit
Pſal. 136. miſeram. Hinc ſcriptum eſt: Filia Babylo-
Prov. 14. nis miſera. Hinc & Salomon: Miſeros facit populos peccatum: ut ex hoc, omne peccatum intelligamus afferre miſeriam, ut, ubi juſtitia non adjuvat, condemnat. Adjicitur protinus ad miſeriam, cui non favet juſtitia, ſaltem quod derelicta non fuerit, ac per hoc nemo eſt niſi miſer. Nemo eſt, qui aliqua non teneatur miſeria. Nemo eſt, qui non indigeat ad miſericordiam appellare. Hinc intrinſecus docta mulier Cananæa deficiens à juſtitia, & aliis miſeriis peſſumdata, portum miſericordiæ per navem fidei quærit: *Miſerere mei Domine fili Davia.* Sic enim audierat Chriſtum vocari, quòd David filius diceretur. Exponit miſeriam, ut miſericordiam provocet: *Filia mea malè à dæmonio vexatur.* Ut quid malè? Semper malè, quos poteſt dæmonium vexare. Sed nunquid aliquando bene vexare quempiam volet? Minimè ſua intentione duntaxat, ſed divina providentia, quæ bene malis utitur dæmonum & malorum hominum voluntatibus, quæ ſunt ſecutæ coronæ. Clamat hoc Martyrum exercitus, vexantibus dæmoniis, tyrannorum terrore & ſuppliciis conſecratus. Hoc cœnobitarum & anachoretarum chorus non denegat. Hoc quorumcúnque electorum ordo propenſiùs confitetur, quòd vexantibus dæmonis ſunt meliora ſortiti. Et ſemper divina providentia ſatanicas vexationes, ad profectum ſuorum electorum intorſit. Sed hæc filia materno judicio malè à dæmonio vexabatur. Sic enim intentione ſatanica, ſed ad profectum utriuſque bonum vexata fuit. Nam deſperata mater à cunctis, quia non poterat ſuum pignus à dæmonio liberare, venit ad Salvatorem prius ipſa in corde mundata per fidem ab errore gentilium, & jam in anima ſana pro pignore inſtantius ſalutem expoſcit. Quæ, cùm formta fuiſſet, ambæ in anima liberæ à cultu averſæ gentilium in Chriſti familiam tranſierunt. Hoc agente vexatione dæmonum, à qua non poterant aliter liberari, venit mater ad Chriſtum. Bene vexavit dæmonium hujusmodi filiam, non ſua voluntate, ſed executa ope, ut à vexante liberata ſub Chriſto ſanata proficeret. Vexat quippe dæmonium filias hominum, cùm in unoquoque nititur exagitare amativam virtutem, ut ſuo motu feratur in vetitum, & ex rebus licitis, per amorem plus debito vinciatur. Vexat & aliam filiam, ſcilicet intelligentiam, ut aut velit plus ſapere, quàm oportet, aut involvatur errore. Vexat & aliam, ut objecta malitia & illata injuria tenaciter in memoria teneantur: ut aut velit ulciſci atrocius, aut nolit benignè remittere. Inexplicabile quidem eſt, quibus ſtimulis dæmon exagitat hominum voluntates. Sed eſt dæmonium ulciſcens in eos, qui perperam agunt, ut Aſmodeus in ſeptem viros Saræ. Et eſt meridianum a Tob. 3. vertens à meridie claritatis, quæ mundo in meridie obſcurato ex morte Salvatoris infulſit. Vexatio quidem non ceſſat, ut homines averantur à memoria Dominicæ mortis. Etenim in meridie circa horam nonam expiravit. Attamen, cùm hæc mulier ſic pro ſuo pignore precaretur, Salvator non reſpondit ei verbum, ad fidem ejus amplius excitandam, & probandam conſtantiam & patientiam. Et egreſſus eſt domum, ad alia loca declinans. Quem mulier Cananitidis etiam ſequebatur clamans poſt eum, ita, ut etiam Apoſtoli pro ipſa intercederent. *Et accedentes ad eum diſcipuli ejus, rogabant eum, dicentes: Domine, dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Moventur humanitate diſcipuli, & pro iſta miſera rogant, neſcio ſi ſubmiſſi. Magnæ fiduciæ animum parat interceſſio electorum. Euge qui promeruit interceſſores habere Apoſtolos: Sed non omnis qui interpellat, habet, niſi qui in virtutibus ipſorum eſt factus amicus, & unius Domini adorat veſtigia. Etenim jam iſta meruerat Apoſtolos interceſſores habere, quia de finibus impiorum egreſſa, pro miſericordia venerat ad JEſum. Cui dicunt, ut exauditam dimittat, quia in fide poſt ipſos clamabat. Pro Eccleſia colligenda de gentibus ex præſagio intercedere videntur, quæ poſt ipſos orat ad Dominum duris vocibus & ſonis, ex uno Spiritus ſancti flatu pro preſſuris tolerandis, vitiis reprimendis, atque obtinendis promiſſionibus clamatura. Ægrè ſiquidem iſtius Eccleſiæ militia tenderet, niſi haberet tam validos advocatos, qui inceſſanter rogant, ut dimittatur in pace, utputa in juſtis petitionibus exaudita. Et indicium erat eorum, quæ ſunt pro Eccleſia & qualibet anima in cœlo factum, qui ſic in terra intercedunt pro Syro-Phœniſſa muliere, pro qua Salvator deteſtans eam, non videtur dediſſe reſponſum. *Ipſe autem reſpondens, ait: Non ſum miſſus, niſi ad oves quæ perierant domus Iſrael.* Conteſtatio Apoſtoli ad Romanos æquè pro utroque po Rom. 3.
pulo DEI filium in carne advenisſe declarat, quid eſt, quod niſi ad oves Iſrael pereuntes ſe miſſum eſſe denuntiat, cùm etiam non ſit acceptio perſonarum apud eum? Sed nonne omnes perierant? Nonne omnes peccaverunt, & egent gratia DEI? Equidem. Sed oves ſunt, qui non averſo ſtudio peccaverunt illius electi populi,, propter cultum unius DEI, qui ob hanc cauſam debebat primo æquiri. Deinde gentes, quo-

quoniam & pro ipsis moriturus advenerat. Prioritas illius populi requirendo attenditur, propter primam commissionem divinorum eloquiorum: non istius reprobatio, si redire voluerit, propter cultum varium idolorum. *At illa venit & adoravit eum, dicens: Domine adjuva me.* Acsi diceret: Intercessores amplius nolo, advocatos plures non præferam: non videntur aliorum orationes sufficere, quot & quot sunt, necessarii mihi non sunt. Eum quæram, eum adibo, qui sine medio in meam potest, si vult, miserando declinare miseriam, quem solum, non idola vana & muta, non aliam creaturam, sed ipsum adoro Deum hominem super terram, à quo peto, cæteris spretis auxiliis, adjuvari. Domine, adjuva me. Signanter ad seipsam petit adiutorium: quia in filia sua velut in persona propria torquebatur. Amor quidem natorum ipsorum dolorem trajicit in parentes. *Cui salvator respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus.* Alibi ista similitudo differta est. Sed panis filiorum est omne subsidium, quod debebatur verè credentibus, illius filiationis meritо, quo potestatem accepimus filios Dei fieri, sanè credentes in nomine ipsius, quia non ex hominibus, sed ex Deo nati sunt. Et quod natum est ex Deo, vincit mundum. Et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra, qua ista mulier mundum vicerat super mundum jam facta, & ab ipso Christo suæ fidei testimonium laudis accepit. Sed multis argumentis concurit Christus fidem ejus, in præsagium multiplicis concussionis ecclesiæ subsecutæ, ac in probationem quorumcunque indignè petentium, ne desistant petere, si continuo non accipiunt postulata. Et ad majus solidæ fidei experimentum cum canibus ipsam componit, acsi ratione caret, aut illa malè uteretur habens. Sed illa optimo tegumento humilitatis se contegit, cùm etiam catellis se sociat in consequendo beneficia dominorum. *At illa dixit: Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa Dominorum suorum,* & humiliorem conditionem se habere protestans, quòd etiam Israelitici sunt quasi Domini super gentiles, in omnibus potiores, velut habentes mensam divinorum verborum, & mandatorum Dei ac divinarum promissionum, sanctis patribus & prophetis divinis oraculis jam factarum. Talem ergo quærit Jesus, & suos oratores vult esse omnimode importunos. Humilis quippe importunitas, sæpe flexit animos duros. Et pertinax miser ad exaudiendum fecit primò negantem. Amat enim Deus in precibus ad eum jugitur assistentes, ut nec ab implorando deflectantur, si non acceperint vota. Vult omnipotens suas imagines à se creatas & ad se ordinatas sibi assistere: non illico tribuens quod exigitur, ne facies avertantur à facie. Nec vult turbari aut tepefieri orantem etiam exprobratum. Sæpe nanque videtur quod nostræ petitionis schedula in conspectu Domini lanietur, & confundatur obsecrans: & si quid exaratum erat abrasum appareat: sed ulterius decernit ille, qui omnium corda novit, & utilitatibus petentium providet: cùm non exaudit extemplo, probat fidem, si desipit: aut si exaudita vel non, similiter se habeat. Experitur patientiam, si non dedignatur sustinens in sua oratione repulsam, si minuitur amor ad pro tempore denegantem. Si intramus in illud secretum altissimæ providentiæ suæ, qua denegans exaudit & exaudiens denegat: tribuens aufert, non tribuens donans: agens causam nostram in nobis ex nobis: dum tamen omnino justa petitio sit à nobis. Hæc solùm ad justitiam & humilitatem postulans habet in se inferre, non decernere, quomodo aut quando contribuat. Novit pro tempore atque loco bona data dare filiis, si per fidei sinceritatem, quæ per dilectionem operatur, sumus filii ejus. Ad quam filiationem provocat Cananæam, cùm dicit: Non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus. Acsi ipsa de filiis ejus esset, assequeretur ocius postulata: quæ se ob fidem, ob importunitatem, patientiam, ob humilitatem filiam Dei fecit, & meretur à Christo audire: *O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia ejus ex illa hora.* Ecce misera expetens misericordiam, misericordiam assecuta est: quoniam de salvatore scriptum est: Propter miseriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam dicit Dominus. Et alibi: Nunquid obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas: Ecce laudatur fides, & alte attollitur illa quæ ante toties fuerat exprobrata: ad misericordiæ januam validis cordis, crebrisque clamoribus pulsari oportet: nec inde recedere, non intermittere, donec de pane filiorum accipias. Semper ad granarum innumerabilium mensam sedet bonorum omnium creator atque largitor. Pete indigens toties quousque acceperis: etiamsi non accipias, in omni vita tua humiliter postulare non cesses: nec ama-

Ioan. 2. 2. Ioan. 5.

Psalm. 11. Psalm. 76.

ro animo fias, ſi non largitur non hæſitans ſuper bonitatem Domini & providentiam ejus. quæ in omnibus congruentiam rerum facit: nam poſt mortem accipies altiora, ſimiliter & coronam, eo quod patiens exſtiteris ſuper dilatione Domini. Sed unde iſtius Cananitidis magna fides: Quia magnum quid in iſto, quem ſolum videbar hominem, credidit. Magna ex eo, quia perſtitit exprobrata, nec conturbata. Magna, quia tunc ſola gentilitatis egreſſa de finibus. Magna, quia nec poſtulavit præſentiam, ſed ſolum pondus, quo premabatur, expoſuit. Magna, quia ſicut credidit, ſic ſibi in ſua miſeria eſt proviſum, ut voluntatis ſuæ ſortiretur effectum. Fiat tibi ſicut ais. Bonum certè volebat ſine admixtione contrarii, ſcilicet filiam à dæmonio liberari. Velimus & nos bonum, & protinus exaudiemur: ſi non ad votum illico, tamen ad ampliorem cumulum bonorum. Et ſanata eſt filia ejus ex illa hora, qua ſcilicet ſalvator matri dixit: fiat tibi ſicut vis. Marcus autem dicit: *Vade, propter hunc ſermonem, exiit dæmonium à filia tua,* propter hunc ſermonem humilitatis & fidei, quia catelli ſub menſa comedunt de micis puerorum. Et cùm abiiſſet in domum ſuam, invenit puellam jacentem ſupra lectum & dæmonium exiiſſe. Fatigaverat dæmon ingrediendo puellam, magis ſiquidem in vexando. Quæ illo egreſſo, quieſcebat in lecto. Non eſt quies animæ à dæmonio agitatæ, aut à ſtimulis peccatorum, niſi peccata exeant. Tunc quidem anima ſuper conſcientiæ lectum in pace quieſcit, cùm divina virtute voluntate conſentiente, qua ſolùm fieri nequit, peccata pelluntur. Vexant ſiquidem peccata conſcientiam, etiamſi non ſequatur multatio in corpore, cùm ratio ſuo privatur judico, cùm inter animam & Deum parietem diviſionis medium interponunt. Nam & Iſaias dicit: Nonne iniquitates veſtræ ſunt, quæ diviſerunt inter vos & Deum? Cùm dejiciunt ab innocentiæ arce, cùm ad ima demergunt, cùm ſociant dæmonibus, cùm excludunt à legibus regni DEI, atque à ſedibus paradiſi. Iſaiæ 59.

Cap. XXV.

De curatione multorum infirmorum, ſecundùm Matthæum & Marcum. Sed de ſurdo & muto ſecundùm Marcum tantùm.

ET iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ, inter medios fines decapoleos. Et aſcendens in montem, ſedebat ibi. Matth. 7. *Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, habentes ſecum mutos, claudos, cæcos, debiles, & alios multos. Et projecerunt eos ad pedes ejus, & curavit eos, ita ut turbæ mirarentur: videntes mutos loquentes, & claudos ambulantes, & cæcos videntes, magnificabant Deum Iſrael.* Curatio iſtorum divinam in homine arguit poſtetatem, & offerentium & ſanatarum fidem, deſperationemque quod ab alio curari non poterant, niſi ab eo qui omnium habet imperium. Et dedit vitæ agendæ ordinem, cùm poſt curationem ſit alimenta largitus. Nam qui vult ſuſcipere alimenta cœleſtia, primò expedit liberum eſſe à vitiis, quæ affectus hujuſcemodi deſignant. Ad damnationem magis quàm meritum cederet, impurè ad pura Chriſti accedere ſacramenta, quæ in alto monte fidelis eccleſiæ tribuuntur. Ex ſeptem enim panibus ſecuta refectio ad ſeptiformem bonorum ordinem exſtentium in eccleſia reficientem Dei filios ſpectat, præexigens libertatem à criminibus, & agreſtem vitam ex deſignatione turbarum, Chriſtum in montibus virtutum inter arida loca quærentium. Sed Marcus de uno tantum, circa quem Chriſtus propenſius egit, exequitur, dicens: *Et adducunt ei ſurdum & mutum, & deprecabantur eum, ut imponat illi manum.* Adducitur ſurdus & mutus, quia nec ipſe audire poterat Dei verbum, quo motus accederet, nec loqui ad interrogandum quare turba hunc hominem ſequeretur. Vide multationes humani generis, ex peccato priorum in ſingularibus perſonis inductas. Vide ſurditatem, ſed in nullo damnoſior, quam in eo, quod quis audire nequeat DEI legem originalis juſtitiæ, ſeu datam in monte ſcriptam digito ſancto. Et nec audire poſſe prophetas ſpiritu ſancto loquentes. Excedit in malo non poſſe audire Dei filium, verba vitæ pro ſuperna vita proferentem. Sed hoc malum erat in aure cordis. Væ igitur amplius per omnem modum

modum his, qui ex contraria electione ſurditatem cordis auriculæ induxerunt,
Pſalm. 80. De quibus per prophetam dicitur: Poſue-
Prover. 23. runt cor ſuum abamantem, ne audirent. Et per Pſalmiſtam Dominus conqueritur: Non audivit populus meus legem meam, nec intendit mihi. Et Salomon ait: Qui
Prover. 28. illuſor eſt, non audit, cùm arguitur. Et alibi: Qui declinant aurem, ne audiant legem. Voluntaria enim ſurditas ad divina eſt in culpa corporis quidem præter voluntatem: aut ex vindicta, ſeu ex aliquo occulto Dei judico, juſto tamen, quo in homines ſæpe diſcernit, quæ non accreſcit ad culpam, niſi cùm malitioſa provenerit. Multi quidem propria iniquitate ſurdeſcunt, qui & venenatis ſerpentibus comparantur.
Pſalm. 73. De quibus per prophetam dicitur: Alienati ſunt peccatores à vulua, erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa. Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas. Alienantur peccatores à vulua, quæ janua ventris id eſt à fide, quæ janua eſt ad eccleſiam ſanctam Dei, Et errant à ventre, id eſt, ab eccleſia: quæ tot in ſe continet ſecreta & occulta myſteria. Et neceſſario factum eſt, ut proferant falſa. Non eſt veritas in his, qui alienantur à fide. Nam & filii alieni mentiti ſunt mihi, filii inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis. Et alieni contra Dominum inſurrexerunt. Verum fari neſciunt, ſed falſitatibus involuuntur hi, qui ab eccleſia erraverunt. Fit in eis furor & indignatio, fit & contemptus, ut more aſpidis, cùm cœperit audire merſionem, unam aurem terræ figat, alteram cauda ſatagit obturare. Sic & errantes hujuſcemodi peccatores ad verba divinæ merſionis & venefici, genus humanum & ſingulos homines peccatores ſupra omnem hominum ſapientiam incantantis, aure una rebus terrenis defixa, reliqua ſine malæ actionis obtuſa omnino audire contemnunt: velut domus exaſperans, quæ nec Dominum nec propheram ejus audire diſpoſuit, ſurdi voluntariè facti, ne fides proveniat ex auditu, qui eſt per verbum Dei, erudiens & ſalvans, & ad æterna deducens. Sibi denegant ſalutem, qui verbis præhonorari nolunt, præter quæ non ſalvantur: quæ aure cordis appoſita cum inſtrumento corporis audiuntur. Surdi principes ſacerdotum, ſacerdotes, ſcribæ & Phariſæi, qui noluerant Chriſtum audire verba vitæ proferentem, diligentes mundum præſentem, quoniam verba vitæ æternæ adverſantur tranſitoriæ vitæ. Nam ſignanda vita eùm, in dilectionem & delectationem venerit, vileſcere facit omnem perfunctoriam vitam, intendens in vitam agendam ex tempore, vitæ delectabili omnino adverſam. Amor quidem vitæ decurrentis ſurditatem ſuperinduxit, ne audirent nuntiatores evangelicæ vitæ. Surdos ſe fecerunt principes mundi, longo tractu temporis contemnentes audire Chriſtum, qui per ora humana divinitus loquebatur, & intantùm inſtigante diabolo ſævierunt, ut crudelibus pœnis exitio traderent Chriſti, & æternæ vitæ verba proferentes. Hoc ſanguis martyrum clamat, qui pro prædicatione regni æterni ubique prædicatur effuſus. Nondum iſta ſurditas per univerſum orbem curata eſt. Redundat etiam in multos, qui rudimentis ſe fidei ſubjecerunt: ſed averterunt aures, ne moribus tenerent, quod fide juraverunt. Sed ad mali cumulum merito acceſſit & mutitas, ut nec loqui poſſit, qui prius non percepit auribus veritatem. Erat enim & mutus. Multatus in lingua utitur ſignis, & velut mimi manu indicat, quod diſplicet vel attectat. Sed lingua ſana ad explicanda cordis concepta non ſufficit: cùm ipſa ſola ſit cordis verius inſtrumentum, quoniam manu intima cordis patefient? Sed malè ethicus mutus eſt, qui Deum non laudat, nec ſibi gratias agit, nec proximum, ſi poteſt, & debet ædificat, nec ſeipſum, cùm perperam agit, accuſat. Et huic ſic malè acto turbæ ſubveniunt, cùm illum ſic ſurdum non audientem verba divinæ bonitatis, ſic mutum, ut nec loqui poſſit, Chriſto Domino humanitate quadam viſis miraculis aliis pro ſanitate adduxerunt. Et deprecabantur eum, ut imponat illi manum. Precantur turbæ pro muto, quia linguæ carebat officio. Et illius communitatis hoc habet imaginem, quam debent homines habere in natura, non ſolum in rebus extra corpora propria poſitis, quæ de jure divino nemini cedunt in proprium, ſed in corporibus propriis, ut cùm quis aliquo membro deficit, ab altero habente de membro ſimili adiuvetur, ut cæcus ducatum habeat à videnti, lingua loquatur pro muto: ſubveniat aridæ ſana manus, deficiens pedibus deferatur à valido. Et cùm ſumus ex una maſſa compacti, quamvis ſit quædam proprietas in perſonis, ex una veritate naturæ ſit valetudo membrorum in neceſſitate communis. Et magno futorum præfagio ſub Chriſto res hujuſcemodi agebantur, ut communitas in veris fidelibus reſtauretur in gratia, quæ per iniquitatem in

avaritiam in proprium ceſſaret. Quod factum oſtendunt Chriſtina cœnobia, ubi eſt communitas rerum, ſimiliter & membrorum. Ubi & egrotantibus qui ſani ſunt, ut ſibiipſis per ſana membra ſubveniunt. Et hoſpitalia edita in ſubventionem ubique in terris fidelium clamant patentibus januis, quod hoſpitalarii res egentibus & ſana membra exhibent pro infirmis. Deprecantur hi, ut imponat manum, ſed voluntas ejus ſuffeciſſet aut verbum. Sanctitatem tantùm confiderant in perſona, cujus tactu credunt, quod duplex hujus pellatur infirmitas, ſed necdum in Chriſto potentiam deitatis audierunt. Habet autem quid occulti myſterii & moralis, quod manus expetitur imponenda, ut eadem manus ſit plaſmans & liberans. Manus tuæ Domine fecerunt me, & plaſmaverunt me, veteri teſtamento duæ magnæ tubæ proclamant, Iob ſimiliter & David. Et non ſolùm contemplativa potentia, ſed ſuis Chriſtus operibus nos ſaluavit. Et ipſe operatur opera patris. Et opus dedit illi pater ut perficeret. Et voluntas ejus hæc eſt, ut perficiat opus ejus. Et opera noſtra Chriſti ſunt operibus conjungenda, & manus affigenda cruci expetitur ad impoſitionem. Nam per illam cruci affixam conteritæ ſunt ſatanicæ poteſtates, ut noſtræ damnationis chirographum eſt deletum. *Et apprehendens eum de turba ſeorſum, miſit digitos in auriculas ejus, & expuens tetigit linguam ejus. Et ſuſpiciens in cœlum ingemuit, & ait illi: Ephetha, quod eſt adaperire.* Segregat à turba hunc ſanandum Dominus & ſalvator, non humanam, ſed divinam pro ſanitate daturus medelam, quoniam ſæpe turbæ noſtrorum phantaſmatum & patratorum malorum, & rerum labentium conglobatum occurrunt animæ ad Deum redeunti, & perſtrepunt validè in auribus cordis noſtri, ut nec poſſimus intelligere potiora. Providus medendi medicus, qui primò ſanandum retrahit à prohibentibus ſanitatem: deinde affert argumenta recuperandæ ſalutis. Sed hujus curationis modus promovet infirmorum aptitudinem ad ſalutem. Nam convertit illum ſalvator ad ſe, ut facierum mutuus eſſet aſpectus, acſi ad notitiam invitaretur creatoris ejus, ad cujus imaginem factus eſt, ut conſideraret, quòd ſuper homines erat, qui ſibi in humanitate reſtituebat corporis ſanitatem. Et ſæpe fixo innuitu cauſatur amor, & cognito beneficia largiente, ſi non diligebat, ſaltem rependit amorem. Et inſpectu faciei noſtræ quam condidit, delectatur. Quod ad eccleſiam dicit: Oſtende mihi faciem tuam, quia decora. Decus habet immenſum cognitio ſalvatoris. Et per prophetam de contrario geſtu conqueritur: Verterunt ad me tergum, & non faciem. Et cùm ſic iſte ſanandus confiteret ante faciem ſalvatoris, miſit digitos, ſcilicet auriculares, in auriculas ejus: non omnes, ſed minores utriuſque manus, velut expurgans aures ab auditu malo, ab inobedientia cœleſtium præceptorum. Nam ſæpe in ſcriptura pro veritate obedientiæ aurem poſitam invenimus, ſicut ſcriptum eſt de obediente populo: In auditu auris obedivit mihi. Et expurgavit ſiniſtram, ne audiret vocem dæmonis, vocem mundi, vocem carnis. Et ut audiret terrificum tonitruum æterni judicii, æternæ damnationis, quo malè agentibus Dominus comminatur. Expurgavit & dexteram, ut audiret agenda, & ipſa fixa cœlo divinis inſiſteret. *Et expuens, tetigit linguam ejus.* Magnum ſacramentum in ſputo, quo etiam & oculos cæci nati aperuit. Sapientia videlicet de ſupremo capite defluens, ad directionem linguæ, ad eruditionem doctrinæ, ad publicationem occultorum malorum, ad odas, ad gratiarum actiones referendas inſtruxit. Nec quidem mutus creatus eſt homo, ſed cum inſtrumento quo loqui poſſit diſertè. Nec voluit Chriſtus cor ſufficere ad amorem & contemplationem, ſi poſſent ſuppetere corporis inſtrumenta in actione bonorum. Protinus & ipſum corporis organum inſtrumentum virtutum eſt, in quo deperditum membrum à culpa neglectus abſolvitur, & viva ſubjacent, ſi non perficiunt opus Dei. Nihil ſit otioſum in corpore, quod virtutis poteſt eſſe mancipium: alioquin damnationem incurrimus, velut qui operatus non fuerit in talentis acceptis. Idcirco ſuſpexit ſalvator in cœlum, unde in homines bona proveniunt, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. *Et ingemuit* pro miſeria conditionis humanæ, quo in Adam ſic omnes multati ſumus, quod ex peccatis propriis ampliori ſubjacemus, quod membris debito jure non utimur, quod inſtrumenta vitiorum quærimus: quod iſte in duobus liber iterum poterat multiplicari, ſi virtutum non convertiſſet ad uſum. *Et ait: Ephetha, quod eſt adaperire.* Verbo monſtravit potentiam, quia in ſempiterno Dei verbo cuncta creata ſunt, ad quod illico ſecutus eſt affectus. *Nam & ſtatim aperta ſunt*

Pſalm. 118. Job. 10.

Job. 9.

Canti. 2. Jeremiæ 2.

aures

aures ejus, & ſolutum eſt vinculum linguæ, & loquebatur rectè. Sic quippe prophetatum erat, quod aperturus eſſet aures ſurdorum, & linguas mutorum facturus diſertas. Non tamen neceſſitate prophetiæ, ſed ratione ſubveniendi hominum indigentiæ, ac divinæ potentiæ oſtendendæ hoc fecit. Maximè autem (ut ſupra fati ſumus) ut deperdita membra corporis fierent inſtrumenta virtutis. Quod & factum eſt, cùm ſequitur, quod & loquebatur rectè. Quoniam nemo rectè loqui poteſt inſtrumento linguæ, niſi dictante virtute, ſed nec teſtimonium auditus reſtituti perſonuit ſicut & linguæ, cùm aliter hominem audire non clareat, niſi cùm dictis aſſentit, juſſis obedit, vel denegat, ad interrogata reſpondet, vel non audiens filet, vocatus præſto ſe aſſerit, vel ut ſilentio tacitum ſe præbet: Audit profinus in regno virtutum omnis qui dicit: Loquere Domine quia audit ſervus tuus. Reſtitutas habet aures, qui dicere poteſt: Audiam quid loquatur in me Dominus. *Et præcepit, ne cui diceret.* Sæpe hujuſcemodi prohibitionem in evangelio legimus, & eandem habet explanandi ſententiam, ut ahbi factum eſt. *Quantò autem eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant, & eo amplius mirabantur, dicentes: Bene omnia fecit, & ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* Bene omnia fecit, qui primam creationem aſpiciens cuncta quæ fecerat, erant valde bona. Neſcit ab iſta potentia præterquam bonum egredi: ſed ipſa creatura trajicit ſe in vitium. Sine exceptione eſt iſta prolatio, quod omnia bene fecit: ſed verior eſt effectus, quod etiam vitiata bene revocavit ad priſtina. Et ſolum ejus eſt illa mala propellere, quæ bonam naturam maculant voluntate hominum conſentiente, aut ipſo in ſua providentia permittente. Bene omnia fecit, non hominum merito, ſed ſua bonitate, quam rebus à ſe creatis communicabilem fecit. Sed laudant turbæ atque mirantur in hominibus divinam oſtenſam virtutem, eo quòd ſurdis reſtitueret auditum, mutisque loquelam Auditum ſcilicet illorum quæ ſub Hebraica litera, quæ apud Hebræos ſcribitur Samech inſcribuntur, quæ interpretatur adiutorium ſententiandi. In pſalmo quippe: In æternum Domine permanet verbum tuum in cœlo. Igitur hoc verbum eſt audiendum, quod internum in ſuis promiſſionibus permanet & in cœlo, ubi omnia impræterminſſè ſuis vicibus alternantur. Sub hac etiam litera ex ſua interpretatione dicitur in Proverbis: Sindonem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Cananæo. Audi ſurde poſt reſtitutionem auditus, quod tu ſis ipſe auditurus poſt doctrinam verbi permanentis in cœlo. Sindonem facias, ſcilicet candorem operum tuorum, qua Chriſtum involuas in ſepulchro ponendum: quia in pace factus eſt locus ejus, qui tantum eſt in puritate intentionis operumque noſtrorum. Sindon ad candorem multo labore deducitur. Et cingulum tradidit Cananæo. Chriſtus Deus Cananæus eſt, qua zelotes. Et ſcriptum eſt: Ego ſum Deus zelotes, in caſtitate zelans animas quas redemit, cui noſtræ munditiæ traditum eſt cingulum, prout in Evangelio exigit: Sint lumbi veſtri præcincti. Et ſub hac litera Jeremias terrorem judiciorum, & iram indignationum ejus ad nos audire ſuadet, dicens: Operuiſti in furore & percuſſiſti nos, occidiſti & pepercifti: oppoſuiſti tibi nubem, ne tranſeat oratio: eradicationem & abjectionem poſuiſti me in medio populorum. Et quid loquitur mutus, jam reſumpta poteſtate loquendi? Ut ſi corde credit ad juſtiam, confeſſionem oris faciat ad ſalutem.

Pſalm. 118. Prover. 6. Exod. 20. Lucæ. 12. Deute. 32.

Cap. XXVI.

De cæco illuminato, ex duplici impoſitione manus in Bethſaida ſecundùm Marcum tantùm

Marc. 8. *Cùm veniſſet Bethſaida, adducunt cæcum, & rogabant eum, ut illum tangeret. Et apprehenſa manu cæci, duxit eum extra vicum. Et exſpuens in oculos ejus, impoſitis manibus ſuis, interrogavit illum ſi aliquid videret. Et aſpiciens, ait: Video homines ſicut arbores ambulantes.* Pius medicus & humilis dignationis eſt cenſendus, ſi nulla ſpe mercedis viſitat ægrotantes, qui ad eum nequeunt habere acceſſum. Prævenit Dominus cæcum, cùm venit ad vicum, qui vallis pœnalis interpretatur, qua ſimilitudine prævenit omne genus humanum, in valle hujus miſeriæ interclauſum, maximè morbo cæcitatis oppreſſum. Sed addu-

adducitur hic cæcus natus ducatu videntium. Etenim legis Dei peritiam habentes, ignorantes perduxerunt ad notitiam veritatis. Sed nec tantùm legendi aut audiendi ſive docendi ſtudio quis inſtruitur, ſicut cùm humilibus precibus ſupplicatur ad Deum, Et ſæpe doctores quamvis non noverint, magis orationibus quàm verbis profecerunt in populo, & verbum doctrinæ orationibus adiuverunt. *Proinde rogabant ut illum tangeret.* Quotquot tactum aut corporalem præſentiam exquiſierunt, ſanctitatem tantum in homine, virtutemque datam deſuper crediderunt, non Deum verum & hominem in aſſumpta natura latentem, qui ubique ſimiliter poteſt, à quo cuncta æqualiter ſunt propinqua, vel diſcant ſi diſtare ab illo fas eſſet, aliquid dicere, nec opus eſt ſibi aliquid agere geſtu corporis, quia omnia perfecit ſolo imperio voluntatis. Sed quia homo divina operatur humanè. Nam *& apprehenſa manu cæci, duxit eum extra vicum* Dux factus eſt cæcorum lumen æternum & manum porrigit, ut ex tactu cæcus ducem ſecurus ſequatur. Novit diſcrimina viarum atque voragines, in quibus poſſet cæcus malè ductus incidere. Novit ſcopulos, in quibus poſſet impingere. Novit & diverticula, in quibus poſſet errare, idciro via recta venit ad cæcum. Chriſtus eſt via, ſecurè ducit, neuter caſurus in foveam. In ſtuporem & admirationem omnis animus audiens ſe deberet convertere, quod Chriſtus factus eſt dux cæci, & pædagogus ejus, qui pes ſeipſum, quo pergeret neſciebat. Duxit in nube atque in igne populum de Aegypto, velut de horrendis tenebris, à quibus, niſi per eum, non erat egreſſus.

Prov. 4. Et de ipſo dictum eſt: Ducam te per ſemitas æquitatis, quas, cùm ingreſſus fueris, non coarctabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Cæci omnes ſumus, hoc duce pariter indigemus. Præſtat ipſe ſuam manum, porrigamus & noſtram. Et opera noſtra infirma, ſuis altiſſimis operibus conjungamus, neminem niſi ſolum ipſum ſequentes. Nam ipſe Dominus ſolus dux noſter ſcilicet Iſraelitici populi fuit, & non erat cum eo Deus alienus. Et in captivitatem & interitum vadit, qui hujus ſemitas non ſectatur. Et per Prophetam dicitur: Populus meus ductus eſt in captivitatem, quia non habuit ſcientiam: In captivitatem criminum & vitiorum ire neceſſarium factum eſt, qui non habuit ſcientiam, quam ductor ſupernus cæcorum & ignorantium ipſo docuerit, dux

Deut. 32.

Iſaiæ. 5.

rectæ viæ omnes ducens in viam rectam, qua itur inter ſepes virtutum, ſicut ſcriptum: Et eduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis. Qui hunc ducem reliquerit, ſemper ibit in præceps. Et per Jeremiam Dominus querulatur inter cætera mala quæ fecerat populus ejus, quod ipſum reliquerunt ducem. Nunquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum, eo tempore, quo ducebat te per viam? Nunquam derelinqui poteſt dux iſte, niſi cùm ducit per viam. Nam in patria beatitudini adhærentes, electi erunt, ubi derelinqui non valent nec poterunt. Reprobi verò tunc nolentes relinqui, relinquentur eo demtrito, quo hic Dominum reliquerunt. Qualis hujus ducatus ad cæcum? Extra vicum ſcilicet Bethſaida, qui domus pecudum ſive frugum abundantia & vallis pœnarum: interpretatur. Ab æterno beatus extra miſeriam per miſericordiæ manum ſuos electos ducit, quam duplicem eſſe ſolum agnovimus, culparum atque pœnarum: ſed una penitus aliam præcucurrit, nec ſecunda ſequeretur niſi prima præiſſet: qui à prima educitur, non deveniet in ſecundam, quanquam multis pœnalitatibus tranſitoriis ſubjaceat caro mortalis, etiam ſubitura mortis imperium. Sed, ſi rationi ſequenti ducem adhæſerit, reſurget in gloriam deſtructo mortis imperio nequaquam ulterius peſſundanda. Exeamus extra viam pecudum, ut non ſimus ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Quæ major miſeria hominum exiſtentium ad imaginem Dei, quam more pecudum vivere, ut ſuper ſe fœtentia onera portent, improbumque ſeſſorem ad nefas duris calcaribus perurgentem? Exeamus ſequentes ducem extra vicum frugum, mundi liquida relinquentes & abundantiam, quæ contra naturam peccare diſpoſuit Sodomitas. Exeamus extra vicum, in quo pœnam meremur cumulatione culparum. Exeamus extra caſtra, portantes improperium Chriſti, quo Moyſes Aegyptiacam gloriam vilipendit. *Ducens extra vicum Jeſus hunc cæcum expuit in oculos ejus.* Per ſupernam ſapientiam, noſtræ mentis cæcitatem illuminat. Non eſt vera ſapientia, niſi quæ de Chriſti capite deſcendit. *Et impoſuit illi manus*, ut hominem ſe oſtenderet. Et interrogat ſi aliquid videt. Bene ipſe noverat ſi videbat: ſed in notitiam aſtantium vult devenire quod agitur. *Qui homines velut arbores ambulantes ſe videre reſpondit.* Non videbat proprium, ſed commutatum non in re viſa,

Pſalm. 106.

Jerem. 2.

visa, sed in suis oculis maculatis. Falsi rerum æstimatores de aliis extra se judicant, prout intus dictat concepta nequitia, & tales arbitrantur cæteros, quales ipsi depravari persistunt, & ipsi ad bona insensibiles, sic alios esse decernunt. Non erant arbores homines quos videbat, nec ut arbores ambulant, cùm solùm impulsu extrinseco arbores moveantur. Sed in hominibus non bene videntibus arborina similitudo regnabat, non in re visa erat illusio, sed in vidente, velut in aqua partim, & extra partim, remus aspectus circa illam partem, ubi situs diversitas incipit, videatur fractus, cùm ipse sit integer quæ falsitas non existit in remo sic sito, sed in oculo sic delusо, propter diversos situs rei integræ aliter decernere non valente. Sed cur sic homines in alia similitudine non vidit, quàm in arboribus: aliquid habet secreti mysterii, cùm & postea videntur omnia rectè. Præcursor Domini totam humanam naturam arborem appellavit, quam & dixit divino subjacere judico. Jam ad radicem arboris securis posita est, velut judicium Christo datum enuntians ad succidendas arbores steriles iniquè tradendas, quoniam pater omne judicium dedit filio: & potestatem dedit ei judicium facere, quia filius hominis est. Ipse autem salvator securim habens divinæ justitiæ, arboribus homines comparavit, dicens: Omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor fructus malos facit. Sed fructus malos faciens, succisa mittetur in ignem. Nulla invenitur arbor mala: bonitate naturarum omnia bona sunt, nam Deus vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Sola hominis voluntas mala est in causa, malorum operum fructus ad extra deducens. Proinde hic illuminandus videt in prima cúra homines velut arbores ambulare, quasi sub judicio Dei omnes inevitabiliter existere, juxta fructum manuum nostrarum retributionem recepturos, sed non definitè quanto præmio bonos, quanto supplicio reprobos esse donandos. Visio hæc prima erroris & timoris initiantis est, pro eo quod omnes divino atque tremendo judicio subjacemus. Expedit quidem hic primus aspectus ad offerendam cautelam, ne velut steriles aut malè fructificantes arbores succisi tradamur in ignem. Necnon & visio hujuscemodi paternis seu protoplastins delictis omnes homines subjacere decernit, ob causam, quòd relictis cunctis paradisi arboribus de interdicta duntaxat arbore tetigerunt. Filii quidem arboris interdictæ dicuntur omnes qui semine corrupto ex primis parentibus processerunt, quamvis multos liberet gratia, quos infecit corrupta natura. *Deinde posuit iterum manus super oculos ejus, & cœpit videre & restitutus est ita, ut videret omnia clarè.* Curatur ille paulatim, non ob defectum potentiæ, sed ob mysterium. Secunda hæc impositio manus, qua videt omnia clarè, ad veram scientiam pertinet, qua omnia in suis consistentiis cognoscuntur sive creduntur, cùm nec temerariè aut supra modum de hominibus existimatur atque creditur, nec de divinis judiciis aut misericordia hæsitatur, cùm fugienda & appetenda, non facienda & agenda pariter cognoscuntur, & cùm scitur qualiter est conversandum in medio nationis pravæ. *Et misit illum in domum suam, dicens: Vade in domum tuam, & si in vicum introjeris, nemini dixeris.* Introrsus iste remittitur, ut noverit speculando quid acceperit, ad quid obligetur ex acceptis. Optima & grata consideratio est, etiamsi rependere nequit: habere præ oculis beneficia creditoris, maximè creatoris, qui nullis nostris valentibus meritis, expedientia nobis gratis & benignè concessit. Vadat in domum suam illuminatus à Domino, ut contempletur internè, ne forinseca querela præpediat: ne sensibus occupatus corporeis, videat ex illo lumine quod divinè suscepit. Abdicatum se à vulgaribus consortiis faciat, qui luciferos splendores aspexit. Et si expedit in publicum aliquando procedere, ne diffundatur animus in loquendo etiam bona qui gratiam habuit, cùm omnes non deceat esse theologos, sed lugentes & gratos, & pœnitentiam agere. Nec omnibus datum est in alios celebrare salutem. Et ex oportunitate, non ex voluntate oportet esse sermonem. Ad animi tumorem spectat, & fastum ostendit loqui & erudire: si non mittatur superioris mandato. Splendor illuminans primò sit ad seipsum, in quem diffusus est, nec derivetur in alios, nisi jubeat superioris authoritas, aut urgeat necessitas, aut omnino exigat charitas. Et fortè, quod iste non erat de vico Bethsaida, qui primò inde foras educitur, deinde dicitur: *Vade in domum tuam* post verò *si vicum introjeris.* Quomodo enim poterat domum introire, vicumque non introire, si domus fuisset in vico?

Matth. 3.

Matth. 7.

Cap.

Cap. XXVII.

De curatione unius infirmi ad probaticam piſcinam, ſecundùm Joannem tantùm.

Joan. 5. *ERAT cùm quodam tempore eſſet dies feſtus Judæorum, aſcendit Jeſus Jeroſolymam. Erat autem Jeroſolymis probatica piſcina quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum.* Crebro legimus ſalvatorem interfuiſſe ex ſtudio feſtivitatibus Judæorum, ad oſtendendam virtutem, ad inferendam doctrinam, non ad oſtentationem ut humanam gloriam venaretur. Et ſua benignitate ſe neceſſitatibus hominum inferebat, requiſitus ſive irrequiſitus. Venerat enim pro malè habentibus, quibus opus eſt medicus, ſed non pro ſanis: quia neminem ſanum invenit, neque mercedem capturus in languidos intendebat, bonitate tantùm propria ferebatur. Qui Jeruſalem tempore feſtivitatis aſcendens, velut nihilipenſus ab his, qui ſibi ſani videbantur, terrenis feſtivitatibus intendentes ad malè habentes, qui feſtivitatibus vacare non poterant, ſe convertit miſericors, miſeris factus homo. Semper Chriſtus illis ſe tradidit ad ſolamen, qui mundi ſolatia deſpexerunt, aut quos ipſe mundus abhorret, ſi velint ſe in Chriſti bona transferre, aut abjicientes voluntariè ſaltem corde ſæculum, aut abjectos à mundo, ſi ad gratiam deputant, quod abjecti ſunt, duntaxat Chriſtus acceptat. Et hi ſolùm inter Dei filios computantur, ſicut in Sapientia legitur ex vocibus
Sapien. 5. damnatorum: Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum. Hos enim miſeratus Dominus in hac vita, viſitat ad piſcinam, quæ Jeroſolymis erat. Et probatica vocabatur ab officio, non à proprietate rei, quoniam ibi oves abluebantur. Piſcina dici conſuevit quod plena piſcibus eſſet: ſed hæc antipraſtica locutio eſt: nam piſcibus ipſa carebat. Non enim ubi balnea jugia hominum, natatile piſcium agitur. Sed myſterium ſecretum habet piſcina. Diſcuſſum verò aliquid gratum affert. Piſcina congregatio aquarum apparentium ſupra terram deſuper deſcendentibus imbribus congregatarum, aut ex occultis venis prodeuntium, aut ex utrisque. Gratia Dei omnibus præparata eſt hæc, quæ de cœlo deſcendit, quia omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt. Et hæc publica & nota cunctis
Jacob. 1. ſane credentibus ex occultis meritis, quæ nemo hominum novit, quæ Jeroſolymis eſt, quæ terræ pacis habet imaginem, Gratia divina ſiquidem non aliter aut alibi quàm in pace congregatur aut præſtatur quærentibus. Et fructus juſtitiæ in pace
5. Petri 3. ſeminatur. Proinde Petrus: Satagite immacultati inveniri in pace. Sed ſi piſcina in Jeruſalem tunc notiſſima civitate, nunc abundantia gratiarum in excellentiſſima Chriſti pace, nec in anguſtum vel in occultum incluſa eſt gratia, ſed habet in publicum, habet privatum, poſſibilis ad habendum in unitate ſeu veritate quærentibus, impoſſibilis diffundentibus. Multa eſt & una eſt: multa pro omnibus, una pro ſingulis. Nam de habente pulchritudinem faciei dictum eſt: Facies tua pleEſther 15. na eſt gratiarum, prout de Deo habetur notitia fidei in hac vita porrecta omnis gratiæ plenitudo, ut nihil deſit volentibus in ulla gratia. Et de ſapientia dicitur: In
Eccl. 24. me omnis gratia viæ & veritatis. Non filii DEI gratia ullis coarctata limitibus, communis omnibus volentibus eſt, in his maximè quæ in appetitu hominum ſunt ſcilicet in vita & veritate grata ſanis. Et
Roma. 5. gratia unius hominis in plures homines abundavit. In tantùm ſiquidem abundavit, ut omnes viventes volentes ipſius poſſint eſſe participes. Et ſicut unius intantum abundavit gratia, ut derivari poſſit ad omnes ipſius effectus, ſanans inviſas hominum mentes, ita & unitatis Chriſtianæ oportet tenere concentum, qui ſatagit illam in veritate ſortiri, ſicut inter tot languidos unius ſanatio manifeſtat. Et ubi ſuperabundavit delictum, ſuperaRoma. 5. Ad Titum. bundavit & gratia. Sed delictum in omnes, & gratia pro omnibus facta eſt. Et gratia ſalvatoris noſtri Dei omnibus apparvit, erudiens nos. Non enim ſolùm propter unam gentem aut populum, aut quempiam ſingularem apparuit gratia Chriſti, ſed omnibus hominibus: quia vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Gratiæ abundantiam iſta præſagiet piſcina. Sed eſt in Jeruſalem, quia in pace invenitur, quod eſt hominis optimum, non in illa, ubi eſt amaritudo amariſſima, ſed in illa, quæ datur hominibus bona volun-

voluntatis. Laudantur in ea oves. Verè quidem humiles non in aliis balneis præterquam in Dei abluuntur gratia. Flumina Babylonis & Aegypti sunt omnes aquæ præter gratiam salvatoris. Et si qua videntur abluere, amplius turbant, nisi aqua Jerusalem, ubi abluuntur animalia mitia, in dominicum sacrificium offerenda. Atque incongruè Bethsaida Hebraicè vocabatur, scilicet domus pecudum, ut significatio rei signatæ congrueret. Oves enim JESUS suos sequaces & auditores appellat. Oves meæ vocem meam audiunt, & sequuntur me. Cingebatur quinque porticibus, quinque jam decursis mundi ætatibus, circundata gratia, copiis infirmorum scilicet ipsa egentium erat, jacentium in terrenis & peccatis propriis atque delictis. Cæcorum per ignorantiam veritatis. Claudorum scilicet hæsitatium & claudicantium in duas partes an verum Deum: unum vivum, an idola sequi penitus debuissent, sicut Elias propheta magnus idoloatranti populo in oppo-
nèm dedit. Ut quid claudicatis in duas partes? Si Deus est Dominus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum. Multi hæsitaverunt in fide venturi Christi, & in cultu unius veri Dei. Et cum ipse advenit, mundo se palàm faciens, etiam claudicatum est. Alii quidem dicebant, quia bonus est: alii, quia seductor, & seducit turbas. Et adhuc claudicant quamplures fideles in fide Christi JESU, impingentes in vitam ejus & doctrinam suam: aut additionibus, aut sensualiter, aut quæstuariè, aut favoribus delectati aliter sentiendi. Et aridorum, qui habebant desiccata membra, quamvis adhuc conjuncta corpori, quæ de humore corporis non habebant, nec percipiebant alimenta virtutum, velut ramus desiccatus in arbore, quamvis non præcisus, nihil tamen recipit de humore radicis, ut pubescere possit in flores, prodire in folia: & aptos fructus educere in utilitatem aut delectationem vescentium. Sicque multorum erat, modoque regnat arida vita infidelium scilicet, qui quamvis cum credentibus unum sint unitate naturæ, ab effectu tamen invisibilis gratiæ sunt divisi. Et quod ampliori mœrore dolendum, quam plurimi fideles qui apparenter tenere videntur unitatem fidei, sed affectibus & moribus reciduntur, & plerique malè sentiendi erroribus sunt abscisi, ut humorem occultæ gratiæ, quæ in corpore viget ecclesiæ, nullo modo percipiant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, regnis cœlestibus aptos. Et

Joan. 10.

3. Reg. 18

Joan. 7.

Israelitici, hoc in deserto profitebantur dicentes: Anima nostra arida est. Arida erat anima, quæ in memoria tenebat Aegyptum, & ea, quæ in Aegypto reliquerant. Arida est omnis anima, quæ delectabiliter tenet memoriam peccatorum, & appetit in tenebras, quas reliquit, & vellet appertere ignorantiæ incolatum. Et ossibus aridis dicitur, ut audirent verbum Domini. *Et expectabant aquæ motum hujusmodi multitudo languentium, cujus motus erat per angelum, ex quo nisi unus sanari non potuit, ille duntaxat qui prior ocyus post motum descendisset.* Omnis expectatio est futurorum, & maximè quæ differuntur. Et expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat, quæ nondum est, sed futura est, & expectatio petitionum nostrarum, ut exaudiantur ab altissimo, quod desiderandum anxiè patienterque, si differtur. Hinc Job: Quis det mihi ut veniat petitio mea, & quod expecto tribuat mihi Deus. Expectatur & immutatio cunctorum, Job: Cunctis diebus quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Expectatur & Dominus in sua plenitudine gratiarum, sed quousque veniat viriliter est agendum. Exenim hortatur David: Expecta Dominum & viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Et iterum: Expecta Dominum, & custodi viam ejus. Et alibi: Pars mea Dominus dixit anima mea, propterea expectabo eum. Sed in omni expectatione bonorum sperandorum patientia opus est. Hinc Jacobus ait, sub similitudine in spe agricolæ, ut expectando patientiam habeamus. Patientes estote fratres, usque ad adventum Domini: Ecce enim agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens. Et David in expectatione sua exauditum se gloriatur: Expectans expectavi Dominum, & intendit mihi. Et cum oratione Domini & bonorum ejus, ejus expectatio fiat. Ajebat enim Domino, profundè orans: Non confundas me ab expectatione mea. Expectabat & ista multitudo languentium aquæ motum. Quem motum non à seipsa, sed ab alia virtute habebat, atque angelus invisus visè movebat aquam. Patebat sensui aquæ motus, quamvis motor invisibilis esset. Movet magni consilii angelus aquam scilicet gratiæ, cùm corda hominum commovet, & invitat ad gratiam. Et quodam invitatorium erat ille motus, ut descenderetur in aquam. Movetur quidem gratia, cùm ad se indigentes invitat. Non enim homines ante moventur ad illiam, nisi prius gratia ad

Num. 11.

Ezech. 37.

Roma. 8.

Job. 6.

Job. 14.

Psalm. 26.

Psalm. 36.

Thessal. 5.

Jacob. 5.

Psalm. 39.

Psalm. 118.

homines moveatur. Prævenit enim gratia omnem motum cordis ad illam, omnemque bonam corporis actionem. Hinc
Joan. 15. Salvator ait: Sine me nihil poteſtis facere.
2. Cor. 3. Et Apoſtolus: Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis, tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo
2. Cor. 15. eſt. Et alibi: Gratia DEI ſum id, quod ſum. Nam ipſa mota per angelum magni conſilii ſcilicet unigenitum filium Dei, Saulum ad ſeipſum promovit, ut præventus à gratia operaretur in gratia, ut nihil bonum vellet, aut ageret, aut eſſet, niſi ex gratia. Quotidie ſiquidem agitur motus gratiæ, ſine intermiſſione quærit ſanare languentes, in quinque porticibus, id eſt, in quinque ſenſibus ægrè atque infirmiter quieſcentes. Movetur squa, deſcendatur in eam, ſequatur ſanatio, recedatur à porticibus, ut non ultra quieſcatur in ſenſibus. Brutale protinus eſt in ſenſibus quieſcere, atque ſupra naturam fiamus, quoniam ipſe ſupra naturam eſt aſpernatus corruptam naturam, non confundens, ſed adjuvans conditam. Sed magnum ſacramentum oſtendit, quod tantummodo ſanabatur unus. Unitas quidem hæc in unitatem trajicitur fidei, omniumque virtutum, ſignatque non duos, aut plures, ſed unum conventum verorum fidelium. Illam porro unitatem unius ſanæ unitas oſtendit, præter quam eſſe poteſt nemini ſalus, ut in unam coëatur fidem, unamque charitatem, unamque catholicam eccleſiam orthodoxam, ut cunctæ virtutes ex uno prodiri credantur, & ad unum finem legis & prophetarum Jeſum Chriſtum referantur, ſub unius fide Dei, qui eſt trinus in perſo-
Pſalm. 132. nis, unus in ſubſtantia: quoniam de ſtatu canitur fidelium, quàm bonum eſt, quàmque jucundum habitare fratres in unum. Et Deus habitare facit unius moris in domo. Non habitatur in unum, neque in unum concorditer convenitur, niſi habitatores unius moris extiterint. Unus eſt mos eccleſiæ, una eſt urbanitas ejus, ſolùm ſatagens in ſuperna. Et cùm duo ſunt occuli in capite, multiquè capilli, ſolum in unitate ſponſus pro amore à ſponſa ſe vulneratum eſſe fatetur: Vulneraſti cor meum in uno oculorum tuo-
Cant. 4. rum, & in uno crine colli tui. Duo ſunt oculi, dexter & ſiniſter. Duo ſunt intellectus, fidei & naturæ. In oculis fidei amoris vulnus factum. Innumerabiles ſunt capilli capitis & colli apud nos ſed apud Deum omnes numerati ſunt, ſed in uno ſponſus à ſponſa gladio amoris confoditur, ut propter Chriſtum ſolum impaſſibilitas veniat. Crinis quidem impaſſibilitatis habet indicium, necnon ex unitate ad aliam directionem trahimur, ut ab omnibus diſſihentes adhæreamus Deo. Inquit enim Apoſtolus: Nam qui adhæret
1. Cor. 6. Deo, unus Spiritus eſt cum eo. Sed conſpicitur, & intenditur in uno longævi temporis ægro triginta octo annorum, non quod ſemper ab initio infirmitatis jacuerit ad piſcinam, ſed tantùm in eo fuerat perdurata infirmitas. Hic præcæteris in infirmitate laboraverat, & omni humano deſtituebatur auxilio, ad curam prævenichatur ab alio. Nemo ſibi erat auxilio ad deſcenſum, & inter miſeros miſerior erat. Si tempus infirmitatis attenditur, genus humanum eſt à diabolo in poſſeſſione ſcriptum: ſed quoniam non omnes illi divino imperio liberantur, populus gentilis in illo ſignatur cultu idololatriæ, jure præſcriptionis diabolo mancipatus. Potius autem differendo vehor in omnem hominem peccatorem, quem ſatanas diuturnitate temporis poſſedit: multiplicatione criminum, magnitudine ſcelerum, jure præſcriptionis, cui nunquam fuit interdicta poſſeſſio, quin velit poſſe, poſſitque velle venire ad gratiam, prout venit iſte ægrotus ad piſcinam. Aggravat hominum culpas temporis longævitas in peccato. Et Dominus per Je-
Jerem. 2. remiam populum arguit de longævitate temporis in peccatis: Nunquid poſſit obliviſci virgo ornamenti ſui, & ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? Populus autem meus oblitus eſt mei diebus innumeris. Nemo Dei obliviſcitur: niſi amore proprio delectatus, & præter ipſius legem ad creata viſibilia, & ad mundi gloriam delectatione ſe ligans, & hoc utique malum eſt, ſed hoc gravius, quod in diebus innumeris. Sed cùm paucitas dierum hominum ſit citò finienda, quomodo quis à Deo averti poteſt diebus innumeris, niſi quod quantum quis potuit, in iniquitate permanſit? Quod verò iſte hominem non habuit, veritas facti eſt quod homo diuturnè peccator hominem non habet juvantem ad gratiam, & ſanitatem à ſua ægritudine conſequendam. Et quamvis ad hoc plurimum valleant orationes ſanctorum, ipſis omnino ſe privat peccator indeficiens. Sed hoc ſæpe bonum etiam involuntariè atque diuturnè peccantibus remanet, quod ſanari expectant, verè credentes infirmitates animarum eſſe peccata, nullasque majores. Hunc ſic longæve infirmum Salvator alloquitur, ſi ſanari cupit interrogans: *Vis ſanus fieri?* Optimè ipſe noverat, nec erat

aliter

aliter autumandum, quoniam tantùm ob hanc cauſam venerat ad piſcinam. Sed quærit Jeſus ſi vult, ut ore profiteretur malum, quæreretque ſalutem, Eademque imagine affatur in interiori ſenſu quemlibet peccatorem: Vis ſanus fieri? Quid iſta interrogatio ſentire videtur, niſi, esne infirmus ore proprio confitere peccatum? Affectas ſanitatem, odire te infirmitatem oportet. Odis illam argumentis contrariis perſequaris. Vis ſanus fieri? Placetne tibi ſanitas? Ergo infirmitas diſpliceat, imo ſanitas magis placeat. Vis ſanus fieri? Potuitne peccatum te privari liberæ voluntatis arbitrio? Potuitne ſatanas te in illud barathrum obſtinationis viventem immergere, ut tibi malum diſplicere non poſſit, velleque juſtitiam? Magnum donum collatum eſt homini, ut liberum arbitrium vivens etiam quantumcunque peccator non poſſit amittere. Et diſpliscentia mali reſervatur in hominibus à natura, & boni & optimi appetitus, quanquam ipſi per inania placita depraventur. Sed interrogatus infirmus neſciens interrogantem, allegat impoſſibilitatem, privatum ſe fatetur humano auxilio, & à valentioribus prævenitur in cura. Velut peccator jam mundum faſtidiens, aſperatusque facinora, ſanctæ eccleſiæ meretur auxilium, orationesque ſanctorum. Sed nemini deſperanda ſalus, ſi ex toto corde deteſtatur facinus, quæritque ſalutem. Ad quem ſalvator: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.* Jacet, aut ſedet, cui de ſurgendo mandatur. Jacet, qui cecidit in peccatis: ſedet, qui à pigritia detinetur. Præceptum datur diuturno, & peccatori longæuo ut ſurgat, ſi malè ſe cecidiſſe cognovit. Nam ſi ceciderit lignum ad auſtrum avaritiæ, luxuriæ, gulæ atque iræ, quæ faciunt animam eſtuare, ad aquilonem ſuperbiæ, ubi lucifer diſpoſuerat ſtatuere ſedem ſuam, aut invidiæ, quæ frigidam animam facit: aut pigritiæ, quæ tepidam tenet: aut in frigiditate mentis depellentem habitum motum & officium charitatis, & ibi erit jacens, ubi ceciderit: non valens per ſe reſurgere, ut valuit cadere, niſi JESU præceptoris potentia ſubleveture. Etenim hic languidus tringinta octo annos in infirmitate habebat, nequiens ab illa reſurgere, niſi ſalvatoris ſuſcepiſſet præceptum. At ubi factum eſt, ſurrexit continuo, & accepit grabatum, memoriam & confuſionem peccati ſui, quam omnis peccator tenetur accipere ſecum ferens, & ambulabat in ſanitatis teſtimonium, exercitans corpus & membra, quæ olim tanto tempore tabuerant. Peccator interiori ſanitate reſpirans, neque amplius ferias in ſpiritualibus agat. Ambulet, ſed in lege Domini, & in præceptis altiſſimi, & petat ſuæ directionis viam liberatus à malo. Nam & David: Notam fac mihi viam, in qua ambulem, quia ad te levavi animam meam. Fiet protinus errabundus, niſi prius viam veritatis invenerit, quoniam non eſt in homine via ejus, neque viri ut ambulet & dirigat greſſus ſuos. Omnis conatus Deo placere volentium, rectéque gradi, fuit eſſeque debet in electione viarum. Ambulatur ſecurius, inceditur cautius, cùm electa fuerit via veritatis. Etenim David hoc in ſe & in perſona bonorum feciſſe demonſtrat, dicens: viam veritatis elegi, judicia tua non ſum oblitus, Attamen in via qua gradiendum eſt, duplex eſt directio. Eſt quidem directio ab indirecto, & directio ad directum. Directio ab indirecto his verbis explicatur: Viam iniquitatis amove à me, & de lege tua miſerere mei. Et alibi: Ab omni via mala prohibui pedes meos, cuſtodiam teſtimonia tua. Una eſt via iniquitatis & malitiæ ad perditionem deducens, ſed illa per fraudes, hæc molitur in nefas. Nam eſt via, quæ videtur homini recta, noviſſima ejus ducunt ad mortem. Eſt autem directio ad directum, Sicque poſtulatur: Dirige in conſpectu tuo viam meam. Nemo rectè ambulat, niſi in conſpectu Dei via hominis dirigatur. Sed quis eſt, qui etiam volens ejus poſſit vitare conſpectum? Quoniam in omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Sed qui animo contumaci perperam agere cupit, divinum vellet declinare conſpectum, qui verò per juſtitiam agere nititur, in conſpectu Dei dirigi poſtulat, ut ſecundùm ſuum placitum gradiatur. In ſpiritu ambulat, qui in conſpectu Dei ambulat. Et ſpiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Sabbato celebrata eſt hujus infirmi ſanitas, quoniam in ſabbato æterno cuncti electi etiam qui turpiter peccaverunt, peracta pœnitentia ſanabuntur. Sed Judæi verum ſabbatum non habentes, calumniam inferunt, quod hic grabbatum ſuum in ſabbato detuliſſet. Qui optimè retulit tollendi authoritatem in ſuæ ſanitatis authorem, velut ſi minora per majora probare niteretur, dicens: *Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit, tolle grabatum tuum & ambula.* Ac ſi velit intendere: Majus eſt infirmitatem triginta octo annorum ſpatio infiſtentem ſubitò depellere, inducereque ſalutem,

Pſalm. 142.

Jerem. 10.

Pſalm. 118.

Ibidem.

Proverb. 14.

Pſalm. 5.

Proverb. 25.

Gal. 5.

quàm jubere grabatum tollere. Sed illi obedivit infirmitas fugiens, & veniens ſanitas, nec meum erat differere de licentia ſabbantino. Diu tabuit corpus meum, non valens ferre meipſum, modo ab eo ſanatus ſupra artem & naturam, ut quid ejus mandata non faciam? Non me ſanavit obſervantia legis ſabbatiquè cuſtodia, ſed hujus hominis virtus ſanitati me reſtituit. Et cùm interrogaretur quis eſſet, ipſum neſcire reſpondit. Cujus tantum ingratitudinem arguit, quod non noverat ſuæ ſanitatis medicum & antequam actiones redderet gratiarum. Sed fortè perterritus novitate factorum, aut feſtinans ad juſſum, aut omnino detentus de ſanitatis lætitia, non curavit agnoſcere beneficii largitorem. Sed ſalvator omnium Chriſtus, qui animarum magis quàm corporum quærebat ſalutem, & præferebat unam, ut donaret & alteram, declinavit à turba conſtituta in loco. *Poſtea invenit eum Jeſus in templo, & dixit illi: Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Fortaſſis quod templum iſte ſanatus intraverat ad orandum, & ad referendum uni Deo, cui templum dicatum erat, gratiarum actiones quod ſanitatem receperat nondum credens in Chriſtum, ipſumquè Deum eſſe, in quo à ſalvatore invenitur recepturus in anima prout receperat in corpore ſanitatem. Et bene magno myſterio extra templum corporis, in templo ſanitas agitur mentis. Nam cuncta viſibilia & ſenſibilia corpori conferunt. Sapientia, virtutes, mandata ſacramenta eccleſiæ ſanctæ, quæ templum verum eſt Dei, ad animarum inſtructionem ipſarumquè ſalutem ordinata ſunt. In optimo loco ad pro futuro myſterio iſte inventus eſt à Jeſu, quod ſi qui ad templum fidei noſtræ non veniunt, non inveniantur, ut nec inventi in anima recipiant ſanitatem. Sed quæ in templo, ubi inventus eſt, non ſunt præſentis diſſertionis, jam differta ſunt alibi. Veruntamen interminatio huic facta inſtruit ad ſcientiam, incutit terrorem, paratquè cautelam, ut ſciamus ex peccatis pœnalia mala hominibus provenire, non ſolùm in alia vita, ſed in iſta. Terror quidem, quoniam judicium Dei eſt ſecundùm veritatem. Nam Deus ultionum Dominus, ulciſcens in eos, qui peccaverunt. Ex quo cautela verè timentibus oritur, ut declinent mala, bonaquè faciant, ut David poſt peccatum: Ab omni via mala prohibui pedes meos, ut cuſtodiam verba tua. Pſalm. 118. Sed cur evenire deterius comminatur? Nam dimiſſa ſæpe in ultionem redeunt, cùm poſteriora junguntur. Crimen læſæ majeſtatis ſemel dimiſſum, redit ad pœnam, cùm agendo repetitur. Et ſæpe in hominibus cor impœnitens generat reiteratio dimiſſorum. Nihilquè deterius in voluntariè peccantibus poſt ſuſceptam de priſtinis indulgentiam, quàm ſi cordis duritia ſubſequatur, quæ dum aſſiſtit, ad pœnitentiam venire non ſinit. Quo demerito induratum eſt cor Pharaonis, ut ſemper mala malis cumularet, & pejora connecteret, ſævior in populo Dei factus, ut etiam neque ſigna & prodigia magna ipſum ad pœnitentiam provocarent. Sed hic ſanatus à JESU, ut eum agnovit ex fide, prædicator factus eſt ejus, & intrepido animo abiit ad Judæos, & nunciavit eis, quia Jeſus eſſet, qui fecit eum ſanum. Velut remunerationis munus offert confeſſionem, quod Jeſus ſanare homines poſſit, & confitetur eum coram hominibus, ipſorum abjecto timore. Hoc præcipuum inter cætera ſalvator à ſuis fidelibus quærit, ut eum confiteantur, cui confeſſioni dona ſublima pollicetur: Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui eſt in cœlis. Et è regione dicit: Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui eſt in cœlis. Nullum ſignum evidentius ſanatæ animæ, quàm Chriſtum vita, moribus, ore, hominum timore depoſito, cùm neceſſe fuerit, confiteri. Matth. 10.

Cap. XXVIII.

De curatione lunatici, ſurdi & muti ſpiritum immundum habentis: ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

INvidus hoſtis humanæ naturæ in Deum ſemper uſquequaque ſuperbus, alternationes cœleſtium corporum obſervavit, inſidias tetras in illis conſtituens, ut eorum infamaret authorem, velut qui malum in corporibus cœli poſuerit, unde humana natura læderetur, eo quod viciſſitudine lunaris permutationis lunaticus diceretur. Sed revera non ſic, imo ipſe malignus exagitat obſervando lunæ curſum, quo ſoli proxima vel longinqua fumat defectum luminis vel augmen-

augmentum, in his permutationibus lunaribus amplius vexans, ut simul cum creatura creator ipse culpetur. Nam ut tres evangelistæ testantur, ut ordo detur rei gestæ
Matth. 17. Marci 9. Lucæ 9. non servato ordine scripturæ: *quidam babebat filium lunaticum*, ea deceptione, qua supra dictum est, sed puer, *& babebat spiritum immundum. Et erat surdus & mutus, qui vexaret eum, ut sæpe præcipitaret eum in aquam, aut in ignem, & elidebat eum, & spumare faciebat, & dilacerare & stridere dentibus & arescere. Omnia hæc ab infantia passus erat. Quem pater discipulis Christi attulit, ut curarent eum, qui nequiverunt. Sed diffidens pater de discipulis, de magistro plus sperans, cum Jesus venisset in turbam, accessit ad eum & genibus provolutus orabat, dicens: Domine & magister, attuli ad te filium meum lunaticum, habentem spiritum mutum, & dixi discipulis tuis, ut curarent illum, & non potuerunt.* Miserere igitur filio meo, quia lunaticus est, & si quid potes, adjuva nos misertus nostri. Et Jesus ait illi: Et si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans cum lachrymis patet pueri, ajebat: Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Tunc increpavit Jesus discipulos, dicens: O generatio incredula & perversa, quousque ero vobiscum, usquequo patiar vos? Afferte illum ad me. Et attulerunt ei. Et cùm vidisset illum: statim Spiritus conturbavit eum, & elisus in terram volutabatur spumans. Et comminatus est Jesus spiritui immundo, & increpavit eum, dicens illi: Surde & mute Spiritus, ego tibi præcipio, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Et exclamans, multùm decerpens eum, exivit ab eo. Et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Jesus autem tenens manum ejus, elevavit eum. Et surrexit puer. Qui adhuc peccare non noverat tantaque passus, ex originali se multatum insinuat. Sed in ista ante colligitur homo peccator, qui ex primis rudimentis, & ex suis primitiis se propria voluntate trajicit in alteram morum partem, electione mentis improba, quam corrigere non curavit, consilio aut disciplina melioris ætatis, sed velut infrunitus super equum id est super infræne corpus insedit, in id latus, quo malus feruor, seu earnis impetus impellebat. Sed nec differendum, quod lunaticus esset, ne videamur cum malè credentibus infamare lunam, similiter & authorem. Sed prætermissa opinione fallaci, solùm in id, quod verum est, intendamus: non fervando literæ ordinem, sed rei seriem. Puer hic habebat spiritum immundum. Et hic juvenibus principalis hostis immunditiæ Spiritus, ferens per lascivias voluptatum, & lubrica corporum, cui difficillimè resistitur, cùm ad carnem se trahit, tanquam sensualitatis amicum, blandè ingreditur dulcia venena diffundens. Si verò animæ disponit inferre certamen, aut maculat unde corpus, aut immunditias idololatriæ, & errorum inseminat, & surdum facit ad verbum, per quod erudiri possit ad ea, quæ Dei sunt, ut vigore Spiritus carnis illecebræ superentur, inutum ad prodendum latentia mala. Hic vexabat eum, ne quiesceret. Inquietus est omnis malignus, nec quiescit, nisi supplanet, & semper facit eum, quem possidet inquietum, fundens impossibile, ut velit quiescere in his, quæ quieta esse non possunt. Et ad præcipitium aquæ & ignis ipse deducit. Pœna sæpe culpam ostendit præteritam. Nam mala duo sunt secundùm Job in inferno pœnalia scilicet aqua & ignis, secundùm illam sententiam: Transibunt ab aquis nivium, ad ca- Job. 24. lorem nimium. Ex his pœnis colligitur culpa præterita, ut aqua nivium ostendat charitatis frigiditatem, calor nimius accensam concupiscentiam ad patranda mala prohibita, in quæ ad cadendum impellitur diabolo mancipatus. *Et illidebatur.* Ad terram peccator impellitur, cùm curvatur ad ima. *Et spumat* in libidinem exardescens *Et semetipsum dilacerat*, cùm nihil possit tetinere vestimenti honesti. A nulla parte patitur aliquid habere integrum vel consutum. Dilacerat vestimenta, qui destruit ornamenta naturæ, & gratiæ indumenta, quæ operiunt turpitudinem, quam incurrimus in Adam, & illam, quam peccantes propria voluntate contraximus, *Stridebat dentibus.* Et in inferno similis pœna diverberat, quia ibi erit fletus & stridor dentium. *Et arescebat*, ac si esset sine humore Spiritus vitam habentis. *Et ab infantia sua etate iste talia passus erat*: velut qui à primæva ætate satanæ factus mancipium, ejus dirum imperium non valens effugere, nisi à valentiori potentia factus liber esset. Hic porro puer apostolis oblatus à patre, nec ab eis curationem accepit, cujus causam, si aliam investigare tentabimus, præterquam quæ ab ipso cognitore causarum posita est, præsumptionis crimine arguemur, cùm incredulitatis causam duntaxat obiecerit. Et Christo iterum à patre præsentatus est cum postulatione misericordiæ, si qua posset. Optima


image
not
available

ejus? Ipſa igitur fides occultam energiam habet, etiam agens inſignia manifeſtè, quæ homines ſuper homines facit, & majores ſeipſis conſtituit, quæ humanam excedens virtutem, largitur inviſè divinam, ut etiam ſuper dæmones ſanè fidelium hominum feratur imperium, qua nondum apoſtoli apprimè imbuti erant, ut eis reſpondendo Salvator ipſe teſtatur. *Nam dicit illis Jeſus: Propter incredulitatem veſtram.* Ecce incredulitas ademit ejiciendi potentiam, qua remota, ſcitur quid poſſit perfecta credulitas. *Amen quippe dico vobis, ſi habueritis fidem ſi ut granum ſinapis, dicetis huic monti, tranſi, & tranſibit, & nihil impoſſibile erit vobis.* Non eſt otioſa ſimilitudo grani ſinapis ad virtutem fidei exprimendam, ſi diſcutiatur per ſingula: ſed præmiſſa duntaxat in effectum fidei ſpeculemur. Non legimus apoſtolos aliquando montes amoviſſe per fidem, quanquam potuiſſent, ſi neceſſitas poſtulaſſet, cùm & ſimilia jam facta legerimus, ſed in argumentum virtutis fidei dictum eſt, cùm bona omnia & decentia fieri poſſunt per fidem, ex eo quod adjecit: quia nihil impoſſibile erit vobis. Et ſupra dixit, quod omnia ſunt poſſibilia credenti. Veruntamen quædam alias virgas appoſuit fidei, quibus ſatanica poteſtas arceretur: & morales virtutes docuit, quibus poteſtativè depellitur ſcilicet orationem & jejunium, cùm adnexit: *Hoc autem genus* (ſcilicet dæmonum) *non ejicitur, niſi oratione & jejunio.* Non quod iſta præter fidem, ſed fides cum iſtis dæmonum hujuſmodi genus pellit. Quanta hic Spiritus nequam huic puero fecerit, ſupra jam diximus, à quibus liberari deſiderans, orationibus vacet, domet ſe jejunio, ut in oratione animus ſe Deo gratum exhibeat, accipiens documenta ſuperna, & plura mereatur accipere, cùm accepta cognoverit, cùm de acceptis gratiarum debitas reddiderit actiones: remotè in conclavi agens cauſam ſuam cum creatore ſuo, ante cujus conſpectum omnibus eum depoſitis, cunctisque rebus abjectis, ſe conſtituit aſſiſtricem. Jejunio verò fiat mens ipſa ſolertior, non oppreſſa epulis, non gravata cibis. Et corpus moderamine aptè frænetur, ne maculetur libidine, ne defluat in ventrum, ne excedat in nimium, ne obeſitate ſupra rationis conſiſtentiam invaleſcat.

Cap. XXIX.

De ſanatione mulieris curvæ, ſecundùm Lucam tantùm.

UTerque ſexus ex divina juſtitia pro paterna inobedientia diverſis pœnalitatibus ſubjacebat, quem in multis curaturus Salvator advenerat, & omne corporis vitium quadam imagine ſpirituale malum exiſtens in anima, unde labebatur in nequam opera oſtendebat. Luca. 13. *Et cùm eſſet Jeſus docens in Synagoga Judæorum ſabbatis, ecce mulier quæ habebat Spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere. Quam cùm videret Jeſus, vocavit ad ſe, & ait illi: Mulier, dimiſſa es ab infirmitate tua. Et impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt, & glorificabat Deum.* Dignè muliebris ſexus infirmitatem patitur, quæ ſeducta in prævaricatione fuit maleſuaſa, pejusque ſuadens. Etenim ſi ſola deliquiſſet, nec ſuaſiſſet viro, qui & ſteriſſet, humana natura libera fuiſſet à malo. Radix quidem ſana ramos ſimiles produxiſſet. Non enim radix Eva mulier, ſed vir Adam humanæ naturæ fuit exordium. Sed hæc, de qua Evangeliſta loquitur, habebat ſpiritum ſcilicet immundum, qui eam juſta Dei permiſſione ligaverat, & ſic inclinaverat corpus ejus, ut nec poſſet ſurſum aſpicere, annos decem & octo ſic comprimens eam. Non ingredientes allegoriarum pelagus, infirmitatem hujus mulieris per imaginem quandam trajiciamus in malos hominum mores, in quos ſatanas cunctos libenter intrudit. Velut ſibi placens anuquus, dejectus à ſuperis, nollet aliquem in amorem ſupernorum, aut contemplationem, aut quantamliber cognitionem venire, ne tandem illam poſſeſſurus, & in illis beatificandus aſcenderet. Quamobrem ſe obicem facit, impedimenta procurat, recuruat ad terrena. Inclinatus autem affectus in nimiam curam carnis, quam geſtat, quæ terra graviſſima eſt, quæ, cùm in affectum terrenorum tranſierit, aſpectus ſupernorum reprimitur & abolentur, aut non ingreditur in animam illa dulcedo cœleſtis, cui terra carnis in pretium venerit. Deperit honeſtas in anima, cui chara eſt facta caro terra. Illa imago,

timago, ad quam factus est homo, invisat ad alta, invitat ad DEUM, suadet emper, ut accepta illa dignitas conservetur humana, ne infra bestias retrudat indignitas. Sed respexit illa terram corporis sui, cui colligatur, & dilexit eam tanquam habitaculum ejus, timens dissolutionem, diligens in illa manere tanquam in optimo suo, & omnem oculum & aspectum inflexit super eam, investigans, aucupans unde sana & vigorosa consistere ret, nec aspexit meliora sua, nec sursum direxit aspectum, ubi est immortalitas, affectata in concupiscentiam sensibilium clivis, velut Salomon, qui ex concupiscentia mala inclinavit fœmora sua mulieribus, ipse sicut mulier mollis factus. Quid inclinata mulier ad terram, nisi illos dixerimus, qui figurantur in illa muliere aliena & extranea, quæ mollit sermones suos, & reliquit ducem pubertatis suæ, & pacti Dei sui oblita, inclinata est ad inferos domus ejus, & ad inferos semitæ ipsius? Mulier hæc sensualitas seu delectatio sensualis est, aliena scilicet à bono conditionis suæ, atque bono virtutis: magis alienans hominum mentes, ut non ut conditi sunt vivant, sed prout se in bestias moribus transtulerunt. Hæc mollit ex blandiris sermones, ut decipiat citius, ducem pubertatis suæ abhorrens. Dux pubertatis Deus solus: dux altioris consilii & ætatis Deus & homo, Et pactum condicti de actione laudabili tradidit oblivioni, velut ab aliis occupata constrictius. Sed qui voluntate inclinantur ad culpam, invitè inclinabuntur ad pœnam: quoniam & inclinata est ad inferos domus ejus. Imago adorationis & venerationis est inclinatio, sed laude digna cùm adoratur DEUS, sicut scriptum est: Incurvati sunt, & adora-
Nehem. 8. verunt Deum. Et Abraham pronus ado-
Genes. 17. ravit Deum, & accepit à Domino pactum
Genes. 33. sempiternum. Et Jacob adoravit septies pronus in terram, & effugit indignationem fratris. Sed vituperium habent & pœnam, qui ad idola inclinantur. Nam & propheræ nequam interfecti sunt, irridente illos Elia, in invocatione Domini super sacrificia: similiter & populus, qui ob idolatriam ductus est in captivitatem, quia non habuit veram scientiam. Etsi propter aliquid insigne virtutis quis dignus habetur, carens reputatur indignus. Ex toto verò possidens & exercens virtuti contrarium condemnatur. Condemnabatur Israeliticus populus, quia gentia curuabat ante Baal, ut Elias propheta magnus, non tamen omnia videns, diceret solùm se esse relictum, qui Baal non adoraret. Sed audivit à Domino, qui cuncta optimè novit: Reliqui mihi septem 3. Reg. 19. millia virorum in Israel, qui non curvaverunt genua ante Baal. Ex qua planè sententia vitium amplius à virtute confunditur, & ipsa virtus laudatur ex vitio. Necesse est protinus vitium vituperari à splendore virtutis, & ipsam splendidius inclarescere dedecore vitiorum. Extollit lux seipsam, & tenebrarum turpitudine validius ejus decor agnoscitur, & sua propria consideratione tenebræ horrescunt, ægrius verò, cum componuntur ad lucem. Dixerim sanè hanc mulierem incurvatam ad terram omnem animam spem suam in caducis & perfunctoriis defigentem, hanc terrenam vitam amantem corde, de ipsa ore pleno loquentem, & omni actione quærentem, ut pro hac terna inclinatione ter diceret Dominus: Terra, terra, terra, audi verbum Domini. O qui terram di- Jerem. 22. ligis, de terra loqueris: terræ negotiationem conquiris, audi verbum Domini, ab istis te eximens, & ad cœlestia erigens. Sed quod est, quod sursum non valebat aspicere, nisi quia sperans in terrenis desperaverat de supernis? Spes infirmorum inclinat, supernorum desperatio erigi non permittit. Spes supernorum duntaxat est illa, quæ animas incurvatas facit erectas. Et iniquitates supergressæ hominum rationes erigi non concedunt. Quo typo Psalm. 37. ajebat David: Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Pondera superposita capitibus hominem sursum aspicere prohibent. Sic & iniquitates supergredientes hominum mentes, velut gravissimum onus comprimens & reprimens atque gravans aspiciendi sursum adimunt facultatem, nisi divina virtute talia onera dissolvantur. Sic enim per Isaiæ. 30. Prophetam præceptum est: Solve fasciculos deprimens. Fasciculi, qui animas deprimunt, sunt multiplicata delicta & conceptæ nequitiæ, atque actualia mala in multis prohibitis, aut in uno prohibito iterata. Sed qui in uno offendit, factus est omnium reus: ut non solùm ex diversis, sed ex uno sæpe repetito congregentur & colligantur fasciculi deprimentes. Nihil excludit mysterium annorum numerus, quibus hæc mulier curvabatur, scilicet decem & octo annorum. Decem quidem decalogus est, qui pertinet ad vitam agendam, octo verò ad quietem supernam pertinent: non ex sabbato Judæorum, sed ex octava fidelium, qui numerus vitam sperandam præfigiat, ac per

hoc

hoc quicumque ſunt in hujus mulieris imagine, hanc patiuntur infirmitatem per decem & octo annos: non agentes vitam agendam Decalogi, & ſperandam in regno Dei deſperantes omnino. Hanc quidem mulierem Jeſus vocat ad ſe, quia illa in ſe ſanari non poterat, nec bene ſibi erat, & ut per eum bene ſibi eſſet, dimiſit illam ab infirmitate ſua. Curvatam animam ad terrena quis erigit, niſi qui ſpem poteſt porrigere de ſupernis? A bonis, & ab his, quæ bona videntur æſtimatione mortalium nemo retrahitur, niſi meliora in ſtipulationem proveniant. Quis enim ab iſtis terrenis abſtrahere animum poſſet, niſi, vero intuitu ſupernorum? Quis potuit ad cœleſtia mentes hominum ſublevare, niſi qui de cœlo deſcendit, cujus in utriſque plena poteſtas, à patre omnium Deo data in cœlo & in terra: Et poſt verbum effectiuum etiam manus impoſuit, non dedignans fragilem ſexum, quem condiderat, non abhorrens creaturam propter culpam, non deſpiciens, quod creaverat ad bonum æternum propter temporale delictum, nec longam moram in peccans hominum, decernenu ſic plerique reſiſtunt. Sed verè averſæ mentis à malo, ſincereque ad bonum converſæ inſinuat, cùm illico paretur injunctis, prout confeſtim hæc erecta eſt ab infimis alta conſpiciens. Et glorificabat Deum, quoniam regi ſæculorum inviſibili ſoli Deo honor & gloria. Etſi omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum: nemo glorificandus niſi ſolus Deus. Etiam in partem optimam hæc mulier ceſſit, cùm glorificavit eum; præter quem ſanari non poterat: & reddidit cenſum, ultra quem alium nequimus impendere, niſi de moribus glorificare Deum. Sed qui hanc curvatam mulierem erexit, omnes conatur erigere: ſuſcitans de terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem. Erigit pauperem, cui non eſt adjutor: ſi erigi cupit. Pauperem dico rebus & negocus, pauperem patientem, cui mundus inſultat, pauperem Spiritu, pauperem humilem, abjectum ſibi, abjectum mundo, omni reputatione carentem. Hunc de ſtercore ceremoniæ legalis, quam Apoſtolus arbitrabatur ut ſtercora, erigit de ſtercore terrenorum, quo Tobias cæcatus eſt, de ſtercore carnis, quæ animam inficit, erigit ſoſpitate, quia beati qui lugent, ac etiam mœrentes erigit quoniam ipſi conſolabuntur. Omnis autem diſputatio & quæſtio ſubſecuta, quod in Sabbato curaverat, invidiam & hypocriſim Judæorum prætendit. Sed quod in Sabbato miraculum factum eſt, veram legis intelligentiam, & æternam ſanitatem & quietem enunciat. Matth. 9.

Cap. XXX.

De ſanatione hydropici, ſecundùm Lucam ſolum.

Luca 14. *ET factum eſt cùm intraret JESUS domum cujuſdam principis ſabbatà manducare panem, & ipſi obſervabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et reſpondens Jeſus, dixit ad legiſperitos, & Phariſæos, dicens: Si licet ſabbato curare? At illi tacuerunt. Ipſe verò apprehenſum ſanavit eum, & dimiſit.* Sicut unigenitus DEI filius aſſumpſit carnem carnis peccati ſimilem, non tamen peccatricem: ita ſe conformavit quibuſdam hominum moribus abſque peccato, ut etiam iret ad convivia hominum peccatorum: non amore convivii, ſed ratione docendi: & pauper & egenus exiſtens, oſtendebat moribus paupertatem: vitæ victum capiens apud alienas ædes invitatus, aut ſemetipſum apud eos invitans, ut Zachæum prævenit, quod in domo ſua oportebat eum Lucæ 19. manere. Judicia quædam hominum temeraria poſſent in his, velut in aliis, Chriſto inferre calumniam, quod ſæpius hujuſcemodi ſympoſia frequentaret, ſi non veniret in hominum mentes, quod quærebat opportunitatem docendi neſcios virtutum, & gerendis rebus captabat materiam faciendi. Sed amplius dignationis & humilitatis ſibi debet adſcribi, quod nullum hominem devitavit, etiam peccatorem, ſi voluiſſet ſecum habere colloquium, aut in quopiam honeſto participium facere. Nam in hoc cum talibus acceſſerat ad convivium, quod ipſum ad calumniam obſervabant. *Et ecce quidam hydropicus erat ante illum?* Hydropiſis infirmitas eſt aquanea, inflans corporis cutem, quæ cùm ingraveſcit, curari nequit, & potu auget ipſa ſitim, exprimens omne vitium quod multiplicatur ex uſu, & ex conſuetudine iteratur, præſertim avaritiam, quæ quanto magis auget pecuniam, & deſiderium plus habendi. Conſtitutus huc erat ante Jeſum,

ut curationem acciperet. Nil aliunde ſibi poterat eſſe remedii, niſi ſtaret ante Jeſum. Sibi ſoli datum eſt deſperatis mederi languoribus utriuſque ſubſtantiæ, ſi ante ipſum ſtatur fide atque confeſſione malorum, Sed antequam curet, interrogat quod noverat, non ut doceatur ab eis, ſed ut doceat ipſe illos. *Si licet ſabbato curare?* Non eſt quæſtio amplius repetenda de ſabbato. *At illi tacuerunt.* Prudentia hic uſi ſunt tacentes, cùm juſta reſponſione negando caruiſſent. Affirmare verò nolebant ad veritatem per ſuperbiam contumaces. Superbæ hominum mentes verum confiteri erubeſcunt, maximè, cùm odjunt, ſed ſilentio tranſeunt, ne improbiter reſpondendo confuſi videantur. Nun tacent ex humilitate ſuperbi. Ordinata loquendi modeſtia vanè glorioſis & invidis ſilentium non imponit, ſed veritatem ab eorum moribus alienam fateri nolunt, contradicere non præſumunt verentes convinci, ne deterius erubeſcentiæ damna patiantur. Attamen exequitur ſalvator ſuæ gratiæ largitatem, & effectiva potentia hydropicum ſanat, & dimittit illæſum. Non cogit eum ad aliquid reſpondendum, non aufert liberæ voluntatis arbitrium. Omnem hominem ſuæ ratonis & voluntatis compotem eſſe ſinit, nec aufert ex vitio nuper commiſſo, non ex dono noviter impenſo, quod graris creaturæ rationabili, cùm crearet impendit. Omnis autem diſputatio de ſabbato ſubſecuta verum intellectum ſcripturæ demonſtrat non habere Judæos, & quomodo contingebant illis omnia in figura, quam veritatem Chriſtus venerat revelare.

Cap. XXXI.

De mundatione decem leproſorum, ſecundùm Lucam ſolum.

INter cæteras infirmitates, proper quas evidentior indicta diſcernendi peritia, & datus certus ordo ſignatisque curandi, & patiens incurabiliter ſit ſegregatus à cæteris in veteri teſtamento eſt ſingularior lepra, quæ cum pruritu cutis habet aſperitatem, variumquè colorem, omne vitium cum delectatione agentis, & ſcandalo videntis inſinuat. Nam coloris varietas ad multiplicationem vitii, pruritus ad delectationem ſui, cùm ſenſualitas ſit cupida ſcalpi: cutis aſperitas ad ſcandalum proximi congruè referuntur. Hac infirmitate infecti aliquando Dominum adjerunt, cupidi de ſalute, deſperantes de medicina, ſimiliter & natura. *Nam dum iret Jeſus in Jeruſalem, & tranſiret per mediam Samariam & Gali leam. Et cùm ingrederetur in quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longe, & levaverunt voces ſuas, dicentes: Jeſu præceptor, miſerere noſtri.* Denarius numerus mali fecit auxeſim, eo quod nulla deſit prævaricatio in præceptis, & mali commiſſio in contrariis: non enim niſi ex contrariis prævaricatio eſt bonorum atque virtutum. Nunquam enim niſi per malum bonum deperit atque minuitur, neque abſque vitio virtus depellitur. Igitur decem viri leproſi univerſitatem delictorum atque peccatorum pronunciant, dum denarius adducatur in cauſa. Virilitas equidem ex ſexu fortiori penſata utrumque malum validat, delictum ſive peccatum. Decuit enim virum ſupra fœmineum ſexum in obſervandis mandatis, atque in ceſſandis criminibus eſſe per omnia fortiorem. Proinde verè delinquenti aut vituperium in hac vita, ſeu tormentum in alia abundantius erit, Infirmitas ipſa horrori patienti & aſpicientibus eſt, & non ſolum viſum, ſed etiam olfactum ex fœtore offendit, tactusque illam abhorret. Et quia morbus contagioſus creditur, patiens ſegregatur. Et nun ſolum in veteri, ſed etiam in nova lege leproſos cernimus quotidie à cæteris ſegregari: ut tunc extra caſtra, & nunc extra habitacula communia emittantur. Et eo demerito genus humanum hæc infirmitas invaſit, quo & cæteræ invaſerunt. Sed actum inſignem in illa prævaricatione oſtendit, cùm ex ipſa natura multatus, videlicet quo protoplaſti toros ſe contraxerunt in culpam, accedentes animo & corpore ad interdictum lignum, ut intra nil obedientiæ, foris nil remaneret honeſti. Et per totum corpus, cùm incipit & augetur, ſerpit hæc putrida peſtis. Sed occurrerunt hi decem Domino ſalvatori. Bonus occurſus ad eum, qui de ſuperis, ut in terris poſſemus ſibi occurrere, in carne natus occurrit. Occurrant omnes obviam ſalvatori prævio, ut mundentur à lepra, qua tenentur infecti. Nulli aut pauci ſunt, quin aliqua delectatione ſculpantur ex pruritu nequam,

Num. 13. & 14.

Luc. 17.

quam

quam in anima & corpore patiuntur.
Ephes. 4. Non ceſſemus ambulare, donec occunamus eì in virum perfectnm, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Etenim ipſe Salvator infirmis & indigentibus ſe obviam facit, cùm nobis ad occurrendum ei nulla poſſit eſſe facultas, niſi prævenisſet. Intrat igitur caſtellum, ubi leproſi occurrunt. Intravit in hunc mundum, ut ſibi homo leproſus & ulceribus plenus occurreret. Sed ſteterunt à longè in conſideratione malorum, & uniuscujusque immunditia jure trepidat approximari munditimo. Væ! autem hominibus nequam, approximatione digna præſumentibus in divina, Humiliter verò longè fieri plus approximat, & indignum ſe reputare, occurſus velox ad Deum eſt. Peccati acti conſiderare miſeriam, quod dignùm operatur divortium eſt appropinquationis initium. Ipſius cognitio aut magis prohibuit, aut procuravit abſceſſum, niſi confeſtim patrati mali diſplicentia obveniſſet. Quæ, cùm venerit, homo peccati demerito ac indignitate longè poſitus eſt, & ſic ex humili & vera conſideratione ſe credens longè à Deo factum, propinquior conſcientia intro confeſſus, voce cordis exclamat: Jeſu præceptor, miſerere noſtri. Altius clamatur in aures Domini Sabaoth voce
Pſalm 118. cordis, quàm oris. Et hic verus eſt clamor, quem fecit David, facereque prædixit: Clamavi in toto corde, exaudi me Domine. Acſi meritò eſſet exaudiendus, qui ad eum toto clamat ex corde. Hunc clamorem Deus exaudit & reſpicit. Nam cùm populus Iſraeliticus educeretur in manu Moyſi de Aegypto, paveſcens maris tranſitum & ſequentium feritatem, tumultuabat ore altequè clamabat, Moyſes verò tacebat ore, fortius corde clamans.
Exodi. 14. Cui ſolùm à Domino dictum eſt: Quid clamas ad me? Ipſe tacebat, omnes clamabant, & ſibi ſoli dicitur: Quid clamas ad me? quaſi nullam aliorum vocem Deus audiret, niſi ejus qui valide clamabat in corde. Sed clamantibus altis vocibus his leproſis Jeſus dixit: *Ite, & oſtendite vos ſacerdotibus.* Pro nulla infirmitate pellenda, nullis ſanandis infirmis legimus ſalvatorem ad ſacerdotes, præterquam leproſos miſiſſe curandos. Nam cùm corpus lepra occupet univerſum, varietque colorem, omne genus peccati oſtendit confeſſione purgandum, & omnem immunditiam ſacramentalibus decretis adverſam, ſeu legi Dei contrariam, quæ ut pellatur, oportet cum ſacramentis verum habere conſenſum. Et quoniam varietas lepræ varietatem intellectuum in ſcripturis enunciat, oportet in ſcripturarum interpretatione cum ſacerdotibus, qui habent ſcientiam, convenire, cùm diſcrepatio indicat errorem. Etenim Paulus, qui à Chriſto immediatè habuit Evangelium, qui non errabat, tamen collationem de Chriſti Evangelio cum aliis apoſtolis fecit, ne invacuum cucurriſſet, nihil tamen amplius quam ſciebat accipiens. Facile quidem à veritate deviat, authoritate propria ſcripturas interpretans, & à concentu doctorum intellectus capiens ſingulares. Proinde intellectum variumſcripturarum, quo ſunt hæreſes introductæ, ſacerdotibus Salvator jubet oſtendi, ut varietas abſcedat, & veritas accedat, & revocentur ab errore hominum corda, cùm de ſectis redierint ad eccleſiæ unitatem. In figura enim futurorum & ſacramenti futuri lepra ſacerdotibus pandebatur, cùm poſtquam filius Dei factus eſt homo, in humanitate ſacramenta conſtituens, quòd homo peccator ſacramentali homini pro virtute ſacramenti cordedolens, ore maculas peccatorum oſtenderet, ut aliter ſalvari non poſſint, quos peccatorum ſarcina premit, cùm aderit ex omni parte facultas, niſi malefacta ſacerdotibus ordinatis aperiant, non quærentes hujus inſtitutionis cauſam, ſed virtutem Chriſti occultam in ſacerdotibus fide credentes, actione venerantes. *Et factum eſt, dum irent, mundati ſunt.* Si mundati ſunt dum irent, antequam pervenirent, evidenti argumento, qui mundat peccatorem à maculis, declaratur, quod non ſacerdos unctus in manibus, ſed quod totus eſt unctio Chriſtus. Et niſi prius peccator verè pœnitens ſuorum conſcius delictorum & criminum, à Chriſto de ipſa pedica liberetur, fruſtratur in illo abſolutio ſacerdotis, cùm ipſius authoritas nequit in amplius quàm Chriſti, qui occultorum eſt cognitor, ſine velamine videns abſolvendum, & quanta contritione detentum, quem communis ſacerdos ignorat, qui abſolutionem ſuper ore confeſſum, & fortè in corde non contritum poteſt inducere: non tamen niſi prius occultè divina authoritate mundatum præexiſtente contritione mundare. Habet ſacerdos duntaxat de vocali confeſſione decernere, de interna contritione ſolùm novit altiſſimus. Et quanquam evangeliſta non explicet, perfecerunt mandatum. *Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ſuam ante pedes ejus, gratias agens.* Sæpe agitur in moribus hominum, quod ad æqualia ſimiliaque dona unus eſt præ conſortibus

gratior, & ingratitudo multorum vultus à datore facit aversos. Et dignus est ampliora suscipere, qui cognovit accepta, & prout ipse potuit retribuit largienti, non dati vicarium sed xenia gratiarum. Qui verò solum gaudet acceptis, oec saltem in lætitia faciei & verbi gratus est, etiam quod accepit, amittere meretur. Sed unus qui reversus est ad Christum cum actionibus gratiarum, ab ipso, non à sacerdotibus cognovit se accepisse virtutem. Alii fortè non à Christo, sed à sacerdotibus se crediderunt esse mundatos. Hic verò unus insigniter se convertit ad Christum. Cognovit quod acceperat, quia vidit se mundatum à mundatore Jesu. Intellexit à quo acceperat, quia regressus ad mundatorem, quem extollebat laudibus, nil ultra rependere valens, nisi voce magnificare Deum. Magna quidem vox in conspectu Dei, non est à corporalibus instrumentis, sed ex affectu magni cordis. Magnificare Deum est sibi ea, quæ sunt magna tribuere, quæ aliter quam per eum fieri nequeunt. Casus in faciem ad humilitatem pertinet, & ad orationem ejus, qui adorari duntaxat est dignus. Ante petes, ut assumpta humanitas, in assumente deitate cultu latriæ adoretur. Agebat gratias, quia gratis acceperat. Nemo quidem tenetur gratiarum actiones impendere, nisi qui gratis accepit. Si quis enim aliquid accepit jure debito sive lege, non obligatur ad munera gratiarum. Sed hic erat Samaritanus, alienus à patria, extraneus à gente, secretus à moribus; vocationem gentium ad unitatem ecclesiæ hic insinuabat. Cùm alii patriotæ remearent ad propria, hic extraneus mundatus rediit ad Christum. Necnon & pauci Dei memores beneficiorum, multi verò immemores extiterunt. Nam sequitur: *Et respondens* JESUS *ait: Nonne decem mundati sunt, & novem ubi sunt?* Noverat benefaciens beneficiatos, quem ipsi nosse amplius debuissent, & de ingratis, velut cognosci non dignis interrogabat. Nam de vena ingratitudinis exhauritur, quòd qui non rependit Deo saltem gratias de beneficiis, velut à Deo incognitus reprobetur. Reproborum siquidem & electorum soli DEO notus est numerus. Nec velut ignorans, sed velut ad ingratos iratus interrogat. Veruntamen non est numerus, sed unitas: in ingratis verò innumerositas reperitur, quoniam in uno solo consistit unita multitudo bonorum, malorum verò numerositas in plurima derivatur. Et unus bonus laude præfertur, etiam malorum multitudini comparatus. *Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge & vade, quia fides tua te salvum fecit.* Non est inventus, imo erant omnes inventi, sed qui daret gloriam DEO. Omnes protinus inveniuntur mortales; sed non omnes gratias referunt de acceptis, nec qui omnem gloriam referant regi sæculorum immortali & invisibili Deo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Inexcusabilis est inconsideratio in hominibus, & ante mentis oculos non statuere bona, quæ divinus largitor contribuit, quasi minus obligati videamur eidem, si ad nostram recordationem non veniunt; velut si natura nos sic sine divina providentia produxisset, ac si sic esse deberemus ex debito, non ex dono: & quod gratia esset ex virtute seminaria, non gratis impensa. Culpatissimè agunt, qui accepisse dissimulant: nec considerant quid operari teneantur ex donis, quæ Deus gratis impendit, ut non curiositas mala, sed laudabilis actuositas sit in eis. Sed qui non sunt inventi de acceptis reddere altissimo in hac vita gratiam, ad gloriam nunquam pervenient supernam, nec audient quod gloriæ relator audivit: *Surge & vade, quia fides tua te salvum fecit.* Non audient salutis verbum, qui divina beneficia vilipenderunt aut dissimulaverunt, nec reddiderunt saltem vicaria gratiarum, quoniam non ex natura, sed ex fide sunt dona. Fides siquidem Christi salvat, non natura, non ars, non legalis quæcunque justitia. 1. Tim. 6.

Cap. XXXII.

De illuminatione duorum cæcorum prope Jericho secundùm Matthæum, aut unius tantùm secundùm Marcum & Lucam.

QUoniam super modum abundavit ignorantia veritatis, quæ mentis est cæcitas præsignata in corporaliter cæcis, qui sæpe Christo illuminatori utriusque, corporaliter sæpius occurrerunt: idcirco Salvator tanto studio super eos illuminandos intendit, insinuans quod ad depellendam mentis ignorantiam multa cura & frequenti oportebat intendere. *Et cùm assumptis*

Marc. 7 *assumptis discipulis in ultimo ascendisset Jerusalem, appropinquanti Jericho duo cæci occurrerunt.* Secòndùm Matthæum, sed Marcus & Lucas de uno, velut de famosiori prosequuntur. Et nos, si de uno prosequimur, de ambobus prosequi videmur. *Cùm appropinquaret Jesus Jericho, cæcus quidam filius Thimæi Barthimæus sedebat secus, seu juxta viam mendicans.* Privari corporis visu horrenda res his, qui delectabiliter assoliti sunt videre forinsecus corporum qualitates. Et necessitate quippe agitur defectus corporis, ipsum corpus illius aggravari dolonbus, mentem ex tædio, qui nec novit nec noscere procuravit, ad quid interna delectatio potuerit pervenire. Et horrendum protinus malum utraque cæcitas. Est una, quæ corpus: altera, quæ mentem obtenebrat: una satis, altera potius: una defectum præostendit naturæ, altera gratiæ. Una se objicit, ne creaturas corporeas t altera, ne creatorem & ejus bona invisibilia speculemur. Attamen hic cæcus ab uno tantùm evangelista, scilicet à Marco, nominatur ex nomine, quia Barthimæus filius Thimæi; quorum interpretatio nominum nihil habet mysterii relati ad ordinem rei gestæ, nisi quod notior videbatur esse in plebe. Cæcus corpore privatur visibilium gaudiis. Et Tobias fatetur Tob. 5. Quale gaudium est mihi, qui in tenebris sedeo, & lumem cœli non video? Mente cæcus ab invisibilium lætitia exclusus est. Proinde vehementior dolendi materia, cùm prima cæcitas sæpe proveniat præter propriam culpam: secunda verò in adultis usum rationis habeotibus semper in vitio est. Quod est creaturarum visibilium aufert prima: secunda verò, quod Dei & virtutum est, tollit. Errat cæcitas in plateis, juxta prophericum dictum, sed inter angusta non tam longè erravere discursus. Et in latitudine mundi mente cæci pedibus morum obertant, errabundi prius in affectibus existentes. Mente cæcus errare intellectum facit à vero, deinde à bono debito perverit affectum: perversus verò affectus mores devios facit. Nam & hic cæcus sedebat secus viam, velut à rectitudine alienus, & aliter nequit esse, quin sit in devio. Devius, qui non in via, sed secus viam sedet. Aufert cæcitas hominibus officium exercendi atque operandi unde victum conquirerent, atque vestitum: & quæ sunt captanda sudoribus, mendicamine conquiruntur. Nam & hic sedebat medicans, quærens ab aliis annonam & fulcimenta vivendi, quæ suis manibus aggregare non poterat, ut beatus esset suarum manuum labores, non aliorum manducans. Infelix protinus interioris conditio cæcitatis, quæ in tot calamitatibus eum, quem cæcavit, intrusit: & eo miserior, quod Jesum videre non potest, ante ipsum continuò transeuntem. Non dixerim oculo illo, quo videntur extrinseca, sed illo, quo aspiciuntur interna. Non transitum Domini appellaverim corporalem, sed illum, quo sacramentaliter & mysticè sua dona temporaliter atque transitoriè peraguntur in nobis donec deveniatur ad requiem. Sed adhuc huic præsto erat ille sensus, quo illuminari poterat ad salutem: auditus videlicet, quo percipit turbam coacervatim per viam plus solitò prætereuntem, unde factus curiosus in anima, ad sciendum scilicet quid esset, quod turba tumultuans vocibus & pedum strepitu ab insolito pertransiret. Quamobrem *interrogat quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. Et cœpit clamare & dicere: Jesu fili David miserere mei.* Non abs re hominibus exteriores sensus dantur, ut ab eo, quod est uti, deveniatur ad frui. Et tunc optimè sensus in usum deveniunt, cùm postremo terminantur in frui. Necdum enim ad hoc dati sunt, ut sistantur in uti. Huic siquidem cæco honestè servivit auditus, qui titillatus nuperrimè defectum supplevit ex visu: quo permotus de incognitis ad interrogandum se contulit, ad scrutandum, quæ multitudo esset videns, quæ antè se cæcum luce carentem gregatim iter perageret, & quæ causa itinerationis hujus, & obtinuit audiendo, quod videndo non noverat. Audivit transitum & causam, quia dixerunt, quia Jesus transiens prætereuntes, comitantes, subsequentes. Multi transierunt ante Jesum, non sibijpsis causa transitus existentes, sed quia sequebantur regem Dominum præcedentem. Sed cùm interrogavit Barthimæus cæcus, scilicet filius ruminantis, id est, altè considerantis cuncta, quæ novitate decurrunt, quamvis corpore cæcus, fortè corde plures videns: interrogemus & nos cur tanta turba transit, quia & subsequitur Jesus. Cur creatus est in tanta rerum multitudine mundus? Quia inter creata creandus ent primogenitus Dei filius, ex tempore dictus Jesus. Cur transivit tantorum turba bonorum? Quia præibant post secuturum Jesum. Cur tantorum turba patriarcharum aut propherarum? Quia figuris & ænigmatibus & prophetiis præibant Jesum, ut nec ipsi præeuntes causa fuissent Domini subsequentis, sed

Matth. 20. Mar. 10. Luca. 18.

Dominus ſubſequens extitit cauſa præeuntium populorum. Etenim ipſe qui mundo naſciturus erat, cauſa fuit omnium ante naſcentium. Et ipſe ab æterno bonus increatus exiſtens, ex tempore bonus carnem aſſumens, cauſa originalis atque primordialis extitit omnium bonorum antecendentium. Proinde congrua & condigna eſt reſponſio præcedentium ad interrogantem cæcum, non quod ipſi ſint cauſa tranſitus, ſed quod tranſiret Jeſus, qui non ex deitate, qua per omnia ſtabilis, ſed ex humanitate, atque in ipſa geſtis, & in ſacramentis & eccleſia peregrinante indiviſibiliter ingeſtus ipſe tranſiret. Nec incongruè tranſire Dominus Jeſus dicitur, qui cuncta tranſitoria in ſeipſo tanquam in homine, in hac mortali vita celebravit, donec ad immobile regnum aſſumpta humanitate perveniret. Nec tranſire deſiſtit in ſuo corpore, quod reliquit, donec conſummato mundi myſterio in vitam aliam invariabilem transferamur. Et concomitantium & ſequentium una cauſa, ſed multo prior ſubſequorum quam præeuntium. Urgentur amplius milites contemplatione multimoda regem ſequi certiſſimè præeuntem, quam præire dubiè ſubſequentem. Nam cùm præeuntes regem expectant, & anxiè ſperant, ſubſequentes regem præire omnino conſpiciunt. Satis delicatus eſt ſervus, qui ob quampiam rem non ſequitur Dominum præcedentem. Nam quod ipſi ſperaverunt futurum nos conſpicimus factum. Non tamen experientia ſenſuum atque geſtorum, ſed mente fideli proceſſio iſta inviſibilem ordinem retinebat ex eo, cujus diſpoſitione triplicata ſerie procedebat: in his qui præibant, in his qui à latere Domini Jeſu incedebant, & in his qui ſequebantur. Præceſſit illa turba bonorum ab Adam uſque ad Chriſtum. Comitatus eſt à latere ille manipulus ſeu caterva modica diſcipulorum. Subſecuta eſt atque ſubſequitur innumerabilis multitudo fidelium. Et interroganti cæco in veritate rei ut agitur, reſpondetur quod Jeſus Nazarenus tranſiret, ut id velit aſſerere atque differere iſta reſponſio. Nos noſtra virtute vel cauſa tranſimus, nec noſtrarum cauſa exiſtimus actionum, nec cauſam tam magni herois nos ſequentis aliquando præſtitimus, ut quia nos præcedimus, ipſe ſubſequitur. Et hunc tranſitum attribuunt omnia ſuaviter in ſua ſapientia diſponenti. Quo audito, cæcus ſuavem interrogationem convertit in validam vocem, ut clamore alter excitet turbam & diſturbium, quod interrogatione feciſſet, utens ſenſu linguæ ad quod data erat, ut ipſam volvendo impetraret naturæ bonum, quo ſecreto judicio, aut ex culpa multatione judiciaria privabatur. *Cœpit clamare & dicere: Jeſu fili David miſerere mei.* Non eum nominat Nazarenum, ut à turbis accepit, ſed David filium audacter inclamitat, velut ejus enuncians incarnationem, quod propter miſeros fuerat incarnatus, petit miſericordiam, quia cæcitatis miſeria premebatur, & vocibus ſupplet, quod oculis cæcis videndo non poterat. Ajebat enim iſte cæcus in corde: Multitudo tranſit, ipſum videre non potero, nec recognoſcere inter turbas, nec ſignanter inquirere, ut meis aſpectibus oſtendatur: ſed clamor meus prævenies eum, introibit in aures ejus, perveniet vox, quo viſus deperditus pervenire non poteſt. *Et qui præibant, increpabant eum, ut taceret. Ipſe verò multo magis clamabat: Fili David, miſerere mei.* Non increpabant interrogantem, ſed miſericordiam altis vocibus inclamantem. Dum interrogat eruditur, dum clamat increpatur, & fortè quod prout turbæ ſucceſſivè prodibant ante Jeſum, alii erudiebant interrogantem, alii clamantem miſericordiam increpabant, quoniam præteriti ante Chriſtum patres atque prophetæ Chriſtum prædixerunt, & ſcriptura ſervata poſteros docuit. Sed qui arguunt, ſunt Judæi Chriſto coævi, omnino Dei filium & miſericordiam conferre negabant. Sive Chriſtus in proceſſu vitæ labentis agitur, Sunt qui docent, & ſunt qui comprimunt, ne à noſtris miſeriis liberemur. Nam ſæpe contingit, quod idem docent vera, & quos docent reprimunt, ne à miſeria quam patiuntur, releventur. Et plerunque alii eruditunt ad juſtitiam, aliqui tortuoſa impedimenta præſtant ad gratiam. Sed conſtans in bonis directionibus animus, poſt bona documenta ſuſcepta, contra agentes ad pietatis cultum perſeverat immobilis. Fruſtra doctrina ſuſcipitur, ſi prohibita taceatur, ſi edoctus arguitur, & filet à neceſſariis bonis. Porro in iſto cæco etiam increpato clamante valide edoceamur, ne ab his prohibitionibus arceamur, & cùm firmi perſtiterimus, fient obſequio adverſarii. Factum eſt, ut cùm opportunè atque importunè cæcus altis vocibus clamitaret, ad aures Domini clamor advenit, qui omnes novit antequam clament. *Qui ſtans præcipit eum vocari, & juſſit illum adduci ad ſe.* Nunc ſtat Jeſus, nunc tranſit imo ſemper ſtat, & temporaliter tranſit, deitate permanet, humanitate verò in geſtis ſuis ab eo quod incarnatus eſt inretroverſibiliter, temporaliter

tranſit

transit. Præcepit vocari cæcum ex eo quod stetit, non ex eo quod transit, & jussit adduci ad stantem, non ad transeuntem. Ad æternum & stabile atque regnum fundatissimum nos Salvator inquirit, & pervenire jubet, non ad id quod opprobrio & pœnalitatibus est subjectum quanquam ad suorum transeuntium morum provocet sequelam, ut succedat æterna beata stabilitas. Nec illuminat ex transitoriis homo, sed ex æterno Deus, qui temporaliter in assumpta humanitate mirabilia operatur. Et hi qui obedierunt *vocant cæcum dicentes : Animæquior esto. Surge vocat te. Qui & projecto vestimento suo. exiliens venit ad eum.* Vocatur cæcus, sed jussu domini. Nam inaniter quis vocatur ad veniam, nisi jussu Domini Salvatoris. Nam quomodo prædicabunt nisi mittantur? Et primo exhortantur ad animi pacem, cognoscentes Domini misericordiam ad eum. Oportunè ad officium evangelizantis pertinet pacem animi propter benignitatem Domini peccatoribus prædicare, ne consideratione magnorum scelerum desperatione frangantur, deinde excitare malè ex pravis quiescentes, ut oriatur lux sedentibus in tenebris, & in regione umbræ mortis. Præsto fuit iste cæcus ad vocationis Verbum, neque moram cuntraxit in tempore, nec impedimentum passus in corpore, agilitate insolita utens, vestimento rejecto, exiliens venit ad Jesum. Data est in homine isto forma vocati atque indigentis sanari ab infectione malorum. Vocatur? audiat vocantem. Excitatur, ut resurgatur, ne amplius in præactis malis atque pravis consuetudinibus sedeat. Nam inquit Apostolus : Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te CHRISTUS. Etenim iste præsignat obtenebratos homines peccatores, qui ad internam vocantur animi lucem, non per hominem, sed per Deum hominem refundendam. Rejiciat vestimentum, quo se malè forsan excusando tegebat, aut quo se velabat, ne crimina noscerentur, & perfidiam & consuetudinem pravam & contractam ex primis parentibus labem, juxta illam sententiam : Spoliavi me tunica mea, quomodo induar illa. Sive omne quod posset impedimenta præstare, accedere ad vocantem Jesum, qui venit omnibus languoribus nostris medicamenta præstare. Veniat exiliens, non temperato gressu. Periculosum protinus est, cùm Dominus vocat moras innectere, aut remisse gradi ad optatum & definitum hominis bonum. Et ad miraculi cumulum est adscribendum, quod cæcus jubente Domino exilivit. *Et cùm appropinquasset, interrogavit eum Jesus, dicens : Quid tibi vis faciam?* Sæpe legimus Jesum interrogasse, quæ noverat, ut in multis locis diximus, sed hic offert se facturum vota petentis, ut petendi præstet audaciam. Prævenit peccatorum hominum mentes promissionibus suis, & ex ipsis nostrum debitorem voluntariè se constituit, ut omnibus præsterur petendi securitas, si se voluerint ad honesta convertere. Hinc Apostolus præmonet : Adeamus cum fiducia ad thronum gloriæ ejus, ut misericordiam consequamur in auxilio oportuno. Sed data fiducia petit cæcus : *Domine rabboni, ut videam.* Vocat Dominum, cui obediendum, & qui timendus ab omnibus est : & magistrum, à quo erudiendus, cujus super omnes, imo sua & non alia tenenda est doctrina, seu quæ de ipsa velut de originali fonte procedit. *Et Jesus dixit ei : Respice, quia fides tua salvum te fecit.* Mandat Jesus, ut respiciat oculis corporis, quia oculo mentis altè consperexerat. Nam fides oculus est mentis humanæ, quo divina & quæ supra naturam sunt & fiunt, possumus contueri, propter quem iste non solùm sanus corpore, sed mente salvus ostenditur. Fides tua te salvum fecit, Unde huic fides? Ex auditu. Unde auditus? Per verbum Dei. Interrogaverat hic transeuntes, & audivit de Domino sanum verbum, quod Jesus transiret, præstitit verbo fidem, vel potiùs ex verbo sibi facta est fides. Credidit in Jesum, quem non videbat oculo, & clamabat ex verbo proprio in verbo audito. Et quem ratione humana non capiebat, ex fide David filium, magistrum & Dominum appellavit. Proinde fides eum in utroque homine salvum fecit. *Et confestim vidit, & sequebatur eum in via, magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.* Incontradicibil ter illico fit verbi obedientia, per quod facta sunt omnia, & fit aut de novo in homine visus, aut deperditus reparatur, cui prætulit opem lingua interrogans & proclamans, & cor factum in credulitate verbi. Et nil obstat fieri, ubi cunctorum Dominus imperat. Et vidit, quæ ante non viderat, aut respexit insolita. Eademque imagine aut de novo infunditur ad cognitionem ordinata scientia seu reacquiritur in actionibus justis, quæ fortè velut sopita latebat in intimis. Sed qui visum justæ cognitionis accepit, largitorem protinus sequatur in via, non declinans ad dexteram vel ad sinistram. Et magnificabat Deum, nemini alteri attribuens, quod accepit

Hebr. 3.

Rom. 10.

Ephe. 5.

Cant. 5

accepit, & illum laudibus effert, quia universali DEO laus omnis & honor & imperium, & omnis proventus virtutis & gratiæ.

Cap. XXXIII.

De curatione cæci nati, ſecundùm Joannem tantùm.

Joan. 9. CEcidit ſuper hominum corda tenebroſa caligo, & caliginoſa nubes ferè omnes involuit, ut cæca mente omnia ignorante naſcamur, & in lucem corpoream reſpectam luminibus corporis cum obſcuritate interiori prodimus, quam educta de materno ventre cæcitas manifeſtat. Plus menti quàm corpori ademptum eſt, cùm pauci ſine lumine corporis, omnes verò cum caligine mentis in hac valle miſeriæ oriantur. Et mirationem movet, ſtuporem generat, ſi præter communem naturæ legem, deſalcatis luminibus corporis aut quibuſcunque membris quis in hoc mundo naſcatur. Sed nec admirationem facit, quod omnes more brutalis naturæ, ipſa noſtra natura nos generat, ut Spiritus humanus à pecoribus in ipſo primordio naſcendi non diſcrepet, niſi ex tempore alimentis adhibitis coaleſcat. Et avium & animalium terreſtrium in corpore noſtram excedunt naſcendo naturam, cum pulli eorum eoipſo quod orti ſunt, matrem ſequuntur, alimenta ſuſcipiunt. Sic & animalium pulli eisdem valitudinibus fulciuntur, proprios cognoſcentes parentes, alios verò devitant. Ad magnam malorum ſtipitem nos ligavit cœleſtium prima inobedientia præceptorum, unde omnium pœnalitatum ſpiritualium & corporalium ſtipendium ſumpſimus, ut etiam abſque delicto proprio in multis diminuta natura naſcamur. Et natura pia hominum mater novercam agit in cunctis. Attamen in aliquibus ſuæ tyrannidis plus infixit, ut cæcus homo in hac vita naſceretur in corpore. Et ad inſinuationem quod omnis ex corrupto ventre procedens patiatur in mente, quæ validam cæcitatis internæ caliginem neſcit, ut videat ſemetipſam, cujus figuræ cujusque coloris, cujus proportionis, cujus menſuræ, cujus ponderis, aut quo tendat, ignorat, quamvis poſſit audiendo, diſcendo, ſpeculando: maximè credendo cognoſcere, non tamen quid ſit, niſi cùm fuerit excepta de corpore, quod ipſam præpedit & gravat. Præpatat multa in malis hominum ſpeculari homo hic à nativitate cæcus, quem JESUS declinans lapides Judæorum, egreſſus de templo ſerioſa inſpectione reſpexit. Et intendens in eum Jeſus ſingulari aſpectu, diſcipulos ſuos in ſeipſum & in cæcum fecit intendere. In cæcum, ut ſolerter inſpicerent in eum, ut tanquam magiſtrum de ignoratis inquirerent, quod & fecerunt *Et interrogaverunt eum diſcipuli ſui, dicentes: Rabbi, quis peccavit hic aut parentes ejus ut cæcus naſceretur?* Ad hoc itur ad ſcholas, ut ignorata importunè oportunè diſcantur. Ob hoc magiſter reſidet, ut ignaros doceat, & ad quæſita reſpondeat. Summus doctor de cœlis ad ima deſcendit, ut divina humanè doceret humanos, & divinè homines inſtrueret de humanis. Reprehenſione ſunt digni diſcipuli hebetes ad interrogandum rectè docentem, cui etiam omnia patent, nec ſcientiam ejus aliquid ſubterfugit. Humilitatem Confeſſionis, & Confeſſionem humilitatis oſtendit, & ignorantiam profitetur humiliter interrogans doctorem, necnon & amorem ad ſcientiam, cùm quis interrogando quærit fieri ſapiens. Sed non ſupra ſenſum aut intellectum quærenda ſunt multa, maximè, quæ per ſolam fidem oportet apprehendere. Et divina juſtitia non ſunt temerariè inquirenda. Occulta quidem ſunt in pluribus ſed in omnibus uſquequaque juſtiſſima. Nemo enim eſt qui jure valeat divina judicia maculare. Altiſſimam tamen quæſtionem apoſtoli à Chriſto appetunt enodari, ſed niſi fide in illam intendant, fiat ſolvendo nodoſior, & cùm nulla juſtitia ſuadeat hominem in propria puniri perſona, præterquam ex propria culpa. Fece inquiſitio, imo patet quæſtio. *Quid peccavit hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Prout diceretur: Hic non cæcus à miniſtris juſtitiæ propter culpam antequam natus, in nullo malo agebat ex proprio. Juſtitia talis eſt, ut quæcunque ſeminaverit homo, hæc & metet. Quid igitur iſte mali ſeminavit? Et iterum: Per quæ homo peccaverit, per hæc & torquebiter. Et alibi: De fructu oris ſui unusquisque replebitur bonis, & juxta opera manuum ſuarum retribuitur ei. Et etiam Gravabit eum iniquitas ſua & ſimilia. Quid igitur horum in utero fecit cæcus natus? Quid parentes ejus? cùm ex decreto domini dictum ſit: Filius non portabit

Galat. 6. Sapien. 11. Prover. 12. Iſaiæ 54. Ezech. 8

habit iniquitatem patris? Ad hanc inquisitionem responsio nulla decentior, quàm Christus edixit, omnibus causis abjectis, quòd susùm ad ostensionem divinæ gloriæ cæcus fuisset eductus ex utero, pro eo, quòd supra naturam & artem mirabiliter illuminandus esset. Sed arrogantia & tarditas intellectus humani, etiam hoc arguere non desistunt, cur ad ostensionem divinæ gloriæ, qui non deliquit, cæcus est natus, non advertentes quàm nec majores gloriæ, si fuisset ex culpa, minus autem intendentes, quòd nemini Deus ad dandum oculos aut cæteros sensus obligatus fuit ex debito. Agit liberè quod
Job. 11. ante præviderit in creandis. Et nemo potest ei dicere; cur ita facis? Quia sicut vas formandum in manu figuli, ita nos in
Jerem. 18. manu Dei. Nec potest dicere vas authori
Rom. 9. suo: Heu me figule, cur me fecisti sic? Igitur quod Deus potest, justè vult, justè operatur, nec est importunè aut molestè seu lædenter omnipotens Dominus, sed naturaliter, necessario, impassibiliter, voluntanè, justè, utiliter, omnipotens Dominus Deus verus. Proinde nemo in altissimum cœlum, scilicet divinum celatum, secretunque judicium ponat os suum, ut eum per quare interroget in actionibus ejus, velut si aliquid indebite peregisset, sed fileat inquirendo, & laudando divinam providentiam, altè clamet, ut utriusque sexus exegerit, nihil enim habemus, quod non acceperimus. Si verò nihil nostri est juris, sed penitus divini est muneris, si aliquid quomodolibet creatum existens seipsum non efficit, sed præstantior est, qui fecit, quid nobis inquisitionis aut quærelæ, cur Deus sic fecerit? Potestativè quidem atque incomprehensibiliter omnis author se nuvit perducere in effectum, amplius omnium omnipotentissimus artifex, omnium habens à seipso virtutem infinitam, & omnium agendorum licentiam, & penes se irreprehensibilem causam, speciem habet balsphemiæ de his, quæ Deus fecit, hæsitanter quærere. Proinde non sic, sed humiliter cum amore sciendi, siquidem ipse permiserit, Dei sunt perquirenda judicia, & ubi clauserit ostia, ne ad illam secretorum scientiam fiat ingressus, scilicet divinorum, quiescat mens quoruncunque mortalium, non in hæsitatione præsumptuosè atque curiosè quærat factorum altitudinem divinorum. Decentissimum est, ut sicut placuerit, glorificetur artifex in orpere suo quod ex materiis præjacentibus fecit, & maximè summus artifex, qui nulla præjacente materia omnia in esse produxit, qui sive servet communem, quem statuit ordinem, sive aliter producenda producat, & membra, quæ à principio natura negavit, postmodum ipse concedat, glorificandus est. Sed his, qui assolit sunt ordini naturali, & tardioribus ad sciendum majus videtur, quod fit præter naturæ ordinem, quàm cùm ille servatur, quamvis non distet à factoris potentia, quod oculos negatos in ventre nato restituat, quàm simul cum aliis membris in ventre compingat. Adsunt etiam & aliæ rationes, quare Deus eum, qui non peccavit aliquando molestet, aut deneget, quæ pluribus & peccatoribus dedit. Non tamen humana mens ad inquirendum curiosa existat, sed humiliter divina facta collaudet. Manifestanda erant divina opera in isto cæco nato, in eo, quòd præter naturæ ordinem sibi danda erat videndi potestas, quam non eduxit ex ventre, præterquam jam factus adultus quæstu quærebat necessaria vitæ. Nam & aliter DEI opera manifesta erant, & culpandi sunt illi, qui præter ordinem naturæ negant aliquid posse fieri, & dicentes Deum alligari ordini naturali, non intelligentes quod natura in pluribus deficit, quæ post Deus subveniendo refecit. Si omnipotens est natura, cur iste oculos sive visum non accepit cum cæteris? Si verò Christus miraculosè sibi reddidit, cur omnia sunt tributa naturæ? Cur præter naturam DEO de negatur hujuscemodi faciendi facultas? Necnon ex isto decebat ostendi Christum esse filium Dei, qui declarando subjecit? *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est. Veniet autem nox, cùm nemo potest operari.* Oportunitas hæc non implens, sed libens erat, nec ad agentem, sed ad nos relata, ut non propter eum, sed propter nos talia fierent. Missus erat Christus homo Deus à Deo patre vero. Missum quidem oportet opus injunctum operari mittentis, ut una, sicut est appareat in actione voluntas & facultas. Opera mittentis operanda hæc erant, ut Christus Dei filius ab hominibus crederetur, in ipso speraretur, ipse amaretur, per eum mundus perditus salvaretur, peccator converteretur, & ad veniam invitaretur: mundus non diligeretur, vita æterna & superior quæreretur, per gratiam supra naturam homo vita & moribus efficeretur. Dantur quidem ad hæc inaudita miracula, ut, quod non fuit ab initio cæco nato, jam profecto per Christum restituatur & visus. Sed hæc opera non

nocte, ſed in die fieri debent. Nox in quam nec opera iſta fient, infidelitas eſt, & illa tetra diviſionis pars in quam cedent maledicti in ignem æternum. Dies verò bonorum agendorum eſt vera fidelitas, & tota mora Chriſti in hac vita nobiſcum, ſicut ipſe poſt reſurrectionem ſuis diſcipulis repromiſit, dicens: Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi. Et hic quoque declarat, cùm adjecit:
Matth. 28. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Quod ſi ſolùm hanc inſpicimus literam, videtur duntaxat, quouſque Chriſtus vixit in carne, lucem huic mundo fuiſſe, poſt aſcenſionem verò ejus remanſiſſe in tenebris. Sed alius ad intelligendum ſe contulit hoc, quod dicitur. Quoniam ipſe Dei filius incarnatus tandiu in mundo per fidem in cordibus hominum erit, quouſque ipſa fides evacuetur ſucceſſione viſionis, & ſpes adoptionis potioris. Et dum erit tempus vitæ agendæ, uſquequo conſummato mundi myſterio in ſperandam aut in pœnalem deveniatur, & ſic exiſtens eſt lux animarum & morum, ſecundùm quam in affectionibus & moribus oportet incedere viatores. Exorbitant penitus omnes contendentes captare ſuperna, ſi ad lumen alterius lucis ambulaverint, quàm ad illius, quæ Chriſtus, dicens: Quandiu ſum in mundo, lux ſum mundi. Non excluditur ſolis & aliarum ſtellarum lux ab illuminandis corporibus, ſed ab illuminandis animabus omnino propellitur. Lux iſta æterna eſt, per quam creata temporaliter eluxerunt, ad cujus lumen Adam cognovit, quod non ambulavit, ſed ad tetrum lumen propriæ voluntatis. Ad cujus etiam lumen in ſuis poſteris vergente in ſuis ætatibus ſæculo requiſitus eſt. Ad cujus lumen agitur duplex agenda vita, & ad ſperandam directè pervenitur. His dictis ad effectum dictorum Salvator ſe contulit, ut oſtenderet, quid ex parte mittentis operaturus advenerat, & quomodo lux erat ſupernaturaliter operans atque lucens ad illuminationem mentium tenebris ignorantiæ obrutarum. *Hæc cùm dixiſſet, exſpuit in terram & lutum fecit ex ſputo: & linivit lutum ſuper oculos ejus, & dixit ei: Vade & lavare in natatoriam Siloe, quod interpretatur miſſus. Abiit ergo & lavit, & venit videns.* Commune eſt atque uſitatum omnium doctorum dictum, & utique verum eſt, quod divina ſapientia de æterno capite patrequè deſcendens, luto noſtræ carnis vitam procuravit, & fecit omnium ſanitatem, & etiam illuminavit hominum ignorantium mentes. Sed neque futura ſive poſteriora figuræ ſunt præteritorum ſive priorum, ſed præterita & priora ſunt figuræ ſequentium. Proinde quamvis mixio ſalivæ, cùm quandam exprimat divinæ incarnationis imaginem, non tamen figurat, cùm jam facta fuerit. Et commixio eſt ſputi & luti, ſed unio duntaxat noſtræ humanitatis & verbi miraculum fuit: hoc oſtendens divinam virtutem in omnibus rebus, quamvis corruptibilibus ac imis hominibus poſſe præſtari. Sed futura & poſteriora non antecedentia in iſto miraculo cogimur contemplari. Quia cum Chriſtus ſola voluntate, aut Verbo, aut tactu manus, & ſolo ſputo abſque luto viſum potuiſſet reſtituere cæco nato, quid igitur eſt, quod ex ſaliva capitis & pulvere unguentum fecit? Poſteriora dixerim potius, quàm priora ſignari. Facta quidem erat incarnatio, ſed nondum condita ſacramenta, quæ fiunt ex rebus imis & corruptibilibus per imperium Verbi Dei. Nam vilis & corruptibilis eſt aqua, tamen conſecratur Verbo, in qua intincto corpore anima lavatur à ſordibus. Ima & mareſcibilis & lingua humana, & per Verbum Domini conſecrat & benedicit, abſolvit, & ligat, & docet utilia & divina, & dirigit in vitam æternam. Pulvis eſt homo, & per verbum ſacerdos efficitur: divinam virtutem habens, etiam Angelos excedens, ut ex corruptibilibus atque mortalibus Chriſti ſubſtantiam faciat, & in illam convertantur iſta per verbum. Liquor olivarum procedit ex humoribus terræ, attamen per Verbum efficitur ſanctum chriſma, & oleum ſanctum, ad unguendum frontes & ſenſus humanos & expiationem malorum. Iſta quidem ſunt unguenta, quæ illuminant ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis, confecta quidem ex ſputo divini verbi, & ex pulvere corruptibili atque mortali. Hæc imponenda ſunt oculis noſtræ mentis ex nativitate cæcis, quia non ex traduce anima, ſed caro: non virtus inviſibilis, ſed homo viſibilis: non Chriſtianitas, ſed humanitas. Sumus omnes nobis tenebræ, lux autem in Domino, & omnes naſcimur filii iræ, miſericordiam verò Dei dono conſequimur. Et cùm ſic inunguimur, videmus per gratiam, quod erat impoſſibile per naturam. Contemplandum autem quòd Salvator non terminavit hujus cæci curam in unctione, adjiciens, ut iret ad natatoriam Siloe & lavaretur, cujus interpretatio miſſus ab Evangeliſta, non à Chriſto poſita eſt. Sed non abs re hoc factum eſt, quoniam prius oportet hominem ignorantia cæcitans deterſum

tentum inſtrui quaſi quaſi per unctionem:
1. Joan. 2. quoniam (ut ait Joannes) unctio docebit vos de omnibus: deinde per obedientiam excitare mentem, ut per humilitatem, per exercitium corporale ſe ſubjiciat elementis. Quod ubi cæcus iſte fecit, confeſtim vidit, quoniam abiit mente credens, corporaliter ſe lavit, oculis apprimè vidit: ut in corpore intelligatur, quantùm unctio cuncta docens, & credulitas & obedientia in imis ſe ſubjiciendo monſtrata in noſtris profectibus valeat. Cùm iſte abiit & lavit, & venit videns, qui nunquam ante viderat: aſpiciens viſu, quæ ſolùm auditu ante didicerat, & contemplatur oculis mundi formam, & intuetur hominum facies, ut in majorem laudem ſui conditoris exurgat: quem Salvator corporali beneficio venabatur ad aliam vitam, ſimiliter & adſtantes. Parum enim fuiſſet aperuiſſe oculos carnis, niſi mentem alia luce perfunderet, qua duceretur ad beneficia potiora. Etenim beſtiæ, aves atque ſerpentes cum hominibus gaudent lumine corporali, & quam plures acutius quàm homines quæcunque intuentur objecta. Sed factus eſt cæcus iſte miraculo & ſtupori atque contentioni rei neſcientibus veritatem. *Itaque & vicini, & qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nonne hic eſt, qui ſedebat & mendicabat? Alii dicebant, quia hic eſt: alii autem nequaquam, ſed ſimilis eſt ei.* Nec mirum de hujus cæci opinione diverſa rei veritate non cognita, & Salvatoris ignorata virtute, ſed qui per experientiam verum novit, quæſtionis opiniones terminat, & decidit. *Ille autem dicebat quia ego ſum.* Videlicet cæcus natus mendicus, & nunc illuminatus. Erat enim iſte cognitione ſui factus optimè ad ſeipſum, refellens opiniones, in quibus veritas non conſiſtit: ediſſerens veritatem quam experimento cognovit, veritatis ipſius factus prædicator, illam audacter affirmans, illius amore tractus magis quàm pudore tabeſcens, & pœnalem abſque culpa fatetur ad hanc vitam ingreſſum, quia cæcus natus & miſerabilem in iſta vita progreſſum quia mendicus, ac optimè ſibi fuiſſe prævium, quia illuminatus, dicens: quia ego, de quo hæſitatis, non erubeſco nativitatem pœnalem lumine privatam. Non confundor propter vitam mendicitate confectam, non inficior, ſed confiteor beneficium quod accepi, me illuminatum eſſe præter naturæ potentiam. *Dicebant ergo: Quomodo aperti ſunt oculi tui?* Reſpondit: Ille homo, qui dicitur Jeſus, lutum fecit, & linivit oculos meos, & dixit mihi: Vade & lavare in natatoria Siloe: Et abii, & lavi & vidi. Optimæ & neceſſariæ ſunt aliquando quæſtiones à quibuscunque fiant, ſive curioſitate ſive calumniandi cauſa, ſive ponantur amore ſciendi, ſi veritas per reſponſiones elucet. Et plerique ſunt perverſi, qui quærunt illam ſcire virtutem, quam noſſe atque diligere ſaluberrimum eſt. Ecce jam duæ inquiſitiones de cæco nato, una ex diſcipulis ad Jeſum ſcilicet quis peccavit hic aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur: altera ſit ad cæcum jam illuminatum ſcilicet quomodo aperti ſunt oculi ejus. Illi reſponſum à Chriſto, iſti à cæco etiam malè credentes accipiunt. Sciebant iſti hunc eſſe naturæ defectum, quod cæcus natus erat: non ignorabant naturæ & artis impotentiam, quod lic natum illuminare non poterant, ſimile nondum viderant, neque audierant uſque ad illam horam. Hoc erat mirabile ſupra naturam ſingularèque exemplum. Neſciebant tamen talem divinam virtutem in homine apparuiſſe, qui talia poſſit efficere. Idcirco dicunt, quomodo aperti ſunt oculi tui, quos ex materno utero clauſos detraxiſti? Reſponſum rei factæ dat hic homo, quod ille, qui dicitur Jeſus novo unguento confecto linivit oculos ejus. Explicitè, qui bonus eſt, loquitur, nec loqui trepidat, nec in verbis errat, nec palliat in aliquo veritatem. Bene moralis hominis eſt prout fuerit interrogatus geſta referre, nec addere nec demere verbis, ne audiens & interrogans decipiatur in geſtis, & compoſiti animi exiſtit beneficia non ſilere, & ad eum referre, qui tribuit. Subinfert etiam iſte ſuam obedientiam, qui omnia juſſa perfecerit, & lavaret ſe in natatoria Siloe, aſſerens ſe ſupernaturali medico per omnia fuiſſe ſubjectum. Expedit ſiquidem ſanari volentem per omnia medico ſubditum fieri, de cujus non dubitatur peritia. Et ſæpe hoc in moribus agitur, ut ad noſtram doctrinam autumemus hoc actum, ut ſine contradictione cœleſti medico ſimus ſubjecti ſanari cupientes, ut hic cæcus abiens & lavans & videns. Magnus fructus, & ſupernaturalis palma, ut ex obedientia vilum recipiat, quem negavit natura. Etenim plura ſupra naturam ex ipſa facta novimus, & ſupra naturam finale præmium præſtat. *Iterum iſti interrogant ſcilicet ubi eſt ille medicus, qui præter naturæ ſubſidium cæco nato viſum tribuerat? Dicit ille: Neſcio.* In omnibus hic ſanè loquitur, ut nec veritatem taceat, neque falſitatem ſubmittat. Dixit quid novit in remedio ſibi facto, neſcire ſe dicit, quem

nec in veritate cognovit : tantùm perceperat ex auditu, quod dicebatur Jesus, sed illuminatus ad ipsum non redierat, sed ad convicinium ubi parentum habitaculum erat, velut congratulaturus cum eis, cùm visum tamdiu negatum tam repente mirabiliter recepisset. Minus quam gratanter in hoc cæcus illuminatus egit, quod gaudens de lumine congaudere sibi alios prius voluit, quàm invenire Jesum, quem illico oculis corporeis debuit sequi, & eum ex omni corde diligere, de quo interrogatus ubi erat, scire se denegat. Altius locutus est, quam tunc fortè intellexit, quoniam incircumscriptibilis est Jesus in eo, quod est Deus, quamvis ex assumpto corpore factus ipse localis, & lucem habitet inaccessibilem, quia Deus, ut homo autem inter homines conversatus est. Sed verò in ingratitudinem trajicere volumus dictum nescio, culpandus est iste cum plurimis, qui duntaxat recepto beneficio delectari, benefactorem ignorando aut dissimulando prætereunt, Et si hæc committitur erga eos, qui conferunt ea, quæ dicuntur bona fortunæ, erga eum, qui bona naturæ gratiæque solus largitur, penitus submovenda esset : quoniam ignorans hujuscemodi ignorabitur, & nescions nescietur. Veruntamen responsum est duabus quæstionibus de cæco nato, quia ut Dei opera manifestarentur in illo nobiliori ordine quàm naturæ, quod & factum est : & quod Jesus ei lucem ab origine sua negatam restituit. Ad majorem rei factæ probationem atque propalationem & confusionem incredulorum adducitur ad judicium pharisæorum : non his intentionibus in corde præhabitis, sed ob invidiam atque calumniam aut propter zelum legis, sed non secundùm scientiam, quoniam Sabbatum erat quando Jesus hunc luci reddiderat. Divina providentia hoc agebatur, ut tot inquisitionibus hoc miraculum agitaretur ut amplius inclarescerct. A quibus pharisæis interrogatus respondit actam ut solito veritatem, ex gestis ipsam commemorans. Exoritur illico schisma, mutantur in aliud quæstiones, non in miraculum factum, sed in authorem causa dissolvitur. Miraculum à Jesu factum inficiari nemo potest, asseverante illo, qui accepit, dividuntur judices ad causatum. Jesus est duplex in populo, vel in eo duplex effectus est populus. *Dicebant ergo quidam ex pharisæis : Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit.* Ecce separatur à Deo Filius Dei propter illa, quæ fecit, quæ facere nemo potuisset, nisi Filius Dei. Quamobrem non à Deo? quia sabbatum non custodivit. Etgo bene ipsi ex eorum sententia non sunt à Deo, qui eum in sabbato, & in templo lapidare voluerunt. Semper tamen Judæi sensu improbo sabbati custodiam neglexerunt. *Alii dicebant Quomodo potest homo peccator hæc signa facere ? Et Schisma erat inter eos.* Bona sunt utrorumque judicia, quia non est à Deo, qui Sabbatum non custodit, scilicet legi subditus, nec per meliores actiones ab illa lege solutus, aut legi rebellis effectus. Nec in hoc causari potest dator & Dominus legis, si facit aliquid meliùs præter scriptam aut editam legem. Dominus autem Jesus Dominus legis erat, & benefaciendo sabbatum erat ei firmiori custodia. E regione quidem pari ferebatur signa & miracula supra naturam & artem non posse efficere peccatorem, quod utique verum est. Sed ab omnibus peccatis secluſus erat, etiam impossibilitate peccandi. Attamen optimum & malum eodem tempore schisma reddebatur, ut optimum his qui à malè de Jesu sentientibus scindebantur, malum eis, qui se seeabant ab his, qui saniè de homine sentiebant. Semper enim tunc schima, cùm unam habet veram, alteram partem falsam. *Dicunt ergo iterum cæco : Tu quid dicis de ipso, qui aperuit oculos tuos?* Ille autem dixit, quia propheta est, Ultra nomen officium virtutis adjecit, asserens Jesum esse propheram. Et bene propheta videns, qui etiam non videntibus dedit lumen. Prædicat Jesum ex nomine : prædicat eum ex officio esse propheram, sanctum videlicet, quia prophetiæ spiritus consueverat sanctis dari. Nec obstat, quòd Saul inter prophetas, qui nec sanctus, sed reprobatus fuit à Deo. Habentes Judæi odio Jesum, nec volebant ipsum talia peregisse miracula, & videntes cæcum audacter affirmare de illo, quem non credebant talem accepisse de altissimis potestarem, ut negent miraculum, nolunt istum credere originalem habuisse defectum. Unde sequitur : *Non crediderunt ergo Judæi de illo, quia cæcus fuisset & vidisset, donec vocaverunt parentes ejus, qui viderat. Et interrogaverunt eos, dicentes : Hic est Filius vester, quem vos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt?* Interrogant miseri non crediturі etiam, cùm audierint testimonium veritatis, sed illaturi calumniam cùm illam negare nequiverint. Proprium quidem est invidentium peritis medicis, cùm audierint magnitudinem peritiæ in curatione infirmorum, negare magnitudinem infirmitatis, ex cujus depulsione medici

dici peritia, & medicina laudatur. Sic iſti negant defectum, ut non credant Chriſti miraculum, ne cogantur etiam illum laudibus prædicare. Attamen reſponderunt eis parentes ejus, & dixerunt. *Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cæcus natus eſt, quomodo autem nunc videat, neſcimus. Aut quis ejus aperuit oculos, neſcimus, ipſum interrogate.* Exquiritur teſtimonium naturæ ad operationem gratiæ, & eorum, quæ ſunt ſecundùm naturam, ad illa, quæ præter naturam, aut ſupra naturam fiunt. Veruntamen ſemper natura in ſua perfectione aut defectione gratiam exaltavit, & operationem virtutis perfecit. Nam ſi natura perfecta perfectionem prædicat, magis in operatione gratiam, cùm multa gratiâ efficiat, quæ naturâ nequit. Defectus verò naturæ illud auxilium habet, cùm illa reſtituat, quæ natura non habuit. Exempla & rationes dictorum in officio perſpicaciter intell.gentium ſunt, ſi doctè aptèque ſcrutantur. Hinc ſiquidem parentes cæci nati confitentur filium, prodentes naturam, aſſerunt à nativitate defectum, modum videndi, aut tam magni Medici notitiam ſcire inficiantur. Optimè quidem, ſi non ex timore feciſſent, ſed ideo modum & authorem miraculi denegant, ne ſtatutum & ſancitum anathema patiantur. Nec illorum, aut quorumcunque erat modum tam magnæ atque ſingularis curationis agnoſcere, minus etiam & authorem. Quoniam ſi homo eſt, & quis cognoſcet eum? Et generationem ejus quis enarrabit? Non tamen ſic acutè intuebantur hi, cùm referunt diſſertionem rei geſtæ in filium, dicentes: *Ipſum interrogate, ætatem habet, ipſe de ſe loquatur.* Nec cæcus ſcivit modos, quamvis ſciviſſet lutum ex ſputo & pulvere factum, & viam & natatoriam cognoviſſet. Iſta ſenſibiliter facta ſunt, nec iſta illuminaverunt cæcum, ſed virtus infinita omnino nobis inviſa, quæ agit, ubi & quando, & in quibus vult ſuo ineffabili atque laudabili modo à nobis in hac vita non apprehenſibili ullo modo. Signa fuerunt iſta, non res effectivæ miraculi, velut in ſacramentis, quæ viſibiliter aguntur aut ſenſibiliter, quæ prout fiunt exterius, nil prodeſſent. Quamvis divinum ſputum alia verbi consecratione ſeu ſanctificatione non indiguiſſet, propter unionem carnis Chriſti ad Verbum ubi ad ſanctificationem ſputi nec expediebat Verbum eſſe prolatum. Præfertur unio Verbi prolationi Verbi, quanquam & ſacerdos per Verbum efficiat corpus Chriſti. Hæc pro tanto dixerim, quia neque parentes cæci, neque ipſe cæcus illuminatus, neque quisquam adeo pertus modum cu-

Iſaiæ. 53.

nationis & divinam curationem præter id, quod homo erat, explicare potuiſſet. Sed ideo parentes iſti retulerunt in cæcum filium authoris, & rei actæ differendæ judicium, ne anathema patiantur, malè providentes, quoniam optimum eſt in moribus hominum pro Chriſto fieri anathema. In hac quidam vita pro Chriſto ab hominibus ſegregari, eſt angelorum ſociari collegio, & exulem eſſe ſuperna & æterna civilitas. Verè neſciebant, quis eſſet illuminator cæci, quoniam non timuiſſent anathematizari pro illo. Sed nec Judæi cognitum, in mortis ſententiam tradidiſſent, pro quo in poſterum paſſa eſt exilia, ſegregationes & horribiles pœnas, & mortes innumerabiles utriuſque ſexus hominum multitudo. Ante nanque ipſe prædixerat: Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm ſeparaverint vos, & exprobraverint & ejecerint nomen veſtrum tanquam malum propter filium hominis, gaudete & exultate, ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo. Patiuntur multa ſervi propter Dominos, amici propter amicos, chari propter charos, exilia, ſegregationes, vincula, carceres, plagas, damna rerum, nec conqueruntur, ſed nec dum vivunt, militare deſiſtunt, neque uſque ad intentam mortem reſiliunt. Et multi miſeriores miſerisanimo pro æternis gaudiis imbecilles, pro Chriſto anathematizari renuunt ab hominibus, quorum plerumque converſatio pernitioſa eſt ſeparari pavent, rati errantes melius ad tempus hominibus ſociari, à quibus neceſſe eſt ſeparari, quàm ab eis modicum excludi, & Chriſto in æternum uniri. Hinc parentes hujus cæci male acti hoc dixerunt, quia timebant Judæos. Jam enim conſpiraverant Judæi, ut ſi quis eum confiteretur Chriſtum, extra ſynagogam fieret. Propterea parentes ejus dixerunt: *Ætatem habet, ipſum interrogate.* Omnino puſillanimitas condemnanda nolle à ſynagoga ejici: & Chriſtum publicè confiteri: quoniam qui confitebitur eum coram hominibus, & ipſe confitetur eum ante patrem. *Vocaverunt ergo rurſus hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. Nos ſcimus, quia hic homo peccator eſt.* Convincuntur pervetſi, nec terga vertere poſſunt, quin confiteantur factum eſſe miraculum, ſed ad blaſphemias ſe conferunt, ſub ſpecie pietatis, ut Deo detur de miraculo gloria, & juſtum aſſerunt peccatorem. Bonum eſt in omnibus glorificari Deum, pietas eſt atque juſtitia, iniquitas verò inexpiabilis ſub gloria Dei ſentire aut proferre falſa de rectis, & ferre certum de iniquitate judicium ſu-

Matth. 5.

Matth. 10.

&

per certiſſimè juſtum. De his quippe dictum eſt : Væ ! qui dicitis malum bonum, & bonum malum : ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Et væ ! qui juſtitiam juſti auferſis ab eo, gravius autem, cùm iniquitatem tegunt operimento virtutis. *Dixit ergo ille : Si peccator eſt, neſcio. Unum ſcio, quia cæcus cùm eſſem, modo video.* Non poterat cæcus huic blaſphemiæ reſpondere decentius, nec aliter medici ſui tueri virtutem, niſi opus ſupernaturale in medium referret, quod fecerat. Ac ſi diceret : Non pertinet ad me de qualitatibus hominum judicare, ſed confiteri beneficium, quod accepi. Peccatum neſcio, virtutem ſupra naturam & uſum in me oſtenſam confiteor. Cæcus eram certus, æquè certè ab ipſo illuminatus ſum. *Dixerunt ergo illi : Quid fecit tibi ? Quomodo aperuit tibi oculos ?* Non interrogant iterato, ut amplius declarentur, ſed ſi in multa repetitione poſſent invenire calumniam, cùm ſæpe contigat, quòd non eadem ſerie crebrius repetita narrentur. Malitioſorum eſt ſimplicium verba narrando repetere, ut puſſint in variatione facere impoſturam. Sed advertens qui cæcus fuerat, reſpondit eis : *Dixi vobis jam & audiſtis. Quid iterum vultis audire ? Nunquid vos vultis diſcipuli ejus fieri ?* Merito adverſus Judæos ſubſtomachatur cæcus, aut quia calumnioſos, aut quia tardioris intellectus, aut ſi ſciunt, cur ulterius inquirunt. Nec avidi divinorum verborum atque factorum iſti credendi ſunt, quos ſæpius audire delectet cùm maledixerint ei, cùm aſſeruit veritatem. Sed improbatio cæci, argutio eſt ad multos. Si audiſtis veritatem, & illa, quæ habent neceſſitatem & utilitatem ſciendi, cur non creditis ? Si credere non vultis credenda, cur audire iterum & iterum quæritis ? Si verò creditis, quid amblius vultis ? Quid amplius expetit, niſi credita in opus aptum trajicere ? An fortè ſi bene placet, quod dicitur, nec intellectus aſſurgit aliqua caligine involutus, placetque doctor. Quamobrem dicitur : Nunquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri ? Interrogatio ſæpe facta de homine, ſequelam vel non ſequelam inſinuat. Proinde cæcus : Nunquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri ? Placet ne vobis magiſterium, placetque magiſter, de quo toties interrogaſtis ? Vultis ne doctrinam carpere ex ejus ore, cum loquitur ? *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt : Tu diſcipulus illius ſis, nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. Nos ſcimus, quia Moyſi locutus eſt Deus. Hunc autem neſcimus unde ſit.* Ex hac maledictione perſpicuum eſt quod ſæpe volentes audire non erant avidi divinorum, ſed ad calumniam præparati, cùm Chriſti diſcipulatum pro maledictione deſcripſerant. Sed utinam omnes maledictio iſta connecteret, ut eſſe Chriſti diſcipuli probaremur per odium ſanctum & dilectionem ſanctam, ſicut ſcriptum eſt : Si quis venit ad me, & non odit patrem & matrem, uxorem & filios & fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et alibi : In hoc cognoſcent omnes, quoniam diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem ad invicem habueritis. Nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. Eligunt iſti Moyſen in magiſtrum, diſcipulatumque fatentur, abjiciuntque Chriſtum velut à doctrina ſana profanum, quia judicio proprio condemnati ſunt de magiſterio & doctore, ſicut cùm dixerunt : Non habemus regem niſi Cæſarem. Et, non hunc dimittes, ſed Barraban. Et ſanguis ejus ſuper nos, & ſuper filios noſtros. In omnibus minora bona ſeu pejora mala Judæi ex improbitate animi elegere. Sed ne bonus Moyſes, quia à Deo in diſpoſitione angelorum legem accepit, propheta magnus duxque pentiſſimus, ante quem nemo talis, poſt quem nullus in populo Judæorum ſimilis cui locutus eſt Deus, quem præceſſit angelus, qui tantorum prodigiorum fuit perpetrator. Utique bonus erat, ſed melior Chriſtus. Ille homo purus, iſte Deus & homo verus. Ille figurans, iſte figuratus. Ille quaſi umbra, iſte in luce mundo apparuit. Illius lex oneroſa ſatis, iſtius ſatis levis. Carnaliter ſapiunt diſcipuli Moyſi, ſpiritualiter ſentiunt Chriſti diſcipuli. Velamen habuit Moyſes, quo durante in cordibus Judæorum non venitur ad Chriſtum, propterea diſcipulatus diviſus eſt, cùm vero velamen auferetur, tranſitur ad ipſum. Hinc cæco dicitur quaſi rejecto velamine, ut diſcipulus Chriſti fiat. Exordium enim erat interioris abjiciendi velaminis, miraculoſa reſtitutio luminis. Veniant in hominum conſiderationes duo hi magiſtri doctiſſimi, eorum magiſteria, eorum ſcholæ, hi duo duces clariſſimi, eorum ducatus & geſta, & eligat unusquisque onus quod dignius cognoverit eligendum. Multa hic loquendi copia, tamen relicta peritis. Sed cujus doctrina reſpuitur, & ſequela, ac per hoc ne imitarentur Chriſtum, aſpernantur doctrinam, & ſe aſſerunt fallè diſcipulos Moyſi, cujus non tenent in moribus legem, cujus legis non intelligunt myſticam veritatem, quam ſi ſcirent, ad quem deſtinant cæcum natum, ipſi tranſirent. Et ne videantur errare, Moyſen laudibus præ-

Iſaiæ. 5.

Lucæ. 14.

Joan. 13.

Joan. 19.

præferunt, doctrinam ejus extollunt, cui locutus est Deus, ac si ipsi in schola & in discipulatu Dei essent, cùm aliter Moyses non docuerit, quam ei Deus loquendo prædixerit, cùm dicunt : Nos scimus, quia Moysi locutus est Deus. Unde sciunt? Quando viderunt? Quomodo cognoverunt? Non aliter, quàm ex fide. Præterierant enim multi anni à Moyse, usque ad tempus illud. Aliter, quàm per scripturam & narrantibus patribus filiis, ex perpetuata propagine fide data, scire nequivissent. Qua fide, si non obstitisset contumacia pravæ mentis, duræque cervicis, & in Christum etiam credere potuissent. De quo dicunt : Hunc autem nescimus unde sit. Ecce quot nescientes seu insciliæ sunt de Christo. Interrogatur primo cæcus illuminatus de Christo, ubi est ille? Respondit nescio. Interrogantur & parentes, & dicunt : Quis ejus aperuit oculos? nescimus. Dicunt & nunc Judæi de ipso ipsum comparando Moysi, hunc autem nescimus, unde sit. Omnes loquuntur de insciia veritatis. Verum porro erat, quod ipsi nesciebant, sed aliqui ex culpa, aliqui cum culpa, aliqui cito venturi in ejus notitiam, ut cæcus illuminatus, aliqui ab ejus notitia usque in finem seculi repellendi. Sed qui Christum nesciunt, nihil aliud utiliter sciunt : in ipso quippe sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ abscondiri, ipse sapientia patris, ipse sapientia qua omnis creatura in propriam formam eluxit, extra omnem veram scientiam est nesciens Jesum Christum. Quamobrem omnem scientiam aliam præter Christum, nihilipendit Apostolus, dicens: 2. Corint. 2. Nihil arbitratus sum scire inter vos, nisi Jesum, & hunc crucifixum. Sed væ qui nescierunt, neque intellexerunt, & in tenebris ambulant. Sed qui scit eum, & sequitur, non ambulat in tenebris. *Respondit ille homo, & dixit eis : In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit oculos meos.* Unde Judæi volunt oprimere Christum, ut affirment ab ipso non esse factum miraculum, in hoc homo iste illuminatus extollit, prout si esset è regione contentio. Vos nescitis unde sit, ergo non potuit hoc miraculum facere. Imo in hoc est usquequeque mirabile, cùm à vobis incognitus sit tam operatus insolita, si non cognoscitis, desidiæ vestræ est, non suæ virtutis defectus. Prout vestra cogniño ei non contulisset virtutem ita vestra insicia non ademit. Quid porro curandum est hominibus de origine rerum, cùm earum connnuum experiantur effectum? Rerum oprimæ qualitates, non ipsæ substantiæ sive naturæ nobis præstantur in usum, Acsi diceret cæcus iste : Si nescivi substantiam, si ignoravi naturam, si non apprehendi Christi originem, si non novi de qua venerat regione, quid refert, quid derogat rei factæ? Veruntamen scio, experimento probavi, aperuit oculos meos. Si non ejus origo, si non ejus quæcunque conditio, virtus tamen in notitia est, ex qua mei oculi sunt aperti. Sanctitas ex effectibus inclarescit, nulla in ipso iniquitas ex traduce, aut ex propria voluntate, aut ex actione malitiæ. *Scimus autem, quia peccatores Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem ejus facit, hunc exaudit.* Fit prædicator cæcus ejus quem ignorat, & quem nescit per originem, prædicat per virtutem. Non mediocriter juverat cæcus iste, quoniam peccatores Deus non exaudit, sed suum cultorem suæque voluntatis actorem. CHRISTUS eximitur à peccato in assertione cæci, quanquam ex se careret possibilitate peccandi, virtuti adjicitur, quia velut cultor & factor ejus voluntatis auditur. Absque autem quòd hæc de Christo dicantur, certam habent hæ sententiæ veritatem, peccatores Deus non exaudit. Quem ergo exaudiet, cùm omnes exceptis paucissimis nascantur pariter peccatores? Et Psalm. 115. omnis homo mendax. Et alibi scriptum est : Omnes declinaverunt simul Psalm. 13. inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum nec est usque ad unum, Et Jacobus ait : In multis offendimus omnes. Jacob. 3. Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus, & nos ipsos seducimus. Frustra oratur, invanum preces fiunt ab hominibus, si peccatoribus via clauditur impetrandi. Sed aliud dixerim peccatores defluentes opere, irretitos voluntate, hos Deus indubitantissimè non exaudit, aliud peccatores sibimetipsis in malis actibus displicentes, qui noverunt cadere per seipsos, resurgere quærunt, sed nequeunt per seipsos, sed deplorant mentis mala præterita, postulant orationibus gratiam, ut possint egredi hujusmodi vinculis peccatorum, vera pœnitudine agantur. Hi cùm orant, prorelevatione propria impetrare consueverunt, defluentes autem & irretiti ad malum cùm orant, patiuntur repulsam. Et aliud orare pro virtutibus, aliud orare pro signis. Pro virtutibus pœnitentes nunquam peccatores ex orationis merito legimus impetrasse, quamvis & mira facta etiam per malos facta legamus, quæ boni existentes impetrare nequiverunt, ut

Psalm. 8. Joan. 8.

ad

ad facienda miracula, non ſicut Jeſus qui ſemper orans obtinuit tanquam homo juſtus, & fecit ut Deus, non ut paccatores indeſinentes, quia non merentur ipſimet vivere ſuper terram. Sed plerunque boni non obtinent miraculorum gratiam quam nullus obtinet iniquus, nec obtinendo accipit, niſi juſtus, qui efficitur ex divino, cultu & actione divinæ voluntatis. DEI cultor eſt, qui omne ſtudium mentis pietati dicavit, ſolùm credens unum Deum vivum & verum, atque ante omnia, ſuper omnia æternè exiſtentem, aſpernatur idola & omnem impietatem & impertinentem affectionem atque actionem, in divinis chariſmatibus ſibi ſoli placens. Dei cultor eſt, qui nihil operatur in agro iniquitatis, ſolùm ad agrum augendæ bonitatis ſive virtutis intendit. Dei cultor eſt, qui ad ipſum ordinavit omne, quod eſt, & quod habet, & tempus & loca, intus & extra. Dei cultor eſt, qui hujuſcemodi cultus Deum ipſum, quem colit, quærit retributionem, ſperatque mercedem. Voluntatis verò ejus factor eſt, qui & cultor eſt, Deum colere & voluntatem ejus facere, etſi ad vocabulorum, ad rerum differencias non tenentur. Nam qui Deum colit, ejus perficit voluntatem Dei voluntatem perficiens, cultor eſt deitatis. Sed quoniam optimum eſt de Spiritus Sancti authoritate in myſticum ſeu moralem ſenſum verba trajicere, pro, eo quòd per Chriſtum Dei voluntas illuxit hominibus, proinde ille cenſendus eſt Dei facere voluntatem, qui incarnatum filium Dei in fidei recipit hoſpitio, in quo delectatus animus contemptor factus eſt cæterorum, ob quem amoris officio ſeipſum, & ſibi ſenſualiter apta ſtercoribus comparavit, nec aliud aſſeveravit noſcere, amare, audire pro voto, præter id, quod Dei voluntate percepit mente, intelligentia, ratione, affectione, moribus & factus eſt ſuſpenſus, anxius & directus in illam, exemplo Chriſti facientis, & diſciplina docentis, & exemplo diſcipulorum omnium ſubſequentium, affectione, ſtudio, moribus ſupernam vitam accipere ſatagentium. Facere quidem cujuſpiam voluntatem intendit & non facere contra Dei voluntatem. Omne quidem affirmativum futurum, negativum præit exceſſum, nequit affirmativum ſeu quod præcipitur fieri, ſi quod prohibetur in opus educitur. Ac per hoc Dei voluntas ad actionem deducta non facit, & efficit, non facit prohibitum, efficit quod jubetur: Ob hujuſcemodi exauditur orans, non tamen in omnibus aut pro omnibus omnis. Sed iſta ſunt ad exauditionem, cùm orant homines conſequenda, non tamen pro omnibus petitis exauditio expectanda. Novit enim, cùm rogatur Deus, quid accipere deceat, aut oporteat oratores. Non ergo digni ſunt exaudiri à DEO, Deum non colentes, nec facientes ipſius Domini voluntatem, ſed agentes culturam & voluntatis Domini factionem ex quibus patratorum miraculorum præſtatur authoritas. Unde ſubdit cæcus: *A ſeculo non eſt auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati.* Æquè dixiſſet, quod nec renovavit oculos excæcati, & utrunque pariter verum erat. Unde ſequitur: *Niſi eſſet hic à Deo, non poſſet facere quicquam.* Omne creatum à Deo eſt, non tamen omnes aliquid ſupra naturam efficiunt. Attamen omnino ſic eſt, quòd, niſi qui à Deo regeneratus ſit, baptiſmatum miracula non efficiat, & habeat virtutes illas vivificas, quæ vivere faciunt non per naturam, ſed per gratiam apud Deum. Valida namque hujus ſententia, quod à ſæculo non fuit auditum, quod aperuit quis oculos cæci nati, quam in poſterum ipſe Dominus confirmavit, dicens: Si opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Et niſi eſſet hic à Deo, non poterat facere quicquam. Credebat iſte cæcus Jeſum eſſe propheram, eſſe ſanctum, à Deo miſſum, ab ipſo authoritatem habentem, non tamen credebat eſſe unigenitum Dei filium incarnatum. Nondum in illam credulitatem aſcenderat, ſed aſcendit. Attamen optimè noverat, quod omne bonum & opus omne laudabile ſupra naturam factum, præterquam à Deo eſſe non poteſt. Et ipſe Deus ait, non in eo, quod homo, ſed in eo quod Deus erat. Sine me nihil poteſtis facere. Sed depravatæ hominum mentes ad veritatem non aſſurgunt, cùm audiunt, nec ipſam volunt credere, ſed aures avertunt, & cùm convincuntur, inſiliunt in pravitatem. Quam audientes Judæi, *reſponderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos. Et ejecerunt eum foras.* Confitentur iſti originale peccatum, cùm dicunt natum hominem in peccatis, à quibus nec ipſi liberi erant. Æqua quidem erat, & eſt omnium conditio naſcentium in traductione maculæ originalis. Nec repugnat ei, quod ſupra dictum eſt à ſalvatore, quod nec hic peccavit neque parentes ejus, ſcilicet ut cæcus naſceretur. Aliud autem eſt eſſe peccatorem, aliud naſci in peccatis. Unum non fit, niſi prævia voluntate, aliud in

Joan. 14.

Joan. 15.

omnibus

omnibus agitur ex originali perpetuata & damnata propagine, niſi aliquos Spiritus Sanctus excipiat. Sed ſi in peccatis natus non debebat docere, aut dicere veritatem audientibus, nec ipſi ſcribæ & Phariſæi, aut quicunque mortales docere deberent, cùm in peccatis omnes pariter oriantur. Etſi ab hoc liberantur renati, nondum tamen erant illi peſſimi Phariſæi, qui de audita lege præſumentes, non credebant Deum aliter poſſe infundere in cordibus hominum veritatem, velut obliti prophetarum, qui ſupra & præter legem multa per inſpirationem à Domino acceperunt, & contumaci atque impatienti animo hominem vera dicentem foras templum ejecerunt. Ecce anathematizatus pro vero apparet, excommunicatusque pro Chriſto, qui etiam pro veritate à Judæis ſæpius eſt ejectus. Nihil ſceleratius in hominibus, quàm ad veritatem fieri & eſſe rebellem, & propellere ipſius doctorem. Factum fuit hoc ad augmentum criminis Judæorum, necnon & vero & malo præſagio futurorum, quoniam hæc acta in Chriſto legimus & quotidie aguntur ab iniquitate firmitatis. Sed optandum eſt anathema fieri ab hominibus pro Chriſto, ſi eveniat, quod huic cæco contigit, qui à Judæis & ab eorum templo ejectus in Dei filii notitiam venit in cujus nullus venit, aut veniet Judæorum, niſi reliquerit Judaiſmum & templum. Oportet egredi ab ipſorum ceremoniis, & à lapidibus diruendi templi, & ab omni cortice literarum, qui Dei filii cognitionem habere decertat. Eia euge anathematizate pro Chriſto, qui te ad fidem ſuſcepit, & non timuiſti ſicut tui parentes inaniter timuerunt, & meliorem partem ratus pro Chriſto pati ſupplicium, quàm remanere in amicitia cum perfidia Judæorum. *Nam audivit Jeſus, quod ejecerunt eum foras, & cùm invenisſet eum, dixit ei: Tu credis in filium Dei? At ille dixit: Quis eſt Domine, ut credam in eum. Et dixit ei Jeſus: Et vidiſti eum & qui loquitur tecum, ipſe eſt. Et ille ait: Credo Domine. Et procidens adoravit eum.* Studuit Jeſus pro ſe anathematizatum ſolicitè invenire, quoniam ſibi cura pia eſt & indefeſſa ſollicitudo ſuper eos qui ab hominibus ſui cauſa pelluntur, & in ſuum conſortium trahere nititur, quos propter eum à congregatione hominum cognovit avelli, à quibus, niſi avellantur, & ab eorum perditis moribus ſaltem animo ſeparentur, in Dei filii cognitionem non veniunt. Porro cognitionem divinorum merentur accipere, qui pro Chriſto voluntariè ſe ab hominibus ſegregant, aut qui patientiam tenentes in animo invitè pelluntur. Proinde contemplanda eſt hic pia dignatio Salvatoris, reddentis retributionem exceſſivam pro injuriis collatis. Invenit, quia quæſivit ejectum. Scrutatur, & interrogat, ſi credit in Dei filium, pro quo ſciebat expulſum. Non quærit ut neſcius, ſed interrogat, ſi ſibi credendi adeſt voluntas, cùm adſit ipſa facultas, & hoc quoque Chriſtus prænoverat. Sed ſi corde creditur ad juſtitiam, Rom. 10.
ore fit confeſſio ad ſalutem, ex hoc oris confeſſio quærebatur. Reinterrogat cæcus de tanta excellentia & altitudine dicti, ſi eſſet Dei filius, cùm Judæi negent filiationem in divinis pariter & paternitatem, & ſi eſt, ſi converſatur cum hominibus ſuper terram. Anceps verbum ſic interrogare coegit, dulce tamen audire, quod ſit Dei filius ad credendum in eum ſuapte declarat eum Jeſus innoteſcens ei, dicens: Et vidiſti eum, & qui loquitur tecum, ipſe Pſalm 148.
eſt. Eia Domine, quid eſt homo, quia innotuiſti ei, quid filius hominis, quòd tanti reputas eum, ut per fidem in via illa velis ab ipſo cognoſci, ut demnum apertè ab ipſo cognoſcaris in patria. Dignatio iſta eſt altiſſimi, non dignitas aut mentum hominis imi. Hoc poſſimùm vita, moribus, doctrina, parabolis, miraculis, intendebat Jeſus, ut etiam incarnatus Dei filius crederetur, & volebat ab hominibus ſic agnoſci, qui dignatus fuerat ſub cœlo pro hominibus temporaliter naſci, & cum eis viſibiliter converſari, ad æternitatem alliciens, factus in carne temporalis æternus. Caſſo labore tam magnam hæc divinam humanè, tam parua humana divinè feciſſet, ſi non innotuiſſet per fidem mortalibus factus mortalis æternus, non ut eſſet ſemper mortalis, ſed ad tempus, deſtructo tandem mortis imperio nos mortales ad vitam referret ex mortuis. Itaque illuminans primo corpore cæcum, majore nunc & inviſibili luce mentem perluſtrat trahens ad credulitatem ſui, ſe afferens in carne, non per carnem filium Dei. Verumtamen cùm fidem nulla virtus Deo placita præcedat: quia ut ait Heber. 10.
Apoſtolus: Sine fide impoſſibile eſt placere DEO: ipſe qui ad credulitatem invitavit, gratiam illi, qua crederet præſtitit. Sine merito enim proprio fides ipſa tribuitur. At ille per gratiam fide tributa: ait: *Credo Domine* ſcilicet te verum eſſe filium DEI. Et in ſignum credulitatis ac in proteſtationem excellentis crediti in oſtenſionem ſubjectionis ad latriam ſe convertit: quia procidens adoravit eum: credens eum eſſe verum unigenitum Dei

filium, in hunc mundum in humanitate miſſum pro omnium ſalute mortalium. Et quoniam ſic credebat cæcus Jeſum
Joan. 9. miſſum, ita ſibi ſe veniſſe teſtatur, dicens: *In judicium in hunc mundum veni, ut qui non vident videant, & videntes cæci fiant.* Hæc contra ſcribas & Phariſæos dixit, qui cæcum ejecerant, & ſapientes ſe arbitrabantur. Confidebant in literali legis ſcientia, & ſapientes ſibiipſis videbantur. Erant è regione in populo Judæorum ſimplices & in univerſo mundo cæci gentiles, inter quos Dei filius judicaturus, advenerat, ut hi, qui non vident, videant: videlicet ſimplices & paruuli malitia doceantur: quoniam cum ſimplicibus ſermocinatio ejus, & declaratio ſermonum ſuorum illuminat, & intellectum dat
Matth. 11. parvulis. Et ipſe congratulanter patri ait: Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ, quia abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita pater, quoniam ſic fuit placitum ante te. Et Chriſtum per fidem agnovit populus nationum. Et gentes cognoverunt gratiam DEI, cujus rei veritas in propatulo eſt, cùm reprobata maneat Synagoga, & fulgeat eccleſia collecta de gentibus. Videntes qui erant aut ſibi videbantur de populo Judæorum obcæcati
Iſaiæ 3. ſunt, quoniam Iſaias dicit: Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſ-
Jerem. 4. Iſaiæ 44. metipſis prudentes. Et alius propheta di-
1. Cor. 1. cit: Sapientes ſunt, ut faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Et alibi: Convertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam illorum ſtultam faciens. Et alibi dicitur: Perdam ſapientiam ſapientum, & intellectum prudentium reprobabo. Et per-
Iſaiæ. 6. dam ſapientes de monte Eſau. Et iterum: Excæcavit Deus oculos eorum, & induravit cor eorum, ut non videant oculis, nec intelligant corde, & convertantur & ſanem eos. Perſpicuum eſt igitur Chriſti Jeſu judicio factum eſſe, quod, qui neſcire videbantur, ſciunt, & ſapientes ſibi reprobi facti ſunt. Quam ſententiam audientes ex phariſæis, qui cum eo erant, dixerunt ei: *Nunquid & nos cæci ſumus? dixit eis Jeſus: Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. Nunc verò dicitis, quia videmus, peccatum veſtrum manet.* Habet omnino inſertam ſuperbiam; ſe habentem credere, quo caret, atque præſumptio incorrigibilis eſt. Æque autem malum eſt inſitum vitium æſtimare propulſum. Quo vitio laborabat perverſitas Judæorum credentium ſe habere veram ſcientiam, verum lumen, quibus carebant, & contumaci præſumptione fallebant ſeipſos, credentes illam abeſſe cæcitatem, qua omnino erorum mentes caligaverant. Porro melius cognovit medicus infirmitatem hominis quàm ægrotus, magiſter imperitiam quàm ipſe diſcipulus. Sic & omnium conditor magis novit quid perfectionis, quid imperfectionis, quidve malitiæ in ſua creatura lateat, quàm ipſa cognoſcat. Ob hoc inquit: ſi cæci eſſetis, non haberetis peccatum, alia intentione reſpondens quàm ipſi quæſierunt. Nam ipſi credebant ſe habere ſcientiam, & carebant, illa duntaxat, quæ mentes illuminat. Habebant autem & peritiam legis, quam ſi non habuiſſent, non eorum peccatum tam grave maneret, acſi non ex ignorantia, ſed ex certa ſcientia deliquiſſent. Non in eo ſolùm, quòd Chriſtum quærebant ad mortem, quia in hoc ab ignorantia ſunt detenti, ſed in eo, quòd Chriſtum ex invidia perſequebantur, cujus opera irreprehenſibilia erant. Et alia innumerabilia mala faciebant contra cognitam legem, firma ſtante ſententia, quod peccatum cognoſcatur per legem, ut ait Apoſtolus ad Romanos. Peccatum non cognovi, Rom. 7. niſi per legem. Ac per hoc advertendum eſt, quòd ſcientia peccatum exaggerat, & neglecta ignorantia non excuſat.

Cap. XXXIV.

De ambulatione Salvatoris & Petri ſupra mare, & liberatione Petri mergentis, & quibuſdam miraculis factis. Quid capiatur ex typo ex his ſecundùm Matth. Mar. & Joan.

DUo diverſa in patratione miraculi ad invicem convenerunt, corpus ſolidum & grave, fluxibile & magis leve: unum ferens, aliud latum, neutrum mutans ſuam naturam, ut ſolidum & grave rareſceret exiſtereturque levius, neque fluxibile & leve in ſoliditatem tranſiret, ſed utrunque ſervabat ex primordiis inſitam à Deo naturam. Corpus Chriſti & Petri ambulabant ſuper aquas non quod aqua ſolidaretur ad ſolidum corpus, neque arte natatoria

toria incedebant, neque agilitas aſſumpta ſuperferebatur aquis, neque phantaſma fuerunt corpora illa, ut cogitatum eſt, alioquin fallſitatem haberet Evangelium Sanctum, & falſum crederetur, quòd carnem veram aſſumpſerit Dei Verbum Nam ſi duo iſta corpora invicem ſibi in ſua natura ceſſiſſent, Petrus hæſitans, neque mergi cœpiſſet. Si agilitatem reſurrectionis dotem accepiſſent, etiam Petrus non fuiſſet ſubmerſioni vicinus. Et ſi de Petro nulla videatur oriri cunctatio, quod miraculoſum fuerit pro eo modico, quo ambulaverit ſupra mare, & ſuæ infidelitati imputandum, quòd merſerit, de Chriſto non videtur, quòd ſic fecerit ad miraculum dari, cùm in eo eſſet agilitas ex omnipotentia Verbi aſſumpti, Veruntamen ſidenter dixerim, quod miraculoſè hoc facere voluit adhuc mortalis, non ex illa dote glorificati corporis, quoniam poſt illam generalem reſurrectionem non dicetur miraculum, ſed beatum quicquid fiet in corporibus ex illis dotibus, quibus per beatitudinem ipſa corpora donabuntur, ita ut ipſum beatum eſſe non ſit miraculum, ſed beata natura nunquam in aliud commutanda. Nec in ſignificatione erit beatum eſſe, ſed tantùm id, quod beatum erit: nunc verò miracula in ſignificatione ſunt, ut aliud oculis, aliud intellectibus innuant. Nam poſt miraculum quinque panum *cùm compuliſſet diſcipulos ſuos aſcendere in navicularn, & præcedere cum trans fretum, & ipſe aſcendiſſet in montem ſolus orare, & tenebræ jam factæ erant, & non venerat ad eos Jeſus, & navis erat in medio mari, & ipſe ſolus in terra. Mare autem magno vento flante exurgebat, & navis portabatur magnis fluctibus. Et videns eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis.* Omnis vita hominis, quædam ars nautica eſt, agens quotidie impræterm iſſè incertam navigationem in certiſſimo pelago, neſciens in quem portum ſit ipſa ventura, præterquam in portum turbatum mortis, ubi eſt conſtitutra domus omni viventi, quæ undique procellis flantibus quatitur. Amplius autem ipſa virtutum arx in procelloſo pelago conſtituta eſt, qua dirigitur iter in cœlum. Exurgit mare flante vento, quia omnis inquietudo ex tentationibus crebrius intumeſcit. In medio mari apoſtolica navis exiſtit, ad æquanimiter tolerandas tribulationes fides parata cenſetur, certé recipiens ſi qua ſunt animæ natantia mala. Et ut omnes intueantur eccleſiam non declinare in partem, utriuſque partis, ſi medium tenet, jactatur ipſa fluctibus. Inevitabiliter neceſſarium eſt, quod agitat procellis undoſis naviculam. mare, cùm ventus irruerit, & eccleſiam ſeu quamlibet animam in veritate quieſcere impoſſibile dixerim, cùm tot ſint averſantia fidem, tot, quæ obſiſtant propoſito cuilibet animæ tendentis in cœlum. Jactatur fluctibus matris marina ratis, & eccleſia terrore tyrannorum perſecutione infidelium, inſidiis hæreticorum, improbitate perverſè viventium indefinenter jactata eſt, antequam deveniat in ultimum portum. Omnis anima inſignita fide, ſuo deſiderio tendit in viſionem, & in illam veritatem, quam credendam accepit, ſed antequam de mundi pelago eruatur, varia & multiplici quatitur valerudine tempeſtatum, ut nunc in ſeipſa velit, aut nolit, quod eſt agendæ virtutis, nunc delectetur agere, nunc tabeſcat, nunc lætitia, nunc tædio agenda conſumet, nunc hæſitet, nunc confidit, nunc properat, nunc quaſi deſperatior torpeſcit, & in ſuis votis aut non placitis ferè ſemetipſam deprehendit. Quid verò inviſibiliter ab inviſibilibus hoſtibus patiatur, incomprehenſibile protinus eſt. Qui nunc in illam arietant fidem, nunc ſpem, nunc ipſam ventilant charitatem, nunc ad ima deprimunt, nunc ad alta ſubtollunt, nunc quærunt qualificare vitiis, nunc ipſas virtutes avertere: & non eſt, quo te vertas, ubi non invenias tibi adverſum. Semper & ubique flat, omnis negotiatio noſtra mare ſibi aptum eſt, quod ſolicitari ventorum flatibus poteſt. Proinde labor in remigando, quia ventus contrarius. Id enim agere nititur omnis intentio dæmonum, ne ſalutis deveniamus in portum, à quo ille navim propriæ voluntatis velo erecto majoris excellentiæ poriendæ impleto velo flante ſuper biæ vento, nunquam reverſurus abſceſſit. Magnus labor velle ſuperare ventos in aqua fortitudine remigandi. Non enim habet nauticum ædificium ſtabile fundamentum, & ventus in ſuis impulſibus non laborat. Latera quidem hominum in remigando ex labore laſſantur. Superabantur hi à contrarietate & nimietate ventorum, niſi divinitus eis fuiſſet proviſum. Inviſibiliter iſta fiunt in arte nautica ſpirituali, ubi voluntati bonæ velut ventus contrarius adverſatur ipſa voluptas, & omnis humana felicitas, & diaboliea hoſtilitas, & laborare opus eſt ad vicendum. Non ſuperantur vitia, ſatan, caro, mundus, minæ, terrores, tormenta, timores, proſperitates, adverſitates, blandimenta, ſine labore hominis utriuſque.

Sed nec ſufficit labor noſter adhibitus futuris, niſi ſuperna gratia pro nobis confligat ab alto, & aſſiſtat laboribus noſtris, ut ea, quæ ſunt neceſſaria perficiamus,
Joan. 15. velut ipſe Chriſtus prædixerat: Sine me nihil poteſtis facere. Nec abs re ventorum ſcilicet tentationum excitatio credenda eſt. Scriptum eſt enim: Qui facit
Job. 28. ventis pondus. Pondus ventorum utilitas tribulationum eſt, quæ ita in pondere
2. Cor. 10. fiunt, ne ſupra menſuram gravent dorſa ferentium. Fidelis enim Deus, qui non patietur quenpiam tentari ſupra id, quod poſſit, ſed facit cum tentatione proven-
Jerem. 10. tum, ut poſſimus ſuſtinere. Et ipſe producit ventos de theſauris ſuis. Si de ſuis oculis venti producuntur, non ad ſubmergendum, ſed ad probandum humanas vires impellunt, neque ad interitum & damnationem, etiamſi eveniant, à Deo ſinuntur adverſitates & tentationes hominibus evenire, ſed ad probationem virtutum, & ad examinationem virium noſtrarum, ut agnoſcamus, quid poſſumus, ne ſuperbiamus in noſipſos confidentes, & ut fragilitate cognita, invocemus eum, qui poteſt per ſe non valentibus ferre juvamen. Si verò aliqui tentationum aut contrariorum ſubmerguntur altitudine, ſibi adjudicent, non Deo ſuper nos ſemper cum providentia & miſericordia decernenti parato extemplo inferre auxilium, ſi non deficiunt animo in agone. *Hinc, cùm remigaſſent ſtadia vigintiquinque aut triginta. circa quartam noctis vigiliam, venit ad eos ambulans ſupra mare, & volebat eos præterire. At illi, cùm viderunt ambulantem ſupra mare, & proximum navi fieri, timuerunt, & conturbati ſunt, dicentes: Quia phantaſma eſt. Et præ timore clamaverunt.* Ad deſignationem, quod modicum contra ventum profecerant, ponitur numerus ſtadiorum, & apparitio in quarta noctis vigilia, oſtendit eos per totam noctem in laboribus extitiſſe, cùm à fero jactari fluctibus navicula incœpiſſet, etſi erat in medio mari, plus viginti quinque vel triginta ſtadiis diſtabat à littore, niſi largè accipiatur medium, aut intelligamus retroverſam navem contraria impulſione ventorum. Qua tripartita noctis vigilia, dum excubabatur in caſtris militaribus ſumpſit exordium, & hujuſmodi nuncupationem accepit, & quarta vigilia non habet in ſucceſſu aliam noctis partem, ſed auroram, & luminis claritatem, diem videlicet quo videntur, quæ celebantur in nocte. Et niſi navigatio quadriformiter turbata fuiſſet, non adveniſſet ille, qui poterat imperare tempeſtatibus, & inferre quietem. Qui nec reſuſcitavit Lazarum, niſi quatriduanum etiam & fœtentem. Omne humanum genus navigat in mundi æquore, in quo ventus multiplex navigio adverſatur. Et in prima vigilia, in originali ſcilicet mundo magno labore remigatum eſt, cùm illa ætate prodeunte omnis caro corruperat viam ſuam, ut vix octo animæ ſalvarentur ab aquis in illa prima rate centenariæ editionis. In ſecunda vigilia multo labore ſudatum eſt contra ventum angelicæ ſuperbiæ, contra ventum primæ tyrannidis, primæque idololatriæ, contra ventum ſævæ perſecutionis in patres, in eos, qui nati fuerant ex illis, qui ob victum deſcenderant in Aegyptum. In tertia contra ventum differentiæ illegalium ad legales, & contra ventum firmatæ idololatriæ in orbe terrarum, per illos principes, qui undique illum tyrannica uſurpatione premebant. In quarta contra incertitudinis ventum, quis mundi conditi ſeu creati Dominus eſſet, cùm unus in omni orbe monarchacerneretur homo. Et cùm ventus validus invaluiſſet, ut homo pro Deo ab hominibus coleretur, in ipſa quarta vigilia Salvator mundi apparuit compeſcuit ventum, fecit tranquilitatem in his, qui eum in fide navicula ſuſceperunt. Et mutatis conditionibus mundi ex adventu filii Dei quædam alia nox conſtituta eſt è regione novi diei, & ſanctificati nobis illuceſcentis ex incarnatione Verbi, cujus vigiliæ quatuor ſunt, in quibus contra magnos impellentes ex adverſo flatus in arduis laboribus remigatum eſt. In prima contra ventum circumciſæ incredulitatis. In ſecunda contra ventum idololatritici præputii agentis in authoritate terrorem tyrannicè inferentis fidelibus mortem. In tertia contra ventum ſubtiliſſimæ argutionis hæreticæ pravitatis. In quarta vigilia majori labore remigatur contra mundanæ atque multiplicatæ delectationis & lenſualitatis ventum, in qua expectatur Salvator ſuo ineffabili modo ſupra mare appariturus, & daturus naviculæ ſuæ, atque in illa remigantibus ſua benignitate tranquillum. Sed quod in apparitione iſta facta diſcipulis volebat eos præterire, more fingendi dictum eſt, ſicut duobus fecit poſt reſurrectionem, fingens ſe longius ire. Sed illi clamaverunt, videlicet vocibus incertis & dubiis. Indiſtincta protinus & dubia vox timorem intrinſecum demonſtrat adeſſe, quem habebant videntes proximum navi fieri, & cogitantes in corde adinvicem proferebant,

quia

quia phantaſma eſt. Locus, tempus, negotium, periculum, inſolita res, ignorantia, timoris cumulum faciebant. Sed dictum falſum etiam ad præſagium futurorum malorum fuit, quod Chriſtus eſſet phantaſma, quem paulo ante corpulentum & palpaverunt, & viderunt de illa multiplicatione panum manducare cum turbis, quanquam hoc evangelicus ſermo non explicet. Attamen ſic eſt ad oſtentationem naturæ humanitatis aſſumptæ ſine cunctatione credendum. Sed quia neſciebant eſſe Chriſtum, illam formam, quam de nocte videbant ancipiti viſu tenebris obſidentibus hemiſphærium noſtrum, dicebant eſſe phantaſma, re autem vera Chriſtus erat. Sic à plerisque hæreticorum creditum & dogmatizatum fuit, quod Chriſtus eſſet phantaſma, & quod non aſſumpſerit verum corpus. Plurimi gentilium pro phantaſmate habuerunt omnem ſuam vitam, pro eo, quòd turpiter fuit clauſa per crucem. Et multorum Chriſtianorum improbitas præſumpſit, & adhuc præſumit in phantaſiam deducere vitam Chriſti, & cœlibes mores ejus, abhorrens vilitatem, humilitatem deteſtans, nihilpendens virginitatem, paupertatem velut rem impertinentem accuſans, execrans abſtinentiam, faſtidiens Sanctam crucem, & omne veſtigium virtutum & morum ejus velut phantaſiam aſpernans: non quod in Chriſto iſta geſta non ſint, ſed non expedire mortalibus nitentibus ad ſalutem, poſtquam Chriſtus caput omnium noſtrum pro nobis omnibus in ſe iſta ſuſcepit. Sed non advertit iſta perverſitas alias ſententias Salvatoris: Joan. 12. Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Et Matth. 16. alibi: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et, qui amat animam ſuam, Joan. 12. perdet eam. Et, qui non renunciaverit Luc. 14. omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Veruntamen, cùm tali timore atque falſa opinione diſcipuli tenerentur, Salvator *locutus eſt & dixit eis: Confidite, ego ſum, nolite timere.* Non patiebatur amplius pietas Salvatoris, quod diſcipuli ſui in remigando amplius laborarent, aut illuderentur. Loquitur eis, ut quem non cognoverant per figuram, per loquelam agnoſcerent. Et agitur hoc in experientiam rei, quòd nox adimit certum viſum, & notum reddit incognitum. Et notus in nocte per vocem cognoſcitur, qui per ſpeciem ignotus habebatur. Et in myſterio naturæ fidei eſt, quod per verba notum habemus Chriſtum, quem in ſpecie nunquam conſpeximus, quia fides ex auditu, auditus autem per verba. Dat loquendi confidentiam, & loquendu innoteſcit, quia ipſe eſt, qui mare conturbari permiſit, ipſe, qui eos aſcendere in naviculam juſſit, ipſe, qui panes multiplicavit, ipſe, qui pavit, ipſe, qui eos elegit, & diſcipulos ſuos fecit, ipſe, qui veram carnem aſſumpſit, non phantaſma ſe hominibus dedit. Loquendo aufert timorem, paſſionem mentis acerbè turbantem. Confidite non in vobis, ſed in me. Si ego ſum, cur timetis? Nolite timere, ego ſum, qui tradidi vos in vexationem hanc, ut cognoſcatis veſtram fragilitatem, & à quo petere debeatis auxilium, non diu permittam, ſi in me, non in vobis, eritis confidentes. Petrus quidem recognoſcens vocem Domini, adhuc hæſitans de perſona, in amore tamen veniendi ad Chriſtum factus, in ſeipſo experiri petit, ſi Chriſtus eſt, quem phantaſma ante putabat, & nunc per vocem ſeipſum eſſe inſinuat. Proinde *reſpondens Petrus dixit: Domine ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas. At ille ait: Veni.* Supra naturam, ſenſum, rationem & uſum, ſignum de Chriſto Petrus expoſcit, ut ad eum perveniat non vectus navigio ſuper aquas. Et magnam jam poteſtatem Petrus in Chriſto credebat, quod imperio verbi ſui poſſit ſuper undas velut ſuper ſolidum ambulare. Sed majori miraculo extat tota terra fundata ab exordio ſuper aquas. Veruntamen magno judicio futurorum facta eſt petitio potius & conceſſa. Quoniam ſicut arca Noe figuram geſtans eccleſiæ, lata fuit divino imperio ſuper aquas, ſuper omnes montes elatas: ſic eccleſia ſuper aquas perſecutionum, tribulationum, hæreſum, & quarumcuoque impugnationum ſupernatans Chriſti imperio ambulavit, nec inter tot turbines & revolutiones hujus ſæculi feri maris, niſi Chriſto jubente, perveniet ad ipſum. Et in argumento ad omnem fidelem animam factum eſt, ut aliter ſuper tentationum aquas ad ipſum non veniatur, præterquam ipſe præcepit. Nam *de navicula deſcendens Petrus ambulabat ſuper aquas, ut veniret ad Jeſum.* Efficax Chriſti verbum, efficax fides Petri, unum in præcepto, alterum in effectu. Reciprocabatur præceptum ex ipſo, cùm ad hoc eſſet, ut Petrus ad ſe veniret. Et obedientia reciprocaret in Petro, ut ſua utilitate perveniret ad Chriſtum, ad quem, niſi ſuper aquas baptiſmales aut ſanguineas in teſtimonium fidei effuſas, ſeu ſuper aquas mundas Spiritus Sancti deſuper inviſè dilapſas, ſicut ſcriptum eſt: Effundam ſuper vos Matth. 14. Ezech. 36.

aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris: aut ſuper aquas tentationum & tribulationum, non pervenitur ad Chriſtum. Ambulat eccleſia fidelis, ambulat anima quælibet DEO dedita ſuper aquas, quoniam Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Et charitas
Rom. 5. Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Ac per hoc, ſi Spiritus Sanctus datus eſt nobis, & ferebatur ſuper aquas, ipſe idem ergo eſt,
Geneſ. 1. qui nos præcepto Jeſu ſuper aquas abſque vehiculo vehit, autumatas quidem per omnem modum in typoque ſuſceptas. quas aliter, quàm per Dei auxilium Salvatoris juſſu non ſit poſſibile pertranſire. Et vox
Pſalm. 28. Domini ſuper aquas, ne ſubvertant fideles hominum mentes: quanquam per aquas multas etiam populi multi intelligantur, inter quos, cùm variè inhorreſcunt, non tranſitur ad portum, niſi Salvator ipſe coerceat. Et ſuper aquas Dominus virutem oſtendit, cùm in manu Moyſi &
Exodi 7. Aaron convertit in ſanguinem, velut in juſtitiam ultionis ad terrorem Aegyptiorum, ut tranſire permitterent Dei populum.
Exodi 14. Necnon & diviſæ ſunt aquæ juſſu Domini, ut ejus populus tranſiret illæſus, & reductæ ad ſubmergendum populum inſequentem. Vigilanti verbo dictum eſt, etiam altiori myſterio, quàm pro tunc intellexit ille, qui dixit: *Domine ſi tu es, jube me venire ad te ſuper aquas.* Quoniam ſi Chriſtus nobis eſt Dominus, auxiliator & dux, ſi noſipſe ad exercendam virtutem, & ad meritorum auxeſſim diſpenſativè agitari permittit in ipſis adverſis, quæ patimur, non relinquit quin manum porrigat adjutricem. Sed ſi ſinit noſtro demerito tradi occulto ſuo, ſed juſto judicio, ſinit & periclitari. Quoniam hoc intereſt inter electos & reprobos intrinſecis aut manifeſtis agitatos procellis, quod illi probantur, & liberantur ad præmium, iſti ad ſupplicium ſuperari ſinuntur, *Petrus quidem*, ſi juſſu Salvatoris in præſtita fide *ambulans ſuper mare, videnſque ventum validum timuit, & cùm cœpiſſet mergi, dixit: Domine ſalvum me fac.* Jam ipſe viderat ventum validum, contra quem cum cæteris conabatur in remis, quia erat contrarius eis. Quid igitur eſt, quod nunc in mari ambulans ventum validum vidit? Quia quoties quis nititur in magis arduta & majora, vehementius quatitur, atque impulſu dæmonum agitatur. Nam nemo ita ſentit impetus vitiorum quàm ille, qui eis rebellare diſpoſuit, nec virtuti adverſantia melius quis agnovit, quàm ille, qui in eis ſtatuit operari, Arte homines navigant mare, non natura. Hic receſſit ab arte, non naturæ ſe committens, ſed fidei, ut plus in illa faceret, quàm in natura vel arte. Sed meritò ventum timuit validum, cùm aliquando irruens à regione deſerti, dejecerit domum convivii filorum Job. Sed etiam & demerito timuit in præſentia & ad juſſum Salvatoris, quia cœpit mergi: ex defectu quidem fidei timor advenit. Proinde ambulavit Petrus ſuper mare in juſſu Salvatoris, in defectu verò ſuæ fidei mergebatur. In virtute Chriſti ſuperamus tentationes & vitia, & in virtutibus operamur. Et noſtro quidem defectu ſubjacemus vitiis, & procul à virtutibus ſtamus. Clamat malè patiens & perditioni proximus, de ſe diffiſus, de Salvatore confiſus: *Domine ſalvum me fac.* Pſalm. 53.
Sic & ſcriptura docet eſſe clamandum: Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua libera me. Et experientia plurima factum eſt, quòd, qui clamant in veritate ad Dominum, liberantur, ſicut ipſe pollicitus eſt, & effecit. Hinc David ait: Pſalm. 3.
Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte Sancto ſuo. Et alibi: Pſalm 4.
Dominus exaudiet me, cùm clamavero ad Pſalm 106.
eum. Et iterum: Et clamaverunt ad Dominum filii Iſrael, cùm tribularentur, & de neceſſitatibus liberavit eos. Sic liberavit & Petrum. *Et continuò Jeſus extendens manum apprehendit eum, & ait illi: Modicæ fidei quare dubitaſti?* Feſtinat ipſe in auxilium oppreſſorum. Nam ſi non feſtinaret, ab initio exiſtens homicida confoderet, qui neſcit malefaciendo moras innectere. Sed prævenit auxiliando Salvator, antequam compleat ſuam ſemper iniquam voluntatem, quam ipſe ab injuſto juſtè in vexando convenire permiſit, & manum porrexit ad manum. Manus ſua valida erat, potens & extenta, Petri autem infirma: ſed in divina, cùm apprehenſa fuit, roborata manu. Infirma eſt omnis humana potentia, & deperit, cùm vexatur, & agitatur adverſis, ſolitdatur & adjuvatur à divina manu, cùm ejus in veritate invocatur auxilium. Attamen arguitur de modicitate fidei Petrus, qua inſiſtente mergebatur ſub undis. Et meritò arguendus erat, cùm non potentia naturæ, non arte natandi, cum homines non à natura aut alia animalia, imo ex arte natent, non ſua virtute, ſed tamen Salvatoris juſſu, & in ejus fide de navi proſiluiſſet in mare. Cur deficit in fide, in qua ſe dedit in turbatum fluctibus æquor, ſi non defecerat ille jubens? Habebat ipſe fidem, ſed modicam, & ex modica ipſe dubitavit. Cur modica de tam magno? Cur

dubium

dubium de experto ? Cur titubatio de illo, qui deficere nescit ei, qui sibi credendo non deficit ? Non arguitur Petrus, quòd non utitur viribus suis, infirmæ quidem erant, sed arguitur, cùm hæsitavit in viribus Salvatoris. Modica fides dubium timorem adduxit. Timor impellebat in submersionem, sed spes eum ex toto non deseruit, ex qua clamavit ad Dominum, ut servaretur ab aquis. Modica fides causa est delictorum & criminum. Omne quidem peccatum aut delictum, non tantùm ab insita fragilitate procedit, quantùm ex defectu virtutum, quas si volumus, ubertim in anima numera operatur altissimus. Omne quod non est ex fide peccatum est. Et ex modica fide timemus nobis ex mundo, non tamen ex inferno nec à separatione à DEO. Ex modica fide negligenter ambulamus in via DEI, acsi non esset retributio meritorum. Ubi dubitatur ex fide, omnia evanescunt. Liberato à fluctibus Petro voluerunt illum accipere in navi, ut sicut Petrum, sic liberaret & ratem. *Ipse autem Salvator ascendit in navim, & cessavit ventus.* In quam animam Christus ascenderit, non possunt tentationes aut quælibet tempestas immergere. Securè incedit, qui Christum vehit in navicula cordis sui, nec timet à spiritibus procellarum, nec retrograditur, sed in anteriora procedit, & ideo applicatur ad terminum, ad quem itur. Etenim ista navis in quam Christus ascendit, statim fluit ad terram qua ibat, scilicet Genezareth. Nec dubium, quia vehens Christum, à Christo vehementius vehebatur. Omnis anima illum vehens vehitur, quo feliciter devenitur in portum. Sed qui in navicula erant, venerunt & adoraverunt eum dicentes : *Verè Filius DEI es.* Non habebant, quod amplius impenderent tam gubernatori perito, præterquam reverentiam adorationis, & confessionem veræ fidei, quòd esset Filius DEI. Et hoc est primum, atque præcipuum, quòd à nobis exigit Christus, ut eum credamus DEI Filium æternum in tempore incarnatum, & per adorationem latriæ veneremur abjectis idolis & multiplicatis per homines Diis : quoniam omnes Dii gentium dæmonia. Mirum valde, quòd isti Hebræi genere, patria Galilæi, qui tantùm unum Deum promulgatione legis audierant, sicque tenebant : de trinitate sermo nondum eruperat manifestus, de æterna generatione scriptura tacebat, silebat & lingua : quo igitur motu confitentur isti hunc esse Filium DEI ? Nondum hanc inauditam à sæculo superno doctrinam ex ejus ore susceperant. Sed qui præstitit in ambulatione supra mare in Petri liberatione, in venti cessatione signum, præstitit & fidei intellectum. Et quodamodo se sic exegit, ut homo confiteretur, sic fecit, ut crederetur. Aliter non potuisset esse ex ore vera confessio, nisi prout erat in corde credulitas. quàm solus DEI erat infundere, non hominum erat docere. Et pia observantia, custodia præceptorum legalium merebatur in hominibus credere DEI Filium incarnatum. Simplex quidem & magna credulitas, & veritate firmata, cùm dicunt : Verè Filius Dei es. Quam confessionem, cùm ab ipso interrogarentur discipuli, quem dicerent esse homines Filium. Hominis, Petrus pro omnibus respondit, quòd esset verè Filius DEI. Nec credimus hanc confessionem adoptione aut imitatione factam, sed in illa veritate, qua Filius Dei est. Etenim in veritate ista confessio facta est, quòd ab æterno sit Filius DEI, non aliquo semine generandi. *Et plus ac magis intra se stupebant, non enim intellexerant de quinque panibus.* Stupor erat ex gestis insolitis, nec aderat præteritorum memoria, quid magnum de quinque panibus & duobus piscibus fecerat. *Erat enim cor illorum obcæcatum.* Exagitationum vehementia, quas fuerant passi, nondum ex toto ad seipsos venêre, scilicet quin stuperent ex actis. Tenebatur cor illorum quodam ignorantiæ velamento, ne illum agnoscerent, & fortè machinamento dæmonis obcæcabatur cor, eo demerito, quo sibi loquenti non credunt, confidentiamque non præstant, nec intellectum scilicet memoriam habebant de panibus sic miraculosè præacta die multiplicatis. Beneficiorum oblivio meretur pœnam, ut intellectus ad majora cognoscenda claudatur. *Cùmque egressi essent de navi, continuò cognoverunt viri loci illius.* Ac etiam ipsi discipuli, scilicet cognitione solita, non addita ampliori. Omnia in pace melius, quàm in turbine cognoscuntur : propterea nemo miretur, si flantibus procellis obtunditur sensus, acsi nesciat, quo tendat, aut quo fine tentatio terminetur. Cùm ictus multiplicantur in bello, aut militem miles impellit, & pilis pila munari non desinunt, cùm signa non vergunt, cùm signum non buccinant ad receptum, non est de pace conquirere, nec sciri de fine, sed pugnare, ut felix finis obveniat. Cùm verò fuerit cessatum à pugna, tunc agnoscitur quid perditum, quid adeptum, quid partum in honore, quid in spoliis, quid in corpore toleratum, quid illatum in hoste.

Matth. 16.

Semper

emper ſumus in turbato navigio, ſed ùm interdum quietis devenitur in portum, propellitur ignorantia, & præſtatur rei notitia melior. Viri quidem regionis illius cognoſcentes ex perſona & ex virtute JESUM, non tamen quod verus Deus eſſet. Ex fide concepta percipitur *& tunc per univerſam regionem illam cœperunt in grabatis eos, qui ſe malè habebant circumferre, ubi audiebant eum eſſe* Ubique Deus, ſed perſonam hominis ex ſanctitate venerabantur. *Et quocunque introibat vicos, vel in villas, aut civitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, ut vel fimbriam veſtimenti ejus tangerent, & quotquot eum tangebant ſalvi fiebant.* Iſta expoſitio infirmorum in diverſitate locorum ſicut introjbat Jeſus, magnum fidelibus præſtitit documentum, ut ibi occurramus ſibi pro ſanandis infirmitatibus noſtris, ubi ſe offert cum ſubvennonibus ſuis. Nec enim cum prævenire poſſumus noſtra virtute, niſi primo ipſe per gratiam ſuam præveniat. Ipſe prægreditur vicos noſtros, villas & civitates, vicinitatem & ruſticitatem & civilitatem, quam cum virtutibus & cæteris & proximis noſtris habemus agnoſcit. Et nos detegamus dedecora invifibilium infirmitatum, quamvis agnoſcat ponentes infirmos animos in plateis, in illa latitudine veritatis & juſtitiæ, quibus ſanari poſſumus. Eſt & adhuc Chriſtus per ſua membra ingrediens in omnibus locis ad nos, & in ſacramentis eum habemus ubilibet, ſaltem humiliter requiratur ad fimbriam conringendam. Fimbria veſtimenti Jeſu, pars eſt extremior, terræque vicinior, ornatum ad veſtimentum faciens, illum videlicet ex arte, non ex natura inventum, quamvis ex naturaiibus rebus addita peritia humani ingenii artificioſè agentis, fiant plurima ornamenta. Bonus ornatus erat natura Filius Dei, pro hominibus factus homo, ſed hoc abſcondebatur à nobis, ſed arte quadam innotuit, ut homo oſtendit in nocentiæ ornamentum, & irreprehenſibilis vitæ, ut nihil habens aut agens impertinens, ſed quod erat de regulatione virtutum, in moribus cœleſtibus cum hominibus vivens & degens Hæc fimbria erat aurea, ſic & ſponſa ſibi aſſiſtens ornanda erat, & omnes animæ Dei filiæ factæ per gratiam, quoniam omnis gloria ejus filiæ regis ab intus in fimbriis aureis, ſcilicet ſapientia & charitate rubricatis. Quæ præmiſſis precibus tangenda eſt, non auſu temerario contingenda. Orationibus oportet prævenire dona virtutum, quibus languores & infirmitates noſtræ ſanantur. Quotquot tangebant fimbriam ſanabantur. Quotquot tangimus artificioſum Chriſti ornamentum, quod arte eſt à Spiritu Sancto editum, qui omnium eſt artifex, quod Chriſtus geſſit in terris, fide, mente, opere perſeverantes uſque in finem, ſalvi erimus. Fimbria iſta, ut perſeverantiam ſonat, ornamentum eſt virtutum invifibilium & viſibilium atque irreprehenſibilium actionum: quoniam ipſa fimbria ponebatur in fine cujuslibet veſtimenti, cui erat addenda, in deſignationem perſeverantiæ in ornamento morum, quæ ſola inter inter virtutes nanciſcitur præmium. Quoniam non qui incœperit, ſed qui perſeveraverit, hic ſalvus erit. Ipſa eſt quæ ſola ex agonibus portat bravium & coronam. Ipſa eſt omnim virtutum & bonorum ultimum ornamentum; quod quicunque tetigerint ſalvi fient. Fruſtra ſuadatum eſt in actione virtutum, ſi non adent vel ſi aberit laus finis. Etſi aliquando ad agenda bona intercapedo fiat, aut à bono averſus ad mala quis converſus exiſtat, redeundum illico ad intermiſſam virtutem, & ad reſarciendum intercæptum tempus, ut optimus finis adveniat, & ſit tactus fimbriæ, quod promiſſa ſalute obtenta claudatur cujuslibet ultimus dies. Sed ſi tangentes illam Chriſti fimbriam ſeu veſtimentum ſalvi fiebant à quacunque infirmitate detinebantur: confidamus & nos, qui excellentius à veſtimentis, & fimbria quid habemus, verum Chriſti corpus, quod manu puræ ſinceræque fidei & moralis quotidie poſſumus non corporum, ſed animarum contingere ad ſalutem. Et nemini volenti denegatur, qui gratiam in veritate quærit, quin poſſit habere. Etiam manuductione ſe offert ſanis pergentibus ad ædes, in quibus ſacramentaliter agitur, & ad infirmos & invalidos per manus ſacerdotales benignè defertur, ut non ſolùm ad ipſum infirmi, ſed ipſum ad infirmos accedat, nullis precibus tantùm, quam propriis opportunis. Pſalm. 44. Matth. 10.

(o)

Liber VI.

Liber VI.

De Parabolis Salvatoris.

Prologus.

Quid ſit Parabola ?

PARABOLA facilem bolum parat ori, & intelligentiæ noſtræ mentis, ut ſub ſimilitudine intelligantur, quæ propriè tardus non agnoſceret intellectus. Eſt etiam parabola comparativa ſimilitudo, ſive negotii ad negotium, ſive perſonæ ad perſonam, aut ſtatus ad ſtatum, quæ in deſignationem alterius rei; quàm litera ſonet, dicta cognoſcitur, ut intentionem dicentis pronunciet, etiamſi ſecundùm literam, quod refert, geſtum non inveniatur, quum in multis parabolis ad ſenſum res geſta fuerit, ſicque credatur: in multis verò, quod narratur verbis, aut ſcribitur literis, res ad ſenſum geſta non fuerit, ac per hoc mendaciis non cauſabitur dicens, ſi ſub ſimilitudine aliquam veritatem expreſſit, monuit, aut terruit, aut avertit à malo. Et quum nos oporteat literæ inſpicere veritatem & intentionem dicentis ſubalternativè, omnis lector, quod legit, Intelliget, ut literæ veritatem intentioni ſupponat dicentis, non intentionem literis exaratis. Nam omnis literæ veritas eſt illud, quod author pronunciare intendit, ſive ſub ſimilitudine, ſive ſub proprietate loquendi, ſive parabolicè, ſive per expreſſionem, ſive per exempla, ſive per rationem. Habet omnis aliquid dicere tentans, literas, ſimilitudines, proprietates, parabolas, ænigmata in obſequium, & fingendi authoritatem, dummodo, quod fingitur, trahatur in aliquam veritatem, ſeu in morum utilitatem indubitanter deducatur. Necnon & parabola ſæpiſſimè parat vela, ut quod dicitur non faciliter, ſed cum difficultate lector intelligat. Antiquorum verò ſequentes ſententiam, maximè Græcorum, in quorum lingua tria ſcripta ſunt evangelia, quartum verò prius in illam fuit, quàm in noſtram translatum, deinde in noſtram de Græca lingua quatuor evangelia ſunt tranſlata, ordine dicendi alio parabolam intelligere declaramus. Nam para græco eloquio, noſtro prope ſeu juxta intelligitur, bole autem in græco, in latino ſententiam ſonat. Erit ergo parabola, quod non propriè, ſed propè appropinquabit illi ſententiæ, quam author intendit educere, ſeu quod intendit includere in audientium corda, ſive legentium. Erit etiam ex hoc parabola ſententiæ teſtimonium, velut ſi quispiam quempiam mechanicam artem docens verbotenus, aut figuras geometricæ artis, cùm ille, qui docetur, præ tarditate intellectus non percipit, exemplificat manu, quod verbo tardebat. Nam ſicut artes contubernant ſolùm in anima, non inſenſibilibus aut ſenſibus: Sed in his ſolùm ſint artificiales effectus, quas ſæpe oportet tradere per ſimilitudines, quæ ſubjectæ ſunt ſenſibus: ſic altiſſimæ veritates & intentiones docentium atque dicentium in animabus hominum ſunt, non in parabolis aut ſimilitudinibus, quamvis per ſimilitudines atque parabolas innoteſcere oporteat intellectibus rudibus, aut velare indignis, ut non intelligant, ſeu occultare pro tempore ſæpe juſtis, ut ſemetipſos cum labore in intelligendo exerceant, & intellectus noſter in ſcriptura divina non ſolùm manifeſtis, ſed etiam paſcatur obſcuris. Proinde non absque magno myſterio Dominus & Salvator noſter loquutus eſt in parabolis, quas per omnia ad plenum differere fit difficile, cùm multa intentioni dicentis atque legentis necnon & rebus dicendis ſerviant conglobatim, quæ ſingulatim omnino non ſerviant, velut ad imaginem faciendam præparati colores, quorum neuter habet futuram imaginem & ante productionem in imagine nihil ſignificant, quamvis quilibet repræſentat ſeipſum: cùm verò ex eis fuerit imago pictoris authoritate deducta,

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

ducta, non ad colores singulatim, sed conglobatim ad imagineem habetur aspectus. Sicque in parabolis & in quibuscunque locutionibus figuratis non expedit omnia considerare per singula, sed tantùm quod ex rerum narratione concluditur, alioquin aut in difficultatem incideremus omnimodam differendi, aut in impertinentem expositionem penitus laberemur. Multa enim in scriptura divina consignificant mysteria sive mores, dum symbolum faciunt, nunquam verò significant singulatim, quamvis & alia multa reperiantur in scriptura divina, quæ consignant atque signant, quotum exempla ponere generat prolixitatem, & maximè ab eo, quod sumpsimus tractandum, avertit. Omnes namque artes aliquid punctale habent, quo artifices agenda perficiunt, quod punctale instrumentum multis fulcitur appositis, ut cum illo artifex operetur. Nam terebelli acumen solùm penetrat non tenetur, aliquid autem habet annexum, quo dum perforat, teneatur. Vox est, cujus instrumenta sunt plura, nullum tamen per se solum vocem valet emittere. Cùm autem vox insonuerit, ejus significatio tantum apprehenditur, instrumenta loquuntur. Projnde in hujusmodi locutionibus parabolicis, quid ex eis percipiatur aut concludatur est maximè advertendum. Sed quia parabolam esse quandam similitudinem dixi, profecto similitudinem parabolæ suppositi: quarum differentiam & clariorem intelligentiam oportet inspicere: quoniam similitudo dici potest inter rationabilia solùm, & eorum actus, inter sensibilia & eorum effectus: inter rationabiles actus & irrationabiles, cùm actus creaturæ rationalis in bono vel in malo similitudinem habeat ad actum creaturæ irrationalis, inter rationabiles actus & actus rerum insensibilium, cùm aliquid luci, soli, stellæ, lapidi, aut hujusmodi comparatur. Parabola verò in evangelio nunquam sumpta est, nisi rationalis personæ ad rationalem personam, seu rationalis negotii ad rationale negotium. Itaque hic parabolas solùm, alibi similitudines Salvatoris ipso adjuvante tractabimus, parum in eis mysteria, & allegoricos sensus, mores verò magis indagantes.

Cap. I.

De Parabola orandi, & impetrandi secundùm Marcum, & Lucam.

AT quidem prima parabola Domini Salvatoris de petitione seu oratione fuit, in qua ostendit pertinaciam & fiduciam impetrandi. Quum enim docuisset orationem septenariæ, imo universalis petitionis, hujuscemodi parabolam statim adjecit: *Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicit illi. Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit ad me de via, & non habeo, quod ponam ante illum.* Qui omnibus creaturis rationabilibus ex virtute & ex natura invisibili amicus est, nisi propria culpa impediat, velut amicum ab amico necessitate urgente rogari se ordinat, dicens: Quis vestrum habebit amicum? Amicus est, qui amicum habet. Et solitum est hominibus, & consuetudo non nova, quòd homo amicum habet unum & reliquum, ut ex uno alteri serviat. Et opportunitate agitur, ut interdum pro se, interdum pro amico prematur amicus, unde cogitur subventionis captare compendia. Ecce quòd suo miro & ineffabili modo creaturis rationalibus præveniendo DEUS factus est amicus. Igitur rependendo valemus esse fidi amici ejus, velut ei, à quo utriusque vitæ necessaria poterimus emolumenta sortiri, necnon nostris providere amicis, quos denegare non possumus, qui ad nos nocte veniunt, & de via lassi labore cassi refici petunt, quibus quid anteponamus, nisi amicus omnibus sufficiens DEUS nobis dederit, non habemus. Premit enim omnes justa necessitas, ut nec nobis, nec aliis simus sufficientes tempore opportuno. Ac per hoc velut nos ad petendum exagitans, parabolam ponit. Quis vestrum habebit amicum, ut sicut inter amicos temporales peragitur, sic inter DEUM & homines fiat, quod sicut amicus amicum urgente necessitate solicitat, sic & nos DEUM modo ineffabili amabilem. Causa non modica nos compellit, ut pro amico minore sufficientem atque majorem requiramus amicum omnium rerum eum. Amicus noster minor, est ipsius animi appetitus, seu non fultus affectus, qui per noctem sæculi lassus de via, quia securus

Luca. 11.

rus est de via propriæ voluntatis atque directionis, non satiatus volitis, non refectus obtentis, ad animi januam atque rationem convertitur, quærens unde quietus fiat, & unde satietur. Sed cùm animus inops sit & egens, Deum adeat, & impetret, quid apponat. Venit ipse affectus de hujus sæculi via, in qua erravit, in qua se credebat aliquid sufficientiæ habiturum. Venit de via, non de illa, quæ Christus est, direxisset enim in superna fluenta, & in locum pastus æterni, & in quietem imperturbabilem. Venit de via, qua tendebat ad inferos, nisi retrovertisset. Venit de via iniquitatis atque perditionis, velut cùm peccator vera pœnitentia ductus revertitur ad judicium rationis, & omnino malè se fecisse cognoscens rerum labentium expertus defectum, peccatorum abhorens volutabrum, satietatem virtutum & gloriæ refectionem inquirit. De hac via similiter & defectu legitur in Sapien. 3, sapientia, quæ intitulatur Salomonis: Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non illuxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Qui errant à via veritatis, falsitatis viam necessariò sunt ingressi. Nunquam nisi per falsum erratur à vero. Erratur autem à vero per falsam intelligentiam. Et hominum appetitus exorbitat, cùm quietem in inquietis, pacem in bellis, sanietatem in vacuis, refectionem in defecturis, stabilitatem in perfunctoriis habere se credit. In qua via lumen justitiæ non refulget, cujus esuries atque sitis Salvatore omnium asserente saturitatem obtinet in supernis. Ait enim: Beati qui esuriunt, & sitiunt justitiam, Matth. 5. quoniam ipsi saturabuntur. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Vide viam Dei, qua venit amicus, scilicet nostri animi appetitus. Vide ubi lassatus est, sed conversus est, cùm eum de spina confixit. Dicebat Psalm. 31. enim David in forma hominis pœnitentis: Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Via iniquitatis, via est delictorum, cùm per ipsam divina jussa complere contemnimus, quæ per justitiam exequi deberemus. Via perditionis, via est inferorum, cum quis peccata sequitur in præsenti lædentia, & authorem in fine perdentia. In his viis lassatur animi appetitus, cùm nulla sit quies divina jussa sperneutibus: recesserunt enim à Deo, qui solus hominibus potest dare quietem. Et cum labore patratorum scelerum etiam tenditur ad infernum, & semper famem patitur, qui peragrat viam nequam. Non sunt in illa refectioni apta hospitia, sed defectui. Ambulant peccatores vias difficiles, quoniam ad multorum malorum effectus non facilè pervenitur. Et omnia laborant in patratione malorum, quoniam instrumenta naturæ, virturum, & gratiæ ad actiones improprias sunt conversa: in actionibus verò propnis, quas omnipotens indidit, non utique laborant. Nihil difficile Deus imposuit creatæ naturæ. Vias verò & difficiles actiones homo Eccl. 11. peccando peregit. Viam autem Domini ignorat, qui infimi graditur via, seu qui Christum intelligere neglexit. Adhuc inspiciamus intentius viam, de qua venit amicus hominum scilicet lassus affectus. Quid inquit Sapientia, nobis profuit, quid divitiarum jactantia contulit nobis, dum scilicet per viam sæculi & iniquitatis & perditionis incederemus? Ipsamet omnibus plena sententiis, rationibus & exemplis, propriæ suæ inquisitioni respondet: Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus, cùm pertranserit non est vestigium invenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus. Aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, nullum invenitur argumentum itineris illius, sed tantùm sonitus alarum verberans levem ventum, & scindens per vim itineris aerem commotis alis transvolavit, & post hæc nullum invenitur signum itineris illius, aut sagittæ emissæ in locum destinatum, divisus aer continuo in se reclusus est, ut ignoretur transitus illius. Sic & nos nati continuò desinimus esse, & virtutis signum nullum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt. Ecce quam variis similitudinibus via sæculi comparatur. Ecce quam incertis successibus affectus noster in eis perambulat. Bene sibi cavit, qui resilivit, qui retroecessit, & qui non stetit in illa, beatus. Bene sibi providit in posterum, qui reversus est ad animum suum. Nam via peccatorum complantata lapidibus dicitur. Proinde amicus animus, ad quem venit de via affectus amicus, famelicus atque lassatus, surgat ea hora qua venit, & vadat ad omnipotentem Deum, qui omnibus jure volentibus est amicus. Et tres panes ab eo sibi dari petat, quos ante appetitum de via lassum venientem apponat. Nocte venit amicus minor, nocte majorem adivit. In nocte quippe sumus, quamdiu in mundo versamur, in nocte peccati, in nocte igno-

ignorantiæ, in nocte humanæ miseriæ, in nocte delectationis tenebrosæ. Nox à nocendo suum nomen accepit. Hæc omnia suis modulis nocent. Deus autem tenebras appellavit noctem, & ossa Job nocte perforabantur doloribus, & in nocte non inveniebatur requisitus sponsus. Multa sunt in scriptura sacra nocturna mysteria bona vel mala, in quibus virtutes & vitia designantur. Sed singularis est nox, & interpretativum bonum habet, qua venit amicus, & ad eum venitur amicum. Nox ista patientia est, & à sæculo in sæculum fieri tenebrosum, ut velit sæculo displicere, ut possit Christo bene placere, & velit lædi a sæculo, ut juvetur à Christo. Hæc enim nox sicut dies illuminabitur : Quia sicut tenebræ ejus, sic & lumen ejus. Hæc nox vertitur in diem, & post ejus tenebras lux in spe firma consurgit. Hæc nox maturinum habet lætitiæ, cùm in illa devius affectus per devia de via venit ad animum, animus verò, ut tres postulet panes, accedit ad Deum. Profectò tres expetiti panes amico anteponendi, mysterium triniratis insinuant creatricis, & ejus quæ in appropriatis sibi suo modo respondent : Potentia, sapientia & voluntas bene agendi, postulandi sunt ab amico superno, ut anteponantur amico, qui de umbrosa via revertitur malis laboribus heberatus. Virtutes vivificæ animam mortuam revivisc're facientes, tres solummodo sunt, quas theologicas Græco & usitato eloquio appellamus, quæ nunquam habentur humanitus, sed divinitus conferuntur, quas postulare necessitas cogit, & in mentem invisibili anteponere affectui, ut omnino sibi præ cæteris sint in voto, in quibus latitudo cedit supervenienti virtuti, & aboletur fames, cùm in mensa cordis astiterint, & quiescitur in solidis, ubi præruptè labebatur in labentibus, sistiturque in bono, ubi ad malum incursantium dæmonum impellebat incursus. Sed cùm postulat, dicit : *Amice, commoda mihi tres panes.* Vide quam solerti verbo, & cauto Christus hanc parabolam posuit. Dicit enim, commoda. Liberam largitionem petere non videtur, sed sub restitutione tacita commodati, nam in commodato rei dominium non transfertur, sed repetitur ex integro, & sæpe restituitur cum annexo. Sub hac pollicitatione accipit ille, qui petit. Restituere siquidem oportet ex integro ea, quæ à creatore commodatim accepimus, atque lucrari cum eis, ut aliquid superaddamus, ne simus in causa, cùm justus exactor rationem & rem concessam exacturus advenerit. Reprobatum atque multatum in subinferendis parabolis inveniemus eum, qui acceptum talentum abscondit in terra, seu involvit sudario cum ipso negotiari despiciens. Proinde rationalis animus, cum accommodatione postulat, unde subveniat affectui per devia dissolúto, de via perdita revertenti. Nam ad nihilum valet animus, nisi resipiscat à malis, & ad ipsum revertatur affectus, qui etiam pro nihilo sibi est, nisi pro ipso ea postulando, quæ cognovit utilia, rationalis animus ad Dominum interpellet. Causam verò commodationis & suæ petitionis allegat, dicens : *Quoniam amicus meus venit ad me de via.* Cum amicus requisivit amicum, nomen possessivum non adjecit, sed pro amico nempe subnexit, ut vel certitudine fidei credamus ipsum ex se omnibus amicum esse, propterea non oportet adjicere sonans meum, aut quia incertum omnino factum est, utrum in suam amicitiam eos receperit, qui per hujus vitæ momenta decurrunt, & nunc amicitiam Dei amicitia mundi, nunc amicitiam mundi mutant amicitia Dei, quorum affectus adhuc mundanis ardoribus æstuat, nedum revixit vita virtutum, nec alicui perfectè in hac vita inclaruit, utrum sit dignus odio vel amore, quamvis magis eveniat malos odio fieri, quam bonos Dei amore teneri. Sed de amico alio cùm loqueretur, adjecit quod meus, quandam certitudinem exprimens, quod amici sunt animus & affectus Sed veniebat de via, quia non semper affectus sequitur animi rationem, sed per devia sæpe vagatur, aut viam eligit, quæ sibi recta videtur, cujus finis penetrant ad infernum. Allegat insufficientiam pro causa sufficiente, qua exaudiri mereatur, cùm dicit : *Et non habeo, quod ponam ante illum.* In nulla creatura fuit aliquando inventum, aut invenietur in Sæcula Sæculorum, ut ante affectum suum ex semetipsa possideat, quod apponat Utinam omnibus esset nota imperfectio in hominibus latens, profectò aut omnino tabescerent, aut viam extollentiæ ignorarent. Nemo sibi Deus est, aut largitor bonorum. Sub uno curvari oportet, qui omnibus jure præest, & ab ipso cuncta deposcere, qui creavit digitis suis. Calculat aliena numismata, qui, quod non habet, habere se credit. Sed ne anima ocyus non audita desisteret à petendo, petentem opportunè importunum fieri prædocuit, dicens : *Et ille deintus respondens dicat : Noli mihi molestus esse, quia ostium clausum est, & pueri mecum*

Gen. 1. Job. 30. Can. 3.

Psalm. 138.

Matth. 25. Luca. 19.

eum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi. Et ille, ſi perſeveraverit pulſans, dico vobis ſi non dabit ſurgens, eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget, & dabit illi, quot habet neceſſarios. Hæc omnia, ſi ſingula creatori voluerimus applicare, aut dicemus aliquid impertinens, aut prolixitati operam dabimus, quam vitamus. Sed melius eſt importunitatem petendi, quam hic Salvator concludit, elicere, quam auſu temerario ſingula velle tractare, cùm ſolùm parabola id intendat, ut ſicut amicus opportunus remedio, ſi non aliter importunè pulſat ad oſtium amici, quod ſi non propter amicitiam, ſaltem propter importunitatem, quod petit, obtineat. Sic animus noſter, quem tanta neceſſitas afficit, perſeveranter pulſet ad januam Dei noſtri nos invitantis amici, aut quod amicitia noſtra jure non obtinet, nobis ſua benignitate pro noſtra importunitate donetur, quanquam reſponſione intranea occultam Dei rationem, & interdum intus in animo noſtro clareſcentem non incongruè perpendamus, quia non de foris, ſed deintus rationali menti reſpondet altiſſimus. Recuſatio moleſtiæ noſtram indignitatem inſinuat, nam qui aliqua dignitate clareſcunt, ſæpe moleſtari refugiunt ab indignis. Clauſum oſtium firmatam pandit juſtitiam. In ſecum cubantibus pueris intelligere poſſumus innocentiam cuſtoditam, quam præ cæteris virtutibus creator aſciſcit, & obnixius diligit in hominibus, quos creavit, hæc ſiquidem ſemper cum Domino requieſcit. Impotentia verò ſurgendi non applicabitur creatori, ſed in petentem penitus inflectatur, cùm nemo mereri poſſit, unde audiatur. Sed ſi perſeverantia importuna orationibus, gemitibus, ſingultibus & lachrymis, juſtisque operibus, amore vehementi, timore profundo pulſaverit ante oſtium, flectetur juſtitia, quia in miſericordiam convertetur. Et ſurget, qui nemini, niſi malè in peccato jacentibus jacet, & dabit, quod nobis noverit neceſſarium & expediens, non amicitiæ noſtræ merito, ſed ſuo ineffabili dono. Sed nec repugnat alicui veritati ex his hujusmodi capere intellectum, ut velut amicus pro amico defecto ad alium aliquid petat amicum, ut velut mediator intercedendo ſubveniat, ſic Chriſtus amicum habens genus humanum de via laborioſa venientem, cujus aſſumpſit ipſe profectò naturam, amicus factus ad eam, & Deum patrem amicum ſimiliter tenens, cui ex jure divinitatis per omnia manet æqualis, pro nobis omnibus de via Sæculi venientibus intercedit, & importunitate quadam, cùm eum in cruce lachrymis & clamore valido propulſavit, pulſando fregit oſtium juſtitiæ, quod in noſtra facie claudebatur, exauditus eſt ad noſtram utilitatem pro ſua reverentia. Et non ſolùm tres panes, ſed omnia nobis ad vitam æternam neceſſaria reportavit, & animabus de via Sæculi venientibus velut malè fatigatis appoſuit. Fiduciam verò impetrandi continuò Salvator ſine interpolatione annexit, cùm ad petendum ſuos auditores præſentes & poſteros imperativo verbo præmonuit, ſubinferens bonitatem paternam, quæ bona dare omnibus cunctis novit: Ait enim: *Ecce ego dico vobis: Petite, & dabitur vobis, quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis. Omnis qui petit, accipit: Qui quærit invenit: Et pulſanti aperietur*: Tria ſunt mala, quæ communiter patimur, aut bona, quibus omnino caremus, quæ Deus ſua bonitate vellet removere, bonaque conferre, ſi noſtra ſolicitudo ſubveniat. Patimur inopiam divinorum chariſmatum, gratiæ ſimiliter & virtutum. Patimur quandoque vincibilem aut invincibilem ignorantiam, quam removere nemo poteſt, niſi qui omnem habet plenitudinem poteſtatis. Ad ipſum ergo oportet, quod dirigatur petitio, ut hæc beneficia, quorum inopiam patimur, conferantur. Eſt igitur Chriſtiana petitio non habitorum ſolùm expedientium in ſalutem. Aliarum verò rerum petitio humana, non Chriſtiana cenſetur, ad eum facta, qui omnibus bonis exuberat, ſed multi deſides, quæ poſſent ſuperaddendo invenire utilia, non inquirunt. Inquiſitio Chriſtiana eſt ſolùm illa quærere ſtudio ſuæ mentis & inquiſitione ſagaci, quæ utilia ſunt Spiritui noſtro in æternum victuro, non corpori continuo morituro. Excluſi noſtro peccato merente à veris gaudiis & æternis, & velut Adam exulamus à paradiſo, & juſtitia Dei noſtris exigentibus meritis, oſtia ſupernæ civitatis vectibus fimiſſimis repagulavit. Proinde Salvator ad petendum, quærendum & pulſandum ſuos auditores animat, dicens: Petite, quærite, atque pulſate, ut petens accipiat, quærens inveniat, & pulſans intromittatur. Poſſet enim Deus omnia iſta ſine actione noſtra conferre, ſed oportet ſervari veram juſtitiam, quia deſidioſis animis negantur, & rationabiliter actuoſis expedientia concedunturTetit igitur, quinon habet, quærit, qui perdidit, aut invenit, qui ante non novit, pulſat, qui foris excluſus eſt, aut

Math. 7. Luc. 11.

qui petit, ubi nunquam fuit, includi. Sed ſcriptura ſacra horum actum, modumque determinat, ut in his pennitus non erretur, nec hujuſmodi actiones caſſo labore
Job. 6. fruſtrentur. Nam & Job hoc affectabat, ut ſua petitio uſque ad conſpectum Domini perveniret, quam tunc pervenire credidiſſet, ſi reportaſſet expetitum, dicebat enim: Quis det mihi, ut veniat petitio mea, & quod expecto, tribuat mihi Deus? Acſi dicat: Quis me docebit ita petere? Quis me inſtruet ita ſubornare ſermonem? Quis meam petitionem ſua interpellatione juvabit, ut ita in conſpectu Dei veniat, ut quod expecto, mihi proveniat? Studium eſt adhibendum, ne petitio noſtra ex injuſtitia petendi, aut ex modo incongruo reprobetur. Sed nihil Deus in ſcriptura ſuaſit petendum, quin vellet dare petentibus porrecta petitione, aut utilius providens pro meliori commodo facta dilatione. Præibit autem orationem delectatio petentis in dante, ante-
Pſalm. 36. quam tribuatur expetitum. Pſalmiſta namque dicit: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Delectari oportet omnem hominem petentem aliquid in eo, à quo petit, aliàs is, à quo petitur, denegaret, ſi averſum petentem ab amore ſuo conſpiceret. Omnis namque delectatio in amore fundatur, & ab ipſo velut à propria radice procedit, etenim abſque amore delectatio nulla perficitur, prohibita vel conceſſa, utilis vel nociva, humana ſive divina, temporanea vel æterna. Proinde peritio eſt, & ſcelus juſtitiam ſubventionis turpans, ſi quidpiam quiſpiam dare rogatus per dilectionem in rogantis delectatione non fuerit. Igitur ſancta oportunitate oportet in Domino per dilectionem delectari, ſi conſequi voluerimus petitiones, quas facimus pertinentes, necnon & rationem, quæ delectationem ſuggerit ex veris in Domino expedit pro veritatis delectatione transferri. Nec ubique in ipſo verior veritatis delectatio invenitur, quæ pro tanto dulcior, quo infallibilior. Delectationem non modicam percipit intellectus, cùm eorum, quæ dicuntur, legunjur, & facta ſunt, percipit veritatem, maximè ſi præcepta veritas contulerit ad ſalutem, atque ad illam beatitudinem, ad quam directè, aut obliquè omnium rationabilium ſuſpirat intentio. Hanc nulla dicta, ſcripta, geſtaque continent alia, quàm Dei omnipotentis & Chriſti Domini Salvatoris. Necnon & memoria hominis cogitur ſugere mel de geſtis amaris JEſu Chriſti, & delectabiliter memorari almifica geſta, quæ mundo remedium antidotis contrariis contulerunt, & animam, & corpus animæ Chriſti, & corpori per actualem memoriam delectabiliter ſociari. Modicum aut nihil confert, cùm tædio animi pro Chriſto paſſio tolerata. Ac per hoc ex omni delectetur in Domino, qui petitiones ab ipſo reportare contendit. Sed oportet ingredi horum verborum interiora ſecreta, ne quis petendo exorbitet. Dicit enim: Dabit tibi petitiones cordis. Non omne quod novit, aut habere quærit, eſt petitio cordis. Patitur ſæpe corpus, anguſtiatur, affligitur, vellet ſe fovere ſuaviter, placibila ſenſuum quærit objecta forinſeca, & ſpe habendi delectatur in Domino, in corde verò iſta verſantur, ibique formatur porrigenda petitio. Et primo cordis ore, quàm corporis ipſa petuntur, prius ſilentio, quàm voce à largitore quæruntur. Sed hæc petitio eſt carnis, non cordis, carnalis eſt, non ſpiritualis, ſenſualis eſt, non interioris hominis. Sed cordis petitiones Deum daturum ſcriptura iſta oſtendit. Multi pro ſenſu corporis petiverunt, nec eorum fuit admiſſa petitio, etiam pro ſenſu carnis in aures Domini Sabaoth non eſt ingreſſa petitio Domini Salvatoris, cùm ſerius exaudita fuerit omnis petitio rationis. Petitio nempe, quam ratio format, dicitur petitio cordis, quæ non ſenſibilia & tranſitoria, ſed expedientia in ſalutem & æterna quærit invenire. Veruntamen & contra ſenſum carnis interdum poſſet eſſe petitio, quæ tamen non eſſet cordis carens regula rationis. Legimus Eliam prophetam, qui petivit animæ ſuæ, ut moreretur. Contra ſenſum erat iſta petitio, qua quærebat perdere corporis ſenſum, per mortis aſperum ſenſum. Sed quoniam agebatur anguſtia, circunquaque deſperatio perſecutionis angebat. An fortè afficiebatur tædio prophetarum & populi prævaricatoris in Deum, & nolebat videre, quæ nequibat corrigere, recuſabat audire, quæ non poterat immutare? Idcirco petebat animæ ſuæ à Deo, ut moreretur, non illi, quæ vivit à corpore ſegregata, ſed illi animæ, quæ cumbeſtia eſt vita communis. Sed nec exaudivit eum Dominus, aut petitiones contra ſenſum corporis eſt largitus. Non enim petitionem illam ratio vera formaverat, potius autem uſque ad Sæculi finem per raptum in paradiſum, vitam, qua privari petebat, credimus reſervatam. Væ autem his, qui accipiunt id, quod non rationabiliter petunt. Quod ſi Deus irrationabilia, & non expedientia vota concedit, non benignitatis, ſed indignationis eſt ſignum.

signum. Munus est divinæ misericordiæ, si denegat importuna petentibus, si verò concedit, quasi consistit iratus. Et si quid justè petitur, porriget: Aut providebit utilius, aut expectabit magis competens tempus, quod sæpe prævenire cupit, & nescit noster festinus affectus. In his, quæ ab omnium largitore quæruntur, oportet, imo expedit expectare tempus, locum, donationis modum, & quantum & quale. Nec in his quandoque sunt petita nostris desideriis coaptanda. Supergreditur profecto in his, & in omnibus cognitionem nostram cognitio Dei, quæ insopitè nostris profectibus vigilat. In his verò, quæ ab omnibus per justam opportunitatem petimus, petentis magis, quàm dantis deberet prævalere cognitio. Unusquisque namque indigens & rationis capax, cautius novit sibi, quàm ille à quo aliquid quæritur: Proinde cùm à Deo aliquid quærimus, inhæsitanter, si petitio justa est, sustineamus. Nam scriptura dicit: Desiderium suum justis dabitur. Petivit Anna Prover. 10. 1. Reg. 1. Filium & accepit, modumque addidit & intentionem rectam, ut lachrymaretur, & fieret amaro animo, & si acciperet, dedicatura illum Domino repromisit. Quod & fecit accipiens eum ablactatione perfecta. Modus & intentio inclinant aut avertunt cœlestem omnium regem hos, quæ postulamus. In justitia petens Salomon se fundavit, ut remotionem vitiorum posceret, & divitias nollet & paupertates, sed necessaria vitæ, necnon & supra petitum accepit. Ipse incitatus à Deo, ut eum aliquid postularet, non longitudinem dierum, non divitias, non ultionem inimicorum, nec aliud, quàm sapientiam regimini necessariam, postulavit, quam accepit præ omnibus in Jerusalem præcedentibus cæteris. Et quamvis tempus, quo aliud petimus, certum fiat ex nobis, exaudtionis verò penitus nun est in nobis, sed expectare oportet, qui exauditionis tempore novit. Nam scriptura sacra in omnibus vera est, in nulloque mentitur, nec dilatio temporis facit illam mendacem, si vota illico non assequitur festina nostra petitio. Infallibiliter David locutus est; Psal. 33. Clamaverunt justi, & Dominus exaudivit eos. Et si non ad petitionem atque clamorem statim fuit exaudito subsecuta, vera tamen scriptura consistit, quoniam divina providentia in melius fuit dilata. Nec scriptura Salomonis dicit desiderium suum illico justis datur, sed dabitur, illo videlicet tempore, quo impermutabilis Dei bonitas nobis novit utilius providere. Non enim aufert dilatio temporis, quod dare justus Dominus justè petentibus repromisit. Judith populo suadebat justam petitionem & modum ejus, dicens. Indulgentiam ejus fusis lachrymis postulemus. Justitia divina & humana concedit indulgentiam petere delinquenti, quàmvis exaudiri non mereatur omnis, qui petit. Potest esse profectò justa petitio, quamvis nun justa exauditio subsequatur. Nam aliter est justa petitio petentis, aliter justa exauditio præsidentis. Potest nanquam quispiàm in articulo aliquo constitutus justus petere, quod requisito justum est denegare. Sed hæc Judith suadebat indulgentiam petere pro delictis, quod cuilibet indigenti ratio justa concedit. Et modum petitioni addebat, quo non frustraretur opportuna petitio, Submittebat enim & & lachrymas, dicens: Indulgentiam ejus fusis lachrymis postulemus. Ornamenta petitionis sunt lachrymæ, & nihil tam illam ex arte oratoriam facit. Linuntur & delibentur multa intromittenda in aliud, ut facilius penetrent, & lachrymæ delibamenta sunt nostrarum petitionum. Ex hoc quid sit petendum adverte, quia indulgentia peccatorum, adjunctoque modo, quia in profluvio lachrymarum. Et concordialis Dei omnem petitionem revocabat in unam, sed ipsa tanquam omnium Finis, omnes pariter includebat. Inquit enim: Unam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluntatem Domini, & visitem templum ejus. Unam petitionem se dicebat velle David, sed hæc omnium capax erat, nihilominus aliam inferebat, ut sub una forma petendi plura peterentur, ad unum finem tendentia. Quid igitur iste concors Dei petebat? Ut inhabitaret in domo Domini omnibus diebus vitæ. Si mores cudimus, suavissima est petitio, ut dum vivimus, simus in domo Domini. Domus Domini ecclesia est, fides est, quam decet sanctitudo in longitudine dierum. Domus Dei ædificium atque templum virtutis est, variis constructa lapidibus, quæ omnino inexpugnabilis est, quam petit inhabitare David tuto tempore, quu vita concessa duraverit. Hæc una petitio esse debet piè in Christo vivere quærentium. Ex aliqua enim parte non possunt irrumpere doli ei, qui habitat in domo virtutum, & qui magis quærit in orthodoxa ecclesia dejici, quam extra ipsam quomodolibet positus supponi. Aliam porro verbis dissonam, consonam sententiæ inferebat: Ut videam voluntatem Domini. Ad alta migrabat Davidica mens, quæ vo- Judith. 8. Psalm. 26. Rom. 14.

lun-

luntatis Dei infinitæ volebat esse inspectrix. Quis enim novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit? Quis divinæ voluntatis potuit esse cognitor? Quis illam videre novit, quæ omnino invisibilis est? Sed ad illam voluntatem referenda sunt Verba, qua Deus nobis in vita mortali contrahitur, ut illam voluntatem scire velimus, qua sibi caveamus implacita, & placita possibilia faciamus, Hanc eandem voluntatem is idem David se doceri petebat, dicens: Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Si autem his Verbis tendimus in superna fluenta, una omnium rationabilium atque mortalium hominum debet esse petitio, ut simus in æterna vita omnibus diebus, quibus vita futura contingit, quæ habet æternitatem, quam Deus rationabilibus creaturis, non per naturam, sed per gratiam repromisit, ubi videbitur Dei voluntas, quæ sic cuncta disposuit. Et visitabimus templum corporis ejus, quod pro nobis assumpsit & solvit, & resurgendo refecit, necnon & templum illius vastissimæ regionis, ubi Christus sol & lumen indeficiens omnes perfundit visitatione incessabili, & visitabimus consendentes cum supernis incorporeis civibus, hic nunquam corpore peregrinis. Mentis etiam hebetudo & ignorantia petere sapienniam nos compellit. Unde Jacobus in canonica sua dicit: Qui indiget sapientia, postulet à Deo, in fide nihil hæsitans. Modus petendi ex hoc Verbo fundatur in fide, nam bonum est, quod petimus, dum in fide firma petamus. Tobias etiam Filium docebat necessaria petere: Pete à Domino, ut vias tuas dirigat. Opportuna est ista petitio, ut viæ nostræ à Domino dirigantur, quoniam Jeremias perspicuè hanc opportunitatem Prævidit. Dicebat enim: Non est in homine via ejus, neque est viri, ut ambulet, & dirigat gressus suos. Si non est in humine via ejus, neque alterius via erit, qui non semetipsum nec alium dirigere novit. Proinde in nullo præterquam in Deo via recta cujuslibet hominis erit. Igitur justa necessitas nos compellit, ut vias nostras dirigi à Domino postulemus, ea sedulitate atque affectu habendi, quo pedum errores & offendicula incurrere devitamus. Hoc petebat David dicens: Dirige Domine Deus meus in conspectu tuo viam meam. Prænoverat enim ab alio non posse viam suam dirigi, sed potius obliquari, præterquam à Deo. Quæ tunc rectè dirigitur, cum in conspectu ejus agitur; Tunc agitur, cùm nihil committitur, quod reprehendi timeatur à conspectu ejus, quod illum offendat, quod ante ipsum assistere verecundia suffundat. Alio enim loco hoc anxiè petebat. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Viæ hominum sunt intentiones, affectiones, & vota, & mores, quibus ista vita peragitur, quæ alia directione non indigent, nisi custodia justificationum Dei. Dei autem justificationes sunt illa mandata sive consilia, quæ custodita per sententiam justitiæ animam à debito divini credini, & ab obligatione omnis debiti merito divinæ passionis absolvunt. Ad quærendum perdita vel non habita, etiam nos sub metaphora divina bonitas animavit, ad petitionem quæsitionem enneetens: *Quærite & invenietis.* Quærere est actus hominis studiosus, ad aliquid non habitum, sed cognitum & menti placitum invenicndum. Omnem inquisitionem saltem præcedit aliquota, quamvis non tota cognitio, in multis autem tota. Quærit sæpe homo quempiam, quem nunquam ante oculo corporali conspexit, sed aliquid in ipso prænovit in animo, quo ad quæsitionem se ordinat. Caret homo sapientia, & quærit illam, quam nunquam etiam præcognovit, sed utilitatem ejus omnino prævidit, & differentiam sapientiæ atque stultitiæ, quamobrem monetur sapientiam in libris, aut à Doctoribus quærere. In perditis verò quæsitis, præcedit tota cognitio. Si autem accommodato vocabulo ad spiritualem intelligentiam referre tentabimus, quæsito est mentis studiosa actio veritatis & rationabiliter diligendorum & retorquendorum in usum noritam duce lumine rationis investigans. Est etiam ipsa quæsitio animæ spiritualis actio seriosa, ut invisibilia bona, quæ perdidit virtutis & gloriæ, ex malitia sive negligentia prævis reinveniat per solicitudinem & animæ probitatem. Quæramus igitur requisiti, & in requirentem nos supernè supernum nostra quæsitio tendat, Nam & Psalmista dicit: Quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. Si quærentes non dereliquit, omnino invenietur ab eis, ad quem primo quærendum omnis necessitas nos compellit. Interminatione facta in libro Paralipomenon legimus: Si quis autem non quæsierit Dominum Deum Israel, moriatur. Mortem quærit omnis effugere, maximè illam, quæ malè morientibus in corpore, reservatur æterna, quam qui Dominum Deum non quærit, penitus non evadet, Apud ipsum verò indeficiens fons

Psalm. 142.
Jacobi 1.
Tobiæ 4.
Jer. 10.
Psalm. 5.
2. Paral. 15.

fons est vitæ, quam omnis homo rationalis exoptat. Et alibi scriptum est: Quærite Dominum, & vivet anima vestra, in illa scilicet vita, propter quam & ad quam consequendam facta est. Proinde ipse primo quærendus, quo invento nihil restat quærendum. Qui se offert omnibus, & requisitus quæsitioni, cujus etiam si inventus fuerit, finis est nullus. Qui quamvis ex omni infinitatem habeat, tempus quærendi omnis præfinivit, quo in præteritum verso, & corporis & animæ soluta compagine, quærendi atque inveniendi nullum potest esse momentum. Quo circa Isaias intonabat vocibus, dicens: Quærite Dominum, dum inveniri potest. Ut sic sensus verborum eluceat, inveniri potest, dum quæri potest, & dum non potest quæri, nec potest inveniri. Ratio irrefragabilis omnino suadet, quod si ad quæsitionem duntaxat sequatur intentio, quòd non sequatur, si quæsitio non præcedit. Quæsitionis in hac vita tantùm, in alia beatæ ipsius fruitionis aut separatæ calamitatis est tempus. Quæsitio igitur Dei, fuga est mortis. Quantùm Deum quærimus, in tantùm mortem devitamus. Quæsitio Dei securitas vitæ. Quæsitio Dei summa operatio. Quæsitio Dei indeterminata virtus. Quæsitio Dei omnis supervacuæ solicitudinis est abjectio & abdicatio impertinentis curæ. Quæsitio Dei est conversio ad comprehensionem optimi & perfecti. Quæsitio Dei sine sterilitate labor & solicitudo perfecta. Quæsitio Dei superexcedens opus, & ex omni parte perfecta & laudabilis actio. Ad quem quærendum nobis forma datur, quæ infallibilem inventionem exhibet inquirenti. Nam & scriptura dicit: In simplicitate cordis vestri quærite illum, quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum, apparet autem his, qui fidem habent in illum. Ingenua est ista forma, parvaque videtur, sed in brevitate prolationis longævam, imo difficilem difficultatem habet annexam. Simplicitas enim cordis, incompositio est ejus. Compositum nempe simplicitate caret, Incompositum verò simplicitatem possidet, magis verò incomponibile tenet illam. Necnon & quod dicitur reconvertitur, quia & simplicitas incompositum, incomponibile tamen verius habet illud. Nec illa simplicitas, in qua quærendus est Deus, nec illa compositio in qua penitus non quærendus, ad additionem similis carnis, aut alterius materiæ corruptibilis referenda est, ut quantitatis continuæ vel discretæ credatur augmentum, sed duntaxat ad

Psalm. 61.

Isaias. 55.

Sapient. 1.

varietatem voluntatum & affectionum, quæ peruagantur sterile in diversa creata objecta forinsecis sensibus: Uno creatore relicto aut cum eis quæsito, qui solus quæsitus, dum solus quæritur, simpliciratem animæ facit. Si quis sibi fugacem cordis affectionem in suum Dominium vendicavit, ut non componatur voluntate habendi aliquid præter Deum, aut in ipso, & cum ipso, cujus rei causa fugatur, simplicitas & incompositio ipsa generatur. Nam sicut Deus, qui ex omni seipso simplex & incompositus est, animam ad suam similitudinem & imaginem in esse produxit, & secundùm illam essentiam, quam Deus animabus non per naturam, sed per gratiam dedit: Sic voluit usquequaque consistere, hoc tamen excepto quod uniuntur, non componuntur corporibus: Sic voluit ac suasit in affectionibus incomponibiles permanere, ut quærendo Deum adesset ista simplicitas, ut ipse solus quæreretur, & amaretur, & si qua sunt alia propter ipsum, & ad ipsum ordinabilia & ordinata per quæsitionis intentionem & actum. Non enim removet cordis simplicitatem, si humana mens Deum propter seipsum quærit, & si qua sunt alia propter Deum. Nec credamus animam illam supernaturalem & ineffabilem simplicitatem atque incompositionem possidere, quam Deus habet suo ineffabili modo, sed talem sine compositione substantiæ similis atque dissimilis, qualem Deus dedit spiritibus sive animabus à se creatis convenienti & intelligibili modo. Sed nec anima unita corpori compositionem in corpore, aut ex corpore recipit, exempta est ab ipso, ut intromissa fuit, sic existit, nihil amplius substantiam trahens, præter quas didicit qualitates, quæ compositionem substantiæ omnino non faciunt, etiamsi quot sunt, conflarentur in unum. Simplicitas ergo illa, in qua quærendus est Deus, duplicitatem intentionis, & multiplicitatem affectionis & inquisitionis, expellit, tantùm tendens in Deum, qui finis est omnium, & in ea, quæ incunctanter driguntur in eum. Est igitur simplicitas cordis invariabilis intentio animæ, invariabilem inquisitionem formans optimi & perfecti atque summi boni, quod solùm Deus est. Necnon & simplicitatem dicimus quandam rectitudinem mentis, & inobliquatam consistentiam sanctæ affectionis. Unde submissiori modo loquentes, quicquid est sine plica vel ruga, simplicitatem habere censemus, ut patet in corporibus

inobliquatis & protensis. Mansuetudó autem hujc virtuti se sociat, cui quærenti
Sopho. 2. subsequitur invenirι. Unde per Sophoniam prophetam dicitur : Quærite Dominum omnes mansueti terræ. Mansueti terræ invitantur ad quærendum Deum, nec frustra, ne delusa fiat mansuetorum solicitudo quærentium, quoniam humilium & mansuetorum sibi semper placuit deprecatio. Sed qui invitat, aut animat ad quærendum, se obtulit requisitum. Mansueti verò terræ illi sunt, qui viventes in carne in terra, seu propter terrena extolli nesciunt, iræ pestilentiam fugiunt, injuriis affecti gratias agunt, rependere mala pro malis nulla ratione novere. Mansuetudo est innocentia vitæ, tolerantia irrogatorum, gratus gestus, mos verecundus, nulli gravis, placida cunctis. Hi si Dominum quærunt, inveniunt : Quia nihil obstat eis, unde à quæsito fraudentur. Alia scriptura sub pollicitatione firmissima repromittit, quod Deus à debito modo
Jer. 29. quærentibus invenitur. Ait enim : Cùm me quæsieritis in toto corde vestro, tunc inveniar à vobis. In toto enim corde Deus quæritur, cùm quicquid est amoris, intelligentiæ atque memoriæ in eum refertur, & his profugatur adversum. Ac per hoc Christo suos invitante fideles quærατur gratia, quæratur virtus expediens, quæratur illa possessio, quæ non minuitur accedente consorte, quæratur cujus inventio est honesta, tentio utilis, & delectabilis usus. Quæramus in via, quod teneamus in patria. Secluſi quidem paternis peccatis, atque propriis, ab internis & æternis gaudiis, velut exules extra manemus. Et pulsos à bonis ad pulsandum januam pietatis invitat, apertionem pollicitans, ſi pulſamus. Inquit enim : *Pulſate, & aperietur vobis.* Sed nec ad eandem januam, per quam sumus excluſi, est cedendum. Per portam justitiæ ab incommutabili bono exules facti sumus. Et firmata protinus est seris & vectibus ferreis inexplicabilibus contra nos, nam justitia nunquam desinit à seipsa, sed è regione intranea janua misericordiæ perstat, cujus repagula sunt orationibus removenda. Assiduè pulsat, qui orare mente non cessat. Superſedent liminaribus hujus portæ optimi & divini custodes, pro parte illius, qui custodit, atque gubernat, timor videlicet atque amor, hi omnes pulsantes cognoscunt, scientia quamvis variè irremota. Initiat ad sapientiam sanctus timor, sicut propheta cantabat : Initium
Eccl. 1. sapientiæ, timor Domini. Sapientia verò Fidei omnem sapientiam, præterquam visionis excedit, cujus timor extat exordium. Hic prospicit pulsatores, qui ad divina intrare contendunt, si pulsant inhæsitanter in fide, si fideliter sunt fideles. Concutit valide portam robur Fidei & actualitas ejus. Amor verò in liminari dextro quiescens, etiam à longè conspicit pulsatores, si amoris quanta vehementia, si quanta perſistentia orationis, quanta pertinacia lachrymarum, misericordiæ januam nostris meritis in facie nobis clausam pulsare contendant, arietant obices, portæ confringunt seras, dissumpunt ferreos vectes. Si timor & amor simul unà conveniunt, his malleis, his arietibus misericordiæ janua est cædenda. Si cùm his pulsabimus, juxta promissionem Christi patebit introitus. Verax Christus loquitur veritatem : Pulsate, & aperietur vobis. Pulsemus ad ostium veritatis, quia mundi fallacijs obvelati, ab ipsa excluſi sumus. Pulsemus ad januam beneficiorum Dei & thesaurorum ejus, quia malè delectati perfunctoriis & caducis nimis pauperes facti sumus. Si perseveranter pulsaverimus, apetietur nobis, & intrabimus in gaudium Domini nostri. Non patitur divina bonitas nos à suis bonis excludi, quamobrem docet pulsare, ut mereamur admitti. Et ne à diffidentia retardemur, obtinendi fecuritatem adjeçit : *Omnis enim qui petit, accipit : Et qui quærit, invenit : Et pulſanti aperietur*, dum nec petatur aliud præter ipsum, & ad ipsum, nec quæratur aliud quam ipse, & ad ipsum, nec in nostra virtute suum ostium adeamus. Ne quis autem in suis justis petitionibus falli se credat, Salvator utilem exauditionem petitionis adjecit, & comparatione typica exauditionis hominum exauditionem patris fecit eximiam, & ad sanctam audaciam in petendo nostræ mentis intorsit, dicens : *Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi : Aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi ? Aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem ? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare Filiis vestris, quanto magis pater vester dabit bona petentibus se ?* Alius Evangelista dicit, *Spiritum bonum petentibus se.* Parabolica sunt hæc, magna inter Deum patrem, & nos sacramenta ferentia. Quid panis petitio, quid lapis non largitus insinuat ? Prædixerat supra in oratione quam docuit, panem quotidianum petere à summo parre. Pan Græce, latine totum aut omne dicitur. Idcirco velut à quadam origine panis, à pan sumpsisse fertur tale nomen, quoniam velut cibus sustentans ab omnibus animalibus appetitur.

petitur. Panis in ſcriptura ſacra totam vitam aut totum victum quemque ſignat, juxta illud Geneſis : In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Vituperabiliter men-
Gen. 3. ſa ponitur abſque pane. Et tota vita noſtra Chriſtus eſt, panis ſcilicet verus, qui de Cœlo deſcendit. Si quis conditionibus antedictis hunc panem accipiet, nec ſibi pro pane interpellatus pater lapidem miniſtrabit, qui aliqua vita non vivit, nec intelligit neque ſentit, qui lædit ſæpe, interdum gravat, & durus protinus eſt. Hæc pater petenti pro pane non infert, neque pro piſce ſerpentem. Piſcis & ſerpens diverſa incolunt elementa, & eorum diverſa ſpecies diverſaque natura. Piſcis eſt homini aptus cibus. Serpentem verò comedere hominum natura abhorret, quamquam ex certis medelæ cauſis interdum in cibum eveniat. Piſcis dulcis eſt cibus, ſerpens verò ad necem plerunque venena diffundit. Piſcis aſſumptus ex aquis, dulcedo quæ ex amaritudine vitæ carpitur. Amara eſt vita iſta his, qui per gratiam Filii Dei ſunt, quoniam aut patiuntur ab aliis aut ſibipſis inferunt paſſiones. Hæ aquæ ſunt euntes & redeuntes in ſublime tollentes eccleſiaſticam arcam. Sed hunc piſcem dulcemque cibum, quem pius pater Filiis petentibus donat, non autem ſerpentem, ſcilicet necans virus, ut pœnæ pœna ſuccedat, & paſſio paſſioni, ut Fili Dei, qui pro Chriſto in hoc Sæculo mala patiuntur, in futuro nulla æternè lædentia patentur. Bis in idipſum pater ſuos Filios cruciare non novit. Nec flagitanti ovum porriget ſcorpionem. Ovum inter cibaria cibus eſt mundior, fœtum autem calore orticis formatur in avem, & in quo nihil vitale aut ſenſibile apparebat, temporis proceſſu operatione ſecreta naturæ adminiſtratione animalis, volatile generatur. Rogitanti ſiquidem animæ munditia tribuetur, per quam videri poſſit omnipotens. Et fiat pennatum animal & volatile, ut volare poſſit ſpeculando divina, tandem illis æternè fruendo. Non autem ſcorpio tribuetur, immunditia ſcilicet & Finalis deceptio, quia ſcorpio lædit à cauda. Non enim novit pater æternus juſtè petentibus, niſi bona conferre. Proinde affirmando ſubjecit : Si vos cum ſitis mali, noſtis bona data dare Filiis veſtris, quanto magis pater veſter dabit bona ſeu Spiritum bonum petentibus ſe. Mali ſunt omnes homines, non natura, ſed comparatione bonitatis increatæ. Sed qui voluntate mali ſunt, ad Filios ſervant pios affectus, ut bona eis petentibus aut non petentibus largiantur, quanto magis pater veſter, qui bonus eſt natura increata. Bonus eſt, qui à bonitate deficere non poteſt, qui vitiari nequit, dabit bona, ſcilicet indeficientia æterna utrumque delectantia ſenſum, aut bona, ſcilicet his, qui poſſunt conferre mortales penitus meliora. Sed hæc bona Lucas per ſcriptum bonum expreſſit, ut iſtius Verbi ſenſus ad ſuperiora petita connectatur, ſcilicet ad panem, ad piſcem, ad ovum, pro quibus petitis contraria non donantur, ut cui Spiritum bonum, voluntatem ſcilicet bonam, aut divini numinis Spiritum contulerit, omnia bona petita contuliſſe dicatur. Nam in iſta ſententia, quod Lucas patrem donaturum aſſeruit, quod Mathæus dixit, includit. Quod verò Matthæus dixit, donum divini numinis non excluſit.

Cap. II.

De Parabola ſeminantis & diverſitate ſeminis, ſecundùm Matthæum, Mar. & Luc.

ARs ſubvenit naturæ corruptæ, ut nec poſt peccatum gratis natura hominem paſceret, niſi juvaretur artis ingenio. Et ſicut natura adminiculo artis adivuat jacto ſemine terram, ſic gratia fato æterni ſemine Verbi noſtram adivuat animam. Proinde Salvator ad eruditionem turbarum ſequentium, ſeminantis parabolam poſuit, dicens: *Exiit qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum.* Demonſtrativè loquitur, quia ipſe eſt, qui exivit à patre, & venit in mundum, imaginem ſatoris accipiens, actu & doctrina ſeminans ſemen ſuum. Omnium excluſit Dominium & poſſeſſionem, duntaxat ſuum eſſe ſemen aſſeruit. Qui ſeminat ſatis eſt dives, ſi à ſeipſo, non aliunde ſemen & terram poſſidet. Dives eſt ſeminator æternus, & æterni verbi ab æterno poſſeſſor, nec aliunde accepit qui in corde hominum ſeminavit, & terram creavit ex nihilo inviſibilem atque viſibilem, ut per vehicula terræ viſibilis ad inviſibilem ſemina ferrentur, quanquam poſſet in omnem animam ſine auditu corporis ſuam immittere doctrinam. Verumtamen

Matth. 13. Marci. 4. Lucæ. 18.

tamen quod per linguam ſtatuit ſeminare, per aurem voluit ad animam deferri, Poſt imaginem ſatoris, imaginem ſeminationis adjecit. *Et dum ſeminat, aliud cecidit ſecus viam, & conculcatum eſt, & volucres Cœli comederunt illud. Aliud cecidit ſupra petram ſeu in petroſa, ubi non habebat terram multam, & continuo exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ. Sole autem exorto, æſtuaverunt. Et quia non habebant radicem, aruerunt, ſeu natum aruit, quia non habebat humorem.* Aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ ſuffocaverunt illud. Aliud cecidit in terram bonam, & attulit fructum, aliud centeſimum, aliud ſexageſimum, aliud triceſimum. Qui habet aures audiendi audiat. Et accedentes diſcipuli ejus, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Et cùm eſſet ſingularis, interrogabant eum duodecim, qui cum eo erant, quæ eſſet hæc parabola. Quibus ipſe reſpondens, dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem non eſt datum, ſed in parabolis. Qui enim habet, dabitur ei & abundabit, qui autem habet, id quod non videtur habere, auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt neque intelligunt, ut impleatur in eis prophetia Iſaiæ dicentis: Auditu audietis & non intelligetis, & videntes videbitis & non videbitis. Incraſſatum eſt enim cor populi hujus, & auribus graviter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando oculis videant & auribus auditant & corde intelligant, & convertantur & ſanem eos, & dimittantur eis peccata. Veſtri autem oculi beati, quia vident, & aures veſtræ, quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi prophetæ & juſti cupierunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: Et audire, quæ vos auditis, & non audierunt. Vos autem audite parabolam ſeminantis. An neſcitis parabolam hanc? Quomodo omnes parabolas cognoſcetis? Hæc eſt autem parabola: Semen eſt Verbum Dei. Quod autem ſecus viam, omnis qui audit Verbum regni & non intelligit. Deinde venit malus Satanas diabolus, & tollit Verbum de corde eorum, ne credentes ſalvi fiant. Nam qui ſupra petram, hi ſunt, qui cùm audierint, cum gaudio ſuſcipiunt Verbum, ſed & hi radicem non habent, ſed & temporales ſunt, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Facta autem tribulatione & perſecutione propter Verbum, continuo ſcandalizantur. Quod autem in ſpinis cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & à ſolicitudinibus & divitiis & fallacia ipſarum, & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur, & ſine fructu efficitur. Quod autem in terram bonam, hi ſunt, qui in corde bono & optimo audientes Verbum retinent, & fructum afferunt in patientia, aliud triceſimum, aliud ſexageſimum & aliud centeſimum. Arrogantiam melioris additionis exiſtimavi, ſi quis quod Salvator expoſuit, vellet exponere, niſi fortaſſis expoſitio crederetur aut eſſet obſcurior, ut etiam ipſa declarationibus indigeret. Sed nec expoſitio dici poſſet, ſi ſupra quod ſternitur, non producit in lucem, aut ſupra id, quod litera continet, evidendiorem ſententiam non facit. Quid igitur? Si diſſertio Salvatoris ſuper parabolam ſeminantis ipſam producit in lucem, clareſcereque amplius facit, vera expoſitio eſt. Quod ſi expoſitio eſt, quid amplius ipſam exponere tentabimus? Si autem expoſitio non eſt, cur ad divina retulit parabolam ſeminantis? Audaciter dixerim veram eſſe expoſitionem, nullamque meliorem. Sed nec ſuper ſtramentum expoſitionis præſumpſerim aliud inducendum, ſed ſuper expoſitionem declarationem apponere, propter tardiores intellectus non incongruè cogitavi, dum verba poſita inter ſtramentum & expoſitionem prius intellectibus pateant. Cùm Salvator parabolam compleviſſet, antequam interrogâtus exponeret, dixit: *Qui habet aures audiendi audiat.* Ubicunque hoc Verbum in ſcripturis divinis ponitur, excitatio eſt mentis ad intelligentiam myſteriorum, quod non fit, dum Simplex eſt doctrina, ſed dum traditur ſub myſtica forma. Unde qui habet aures audiendi id eſt animæ potentias ad intelligendum aptas, audiat, id eſt, taliter apponat, ut quod myſticè vel parabolicè profertur, intelligat. Nulla homini fruſtra eſt data potentia: Væ! qui quod accepit, non deducit in debitum actum. Initium diſſimulari à Deo, eſt ſegnem in virtutibus interioribus fieri, ſecundùm enim ipſas ad Dei imaginem factus eſt homo. Hinc ſpiritus in intellectum veritatis velatæ à Domino excitatur. Qui habet aures audiendi audiat. Diſcipuli autem videntes, quod turbis in parabolis loquebatur, proprius ad Dominum acceſſerunt, velut qui familiarius aderant, & dixerunt ei: *Quare in parabolis loqueris eis?* Æſtimantes turbas tardiſſimi intellectus neque capaces velatæ doctrinæ. Et cùm eſſet ſingularis ſecretus à turbis,

Iſaiæ 6.

turbis, interrogabant eum duodecim, ſcilicet quos ſingulari privilegio Apoſtulos nominavit, ſi quæ eſſet hæc parabola. Unde patet ipſos ſimul cum turbis ab ignorantia fuiſſe detentos. *Quibus ipſe reſpondens, dixit: Vobis datum eſt noſſe myſterium regni Dei, cæteris autem in parabolis.* Multa hic dubia quærenda concurrunt, quamvis in evangelica ſcriptura nullum ſit dubium, quæ prætermittentes ad Salvatoris explicitam ſententiam attendamus. Datum erat Apoſtolis cognoſcere myſterium utriusque regni Dei, ſcilicet militantis & triumphantis eccleſiæ ſive in parabolica, ſive in ſimplici & aperta doctrina, & hoc ſpeciali prærogativa ejus, qui Apoſtolos ſic elegit. Subnectantur hic menta. Nullus præſumat, ſi accepit ab eo, qui dedit. Nullus exultet inaniter in his, quæ à ſeipſo non habuit. Nullus deſperet, ſi donum in hac vita ſuperrogationis non habet. Paucis ſiquidem datum eſt, & non merito recipientis, ſed providentia & largitate donantis. Novit Chriſtus quæ, quibus, quando, quamobrem velit ſua dona concedere. Nemo adverſùs largitorem aliqua ratione canſetur, nam creditor, non debitor jure factus eſt nobis. Non omnes habent notitiam ſcripturarum, non omnibus revelata ſunt myſteria Chriſtiana. Non omnibus data eſt claritas intelligendi, nec omnibus diſſerendi eſt tributa facultas. Nec tamen carentibus adeſt ratio querendi, dum ſolum in dando ſit ratio largiendi. Sed bona eſt notitia regni Dei, melior applicatio ſuiipſius ad regnum. Bonus propter illam, ſed propter iſtam beatior. Sed cùm dicit, cæteris autem in parabolis, creditum minoris cognitionis inſinuat. Cæteri ſunt omnes, qui ab Apoſtolis, & eorum ſimilibus ſunt ſecreti, qui non merentur, niſi ſub velamento audire divina myſteria. Et velamen ſemper fuit ſuper cordibus Judæorum, quòd Moyſi velata facies figuravit, præterquam in his, qui fide non ficta venerunt ad Chriſtum, ad quem cùm acceditur, auferetur omne velamen. Et ipſis quidem Apoſtolis qui propius acceſſerunt, fuit ab ipſo aperta parabola. Nam & in veteri teſtamento omnia, quæ in tabernaculo fœderis erant, cùm caſtra moverentur, ab Aaron, & abhis, qui in tabernaculo ſerviebant, involvebantur, nec videbantur à populo, etiam nec ab his, qui in propriis humeris deferebant, obvelandi ratio non modica tunc erat, ſcilicet ne morerentur, nunc ſiquidem neque minor. *Qui enim habet, dabitur ei & abundabit, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.* Hìc in parabolis loquendi ratio videtur conſiſtere, ut ei, qui habet, plus detur: & ei, qui non habet, & quod videtur habere auferatur. Nemo exiſtens dicitur non habere, ſaltem habet eſſe, quod eſt. Sed hoc, quòd Salvator dicit habere, quod ſi ſunt dona naturæ, ſint dicata juſtitiæ atque cultui Deitatis. Nemo juſtè habet, quod habere videtur, niſi dirigat in poſitum finem, ut qui habet bonam voluntatem, dabitur ei & bene agendi facultas. Et qui habet originalem juſtitiam, dabitur ei & legalis. Habenti juſtitiam legis, adderetur juſtitia fidei & gratia evangelii. Et qui poſſidet amorem ſciendi, dabitur ei ſtudium Chriſti. Studium exercenti, datur gratia intellectus. Habenti intellectum, dabitur ſapienna. Sapientiam habenti Chriſtianam æterna gloria tribuetur. Et ut ordine perſpicaciori procedam, dixerim: Qui enim habet timorem, dabitur ei pietas, & abundabit in illa ſupra id, quod habebat. Qui habet pietatem, dabitur ei ſcientia, & tripliciter abundabit. Habenti ſcientiam, fortitudo tribuetur, & quadrifaire abundabit. Fortidudinem poſſidenti, conſilium tribuetur, & per quinque ditabitur. Hæreditanti conſilium, adjicietur inviſibilium intellectus, & ſenaria perfectione gaudebit. Intellectu fultus accipiet ſapientiæ complementum, & abundabit in vera intelligentia ſcripturarum & divinarum rerum. Qui verò ſic, & iſta non habet, degradabitur ab eo, quod habere videbatur, & ut nihil amplius mereatur. Hanc profectò ſententiam experientia ſubſequa confirmavit, nam Judæis verum amorem & zelum legis habentibus & veram fidem Chriſto præſtantibus, cum lege atque intelligenria veteris teſtamenti evangelica gratia eſt tributa. Iſtis verò carentibus, omnis vera ſcripturarum ſcientia eſt ablata, privatiqúe ſunt dignitate ſacerdotali & regia, & miro templo civitatèque ſancta, ut etiam vagi & perfugi ſedibus incertis ubique ferantur. Matthæus verò rationem, quare in parabolis locutus ſit, ponens, Iſaiæ teſtimonio roboravit, dicens: *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt.* Videre ſe credebant: & audire obedienter verba legis, ſed non audiebant: & intelligere ſe putabant, ſed non intelligebant. De ſeipſo præter inhærentem virtutem opinari, ſimilitudo eſt primi peccatoris, cùm taliter opinanti juſta debetur damnatio. More ſomniantium imaginantur ſibi divitias, qui id, quod non habent, habere ſe credunt. Teſtimonium Iſaiæ quod hic introducitur, ſeipſo clarat, quod in confuſionem Judæorum

fuerit prophetatum, quanquam plangendum ſit fontibus lachrymarum, quoniam ad nos Judæorum vitia tranſierunt, quoniam audivimus, & intellectu gratifico non intelligimus divina nobis commendata myſteria. Et nec videmus cum oculis illius prudentiæ, qua nobis prodeamus ad inirantſitorium regnum, ſed ad agenda perfunctoria hujus ſæculi oculis lynceis intueamur. Incraſſatum eſt cor noſtrum abundanti malitia, & terrena delectatione obeſum, ut præterquam terrenum nil divinum ſapiat, nil præter id, quod ſenſum demulcet, aſpiciat. Et graviter audimus verba divina, quæ noſtram perverſitatem arguunt, graviter toleramus ea, quæ nos ab hoc mundo divellunt, necnon & ingratè ſuſcipimus, quæ ſuperna promittunt, quæ, ne deſcendamus ad inferos, cautos efficiunt, ut ex pertinaci ignorantia, & contumaci inobedientia in hoc tempore non convertamur, ut in æternum ſanemur. Sed ad differentiam præteritorum beatos Apoſtolorum oculos appellavit, videntes quæ priſci videre nequiverunt. *Vos autem audite parabolam ſeminantis.* Et excitans eos ait: *Neſcitis parabolam hanc, & quomodo omnes parabolas cognoſcetis?* Acſi apertè dicat: Si hanc parabolam, quæ nimis obvelata non eſt, non cognoſcitis, quomodo alias cognoſcetis, quæ fortè habebunt obſcuriorem in pluribus intellectum? Et ſe Dominus ad exponendum coaptat, dicens: *Hec eſt autem parabola,* Sic intelligitur, quod per ſimilitudinem humanarum actionum dictum eſt, maximè ad hoc refertur parabola ſeminantis. *Semen eſt Verbum DEI.* Quoniam multiplex invenitur ſemen in ſacris ſcripturis, idcirco ſemen hujus ſationis diſtinxit à cæteris per antonomaſiam. Nam eſt ſemen, quod evenit ex humanis membris, ut in pluribus ex concitatione libidinis, quanquam in ſanctis patribus fuiſſet commotum deſiderio procreandæ prolis. Genes. 38. De quo dicitur, quod Ona ſemen ſuum fundebat in terram, ne liberi fratris nomine naſcerentur. Unde à Domino pecuſſus interiit: quoniam illud ſemen præterquam in connaturale vaſculum mediante DEI lege non eſt ejiciendum. Quod ſi quis à propria malitia devictus aliter fuderit, ex multatione hujus ſceleris agnoſcat quam culpam ipſe commiſerat. Sæpe punitio monſtravit ſcelerum qualitatem, ſimiliter & quantitatem. Levit. 15. De quo etiam Levitici dicitur: Vir qui patitur fluxum ſeminis, immundus erit. Et ibidem: Vir, de quo egreditur ſemen coitus, lavabit omne corpus aqua. Et alibi: Qui ſemine fluit, pollutus eſt. Ex quo ſemine homo generatur, ſi ex nulla parte hujuſcemodi generationis ordo confunditur. Etiam nomine ſeminis omnis hominum propagatio intelligitur. Unde dictum fuit decipienti ſerpenti: Inimicitias ponam inter ſemen tuum & ſemen illius, ut per ſemen Evæ omnis hominum generatio intelligatur, cui inſidiatur hoſtis antiquus. Seminis appellatione unus populus intelligi ſolet ab uno homine progatus, juxta illud Nehemiæ: Separatum eſt ſemen filiorum Iſrael ab omni alienigena. Et Iſaias dicit: Laudabitur omne ſemen Iſrael. Iſaiæ 45. Et ſpecialem unius hominis ſobolem ſcriptura ſemen appellat, juxta quod dicitur: Homo de ſemine Aaron, qui habuerit Levit. 21. maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus. Seminis etiam nomine intelliguntur omnes, qui malos in vita & moribus imitantur, ſicut Pſalmiſta dicit: Semen impiorum Pſalm. 36. peribit. Et Iſaias hujusmodi ſemini maledicit: Væ ſemini nequam. Et omne in Iſaiæ 1. terra jactabile, ut mortuum primo, deinde fructum proferat, ſemen eſt, ſicut Dominus: Germinet terra herbam virentem Geneſ. 1. & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Sic etiam in his, quæ ſpiritualiter aguntur, ſeminis appellatio invenitur. Eſt quippe ſemen ipſa juſtitia, ſecundùm quam eſt omnino vivendum. De quo Salomon ſimiliter commonens ait: Seminanti juſti- Proverb. 11. tiam merces fidelis. Juſtitiam ille ſeminat, qui ſic vivit, ut jure reprehendi non poſſit: quoniam nihil reprehenſibde juſtitia poſſidet, quæ de ſua ditione prava etiam recta facit, nec exorbitat ab eo, quod agendum accepit. Seminat juſtitiam, qui rectè vivendi exempla videntibus, atque poſteris derelinquit. Et qui vivo verbo vocis alios ad ipſam intelligendam & amandam atque exercendam erudit: hujusmodi ſatori merces fidelis eſt, quoniam fidelis eſt, qui fallere non poteſt, qui juſtitiæ præmium ſtatuit: quoniam juſtus Dominus juſtitiam dilexit, cujus ſatorem præmiare decrevit. De quo ſicut confidenter Apoſtolus loquebatur, dicens: Scio cui credidi, & certus 2. Tim. 1. ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem. Et ibidem: De reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quia juſtitiam ſeminavi, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus judex. Et præmium juſtitiam ſeminantium etiam Danieli revelatum eſt. Qui ad juſtitiam erudi-

erudiunt multos quasi stellæ in perpetuas æternitates. Similiter & iniquitas & omne commentum ejus, cùm ab uno in alium per verba seu per actionem diffunditur, nomine seminis appellatur. Sic profectò
Proverb. 22. per Salomonem dicitur: Qui seminat iniquitatem metet mala. Nam sicut seminanti justitiam merces fidelis, sic seminanti iniquitatem pœna tribuetur infallibilis. E regione siquidem iniquitas seminari dicitur, sicut ipsa justitia seminatur. Et homo apostata in omni tempore jurgia seminat. Homo apostata, qui à virtute recessit, qui statim jurgiorum satot efficitur, ut nullo modo, ubi
Proverb. 6. fuerit, quiescat. Et discordiam seminans, in odio dominico constitutus, est digna recepturus, nisi fuerit digna correptione præventus. Et quæcunque seminaverit homo,
Galat. 6. hæc & metet. Et qui seminat in carne, de carne metet corruptionem. Semen autem, de quo hic Salvator intendit, est Verbum DEI, quod est veritas, quia sermo ejus veritas est. De cujus potentia seminis Psalmista proclamat: Potens in terra erit semen ejus. Potens in terra est penitus DEI Verbum, quo elementa in Sacramenta transeunt, quo divinis humana sociantur, quo ipsa corruptibilia
Psalm. 111. divina efficiuntur. Potens in terra semen ejus, scilicet DEI Verbum, quo mutantur hominum voluntates, cujus potestate relinquntur terrena, animo fides infunditur, effugiunt dæmones, & infirmitates curantur, cujus potentia & virtute sustinentur homines, ne patiantur
Isaiæ 1. exitiale periculum. Hinc Isaias clamat: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus. Et quamvis de paucis relictis in populo scriptura prophetica dicat, typicus tamen sensus canonicè hoc importat. Multa & germana similitudo Verbi DEI ad semen, quod jacitur in terram, existit, sicut Marcus in sequenti similitudine manifestat, sed ita in cordibus auditorum fuit diversa seminatio verbi, sicut seminis tritici super terram. Semen, quod cecidit secus viam, conculcatum à transeuntibus extitit. In corde hominum velut in publica via transeunt humani affectus, qui sunt ad seipsos plus debito compassivi, & ad carne conjunctos & ad notos, ad quos postposita virtute Christianitatis afficimur. Et cùm auditur verbum regni, non apprehenditur in intellectu, nec ad illud animus humanus afficitur, ab humanis affectibus conculcatum. Deinde venit malus non natura, sed vitio Satanas, videlicet adversarius DEO & hominibus diabolus animam & corpus devorare satagens, & tollit Verbum de corde hominum, ne credentes salvi fiant. Hoc alia expositione non indiget, sed quomodo venit & tollit, differere opus est. Quis adventus diaboli ad cor nostrum. Unde venit, qua venit, quomodo tollit, cùm cor nostrum non in potestate dæmonum, sed in DEI & ipsius hominis potestate consistat. Quòd venit, & quare venit, scilicet ut tollat, Salvator expoluit, sed quis, unde, qua, quomodo, omnino non posuit. Secretum est cor nostrum, quòd solus DEUS intuetur. Dæmones aut homines ipsum intuen non possunt, nisi ea, quæ in ipso sunt, cum signo vocis, & operis foris ostendimus. Quis ergo diaboli ad animam, aut cor nostrum adventus? Non credatur ipsius maligni spiritus subitantiam venire ad cor aut in animam ingredi, sed cùm per signum exterius aliquem deprehenderit perperam affici, venit usque ad corporis sensus, & objecta forinsecus, ut humano placito plus debito insistente diabolus adveniisse credatur, qui seipso delectatus plus debito à DEO factus est alienus. Nec aliunde venit, aut à loco movetur, qui locum non occupat, sed omnibus continuus & imprætermissus insidiator existens, tempus & varietatem hominum captat, ut possit insurgere. Attamen illa via venit, in quam cognovit animam inclinari & obliquari, per recessum ab his, quæ potiora sunt. Et tollit Verbum non ad se illud trahens, aut utilitate sua, sed illud divertit ab anima, ne ab eo irrigata fœcundetur ad fructum supernæ vitæ, velut si quis aquæ irriguum per invidiam ab alicujus horto diverteret ne fructificaret ad melius. Aut sic animam in humanis placitis occupat, ut verbum regni ab illa per oblivionem excludat. Intentio autem hujusmodi nequissimi protinus in hac tota consistit, ne homines salvi fiant. Et torquentur nunc invidia, ptius dejecti superbia, & agunt sæviter & insidiosè in nos, ne illas quas amiserunt sedes, Christo credentes sub ipso humiliati capiamus. Defectum seminis aliæ partis, quòd non verè fructificavit, Salvator provenire posuit ex radice, & quia temporales erant. Quæ autem sit ista radix, qua deficiente jactum semen ad fructum non venit, sacra scriptura manifestat. Nam radix sapientiæ
Eccl. 6. est amare DEUM. Timor quidem Domini fundamentum est Verbi. Etenim Verbum DEI sapientia est. Et sapientia DEI per Verbum innotuit. Timor siquidem Domini Verbo DEI præstat humorem, ut radi-

radicetur, ut in alta consurgat, ut tribulationibus omnibus non cedatur, ut scandalum non obveniat. Temporalitas etiam defectum accumulat, quoniam non pro æternis insudat. Temporales nempe illi sunt, qui ea, quæ tantùm hujus temporis sunt, sapiunt, qui hoc mundo uti delectantur, qui pro ipsis perditis affliguntur, qui, ut acquirant, semper satagunt, & DEUM acquirendo postponunt, qui, ut ea non amittant, virtutes amittunt. Etenim temporalitas ad seipsam reflexa in verbis regni non stetit, quoniam deprimebat eam, atque æternorum promissionem turbabat. Si enim in æternitatem transire voluisset, ut erat suasio verbi regni, seipsam contempsisset, & in omnibus fuisset æquanimis. Radicem non habere temporalemque manere à regni verbo deficit. Defectum tertiæ partis feminis ita Salvator aperuit, ut alia declaratione non egeat. Sed væ! illis, qui dormire sub sentibus delicias putant, væ! illis, qui volutantur in spiniis, væ! divitibus hujus sæculi, qui spinosi sunt. Coronam namque spineam pungentem caput Domini plectunt, veruntamen & ab illa in examine justo punientur. Quartæ partis jacti seminis fructum trifarium clarè Christus edixit, ut alio non sit opus, nisi velimus appropriare tricesimos & sexagesimos atque centesimos fructus, quod relinquimus humilibus tractatoribus scripturarum. Veruntamen hoc cordibus omnium infigatur, quod sine fructu patientiæ nemo fructificat in salutem. Idcirco illam ad dissertionem hujus parabolæ Salvator apposuit, ut patientia, in qua fructus affertur, sit tolerantiæ & expectationis. Et patientia, inquit Jacubus, opus perfectum habet. Jacobi 1.

Cap. III.

De parabola tritici & zizaniorum ad comparationem bonorum & malorum, secundùm Matthæum & Marcum.

SUbnectit aliam parabolam seminantis & seminis in assertione suæ bonitatis, & superinductæ malitiæ operæ pravæ voluntatis, dicens: *Simile factum est regnum cœlorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cùm autem dormiret, venit inimicus ejus nocte, & superseminavit zizania in medio tritici, & abiit. Cùm autem crevisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania.* Matth. 13. Marcus verò serioſius hoc insinuare videtur, dicens: Simile est regnum Dei quemadmodum si jaciat homo semen in terram & dormiat, & exurgat nocte ac die, & semen germinet & increscat dum nescit ille. Marci 4. Ultro enim terra fructificat. Primum enim herbam, deinde spicam, demde plenum frumentum in spica. Et cùm ex se perduxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. *Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Unde ergo habet zizania? Et ait ille: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis imus & colligimus ea? Et ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, & alligate in fasciculos ad conburendum, triticum autem congregate in horreum meum.* Similitudo ista quodammodo personalis est facti, quam multi connati sunt adversus hæreticos nomine zizaniorum interpretari, sed dicentis expositio limitat, ne aliter quam ipse interpretatus est, declaremus. Quoniam discipuli ejus dimissis turbis accesserunt ad eum, dicentes: *Edissere nobis parabolam tritici & zizaniorum agri. Qui respondens ait: Qui seminat bonum semen est filius hominis: oger autem est mundus: bonum verò semen hi sunt filii regni: zizania autem filii nequam: inimicus autem, qui seminat ea, est diabolus. Messis verò consummatio sæculi est. Messores autem angeli sunt. Sicut ergo colliguntur, & igni conburuntur, sic erit in consummatione sæculi. Mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem. Et mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc justi fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. Qui habet aures audiendi, audiat.* Non debet ad aliud ista similitudo transferri, nec potest servata intentione dicentis, præterquam ad quod posita est. Etenim cùm omnis interpretatio sermonum, atque verborum spectat Matth. 13.

ſpectat ad eum qui edidit, & interpretatio legis ad eum, qui poſuit, ſi primo ipſe interpretari voluerit. Quod ſi fecerit, omnis alia vacabit interpretatio, & protinus erit impertinens. Si verò ſermonibus, verbis & legis decretis poſitis tacuerit conditor, tunc interpretabitur lector, id ſingulariter, & præcipuè ſervans, ut in intentionem veniat primo condentis. Omnium enim quarumcunque ſcripturarum fatiſcentium ſcrutatorum hic eſt optimus canon, ut primo ſcribentium intentionem, quantùm ingenii facultas poteſt, inveniant, non dantes ſcripturæ alienæ conceptum in animo, ſeu proprium intellectum, quod ſæpe fecit errorem, ſed illum à ſcriptura capientes quem continet. In ſcripturis ſiquidem divinis interpretator eſt Spiritus Sanctus in cordibus fidelium, quoniam ipſe ipſarum eſt conditor. In ſcriptura etiam evangelica ſic Chriſtus interdum eſt locutus, ut alia interpretatione non egeat, ſicut in ſimpliciter dictis adverſùs vitia, & in aſſertione virtutum, & in comminatione pœnæ, promiſſioneque gloriæ. Interdum in virtute Spiritus Sancti poſteris dereliquit, interdum ea, quæ videbantur obſcura, ipſa declaravit velut in iſtis duabus de ſatione parabolis, quarum prima jam tradita, iſtam etiam in ſenſum alium non diverſens, ea tamen, quæ intellectum clariorem rudibus faciant, duntaxat dictaturus adve nio. Creator omnium DEUS bona cuncta creavit, & creatione perfecta creata conſpexit, non alio intuitu facta quam facienda conſpexerat. Et ſcriptura dicit: Genes. 1. Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona, ſcilicet duplici bonitate, naturæ & naturarum. Naturæ quidem omnium æqua bonitas, eo quod ſunt: naturarum verò, quia præeminentia & ſubalternatio eſt in eis. Igitur ſator bonus, & ager bonus, & ſemina bona ſunt. Quid ergo malum, unde, qua, quomodo intraverit in creatam bonitatem, non modica quæſtio eſt, nec nova, ſatis & acutè à doctoribus præcedentibus inquiſita, ut etiam hic meritò taceatur. Sed boni ſeminis ſator eſt Filius Hominis, humilitatem inſinuans ac etiam initians à ſeipſo Salvator omnium Chriſtus, qui non ſe à forma DEI, ſed à forma ſervi Filium Hominis appellavit, qui cùm in forma DEI erat, miſſus eſt non creare, ſed ſeminare creatos in hoc mundo, qui ſuus & totus eſt ager, in quo ſemper aliquid egit ab eo, quo ipſum creavit, & agit, & aget quousque incognito nobis termino finiatur. Meritò

B. Sim. de. Caſſia Com. in IV. Evang.

ager mundus, quem ipſe fecit, in quo etiam egit mirabilia magna ſolus. In quo etiam pater operatur & ipſe. Nam teſta- Joan. 5. tus eſt: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Cujus bonum ſemen ſunt filii regni, qui ex ſeipſis ſemen non ſunt, ſed cùm ſemen, quod eſt Verbum DEI, activè & contemplativè ſuſcipiunt regni DEI ſemina nominantur. Proinde Salvator illam ſimilitudinem pertulit, in qua ſemen Verbum DEI eſſe prædixit. Et ideò dicuntur ſemen filii regni, quia ſemen recipiunt, quod eſt Verbum DEI, ut filii regni fiant per gratiam, non per naturam. Quos tunc Chriſtus ſeminat, cùm per ſeipſum, aut per ſuos prædicatores verba ſeminando vocat. Tunc ipſi ſemina fiunt, cùm divina verba ſuſcipiunt, & ſeminati per Verbum in agro hujus mundi facti ſunt filii regni, nondum illius, in quo electi triumphant, ſed illius in quo multis probationibus exercentur. Non enim inter triumphantes, ſed inter militantes poſſunt ab homine inimico ſeminari zizania. Ne autem quispiam dubié moveatur homines bonum ſemen aut malum vocari debere, audiat Eccl. 10. ſcripturam dicentem: Semen autem hominem honorabitur hoc, quod timet DEUM, ſemen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Dei. Semen quippe quod honorabitur, filii ſunt timentes DEUM, docti ex ſemine Verbi DEI. Quòd autem exhonorabitur, ſunt zizania à diabolo ſuperſata, ſcilicet filii nequam, qui DEI timore carentes ejus mandata Iſaiæ 41. prætererunt. Et ad domum Jacob per Iſaiam dicitur. Utinam! attendiſſes mandata mea, & fuiſſet quaſi arena maris ſemen tuum. Ecce, quòd homines ſemen vocantur, ecce, quòd per cuſtodiam mandatorum DEI, filii regni efficiuntur, & multiplicantur. Mandata ſiquidem DEI, Verba ſunt DEI, quæ, qui ſuſcipiunt ſemina in agro hujus mundi, ſunt filii regni, militares exiſtunt, donec in regno æterno ſuſcipiantur, ubi ſcandala nulla conſiſtunt. De his etiam per eundem ſcriptum eſt: Iſaiæ 53. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum. Acſi apertè dicat: Si Filius Hominis, qui ſeminavit in hoc mundo filios regni, pro peccato humani generis voluerit vitam ponere, quod & fecit, videbit ſemen longævum hoc eſt ſemen ſuum in regno perpetuo duraturum. Et cùm de ſuis electis Dominus loqueretur, etiam nomine ſeminis inſignivit, Iſaiæ 65. dicens: Electi mei non laborabunt fruſtra, neque generabunt in conturbatione, quia

ſemen benedictorum Domini eſt. Non laborabunt fruſtra electi DEI, quoniam omnia cooperantur eis in bonum, neque in conturbatione generant, quia in patientia mentis fructificant. Non laborant fruſtra electi Dei, quoniam certam reddet Deus mercedem laborum factorum ſuorum. Et per Pſalmiſtam dicitur: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Non generant in conturbatione, quoniam, ſi eis deſuper datum eſt Spirituales Filios generare, hoc eſt gaudium & corona, quod de Filiis ſuis Spiritualibus dicebat Apoſtolus: Itaque fratres mei chariſſimi & deſideratiſſimi, gaudium & corona mea, ſic ſtate in Domino. Quia ſemen benedictorum Domini eſt. Quod ſemen benedictorum niſi ſemen Apoſtolorum per quos mundus credidit, per quos ſemina divina ſuſcepit, unde homines ſunt ſemina Filii hominis facti & Filii regni Dei. Aut ſecundùm aliam translationem, quia ſemen Benedictum eſt, ut hoc alia Iſaiæ aſſertio teſtatur: Omnes qui viderint eos, agnoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus. Sed quæ ſunt Zizania inter ſemina Benedicta, ipſe Salvator edixit: Zizania ſunt Filii nequam, quorum ſator diabolus inimici hominis nomine appellatus. Non derivemus explanationem in alteram partem ab intentione Salvatoris. Sed qui ſunt nequam Filii videamus, magis autem ne noſipſi ſimus utique caveamus. Nequam Filii dici poſſunt omnes, qui ad fidem Chriſti non veniunt. Sed quoniam Chriſtus de ortu novellæ eccleſiæ loquebatur, quæ regnum eſt exercitandæ militiæ, cujus Filios ſeminavit novitios Apoſtolos per Verbum ſeminis ejus, qui Spiritus promitias habuerunt, & ipſi ex Chriſto ſatores etiam facti ſunt, qui euntes & flentes miſerunt ſemina ſua: homines plurimos ſemina fecerunt, & regni Filii facti ſunt, inter quos ſunt à diabolo Zizania ſeminata, quæ à Salvatore Chriſto Filii nequam dicuntur, quos alios eſſe non dixerim niſi hæreticos, aut poſt fidem ſuſceptam quomodolibet peccatores, de quibus per ſingula velle differere, ipſa prolixitas animos fatigaret. Unum tamen de omnibus aſſeram, quod omnes hi ſunt Filii nequam, qui firmant ſibi ſermonem nequam. De quibus per Pſalmiſtam dicitur: Firmaverunt ſibi ſermonem nequam. Firmant ſibi ſermonem nequam omnes credentes ſuggeſtioni ſataniæ, blandiciis mundi, deliciis carnis, ſenſuali & humanæ doctrinæ, ſermoni terrenti à veritate, ſeu à virtute hominem avertenti, & mores proprios hujuſcemodi conformantes. Inimicus homo diabolus eſt, non quia diabolus homo, aut homo diabolus natura ſit, ſed officio pravo & ſimilitudine mala. Nam & de Juda Salvator ipſe dixit: Nonne duodecim vos elegi, & unus ex vobis diabolus eſt? ut homo diabolus, & diabolus homo, ex malitia meritò dici poteſt. Cujus operatione, quia malus, quia Satan, quia diabolus, efficiuntur Filii nequam, non efficiendi poteſtate, ſed aſtutia ſuggerendi. Non enim poteſt mutare ſubſtantiam, ſeu naturam, neque cujuſpiam voluntatem, quamvis permittente Deo ſuggerendi & ſuadendi habeat poteſtatem. Non enim actione perſonali diabolus nequam Filios ſuperſeminavit inter Filios regni Dei, ſed cum inviſibiliter fallit, falſum pro vero miniſtrans, aut cùm timore plus opprimit, aut cùm perverſo amore ad non diligenda inflectit, aut plus accendit in minimis, aut cùm extinguit ignem amoris in magnis. Et in ſuperiori parabola diabolus dicitur tollere Dei Verbum de corde, ne credentes ſalvi fiant: In iſta verò dicitur in ſationem Chriſti malum ſerere Verbum, ut homines Filii nequam fiant. Inimicus Chriſti eſt, & conatur adverſari actionibus ejus, & omnium ſervorum ejus importunus & inſidioſus eſt hoſtis. Et plus ſatagit ſubvertere, quos tinxit aqua baptiſmatis, & eos, qui Evangelico eruditi ſunt Verbo, quàm eos, qui nondum fidem dominicam & doctrinam Evangelicam ſuſceperunt: Semper enim delectatur majorem poſſe inferre ruinam. Abſorbebit enim fluvium, & non mirabitur, habet fiduciam enim quod Jordanis influat in os ejus, ſcilicet devorare cupiens in fide eruditos: Et ſciens eorum majorem eſſe jacturam, & Chriſti majorem injuriam, ſi ab ipſo poſſit eos avertere. Difficilis eſt ad cavendum, qui præterquam à magnis & in virtute circunſpectis, niſi cùm percuſſerit, non ſentitur, nec in ſuis proceſſibus cognoſcibilem notam facit. Tempore pacis ſæpe ſuis pilis interficit. Incautorum nullus effugiet arcum doloſum ejus, nec declinabit ſagittam pharetræ illius, niſi ab inhærente virtute fuerit loricatus. Meſſis conſummatio eſt Sæculi, contra eos, qui præſumpſerunt dicere, quod ſic non finietur Sæculum, quorum falſam opinionem ſua ſententia Salvator abegit: Nam ſi Sæculi conſummatio non eſſet, non ſic ante conſummationem omnia quaterentur, nec homini morituro

Pſalm. 127. Phil. 4. Iſaiæ 63. Iſaiæ 63. Pſalm. 125. Pſalm. 63. Joan. 6. Joan. 4. Job. 40.

toc

tot infirmitates, quæ ſunt mortis præambula acceſſiſſent, niſi quia omnino eſt morte ſolvendus. Superfluum eſt Sæculi conſummationem exemplis afferere, aut ratione, ſuper omnia cogit credere patrona ſententia Salvatoris. Meſſores in fine Sæculi ſunt angeli. Et mira divinæ providentiæ diſpenſatio, quod ſint meſſores, qui nunquam fuere ſatores. In agricultura ſæpe contingit, quod, qui ſerunt, ſimiliter & metunt. Hic ſiquidem ſator, eſt Filius hominis, & Apoſtoli, & omnes doctores, qui venerunt in nomine Sancto ejus. Meſſis tamen in fine Sæculi non eis, ſed ſpiritibus angelicis tribuetur exercenda, qui ſemper cives in ſuperis, nunquam in hoc mundo ſemen Verbi Dei ordine à Chriſto tradito ſeuerunt, ut Filios regni facerent, quanquam multa & magna in hac vita perficiant juſſu Domini in obſequium electorum. Sed hoc ideo fide pia fieri dixerim, ut metant in fine Sæculi bonos & malos, quorum ſimilitudinem geſſerunt in vita boni homines ſuper terram, cum eis æternè ſociandi, mali verò diſſimiles facti ab eis includantur in illis tetralibus locis, in quæ apoſtatæ Angeli merito eorum ſuperbiæ ceciderunt. Totum verò, quod ſequitur in hujus expoſitione parabolæ, adapratio eſt ipſius. Quòd verò dixit, qui habet aures audiendi, audiat: Hoc eſt dicere, qui audit, intelligat ad ſcientiam, ut adhibeat cautelam, ne cedat in partem Filiorum nequam, quorum eſt ſic à Domino determinata damnatio, ſed aſſumatur in ſortem Filiorum regni, quorum Chriſto miſerante certa erit cum Angelis exultatio. Sed quoniam in prima editione parabolæ plura ſunt poſita quæ non ſunt in explanatione differta, libet comicè ad mentem reducere, ut tota parabola pateat, quæ divinam actionem & patientiam & juſtitiam monſtrat. Nam dormiere hominem (quod Salvator omiſit exponere) inadvertentia eſt periculorum & incautela, contra inviſibilium hoſtium incurſum & culpata quies in lecto intexto funibus peccatorum, & ſtrato tapetibus ignorantiæ, atque vanitatum mundi depictis coloribus, & aſperſo illa ſuavitate odorum, qui interiorem olfactum à virtute veræ diſcretionis avertunt. Ex qua dormitione, quæ mala fuerint ſubſecuta, ſacram ſcripturam, qui voluerit invenire, percurrat. Nam dormiens Noe nudatus eſt, acſi omnem verecundiam abjeciſſet: Loth ſoporatus commiſit inceſtum. Dormiens Samſon viribus privatus eſt. Dormientibus Iſboſet & ancilla oſtiaria domus, ipſe à principibus latronum interfectus eſt. Capite dormiens truncatus eſt Holofernes. Et nocte hujus peſſimæ dormitionis ſunt ſuper bona ſemina Zizania ſeminata. Et nocte hæc permixtio facta eſt, quia cùm lux veritatis abceſſerit ab hemiſphæno mentium humanarum, quæ ſunt divinæ voluntati contraria nobisque damnoſa ſeminantur. Medium verò tritici eſt modeſtia inter utranque partem, quam diabolus nititur maculare, ut maculato medio, in quo ſolidæ virtutis eſt ſedes, cætera tunc à fundamento deficiant. Abire verò ſuperſeminantis doloſi demonſtrat impotentiam commorandi & efficiendi quod cupit. Non enim poteſt intantum homines occupare, quin eos libero arbitrio uti ſinat, & quin eis potentia remaneat evadendi & extirpandi noxium ſemen, ac malè ſuadentis conſcriptionis pacta confringere. Quòd autem crevit herba & fructum fecit, & tunc Zizania apparverunt, hoc affirmaverim, quia ea, quæ ſunt bona, ex natura creſcunt, & ſimiliter ex ſtudio, quæ verò mala ſunt, natura non creſcunt, & nunquam noſcuntur, niſi comparatione bonorum, nec enim habent exiſtere præterquam in bonitate naturarum. Supponit enim malum naturarum bonitas, non tanquam accidens proprium, ſed impertinens & importunè adjectivum. Neque ſupponit ad perperam actionem, quamvis, cùm fuerit perverſa voluntas, etiam ex mala actione perveniant. Sed quia ipſum per ſe non habet exiſtere, niſi in aliqua bona natura conſiſtat, quam ad exterminium ſi poſſit adducere, ubi conſiſteret non habet. Si verò illam exterminare nequiret, ſed minuere, non cedit in illam partem, quam demit, ſed illa remanet, in quam exterminare non potuit. Ac per hoc hac rei veritate Zizania in medio tritici herba creſcente apparere cœperunt. Acceſſus ſervorum ad patrem familias, ſecura familiaritas eſt angelicæ naturæ ſive humanæ ad patrem omnium Deum, qui ſervis ſuis ad ſeipſum per fidem, per charitatem, & per orationem & contemplationem benigne præſtat acceſſum. Interrogatio verò ex ignorantia & admiratione proceedit, cognoſcentes omnem creaturam ab infinita bonitate completam, & nullam eſſe mali ſubſtantiam, ſed unde irrepſerat ſcire cupientes. Et magna timendi ratio nobis datur, ſi id quod non eſt; quod eſt ex aliqua parte conturbat. Quòd verò volebat illa colligere, zelum ad Deum & ad conſervationem boni naturalis & gratiam omnino inſinuat, ſed intemperatum

& nec ſecundùm ſcientiam, cùm velint ſubitò inferre vindictam. Præſervatio patris familias ex providentia magna proceſſit, ne ſervi neſcientes bene diſcernere, cum Zizaniis extirparent & triticum. Solus novit, qui ſunt ejus, & diſcernendi bonos à malis ipſe dumtaxat habet ſcientiam. Suſtinet Deus in agro hujus mundi malos ſimul eſſe cum bonis propter bonorum exercitium à contrariis, ex quo lucra maxima nanſciſcuntur. Cumulantur merita rectè agentium, cùm congreſſum habent cum pravitate malorum, & probatiores fiunt ipſis ex adverſo ſurgentibus. Necnon & ipſi mali poſſent interdum gratiam conſequi eorum meritis, quos affligunt, & interceſſione illorum, cum quibus in converſatione miſcentur. Porro innumerabiles ſunt converſi ad tramitem veritatis, & divinam ſunt gratiam conſecuti, quorum illico poſt crimen, ſi fuiſſet extinctio ſubſecuta, æterna damna ſubjiſſent. De his in ſcripturis ſacris plurima ſunt exempla, David, Petri, Pauli, Magdalenæ, & multorum ſimilium, quorum ſpectabiles habemus imagines, & ex multis malis multos bonos per generationem carnis ſuſcepit eccleſia, qui per gratiam in Dei filiationem credendo & moribus devenerunt. Divina permiſſio, quod uſque ad meſſem Zizania cum tritico permittantur excreſcere, reſpicit quæ ſupra poſuimus, inſuper & quod ab eo impoſſibile factum eſt, non omnes homines judicari, ut ſi evadant tempore perfunctoriæ vitæ, non tamen finita meſſe auffugium evaſionis habebunt. Omnes enim, qui ad tempus effugiunt humanum judicium, includet divinum. Non enim Deus hic omnia punit, non omnia judicio reſervat extremo. Dei miſericordiam & juſtitiam ſemper apparere neceſſariò factum eſt, ut hic miſereatur, & temporaliter puniat, alibi etiam poſſit miſereri & æternè damnare. Nec enim inſtantaneè præmiando aut puniendo miſericordia Dei atque juſtitia ex tempore apparebunt, ſed æterna duratione manebunt, ut æterna electorum ſalvatio miſericordiam, infinita damnatio juſtitiam monſtret. Collectio prima Zizaniorum à tritico, purgatio eſt bonorum. Boni enim purgati remanent, cùm mali auferuntur ex eis. Nec obſtat hoc, quod in parabola iſta dicitur, quod primo fiat Zizaniorum collectio, illi ſententiæ, qua prius benedicti vocantur ad regnum, & poſt maledicti mittuntur in ſupplicium: Quoniam hic ordo eſt verborum, ibi verò ponitur ordo factorum. Sæpe contingit aliter res dici, quàm fieri, & alio fieri ordine, quàm dicantur, non tamen præjudicium veritati ullo modo infertur, velut in conditione fabrifactoriæ artis præfertur latitudo, altitudo, longitudo, magnitudo domus, aut turris, aut cujuſlibet ædificii, cùm tamen in conſtructione primo fiat congregatio cæmentorum, & ad fundamenta jacienda terra fodiatur. Alligatio indicta faſciculorum ad ſimilitudinem culparum refertur, ut qui ſimilem vitam cum aliis ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in legibus diſciplinam. Et hi more faſciculorum ſimul colligentur in pœna, qui malè in hoc mundo viventes uniti corpore vel diviſi ſimiles fuere in culpa. Et omnimodam inexplicabilitatem importat colligatio ſimultatis, cum nemo ligatus ſe poſſit explicare, nullus à nexu vinculorum liber exiſtat, qui aliis poſſit ad ſolvendum argumenta præſtare. Quòd faſciculi ad comburendum traduntur & Chriſtus expoſuit, quod mittet Filius hominis, qui ſeminavit, Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, quæ nihil aliud eſſe videntur, niſi qui in Chriſto ſcandalizati ſunt, contra quos poſitum erat Verbum: Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me. Scandalizantur quidam propter timorem humanum in fide, ut omnes Apoſtoli, maximè Petrus, qui ſe non ſcandalizari omnino aſſerebat, tamen timore percuſſus defecit in fide, negando quem ante prædixerat eſſe Filium Dei. Scandalizantur aliqui in doctrina Chriſti, non rectè intelligentes quæ ipſa veritas docet, aut deſpicientes, quòd contra & ſupra ſenſum humanum eſt: Sicut phariſæi, cùm eos Salvator de transgreſſione mandati divini propter traditionem propriam apertè argùeret. Plures etiam in Dei eccleſia ſcandala facti ſunt, qui alios malè docendo, aut vivendo nequiter ſcandalizant, de quibus per prophetam dicitur: Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege. Ad ſacerdotes erat Verbum iſtud, qui populum erudire debebant, & vita & doctrina dirigere in ſalutem. Ipſi verò de via veritatis receſſerunt, ſubjectis plebeis ſcandalum inferentes, non ſervantes legem, quam aliis ſervandam audaciſſimè prædicabant. Quod poſt Chriſtum in ſuccedentibus moribus actum eſt, ut multi pontifices, ſacerdotes atque doctores populo ex damnatis moribus præbuerunt iter ad mare ſubmerſionis. Scandala nefanda, qui hæretici nuncupantur, plenius prædeceſſores noſtri in hac parabola oſtendêre adverſùs eos ſubtiliſſimè diſ-

Math. 13.

Malach. 2.

ſeren-

ferentes, ut hic ſit præterire commodius. Colligendi etiam ſunt omnes, qui faciunt iniquitatem, ut nullus peccator, niſi juſta præventus emenda remaneat. Facientes quippe iniquitatem, ſunt omnes, qui faſtu ſuperbiæ prætereunt legem Dei, ut hoc diſtare videatur inter Zizania & facientes iniquitatem, quod Zizania ad hæreticos, ſchiſmaticos & malè docentes & interpretantes ſcripturam præter ſenſum proprium referatur: Qui verò iniquitatem faciunt, ad omnem perperam actionem. Miſſio autem horum in caminum ignis, & fletus & ſtridor, perpetuitas eſt pœnarum contra tenerum hominum ſenſum per ignis aſperum ſenſum. Fletus pro bonis irrecuperabiliter perditis. Stridor pro reatibus inevitabiliter applicatis. Juſtorum verò fulgor per ſimilitudinem ſolis exceſſum æternæ claritatis inſinuat, qui nec ſub imagine lucidioris corporis potuit deſignari, quoniam ſub cœlo nil ſole lucidius in corporibus invenitur, quanquam multo amplius ab iſta luce in æternum ſplendor juſtorum erit. Nam erit lux lunæ ſicut Iſaiæ 40. lux ſolis. Et lux ſolis erit ſicut lux ſeptem dierum, ut etiam eo amplor ſit exceſſus, ut in ipſius explicatione lingua pariter & ſcriptura deficiat, quoniam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Quòd verò Marcus poſuit, non eſt certum diffinire, ſi alia, ſive una eſt cum iſta parabola. Crediderim potius eſſe unam quàm aliam, quamvis aliqua ſerioſius poſuit Marcus enarrare, quàm Matthæus. Veruntamen Verba illa hic breviter ſubrogantur, ne præteriiſſe videantur. Sator idem, qui ſupra Filius hominis, cujus dormitio permiſſio eſt agendorum. Nam qui dormit, incurioſus eſt in agendis, nec circunſpicit quid agatur, neque ſcutatur, ſi quiſpiam adverſùs eum paret inſidias, ſi quis aggrediatur, ſi aliquis bella commoveat, ſi quis furetur, ſi quis quomodolibet perperam agat. Eſt enim dormitio quædam mortis imago, quædam alienatio animæ, cæca extaſis mentis, impotentia ſenſuum, quamobrem dormiens inactuoſus eſt: Non omnino, ſed rationis motu. Quo typo parabolicè Filius hominis dicitur obdormire, ut permittat libere ſpiritalem & myſticam præcedere ſationem. Exurrectio nocturna atque diurna, cuſtodia atque protectio eſt in adverſis & proſperis, & exercitatio in utriſque. Quod ſemen germinat & creſcit ignorante ſatore, ſimilitudo eſt, non veritas. Nihil enim Filius Dei ignorat, quamvis ignorantis typum ſæpe demonſtret. Ultro enim terra fructificat. Spontanea fructificatio terræ bonum eſt naturale: Quoniam habet naturale bonum per ſeipſum in meliora proficere, multò magis & bonum ſupererogatæ gratiæ ad potiora ſe trajicit. Ordo tamen & gradus in ſpirituali profectu exiſtunt, ut primùm germinet herbam, deinde ſpicam, deinde plenum frumentum in ſpica. Viridis herba, quæ primò germinatur ex ſemine, ipſa eſt fides, qua efficiuntur fideles. Nam fides eſt ex auditu, auditus autem per Verbum Dei, quod eſt ſemen faciens ſemina regni. Spica verò eſt charitas, quam Ephraitæ nominare neſcientes, ab inimicis in flumine ſunt ſubmerſi. Dignum eſt, ut ſubmerſus intereat, qui charitatem non novit, quæ virtutibus omnibus ſupernatat. Frumentum autem plenum in ſpica boni operis conſummatio atque perfectio eſt. Perfecta ſiquidem charitas foras emittit timorem. Excluſio timoris plenitudo eſt virtutis, quoniam, cùm ad perditionem vitæ, rerum, & ad ſubeunda pericula nil timori ſubjicitur, plenum opus atque perfectum ex charitate generatur. Necnon per herbam ipſam bonam voluntatem intelligere poſſumus, ſed à puſillanimitate detentam ſeu apparentem in nobis, neſcientes tamen in quam partem debeat declinare, velut videntes grani viridem herbam, ignoramus utrum fructificet, vel areſcat, aut deficiat homore modico, ſeu grandine deſcendente de cœlo, ſive aeris aut terræ defectu, aut hoſtili incurſu. Per ſpicam verò ipſam noſtram bonam voluntatem, utique ſic bonam, ut mala quæque declinet, tamen modica bona perficiat. Sed perfectum frumentum in ſpica, perfectam in bonis operibus inſinuat voluntatem. Accedit etiam alius non minor utique ſenſus, ut herbam tempus naturæ ab Adam uſque ad legem: Spica tempus legis uſque quo devenitur ad Chriſtum: Plenum frumentum Evangelicæ ſive Chriſtianæ gratiæ tempus quouſque præſens Sæculum finiatur, inſinuet. Profectò etiam in his tribus gradus militantium in eccleſia conſtruuntur, videlicet probabiliter adorientium, & gradientium de virtute ima in illam, quæ apicem habet, ſimiliter & eorum, qui ad conforme eis culmen virtutum pervenerunt. Falx autem, quæ demum mittitur de meſſore in meſſem, ipſa eſt univerſalis ineffabilisque Dei juſtitia, de qua ſcribitur Apocalypſis XIV. Mitte falcem tuam acu-

tam & mete, quia venit hora, ut metatur, quoniam aruit meſſis terræ. Et miſit, qui ſedebat ſuper nubem falcem ſuam in terram, & meſſuit terram. Falcem acutam habebat, qui ſedebat ſuper candidam nubem, videlicet ſuper eccleſiam omni virtute nitentem, qui ſimilis erat filio hominis. Et qui ſeminat, ut ipſe Salvator expoſuit, eſt Filius hominis, ut idem ſit meſſor, qui ſator extiterat, cui à patre omne judicium datum eſt, quia Filius hominis eſt. Et coronam auream habebat in capite ſuo, quia ipſe eſt rex regum & Dominus dominantium, & in robur noſtræ fidei atque ſpei ad coronam ſuſcipiendam pro meritis, qui ſumus in gloriam ſuam transformandi non ali metallo ſimilem, niſi ei, qui ſuper omnia metalla tenet exceſſum, ut ſupra id, quod ſperamus, aurearum ſit in capitibus ſalvandorum impoſitio coronarum. Dicitur protinus filio hominis, ut falcem ſuam mittat, acſi veritas & ratio dicerent, acſi Spiritus Sanctus, aut pater hominis filio dicat univerſalem exercere juſtitiam, quæ per falcem deſignatur acutam, à cujus inciſione nihil eſt reſervabile quin veniat in menſuram. Hora ſiquidem ſemper eſt exercendæ juſtitiæ, ad demetendum eos, qui vitæ hujus curſum juſtè aut culpabiliter expleverunt, ſed una erit omnium hora, qua meſſis, quæ finis eſt ſæculi, demetetur, & omnium erit dijudicatio extrema, cui alia non ſuccedet. Quia meſſis aruit, ad id profectò pervenit, ut nil expectetur addendum, excepta meſſione per falcem, quod fiet omnino in termino ſæculorum.

Cap. IV.

De Parabola grani ſinapis ſati, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

POſt Parabolam jacti ſeminis, partim in perditionem, partim in trifarium fructum converſi, & poſt illam, qua mali cum bonis uſque ad finem Sæculi dicuntur admixti, in modica re augmentum eccleſiæ deſignavit, ut virtus in Deum, potentia virtutis ad ſeipſam, & quicquid boni in eccleſia exterius agitur, ad Fidei gratiam, non ad homines refetatur. Unde aliam Parabolam propoſuit eis, dicens: *Simile eſt regnum Cœlorum grano ſinapis, quod accipiens homo ſeminat in agro ſuo, quod minimum quidem eſt omnibus ſeminibus, quæ ſunt in terra. Quod cùm ſeminatum fuerit, creſcit, & aſcendit in arborem, & fit majus omnibus oleribus, & facit ramos magnos, ita ut volucres Cæli veniant & habitent ſub umbra in ramis ejus.* Non eſt hic ſimilitudo rerum, ſed actionum, quoniam ſicut granum ſinapis videtur contemptibile inter ſemina: Sic Verbum Fidei videtur contemptibile inter Verba rationis humanæ, cùm Verbum Fidei duntaxat ſit in authoritate, diſſertiones verò naturæ procedant ex quadam inſita ratione. Sed cùm Verbum Fidei homo Chriſtus ſeminandum accepit, quod & ſeminavit, ut jam prænovimus, & inviſibilibus crevit augmentis, & ad perfectionem arboris per ſimilitudinem fecit ramos plurimos, ſtatus videlicet ordinesque vivendi, ut homines velut aves in aere abſque certa via in vanitatibus hujus mundi errantes, incertis ſedibusque vagantes, veniant ad habitandum & quieſcendum ſub umbra Fidei Chriſtianæ, velut à malis & intenſis caloribus æſtuati. Una porro eſt arbor quæ ex ſtipite uno conſurgit, ſed diffunditur, protenditur, dilatatur in ramis, non tamen multiplicata ſtipitis unitate. Una ſiquidem eſt Fides à Chriſto fundata in curdibus hominum in ſato & contemptibili Verbo, quæ ſervans in tenaci radice atque in robore unitatem, ſuo ineffabili crevit augmento, & ramos expandit plurimos ad receptionem omnium venire volentium, ut nulli excuſatio ex tergiverſatione pateat, ſi non venerit ad quieſcendum, ut ſi unus ramus non placeat, alter ad habitandum in umbra ejus in placito fiat. Quamvis enim una ſit Fides credentium, & una in illa ſit intentio actionum, non tamen in fide omnino una eſt operatio rectè agentium. Nam & Apoſtolus novem in eccleſia diſtinguit Spiritus Sancti operationes, quanquam & multò ſunt plures, quæ velut rami exiſtunt in arbore, ſic iſtæ manent in Fide. Ramus eſt & inter cæteros primus, plena obſervatio mandatorum, in quo primo inſidere oportet aves ſpirituales advenientes. Ramus eſt in arbore Fidei,

Math. 13. Marci 4. Lucæ 13.

Fidei, quanquam abjectior, ipſa conjugalitas contracta modo debito propter prolem. Ramus omnis caſtratio propter regna Cœlorum, ſive quæ ſemper integritatem retinuit, aut illa quæ de altitudine procelloſi maris in portum caſtitatis devenit. Ramus abdicatio omnis laudatæ materiei. Ramus in proximum omnis actio cum pietate relata. Ramus anachoretica vita. Ramus cœnobitica converſatio. Ramus caſtigatio corporis cum diſcretione aſſumpta. Ramus eſt fervor ad pœnas, & electio extinctionis vitæ, ne præcidatur ab arbore. Magna numeroſitas eſt in ramis. In omnibus his magna & plurima ſunt teſtimonia Evangelica, ſimiliter & Apoſtolica, quæ velut nota ſaltem ex conſuetudine agendi ſive loquendi ſcrutatoribus ſcripturarum, & parcens etiam lectoribus intermiſi, ac per hoc omnes invitamur, ut aves in arbore hujuſcemodi Fidei quieſcamus. Nemo ſibi de aliquo blandiatur non poſſe in ramis Fidei habitare, cùm in ipſis tanta ſit numeroſitas, ut unumquenque pro ſua capacitate ſuſcipiat. Nihil enim fides habet anguſtum, in ramis ſuis vaſtiſſima eſt, tantummodo unitas in fundamento ſervatur. Quod autem poſt ſationem grani triticei ſano grani ſinapis inducitur, rectus ordo depoſcit, ut amor charitatis ſuper opera inducatur, quoniam juxta menſuram amoris rectè agentibus retributor bonorum omnium præmia largitur. Contritum enim granum ſinapis, vim eximiæ caliditatis oſtendit. Sumptum id efficit, cerebrum commovet, ſed in hoc experientia plus elucet.

Cap. V.

De Parabola fermenti, ſecundùm Mathæum & Lucam.

VIrtutem divinorum Salvator oſtendit, cùm in eo, quod tam videtur modicum, tantam operetur in transmutatione efficaciam in virtute, ſicut ſupra granum ſinapis, nunc autem fermentum. Nam ex arte piſtoria noſcitur, quod modicum fermenti multam maſſam in naturam ſuam convertit. Et dum pro peccato ſeu peccatore depellendo Apoſtolus loqueretur, auſus eſt dicere: Neſcitis quia modicum fermenti totam maſſam corrumpit. Non tamen hic peccati habet imaginem, ſed ſimilitudinem ad eccleſiæ Sanctæ myſteria, & ad animam per bona opera ſatagentem. Et multis hanc parabolam in ſenſum allegoricum differentibus, nos in vita agenda, ut poſſumus includamus. Nam de natura corporis eſſe membra certiſſimum eſt, & unius naturæ corpus cum membris, membraque cum corpore ſimilem declarationem ſuſcipiunt. Quoniam ſi regnum Cœlorum ſic aſſimilatum eſt, ut mulier fermentum accipiens ſit eccleſia, quæ rationes corporis tenet, ſi quælibet anima, quæ in corpore cum cæteris membris membrum exiſtit, devenire poteſt in ſimilem actionem. Equidem fermentum anima accipit, cùm ſuſcipit condientem doctrinam, nam & doctrina bona vel mala nomine fermenti ſignatur, cùm dicitur: Cavete vobis à fermento phariſæorum. Hic verò pro doctrina ſana depromitur, cùm aſſimileatur ſibi actio regni Cœlorum, quod talem ſimilitudinem, omnino non gereret, niſi fermentum etiam in bonam partem accipi poſſet. Omnis igitur anima, quæ appetit eſſe in regno Cœlorum, accipit ſanctæ ſcilicet Evangelicæ doctrinæ fermentum, & in tribus ſatis farinæ abſcondit, ut totum hoc efficiatur fermentum, quod dici poteſt pro his, qui deliquerunt. Farina nanque ad contritionem peccatorum referri ſolet. Nam Iſraelitici egredientes ex Ægypto, juſſi ſunt portare farinam, contritionem videlicet peccatorum. Et ad Babylonem ut molat farinam, ad contritionem malorum ſuorum dicitur: Tolle molam & mole farinam, denuda turpitudinem tuam. Cujus tria ſunt fata. Tres enim potiſſimæ ſunt contritionis cauſæ, quas menſuras rectè appellamus. Habet unaquæque determinatam dolendi rationem. Prima ſiquidem, quia omne iniquum in Dei primo tendit offenſam, cùm fiat contra ejus legem æternam, quæ mala fieri ſemper prohibuit, nunquam conceſſit. Secunda, quia ejus lædit authorem, etiam ſi pœna ſenſibilis non ſequatur, cùm ejus dehoneſtat naturam, cùm minuit, aut conſumit, quod Author in illa placitum poſſidebat, & quantum in ipſo extitit, peccando ſe abſtulit à pulchritudine univerſi. Tertia, quia divina durante atque dictante juſtitia, mali

1. Cor. 5.

Exod. 12.

Iſaiæ. 47.

Matth. 16. Marci 8. Luce 12.

mali author ſegregatus à DEO ejicietur in pœnas. Fermentum igitur Evangelicæ doctrinæ in his tribus menſuris abſconditur, donec totum fermentetur, ut in ſeipſam hæc tria convertat, & fiat amaritudo Evangelica, quæ ſemper parit gaudium poſt mortem. Et hoc eſt quod Salvator parabolicè dicit: *Simile eſt regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abſcondit in farinæ ſatis tribus, donec fermentatum eſt totum.* Matth. 13. Luæ 13. Et etiam accepta ipſa eadem doctrina in tribus viribus animæ abſconditur, ut ſecundùm ſuam proprietatem in illam convertatur, quod eſt memorari, & intelligere, atque velle, quoniam nihil tam dignum memoria, quàm doctrina Salvatoris, neque ad intelligendum eſt alia doctrina ſuperior, quàm velle perfectè, ſenſus eſt conſummatus. Non fit farina, niſi in duabus molis granum conteratur, quarum una ſuperior, alia inferior, quæ nec jure pignoris accipiendæ ſunt, charitas videlicet, quæ omnibus ſuperfertur, & timor ne in inferioribus partibus anima detrudatur. Nec abſcondi poterit in farina fermentum, niſi aqua calida conſpergatur, ut totum conſperſum fermenti virtute fermentetur, quam nihil aliud eſſe dixerim, quàm gratiam ex amore tributam, ut Chriſto coagulati, ejusque doctrinæ, unus panis ſimus cum ipſo, pro ipſo amaritudinem hujus vitæ tenentes, cum ipſo facti unum æternaliter regnaturi. Et hoc eſt, quod in fermento ſic abſconſo intelligitur regnum DEI.

Cap. VI.

De parabola theſauri abſconditi ſecundùm Matthæum.

NOvit æterna ſapientia occultare myſteria & humanos animos accendere ad quærendum. Et per parabolam theſauri abſconditi deſignavit eccleſiæ theſaurum, exercitium juſtum, in agenda vita ſtatuit Chriſtianis, dicens: Matth. 13. *Simile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & præ gaudio illius vadit & vendit univerſa, quæ habet, & emit agrum illum.* Si unus & idem eſt abſcondens & inveniens, vendens & emens, occultiſſimam & difficilem explanationem habet parabola. Si verò unus eſt abſconſor, alius emptor, facilior & clarior carpitur intellectus. Nam ſi unus eſſet abſcondens & emens, hæc ſequeretur abſurditas. Quis enim inventum theſaurum, præterquam in ſuo agro abſconderet? Quis in alieno, ut propter theſaurum ad emendum animaretur agrum? Si autem in ſuo, cur omnia diſtraxit, & quod ſuum erat emit? Quis enim ſuæ rei ſibiipſi factus eſt vendens & emptor? Niſi fortaſſis ſic velimus aſſerere, quòd quiſpiam in alieno agro ex caſu theſaurum inveniſſet, quem, cùm non potuiſſet extrahere aut nollet, ne furti judicio ſubjaceret, magis jure venditionis & emptionis voluerit poſſidere, ſua quæque diſtraxit, ut agrum habentem theſaurum abſconditum poſſideret. Sed quòd unus & idem ſit ad quem omnes hujuscemodi perrineant actiones, tarditas ingenii mei venire in hanc confidentiam omnino diffidit, Spiritus Sancti gratia prohibente. Veruntamen ad has diverſas operationes, diverſos authores inſpicere decentius judicavi, ut alius abſcondens, alius ſit & emens, ad quam elucidationem ſingula in explanationem deveniant. Abſcondeus eſt DEUS Pater, Theſaurus eſt Filius Homo natus. Ager ipſa eſt actio agendæ vitæ. Inventor & ſua vendens & emens eſt omnis fide ſincera ſignatus, regnumque cœlorum, ſcilicet eccleſia ſancta novit, habet hoc, in ipſa hujusmodi miniſterium ſine intermiſſione peragitur. Invenit Pater non temporaliter, ſed æternè Filium, cùm ab æterno genuit eum, quem in tempore præfinito abſcondit primò in humanitate, ut poſtmodum in actione vitæ agendæ abſconderet. Actio ſiquidem ipſa eſt omne ſacramentale myſterium, in quo abſconſus eſt Chriſtus, ſic abſconſus, ut non intelligatur, ſic verè, ut per fidem inveniatur, nam aliundè Sacramenta non eſſent, ſi non abſconſum CHRISTUM haberent. Abſcondit ſe Adam, ne videretur à DEO, innocentiæ ſtola nudatus inobedientiæ meritò, quam ipſe Genes. 3.

ſub

Genes. 3. ſub Cœlo primus incœpit, ſed DEUS è regione Filium in ſacramentis abſcondit, ut inveniretur ab homine merito fidei, quam hominibus dedit. Inventus Adam ab abſconſione ſui argutus eſt, pœnaque multatus, inventus Chriſtus inventoribus peccata remittit. Nudus abſcondebatur Adam à ſtola virtutis, Filius DEI abſconditur humanitate veſtitus, quam ut reviviſceret prima ſtola genus humanum ſponte ſuſcepit. Non enim in Sacramentis Fidei noſtræ Filius Dei præter humanitatem, nec præter deitatem humanitas creditur. Unio ſiquidem unam omnino facit eſſe perſonam. Decretum fuit æterni conſilii, ut ſic abſconderetur Filius Dei, ut ſic per fidem inveniretur, ut labor inquiſitionis in corruptibilibus creaturis culpam delectationis in eis prohibitæ per gratiam Dei ſuperaret, & quæreretur in multis quem propter multa homo reliquerat, & à multis accederetur ad unum, à quo ad multa fuerat facta digreſſio. In virtutibus etiam eſt abſconſio Chriſti, quoniam, cùm in actum deveniunt, actionis ejus eſt gratia, Chriſto
Joan. 13. dicente: Sine me nihil poteſtis facere. Necnon omnis bonæ legis ipſe appoſitus eſt Finis, velut præmialis theſaurus in agendis, quoniam Finis legis Chriſtus ad juſtitiam omni credenti, ut pro omnibus afferatur dictum propheticum: Verè tu
Iſaiæ 45. es Deus abſconditus. Verè Deus abſconditus in humanitate latens in Sacramentis, ſine corporea dimenſione conſiſtens, incomprehenſus à ſenſibus, fide creditus. Latet hic theſaurus in agro virtutum, in quo inviſibiliter invenitur. Hoc enim potiſſimùm habent virtutes vivificæ, Chriſtum ſcilicet Dei Filium in theſauris. Non enim videtur in Sacramentis, aut in virtutibus Chriſtus, ſed miro & ineffabili modo abſconditus eſt in eis, qui fide invenitur, præmio revelatur, & aperta facie cognoſcetur. Hinc
1. Cor. 13. Apoſtolus ait: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Quare videmus ſicut per ſpeculum in ænigmate, niſi quia in agro agendæ vitæ abſconditus eſt? Ager ſiquidem agendæ vitæ, ipſa eſt virtutum congregata congeries, ſecundum quam debet eſſe omnis actio Chriſtiana, nec in ipſa Chriſtus niſi in fide conſpicitur, ut omnino noſtris ſenſibus abſcondatur. Sed cùm advenerit tempus præmii poſt exercitium hujus vitæ videbimus facie ad faciem, & cognoſcemus ut cogniti ſumus, ut non abſcondita amplius, ſed in omni revelatione atque aperta viſione cognoſcat. Atqui non abſcondit eum Deus, ut ſemper maneret abſconſus, ſed ut inveniretur, & cognoſceretur, & fieret manifeſtùs, & eſſet præmium inquiſitionis & beatitudo inventionis. Nam theſaurus abſconditus, & ſcientia abſcondita, quæ utilitas in utriſque? Si theſaurus non inveniatur, & ſapientia non effundatur, protinus eſt & nulla. Sed hoc fine Filium æternus pater per hujuſcemodi formam abſcondit in tempore, ut in tempore inveniatur æternus, qui factus eſt in humanitate temporalis pro omnibus. Proinde inventor ſimul factus emptor accedat. Acceſſit igitur homo ad alienum agrum, & aliquid ibi egit unde meruit invenire theſaurum occultatum. Amore theſauri contractus eſt, quo diſtraxit, quæ ante dilexerat, & ad commerciùm venit, ex quo in luce jam factum eſt, ſuum non eſſe agrum, quem emit. Alterius erat juris, quod ſui vendicavit ex pretio non definito, ex numero, pondere vel menſura, ſed ex univerſa diſtracta ſubſtantia emit agrum illum, ut ſive magni numeri ſive parvi ponderis & menſuræ, nilque taxaretur, nil eſſet in exceptione, ſed omnis ſubſtantia reduceretur in pretium, ut compararet agrum propter abſconſum theſaurum. Si quis juxta literam ſequitur omne, quod parabolicè dicitur, aut in ſenſu ſcripturarum errat, aut ignorat, & ignorando violentiam infert ſcripturæ decurſui, retorquens in ſiniſtram partem, quæ violentiam omnino non patitur. Quamobrem in omnibus ſacræ ſcripturæ myſteriis id conſiderare prius expedit, ut intentione ſerviatur dicentis: Hic poſt theſauri abſconſi negorium, qualiter in myſterio regni Dei poſſit inveniri diſcernendum eſt. Ad inveniendum velut quædam fortis mulier acceſſit eccleſia, ſcu prima ſive omnis ſubſequens Fidelis anima, illo ſcilicet pede licitæ inquiſitionis, quo unicuique licitium eſt quærere Catholicam fidem, quæ, cùm inveniſſet primò agrum, quàm occultum theſaurum, conſideravit illum & emit eum. Quare conſideravit? Utrum in illo aliquid lateret. Nam prius ager, quàm theſaurus noſtris offertur obiutibus. Et diligenter conſiderans invenit in ipſo agro Sacramentorum atque virtutum ineffabilem latere theſaurum, ad innoteſcentiam rectè agentium, quod virtus ducit ad Chriſtum, non Chriſtus ad virtutem, quamvis ipſe primò ad virtutem capeſſendam adjutorium præbeat, quoniam non finis Chriſti

virtus, ſed Chriſtus finis eſt omnino Chriſtianæ virtutis. Et ſupra jam dixi-
Rom. 10. mus, quod Apoſtolus dicit, quod ipſe finis eſt legis ad juſtitiam omni credenti. Inventus eſt theſaurus in agro, diligenti conſideratione præhabita. Hæc enim fuit actio in prædio alieno, ut conſideraretur quid boni contineant ſacramenta ſive virtutes. Ratio prior hoc laboravit in agro. Ipſa intelligentia prior operata eſt, cùm ingredi fuiſſet ipſa permiſſa, cùm ſe abſtraheret ab his, in quibus ſenſualiter & naturaliter agebatur, & niteretur, ſi quispiam ſupra naturam poſſit inquirere. Hoc typo Salomon ante
Eccle. 2. perfecerat, dicens: Cogitavi in corde meo abſtrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad ſapientiam, evitaremque ſtultitiam donec viderem: quid eſſet utile filiis hominum. Optima cogitatio humani cordis, ut abſtrahatur naturalis caro, qua velut à parte totus intelligitur homo, ab ea lætitia, qua forinſecus & blandimento ſenſuum delectatur, & animus transferatur ad ſapientiam, quæ ſolùm in vitalibùs virtutibus plenè conſiſtit. Et ſtultitia devitetur, quæ ipſa eſt, & non altera, ſcilicet gaudium ſive ſolamen, atque beatitudinis requiem quærere in caducis. Hæc ſtultitia plena conſiſtit his delectari, quæ alium ordinantur ad finem, non de virtutibus dixerim, ſed de perfunctoriis atque terrenis, & quæ mortali carnis prudentia inquirunt. Hoc ſiquidem ideo fiat, donec videatur, quid ſit utile filiis
Pſal. 44. hominum, niſi ſpecioſus forma præ filiis hominum, qui Filius DEI exiſtens, inventus eſt ut homo in habitu hominum, formam DEI non relinquens induit formam hominum, quæ non cognoverunt Filii hominum, ſed excedentes naturam omnium hominum. Contra quem di-
Pſal. 4. lexerunt vanitatem, quæſierunt mendacium graves corde filii hominum, ſine
Pſal. 61. quo vani ſunt filii hominum, mendaces ſunt in ſtateris juſtitiarum ſuarum filii hominum, ſine quo damnantur omnes filii hominum, cum quo, & in quo, & per quem ſalvantur filii hominum. Quid ergo utile aliud poteſt eſſe filiis hominum, niſi CHRISTUS DEI Filius redemptor omnium hominum? Hæc nempe ſit juxta Salomonis typum hominum cogitatio, ut quid utile filiis hominum cognoſcatur. Sed hic abſconditus eſt in agro. Si conſideraſti agrum, eme illum. Non eſt tui juris, non eſt tuæ poteſtatis. Diſtant virtutes à noverca natura, quamvis ſint ſecundùm conditam naturam. Jure paternæ hæreditatis illas hæreditare non poſſumus. Spiritualia & corporalia mala in hæreditatem à protoplaſtis accepimus, & perpetuantur in nobis durante propagine damnata, ut nemo ab his hæreditariis malis præterquam theſaurus abſconſus abſolvat. Pretio penitùs opus eſt, ut jure venditionis, & emptionis deveniatur in agrum hunc theſaurum occultantem. Unde pretium ad rem tam altè venalem? Quæ inſignitæ monetæ ſufficient? Unde copia metallorum? Quæ ſuperſcriptiones & imagines Cæſaris imprimentur? Quis vades fiet ſuadens venditionem domino poſſidenti? Qui tabelliones ad inſtrumenta condenda? Quæ fient in hujusmodi commercio cautiones? De his neque de ſimilibus nemo cauſetur. Vade, vende
Matth. 19. omnia quæ habes, nihil retineas tibi diſtrahendum, ut Ananias & Sapphyra,
Actor. 5. de pretio non defraudes. Affer venditori omne, quod accepiſti pretium magnum vel parvum, dummodo ſint omnia tua bona diſtracta. Omnium enim diſtractio, quæ quis habet, eſt omnibus abrenunciaſſe peccatis, quæ noſtri ſunt juris. Iſta duntaxat habemus propria, peccata, conſuetudines malas, rebelliones ad verum, placita ſenſum, voluntates proprias, & proprias regulationes, & ſecundùm naturam corruptam lædentes & inclinationes & mores ex eis. Iſtorum omnium vendino fiat, & fiamus in gratia, quæ naturam excedit, & corruptam ſuperat. Cui vendetur? Hæc enim mala quis ſibi vendicabit ex pretio? Parabola eſt. Nam his omnibus abrenunciaſſe, vendidiſſe protinùs eſt. Pretium enim quod ex his patrimonialibus & propriis malis ſic diſtractis percipitur, ipſa eſt diſpoſitio in alteram vitam, & propoſitum perſiſtendi, recidivo omni depulſo. Ipſa eſt firma voluntas per omnia in gratia fieri, ſuperata, non deſtructa natura. Et emitur ager ſacramentorum atque virtutum, in quo ſemper aliquid eſt agendum, de quo vivendum. Ubi theſaurus eſt abſconditus, in futuro
Genes. 24. ſæculo revelandus. In hoc agro meditabatur Iſaac, nam egreſſus aliquando fuerat ad meditandum in agro. Quæ igitur eſt agri meditatio, niſi qualiter in illo immaculatè & non otioſè vivatur? In quo ſic meditatus, vidit Rebeccam ſponſam novam advenientem, quàm nil aliud dixerim, quàm gratiam Spiritus Sancti, in ea videlicet aſſociatione matrimonii ſpiritualis, quia quis ſemper ad meliora

se transferre nititur, eidem inseparabili
Genes. 29. vinculo copulatus. In hoc agro Jacob pergens ad orientalem plagam, vidit puteum fontalem, atque profundam DEI sapientiam, circa quem accubabant tres greges ovium, tres videlicet ordines salvandorum, adaquari ex illo puteo expectantes. Non est vera sapientia neque profunda, nisi in agro Sacramentorum atque virtutum, quoniam in eis est Chri-
Coloss. 2. stus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi. Nec alibi, qui salvandi sunt, quàm juxta hujusmodi puteum accubare decreverunt, adaquari aqua sapientiæ salutaris, non terrena & carnali, quæ bibentes in-
Ruth. 2. terficit, expectantes, qua DEUS suos potavit electos. In hoc agro Ruth Moabitis de jussione socrus accessit ad colligendum spicas post tergum metentium, unde sui victus posset fulcire inopiam. Deficiens Ruth interpretatur. Et verè omnis anima in defectibus est, & perditioni proxima, nisi accedat ad agrum sacramentorum atque virtutum, ut colligat exempla sanctorum, & juxta novitatem conversionis illa modica verba, quæ capi possunt ex ore doctorum. Ager iste ad quem Ruth Moabitis accessit, non cujuslibet hominis, sed hominis in quo virtus & fortitudo consistit. Sic enim Booz interpretatur. Decet enim agrum virtutum esse hominis virtuosi atque potentis, quem nullus violenter per improbitatem expugnet. Hæc mulier a Domino agri prænognita, ne in alterum agrum ad legendum spicas accedat, exhortationem accepit, quoniam omnis ager præterquam virtutum, honestam conversationem non habet. Nec sunt messores, qui exempla honestatis atque verba veritatis non reliquunt, unde agendæ vitæ possit esse consilium, ut modesta imitatio sit post eos. Et traditur huic consortium puellarum, ut sociarum fulta solatio, in virtute anima plus proficiat, nam socialiter jucundiores sunt spirituales agones. Et jussum acceperunt servi, ne in hoc agro molesti essent huic mulieri. Non enim unius domini servi adinvicem debent habere molestiam. Et conceditur cum pueris bibendi licentia, cùm sitis advenerit. Omnium electorum in agro sancto, quamvis dispar, sapientiæ atque gratiæ sit una potatio & saturatio ex pane metentium. Et largam supra speratum hæc mulier accepit licentiam, ut, si vellet metere, potuisset. Nam sæpe de novo conversis, dispositione atque animi firmitate conspecta, tribuitur authoritas differendi. Et animo dilatato mandatur messoribus, ut ex industria plus apponant, cùm adsunt, qui plus colligere valeant. Et colligebat hæc in agro à manè usque ad vesperam, quoniam usque ad finem vitæ actio justa non debet excludi. Quid plura dixerim? In hoc agro facta est dispositio, ut Ruth Booz sancta & inseparabili lege matrimonii jungeretur, ad spem auxesis, quòd omnipotenti Deo in æternitate jungamur, perquirentes thesaurum absconditum in agro sacramentorum atque virtutum.

Cap. VII.

De parabola margaritarum, secundùm Matthæum tantùm.

INcomparabiliter pretiosus pretiosa mysteria condidit, & in pretiosis mysteriis suam designavit ecclesiam, quoniam negotiationi margaritarum ipsam parabolicè comparavit, dicens:
Matth. 13. *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas. Inventa autem una pretiosa margarita, vadit & vendit omnia & emit eam.* Inolevit ex antiqua consuetudine inter homines negotiari, & facta est inquisitio, & inventio secretarum partium mundi ad peragenda negotia, illasque partes negotiatores frequentant, quas suis negotiis ad commercia facienda noverint ex rerum copiis aptiores. Et cùm invenerint aliquid insigne pretiosum, emptionis jure sibi vendicare festinant. His typicis actionibus ecclesia sancta deducitur, quæ regnum cœlorum in sancto Evangelio sæpius appellatur. Nam negotiatores sunt, sed pro cœlestibus legitimi Christiani. Et qui non fuerint, animantur ad negotia perficienda cœlestia, cum talis margarita reperiatur in regno, pretiositate cujus sunt omnia meritò distrahenda. Quærunt pretiosas margaritas, sed una est duntaxat super omnes pretiosa, cujus virtus ad omnia valet, & omnem expedientiam habet. Cæteræ quamvis sint aliquibus insignitæ

virtutibus, non expediunt ad finem, ad quem negotiator eſt editus, nec auferunt inopiam, ad quam depellendam ipſe mercatur, nec illam infirmitatem depellunt, cum qua periculoſius negociator ipſe decertat. Nam ſi de margaritis ſcientiarum agitur, pretioſæ quidem ſunt, multa docent, erudiunt negotiatorem, attollunt in fama, eloquentem faciunt, in admiratione atque veneratione hominum ſæpe ponunt, oſtendunt ſecreta naturæ, ad aſtra diſcernenda ſuſtollunt, rerum menſuras, & figuras aperiunt, calculando cuncta proportionantur, modulantur vocis productibilis inſtrumenta, orare faciunt & acutè diſpurare, habentem phyſicam adjiciunt, ne lædatur phyſis, & læſa curetur, chirurgiam demonſtrant, ut ulcera & vulnera de corporibus depellantur, Solonis & Atheniſium & Romanorum leges ante mundi rectores fortiter garriunt, & ut perſtringam, mathematicarum & mechanicarum plenus eſt orbis. Et in earum quatuor diſponentium hominum more multi aſcenderunt, & adhuc acutè diſputatur de ipſis, ſed nec expediunt poſſeſſorem ex omni pretioſitate, quam continent, ejus animum non quietant, beatam vitam non conferunt. In una, non in pluribus omnis eſt virtus, in illa videlicet Evangelica & æterna doctrina, quæ pretioſitatem habet temporalem ſimiliter & æternam, quam qui invenit, omnia diſtrahat, omnia vendat, abneget ſemetipſum, & emat illam, ad quam inveniendam omnium quærentium vitam & ſalvari volentium feſtinare deberet intentio, quoniam de illa ſcriptum eſt: Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Si verò ad omnia mundi pretioſa volumus referre parabolam, nil pretioſius invenitur in orbe terrarum, quàm quod invenitur in agro dominico. Nil protinus pretioſius Chriſto, qui pretioſa eſt margarita in terris inventa, quoniam ipſe in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, qui non invenireturnſi quæreretur. Veruntamen nec hoc, niſi ſe offerret omnibus requiſitus. Sed tempus eſt requirendi Dominum, cùm ſe inveniendum expoſuit. Et ſi non invenitur, niſi quæratur, etiam necdum quæritur, niſi ſe requirentibus offerat, tantùm quæſitioni regula præfigitur. Hinc per ſapientiam regula quærendi poſita eſt: In ſimplicitate cordis veſtri quærite illum. Invenitur autem ab his, qui non tentant illum. Apparet autem his, qui fidem habent in illum. Ecce ſimplicitas prævia eſt ad inventionem optimæ margaritæ. Conneclit autem Dominus per Jeremiam cordis totalitatem, dicens: Cùm quæſieritis me in toto corde veſtro, tunc inveniar à vobis. Matutina ſolicitudo ad inveniendum congrua via eſt, tepiditas autem nunquam invenit eum. De quo in typo ſapientiæ ſcriptum: Qui manè vigilant ad me invenient me. Manè autem vigilare ad Chriſtum, eſt illum omnibus cogitationibus & ſpeculationibus anteferre, qui ſemper invenitur, ſi nihil ante illum aut præter ipſum quæritur. Sub eodem etiam ſapientiæ typo in libro ſapientiæ ſcriptum eſt, cum his qui facilem ſubinventionem expediunt. Facile videtur ab his, qui diligunt eam, invenitur autem ab his, qui quærunt illam. Præoccupat, qui ſe concupiſcunt, ut illis ſe pior oſtendat. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit, aſſidentem illam in foribus ſuis inveniet. Ecce dilectio, quæſitio, concupiſcentia, evigilatio de luce veritatis & fidei, præoccupantem nos & aſſidentem foribus voluntatum noſtrarum, facilè faciunt invenire. Eximius autem prophetarum alibi audivit, & alibi invenit: Ecce audivimus eam in Ephrata, invenimus eam in campis ſylvæ. Præter id quod in Judæa Chriſtus natus eſt, à quibus reprobatus, inventus eſt in ſylvis gentilium docere, ubi ſpiritu & virtute inveniatur. Non igitur deſcendamus in ſecretiora maris, non montium alta ſubeamus, non loca commercii ad inveniendam hanc margaritam, ſed campos ſylvæ penetremus. Sylvæ loca ſunt inculta & agreſtia. In inculta & agreſti via rationabiliter aſſumpta, Chriſtus Dominus invenitur. Non enim in campis deliciarum, ſed ſylvarum, qui ſe obtulit requiſitus. Quærantur loca remota & nemorum campi, qui ſunt amici mœroribus, contemplationibus apti, à ſtrepitu alieni, & ibi invenietur, qui inter delicias & turbas ſæpe perditus eſt. Eſt inter omnes quædam via decentior, compendium habens, ut ſic quæratur, ut ab Apoſtolo referatur inventus. Inquit enim: Et habitu inventus eſt ut homo, indutus eſt DEI Filius noſtræ humanitatis habitum, in quo apparere huminibus voluit, ſicque inter homines converſari, ut poſſit à quærentibus inveniri. Qualibus moribus apparuit Chriſtus, in talibus inquiramus. In forma hominis degens, monſtravit hominibus quid in ipſo invenire ſatagerent. Verbo vitam agendam docuit, egit opere, etiam habitu inventus ut homo. Supra id, quod hominis eſt, vivebat.

Proverb. 8.

Sapient. 6.

Pſal. 131.

Philipp. 2.

Inſpi-

inſpiciantur actiones ejus, in illis inquiratur, & invenietur ut homo, circumciſus ut homo, ad templum delatus ut homo, fugit in Ægyptum ut homo, timuit ut homo, converſatus ut homo, ſubditus parentibus ut homo, baptizatus ut homo, jejunavit ut homo, tentatus ut homo, prædicavit ut homo, laboravit ut homo, dormivit ut homo, eſurivit ut homo, manducavit ut homo, ſitivit ut homo, bibit ut homo, ploravit ut homo, turbatus ut homo, clamavit ut homo, reprobatus ut homo, humiliatus, traditus ut homo, ligatus ut homo, verberatus ut homo, paſſus ut homo, crucifixus ut homo, mortuus ut homo, ſepultus ut homo, reſurrexit quia homo, aſcendit ut homo, etiam & quia homo, in omnibus procul depulſo peccato. Sic ergo inventus ut homo, ita eum quærat & inveniat homo, inventum teneat, nec dimittat homo, & introducat in tabernaculum mentis, donec ipſe in æterna tabernacula introducat.

Cap. VIII.

De parabola ſagenæ, ſecundùm Matthæum.

ORdinavit Salvator in jam dictis parabolis exercitia hominum, & animavit corda multorum, nunc per parabolam, quæ finem ſæculi portat, omnium mentes abſterret, & cautelam ſuadet, cùm ad examen electionis neceſſarium ſit venire, ad reponendum electos in partibus ſummis, & reprobos in pœnis tetralibus æternaliter includendum. *Iterum ſimile eſt regnum cœlorum ſagenæ miſſæ in mari, & ex omni genere piſcium congreganti, quam, cùm impleta eſſet, educentes, & ſecus littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſummatione ſæculi. Exibunt angeli, & ſeparabunt malos de medio juſtorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Hic mores cudere difficultatem habet, & timeo exorbitationem ab alveo recto ſacræ ſcripturæ, ſi velim illos importunè inducere, nam de fine hujus mundi & eccleſiæ parabola eſt. Et ſi nil aliud argueret mundi finem, utique ſufficienter aſſerit hæc adaptatio Salvatons, nec ad alium ſenſum multa expoſitione indiget, cùm ipſe clareſecerit diſcipulis & auditoribus ſuis. Ad ſodalitatem rectè agentium eſt iſta parabola, & in perverſorum prolata terrorem, cùm boni eligantur, perverſi detrudantur in pœnas. Eſt autem iſta ſagena omnis juſtitia ſive doctrina miſſa in mare præſentis ſæculi ab omnium creatore ab Adam usque ad conſummationem, id eſt in qua rectè agi potuit vel peccari. Connexa quidem & reticulata manſit ab eo tempore, quo creator creaturam condidit, cùm qua ſub cœlo loqueretur, nec interciſio facta fuit in filo, quin ſub nodis multiplicibus necteretur, ab originali juſtitia per circumſionis diſtinctionem & locutionem patribus factam, & per legem in monte Sina, & per eructationem propheticam, quousque Evangelium adderetur, ex quo velut ex reticulato artificio eſt in nodis inſolubilibus perfecta ſagena protenſa ſub undis, in qua piſces procelloſi maris undique congregantur, producenda ad littus, cùm piſcationem hominum voluerit terminare. Ad hanc ſagenam immittendam ſub undis, ipſe protoplaſtus poſt prævaricationem piſcator effectus eſt, velut qui prior in hominibus noverat Domini voluntatem, quam faciendam, & ſuæ rumæ cautelam poſteris prædicavit. Enoch etiam in ſagena originalis juſtitiæ ſemetipſum & alios piſcatus eſt. Noe ad hujuscemodi officium piſcationis acceſſit. Abraam, Iſaac & Jacob ſuis temporibus piſcati ſunt. Joſeph, Moyſes & Aaron conati ſunt piſcari etiam Pharaonem, Ægyptiacumque populum ſimul cum eis, quos de ipſorum manibus eripere cupiebant. Joſue & qui tempora judicaria tenuerunt, zelatores legis in arte piſcatoria ſtuduerunt. Samuel & reges Deo accepti, omnesque Prophetæ, qui non à ſeipſis, ſed à Domino miſſi ſunt, artem piſcatoriam exercuerunt, per quos etiam prædixit Dominus piſcatores alios ſe eſſe miſſurum, Apoſtolos præintendens & ſubſequos, usquequo ſæculum terminetur. Hinc per Jeremiam dictum eſt: Ecce ego mittam piſcatores ad vos, dicit Dominus, & piſcabuntur, non alia ſagena, niſi in ea, quam ex filo æternæ legis contextam agnovimus. Et in altum ducta eſt ſagena iſta, & profundè

fundè laxata in capturam, eo ſenſu, quo in vocatione Apoſtolorum dictum eſt, quod à piſcatione piſcium eſſent in piſcationem hominum commutandi. Ex quibus, cùm fuerit impleta ſagena, educitur ad littus, ubi erit finita piſcatio. Et quoniam mixta eſt captura rationabilium piſcium, ſicut & ratione carentium, quia non omnes vixerunt, ut in diverſitate labentium temporum ſuſceperunt, nec omnes habuerunt reprobum ſenſum, aperta fiet bonorum electio, malis etiam publicè reprobatis. Sed hi duntaxat eliguntur, qui ab æterno prædeſtinati ſunt, quos elegit ante mundi conſtitutionem ſanctos eſſe, conformesque fieri magni Filii ſui, qui electioni divinæ præſtiterunt aſſenſum, ſe transferentes in novitatem vitæ, ad ambulandum aptè in via DEI, non arbitrio propriæ voluntatis, ſed decreto & lege vocantis. Verùntamen non obſtat huic parabolæ, quæ proconſummatione ſæculi dicta eſt, illa ſingularium continuata piſcatio, ubi ſub incertitudine militantium aliqui eliguntur adveniente corporis morte, aliqui reprobantur, quoniam hujuscemodi piſcatio habet judicium dubium & occultum, ultima verò certum & manifeſtum. Et ex hoc nobis porrigitur ſub cauto timore ducere vitam noſtram, ne ſimus de piſcibus reprobatis, ſicque degere ſub aquis procelloſi maris, ut in capturam veniamus electam, cùm & ſagenam etiam non immeritò dixerim Dei omnipotentis inevitabilem juſtitiam, quæ absque alicujus ſubterfugio cunctos involvet. De qua ſuper Pharaonem regem Ægypti ab Ezechiele prophetatum eſt: Expandam ſuper te rete meum in multitudine populorum multorum, & extraham te in ſagena mea, & projiciam te in terram. Gloriabatur hic quaſi aquarum Dominus, & quod ab ipſis protegeretur. Quem Dominus per Prophetam in ſagena ſuæ omnipotentis juſtitiæ capere comminatur, ut ſuper eum decernat pœnaliter, qui juſtè vivere recuſavit. Angelorum verò miniſterium & malorum tormentum, ſolertibus ſcripturarum ſcrutatoribus patent. More autem doctoris volentis in animo audientium omnino inferre doctrinam, & præcavens, quod profertur, ne ab intelligentia elabatur interrogat: *Intellexiſtis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam.* Incomparabilis boni perditi periculum noſtur, ſi deficit intelligentia, ubi veritas docet. Et non apprehendiſſe mores juſtitiæ, germanum eſt beſtiis. Sed nec intellexiſſe perfectum quispiam habet, ſi deſit actio, cui tribuitur præmium. Nemini ad palmam ſcientia facta eſt, aut acuitas intellectus, ſi deeſt amor & poſſibilis actio. Igitur ut in prædicationem & actionem veniant, Chriſtus interrogat: Intellexiſtis hæc omnia? Affirmant auditores præſto eſſe intelligentiam ad prolata, quæ aut ad judicium, aut ad miſericordiam intelligentibus eſt. Et ait illis per parabolam confirmans: Ideo omnis ſcriba doctus, & cætera.

Cap. IX.

De parabola ſcribæ periti ad patremfamilias & theſaurum, ſecundùm Matthæum.

CUm multas parabolas ſine interpolatione Dominus poſuiſſet, tandem quòd protulerat ad cujus ſimilitudinem faceret, declara-
Matth. 13. vit dicens: *Ideo omnis ſcriba doctus in regno cœlorum ſimilis eſt homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.* Habet paterfamilias theſauros ex rebus veteribus aut antiquis, tam transmutabilium rerum & ex uſu deficientium, quam ipſi perſiſtentium. Et omne dixerim eſſe theſaurum, quod appoſitione quarumlibet rerum ſumit augmentum, ut vetera nova ſuſcipiant, & nova veteribus apponantur. Aut auro & argento, aut veſtibus & lapidibus pretioſis, aut ex novalibus appoſitione facta theſaurus inſurgit, ex quo paterfamilias ſecundùm exigentiam nova & vetera profert ad domeſticam curam ſimiliter, & cùm vult ex munificentia dona largiri. Non autem theſaurus eſſet ex veteribus, ſi non fulciretur ex fiſcis, neque fiſci & novalia præſtarent auxeſim, ſi nihil in veteribus haberetur. Utraque oportet ineſſe, alioqui evaneſceret ex his, quæ proferuntur. Sic ſcriba peritus, qui ad alios habet proferre ſermonem, in theſauris ſapientiæ hujuscemodi patrifamilias factus eſt ſimilis, quem veterum atque novorum oportet habere peritiam, ut de utriusque ad auditores poſſit plena documenta præſtare. Peritus per omnia & in omnibus, & ſuper omnibus ſcriba eſt ipſe, qui parabolicè fatur, in quo theſauri omnes ſapientiæ abſconditi ſunt, qui vetera & nova docendo protulit, cùm diſſeruit de originali juſtitia. Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis, cùm dixerit de lege Moſaica, quam non venit ſolve-

re

re, ſed adimplere. Similiter & nova eduxit de theſauris ſapientiæ ſuæ, cùm nova mundo contulit Sacramenta, cùm vocavit in vitæ novitatem, cùm ad præcepta ſuperaddiderit nova conſilia. Produxit vetera, cùm infernales pœnas aperuit, ad quas deſcendit peccatis veteribus veteratus. Nova protulit, cùm novitatem reſurrectionis & gloriam verè credentibus repromiſit. Ad hanc imaginem omnis ſcriba doctus in regno Cœlorum inſtruitur, ut noſcat veterem novamque legem, ut poſſet ex eis parabolicè formare ſermonem. Et ſponſa ſponſo gratulabunda dicit: Omnia poma nova & vetera dilecte mi ſervavi tibi. Poma nova, fructus ex Evangelica doctrina: Vetera, fructus ex lege. Una quidem eſt eccleſia ſalvandorum ex fructibus juſtitiæ utriusque teſtamenti. Necnon & in doctoribus & peritis ſcribis vetera & nova poma ſervat, cùm in prolata doctrina utriuſque teſtamenti cenſura ſervatur. Vetera ſervat Chriſto, cùm veterem mundum creatum, & novum per recreationem piè atque inhæſitanter credit, cùm patres veteris teſtamenti, & novi una fide collaudat, & originalem juſtitiam in primordio condinonis humanæ in cordibus hominum ſcriptam ſimiliter & Evangelicum aſſenſum præſtitit in fide venerari. Scriba ſiquidem doctus in regno Cœlorum, qui patrifamilias in theſauris ſimilis eſſe debet, omnem doctorem deſignat, ex authoritate Catholica docentem, quem oportet in utroque teſtamento eſſe peritum, ut illius figuras, iſtius veritates agnoſcat. Omnia enim in figura contingebant illis, qui degebant ſub veteri teſtamento, nobis autem ſub novo militantibus, veritates explicitè apponuntur. Sub velamine vetus teſtamentum erat, ad cujus oſtenſionem Moyſes velamen geſtabat in facie, à nobis verò velamen ablatum eſt, quoniam tranſivimus ad Chriſtum. Apoſtolus ſiquidem dicit: Cùm tranſierit ad Chriſtum, auferetur velamen. Expedit ſiquidem ſcribæ ſolerti ex novo & veteri in auditoribus fidem aſtruere, velut ſi ſic eorum celebraretur inductio, ex ſigno ad ſignatum, ex cortice ad medullam, ex umbra ad ſoliditatem, ex figura ad veritatem, ex ſermone ad ſenſum, ex litera ad intelligentiam claritatis. Hæc imperitus ſcriba non novit. Quamobrem, ſi etiam ſtet in regno Dei, ſcilicet militantis eccleſiæ, non agit, ſed agitur, non inſtruit, ſed docetur. Doctus verò rem regni Dei agit, inſtruit & aſtruit. Profert vitæ novitatem, ut in ejus novitate ambulemus, ſimiliter & vetuſtatem, ut deſeramus. Omnia nova ex Chriſto, cuncta vetera ex Adam. Vetera tranſire cogantur, omnia ex Chriſto nova in nobis fiant. Hoc proferat, hoc ſuadeat ſcriba doctus in regno Cœlorum, ut novis ſupervenientibus in vigore gratiæ, vetera projiciantur, quæ ſunt ex origine culpæ.

Cant. 7.

2. Cor. 3.

Cap. X.

De Parabola introducta de illo, qui incidit in latrones, & reſponſione de proximo, ſecundum Lucam.

INterrogatus Dominus noſter JESUS à quodam Phariſæo tentante, ſi quis ad diligendum eſt proximus, parabolicè reſpondit non explicans, quis ei proximus eſſet, ſed cui ipſe proximus eſſe deberet, quoniam primo indigentibus ad impletionem juſti mandati proximi eſſe debemus. *Ait enim: Homo quidem deſcendebat à Jeruſalem in Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivio relicto.* In tractatu, quem nuper edidimus de proceſſu peccatoris, abunde iſta parabola tractata eſt, ſed, quamvis ſuccinctè, hìc præterire non licet Deſcenſus ab Jeruſalem, averſio eſt à pace, à virtute, à quiete, à templo ſacramentorum Dei, ab eo, quod authoritatem habet, & veritatis rationem. Etenim iſta civitas regia & prophetalis erat. Deſcenſus ab Jeruſalem eſt omiſſio honeſtatis, prætermiſſio Sanctitatis ab obedientia legis æternæ, in qua ſtantes in pacem ſumus ad Deum, cui animo rebellantes, prætermittitur pax, & cauſatur damnoſa diſcordia. Nihil amarius, nihilque damnoſius, quam, ſi pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, non cuſtodit corda & intelligentias hominum, qua diſſoluta, obedientia legis Dei omnino deperditur; quæ niſi per hujuſcemodi obedientiam non tenetur. Malè ſibi providet, & ad gehennam

hennam ſe parat, qui à pace fecit abſceſſum. Sibi omnino non conveniet, ſi à Deo diſſidium fecit, & inteſtinum portabit continuò bellum. Nam mortis habet imaginem, qui dividitur in ſeipſo. Videbuntur etiam ſibi alii adverſarii, quàmvis afficiantur ei, qui perdidit Dei pacem, quoniam nemo ſecurus in regno, ſi cum rege agitur bellum. Suſpicabitur enim inſidias, exiſtens etiam cum amicis. Erit more Cain vagus & profugus ſuper terram, timens occidi, qui occidens fratrem, perdiderat pacem Dei. Et Semei, qui maledixerat David, cùm fugeret à facie Abſolon, à Salomone regente paternæ injuriæ ſub fœdere, ut habitaret in Jeruſalem, remiſſionem accepit ſub interminatione mortis, ſi aliquando ab illa diſcederet, quod & factum eſt, cùm diſceſſit. Magnum eſt bonum divinæ pacis, in qua exiſtens à Chriſto indulgentiam ſuſcipit, etiamſi æternum Deum & patrem ejus, & omnium in aliquo maledixit, â qua recedens meritò mortis gladium non evadit, non ſolùm dixerim temporalis, ſed mortis æternæ. Jeruſalem duntaxat elegit Dominus, ut eſſet nomen ejus in ea, quia præterquam in pace non habitat nomen Dei. Et in ea templum eſt Dei, quoniam pacifici templum vivum ſunt Dei vivi. Et adverſùs ſe interpretabatur David in perſona eorum, qui detinebantur in Babylone captivi. Si non proponeret Jeruſalem in principio lætitiæ ſuæ. Cùm nulla ſit vera lætitia, potius omne gaudium triſtitia dici poteſt, niſi in pace Dei fundetur. Etſi Jeruſalem pax Evangelica datur, Jericho datur excidium, & maledictio reædificatoribus ejus. Igitur o! tu quidàm meritò nominari non dignus, unde abſcedebas, quove deſcendebas, advertere debuiſti. Ut quid in mentem venit quietis regionem dimittere, abireque in civitatem lunarem, quæ nunquam in eodem ſtatu permanet, & nunquam ex aliqua ſui parte tranquilla eſt? Mirandis permiſſionibus agitur, ut exiſtens in Domo virtutum apoſtaſiam mediteturr, ſed aut non cognoſcit, quod habet, aut majori fraude præventus, ab illa recedens æſtimavit ſe aliquid melius habiturum. Sic agitur hominis interius malum, quoniam neque interius aut exterius invenitur exiſtens malúm. Unde oritur magna deceptio, cùm non ſit appetibile malum, ſemper enim itur de bonis ad bona, quamvis diſparia ſint. Igitur non ſubſtantialiter, ſed cùm in majore aut electione præponuntur minora majoribus, cauſatur hominis malum, & fit abſceſſio

Genſ. 4.
2. Reg. 16.
3. Reg. 2.
3. Reg. 9.
Pſalm. 136.
Joſue 6.

à Jeruſalem, & deſcenſus à Jericho. Utraque bona civitas, ſed una in omnibus alteri ſuperferebatur, quæ melior erat jam facta fuerat faſtidio deliberanti abſceſſum, quæ verò minorabatur, in delectationem obvenerat. Ad hanc imaginem omne peccatum committitur ab hominibus in univerſitate bonorum, etenim ſemper ad minora & infirma deſcendendo peccatur. Sed antequam veniatur ad terminum malè præſumptum, in periculum non opinatum incurritur. Nam & latrones ei ſuperveniunt, qui pacificam credebat agere viam, qui ſpoliant & vulnerant, privant ſcilicet honeſtate bonorum, & mala infirmitatis adjiciunt. Fiunt malè diſpoſiti incipientes apoſtaſiam inviſibiliter dæmonum præda, qui ſtolam innocentiæ auferunt, & vulnerant cor & ſenſus, per quos ac per ſeneſtras culpabilis mors ingreditur. Et debilitas tanta ſubſequitur, ut ad ſemiſſem redigatur vita vulnerati. Sed nec tota vita totam ceſſit in mortem, nec ſibi tota conſtabat ſævo perſeverante duello, ut alteram altera ex toto conſligeret, ſed alteri neutra cedebat, ut amarius eſſet bellum, & ſic homo cauſatus, æqua ſiquidem ab utraque vendicabatur in ſorte, nam ſicut ſemivivus, ſic & ſemimortuus diceretur. Ad ſemiſſem mortis omnia ſpiritualia mala, ſive quodlibet exitiale peccatum dixerim pertinere, ad vitæ verò ſemiſſem plenam libertatem voluntatis propriæ cum judicio rationis, quam omnia exitialia mala rationis durante judicio in mortis ſortem transferre non poſſent, ut totus homo in carne vivens mortuus diceretur. Abeunt ſeminece inflicta, infligere amplius non valentes. Abire nanque inviſibilium prædonum eſt, hominem relinquere in ea, quam accepit animi libertate, cùm omnes eorum conatus frangantur in illam. Non enim ſeparabiliter ipſam creator donavit hominibus, quanquam deprædari poſſit in jure damnatis, & confirmari à Deo in ſuis beatis, ut hi, niſi malum velle non poſſint, illi verò nec aliud præter bonum. Sic verò jacente vulneratu, qui pacis monumenta reliquerat. *Accidit ut ſacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo præteriit. Similiter & levita, cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit.* Omnia quæ fiunt in mundo accidentia ſunt, ſolus Deus accidentibus caret. Sacerdos & Levita vidcrunt proximum indigentem, cui debebant & ipſi proximi fieri. Ubi proximus jacet indigens aliena ope, ſed non omnis agnoſcens efficitur proximus. Nec ſacerdos ex officio,

nec

nec levita ex scientia proximi existebant: Nam non ex officio aut ex scientia, sed ex virtutibus homo Dei legem implet in proximo, & se proximo proximum facit. Sed sæpe qui majoribus dignitatibus potiuntur, & amplioribus scientiis fulgent, prætereunt officia charitatis. Quid autem mali adjiciat non proximari proximo
1. Joan. 3. indigenti, Joannem audi dicentem: Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? In quo non manet charitas, neque Deus, quoniam Deus est charitas. Privatus Deo, vita privatus est, quoniam apud eum est fons vitæ. Inter mortem & vitam in his, quæ vivere vel mori habent, mediari nequit. Pejora posse inveniri tormenta, quàm Deo vivo & vero privari, cogitationem & credulitatem hominum subterfugit. Et qui præterit aut pertransit proximum indigentem, præteriet eum Deus. Et qui non compatitur proximo, præter compassionem Deum judicem sustinebit. *Samaritanus autem quidam iter faciens venit secus*
Luc. 10. *eum, & videns misericordia motus est. Et appropinquans alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum. Et imponens illum in jumentum suum duxit in stabulum & curam ejus egit.* Omnia hæc allegoriam habent. Conflata verò in unum, activam charitatem ostendunt in proximum ex omnibus quibus possit malè patiens relevari, ut nil desit ad curam hominis utriusque, si in utroque aut in altero cognoverit adesse defectum. Et qui proximus secundùm rationem virtutis ad alium fieri cupit, primò ad indigentiam proximi, quod est suæ possibilitatis impendat. Deinde si plus ad indigentem pertinet habere subsidii, & ob causam defuerit jam præstanti facultas, per alium tamen proximum suasionibus & notitia peragat officia charitatis. Et hic proximus esse propriè dicitur indigenti. Qui ergo salvari desiderat similiter faciat. In hoc enim Salvator tentatorem sibi respondendo concluſit. Et omnino responsio ad interrogationem videtur impertinens, cùm ille quæreret quis sibi proximus esset, Christus verò respondit, cui proximus esse deberet. Decebat enim sapientiam æternam, quæ in carne velata venerat hominibus docere scientiam, aliter ac perfectius respondere, quàm interrogaverat ille, qui solùm terrena sapiebat. Et Salvator omnium Christus more tradentium in scholis doctrinam uni respondens plurimos instruxit, nemini unum præfigens proximum, sed omnem creaturam ratione utentem, quæ recipere similiter & impendere dilectionem rationabiliter potest, dum actuale beneficium charitatis ei potius impendatur, quem in tua scientia validius pondus indigentiæ & calamitatis oppressit. Ac per hoc in hac responsione unusquisque docetur à Christo, cui debeat proximus fieri, non quem ipse debeat per se proximum invenire. Nam neque meritum est apud Deum diligi, sed amare; Non recipere, sed tribuere: Non servire, sed servitium exhibere: Non charitas retransitiva, sed transitiva nanciscitur præmium. Et, quod virtutis est propriæ omnibus, non alienæ, docet ipse magister. Igitur fatagendum est, non quomodo recipiatur, sed quomodo impendatur dilectio. Nam unum est suum, reliquum est alienum: Et de sua, non de aliena virtute placatur altissimus. Et sicut nil tam necessarium, quàm propria salus, sic nil tam expediens quàm propria virtus. Et sicut nemo ex peccato alieno damna ex divina justitia patitur, sic ex aliena virRom. 14. tute nemo Salvatur. Pro se unusquisque reddet rationem, pœnam vel præmium suscepturus.

Cap. XI.

De parabola divitis perversè cogitantis ad improvidam solicitudinem, secundùm Lucam.

CReator omnium Deus nihil in mundo eorum, quæ ad usum humanæ naturæ sunt condita, proprium fecit, quoniam hominem non perpetuavit in mundo, sed sicut ex traduce nascitur, sic mors primorum parentum meritò in omnibus dominatur. Non ergo debet esse aliquid proprium, ubi mors invincibile tenet imperium. Proprium factum est homini mori, non in hoc Sæculo quicquam aliud vendicare privatum, etiamsi protoplasti culpa non fuisset, nec invidiâ diaboli mors ingressa orbem terrarum, homines aliter in alias regionis translati fuissent, nec decreto creatoris in terrarum orbe rerum fuisset proprietas, quæ cum af-

fuit inter homines, pervenit de lege peccati, quam introduxit iniquitas. Etsi Deus aliquando permisit homines in rebus creatis proprium vendicare, sic non abolevit imperatorum leges, quæ proprium hominibus concesserunt, ne rempublicam omnino perversorum ingrassantium turbaret improbitas, avaritiam nunquam concessit, ubique dissuasit & semper. Proinde Salvator ad renovationem vitæ hominum
Luc. 12. prædicans omnibus palam dicit: *Videte & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita ejus est ex his, quæ possidet.* Ad cujus sententiæ declarationem, expressiorem parabolam ex usu prolatam adjecit. *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam, quòd non habeo, quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, Destruam horrea mea, & majora faciam, & illuc congregabo omnia quæ nata sunt mihi, & bona mea. Et dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, quæ autem parasti cujus erunt? Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives.* Criminosæ sunt cunctæ divitiæ, damnationem extremam expectantes in sortem, si non referuntur ad Deum, si exsistunt penitus præter Deum, si plus appetantur, quàm divinis florere divitiis. Non ager in culpa, qui jacta semina suscipit, suscepta mortificat, & administrat virtute naturæ plus, quàm recipit à serente. Non ars satoria culpam habet, sed ex Spiritu Sancto, qui est omnium artifex, non ubertas insolita, non feritilitas improvisa, non enim æque in satis agris natura respondet, sed cugitatio cungregandi ultra legem, quàm necessitas posuit. Tenacitas animi nolle conferre in usus egentium, criminosum divitem facit. Non enim Deus naturæ fræna relaxat, ut in cujuspiam agro uberiores fructus adveniant, ut recludantur, sed ut dispergantur in usus. Ideo fit interdum natura uberior, ut prosusior fiat dispensatio ad egenos. Nihil enim proprium in multiplicationis processu justus ordo naturæ prætendit. Omnino à natura & à lege originalis justitiæ discrepat, qui destruit horrea necessitatis, & cupiditatis horrea condit. Cùm quis sibi providus fuit in mensura naturæ & necessitatis justitia, non ampliet apothecaria, in quibus reponat, sed meatus adveniat dispergendi. Proinde intendamus per singula in parabolam Salvatoris. Animadvertite quid dives cogitabat, qui ex agro plus solito uberiores receperat fructus, & inde implicabatur in animo, unde poterat ocyus explicari. Cogitabat intra se dicens: Quid faciam, non habeo, quo congregem fructus meus? Importuna erat ista cogitatio. Si non habebat, quo congregaret, erat paratior occasio tribuendi. Qui non habet, quo congreget, dispersioni obnoxius necessariò subjacebit. Frustra igitur cogitatur, quid aliud fiat, cùm ad actiones justitiæ causa concludit. Dispergat igitur, qui non habet, quo congreget. Inquiet fortassis: Premet necessitas. Opportuna erit annona, si fuerit vita prolixior. Sunt nati & natæ, sunt connubia celebranda, multiplicabitur proles, ecce hic infantulus ad ubera pendet, fortè prorogabit ætatem, gravescit uxor, partui vicina est, aut daturus dotem, aut recepturus ero. Utrobique sunt amplianda fomenta. Concesserim siquidem, sed tu in vita opinionem exclude. Non transgrediaris terminos, quos tibi necessitas posuit. Non intendebat Salvator per parabolam istam in eos, qui propter exigentiam duntaxat necessitatis alimenta procurant, reponunt atque conservant. Nam iste habebat horrea, de quibus cum fructibus exuberarent, dixit: Destruam horrea mea, & majora his faciam. Ecce transgressio necessitatis, ecce amplificatio cupiditatis. Non erat in culpa dives, quia horrea secundùm exigentiam justitiæ posidebat: Nam ex debito naturæ omnibus alimenta debentur, sed ex eo, quod ad exuberantiam agrorum horrea necessitatis destruere, & tenacis avaritiæ condere disponebat. Dives & fertilis mundus in administratione naturæ, quàm habeat utentes multò plures aleret, & nulla esset querela super terram, si tantùm horrea necessitatis, non avaritiæ conderentur. Stent apothecæ, quæ modestè sufficiunt ad fructuum exuberantiam, ampliores non fiant, pauperum horrea vacua repleantur: Sic enim ex avaritia non erit exorbitatio in natura. Ecce adhuc divitis mali detestanda perversitas, quod in majoribus horreis volebat omnia congregare, & omnia nata sua, & bona sua, ut præterquam sibi nulli provenire de congregatis posset utilitas. Volebat redigere omnia in privatum, quæ Deus ex natura concesserat ad commune. Fraudabat pauperes, rapiebat egenis, privabat omnes dono naturæ, cùm congregare omnia pro seipso fuerat meditatus. Ad seipsum aspiciens parvipendebat omnium vitam, sibi compatiens, incompassivus omnibus erat, vita, quæ Deus est, justè privandus, quia per eum id siebat, ut omnes pararentur ad necem. Ex alio quippe improbanda

cogi-

gitatio hujus divitis cenſebatur, quoniam præintendens accumulare divitias, virtutes abjecerat, nec congregabat illa, quæ poſt mortem etiam hominem comitantur, ſed illa perfunctoria, quæ rarò uſque ad exitum hujus vitæ aſſociant poſſeſſorem: poſſidere divitias, & Deum, interdum poſſibile factum eſt, congregaſſe tenaciter verò nunquam. Sed hoc eſt quod plus accreſcit ad culpam, ad acerbiora tormenta diſponit, allocutio, quam ſuæ ratus erat animæ facere, ſpondens annos incertæ vitæ, quæ ſub noſtra poteſtate non agitur, quæ præveniri poteſt, prorogari non poteſt. Sic enim dicere meditabatur: Et dicam animæ meæ, Anima habes multa bona poſita in annos plurimos. Multa ſunt bona hominibus poſita, ſed plerunque animi crediti evaneſcunt. Et eripitur ſæpe à Sæculo in numero dierum, qui numerum ſibi fabricavit annorum. Nec anni multi ſuccedunt, ut multorum congregatorum ex uſu poſſit eſſe conſumptio. Hæc enim decepit homines innumeros, cùm dilectati vivere ſuper terram, procul pepulerunt mortis meditationem, longam inhiantes vitam, quæ dum creditur, aufugit: Et tunc terminum ſumit, cùm ſperatur eſſe longæva. Et, quod plus amatur à miſeris, amplius eos cruciat, cùm tranſit in Dominium mortis. Arguendus in ſuis cogitationibus dives hic perverſo errore deceptus, quoniam in inquietis quieſcere autumabat, & famem auferre, unde amplius creſcit, & depellere ſitim unde ſumit augmentum, & epulari accuratè atque ſodaliter ad augenda incenſiva libidinis, & ad dehoneſtanda fœdera ſodalitatis. Advertendum eſt quale ſoliloquium cum anima ſua eſt peracturus, requieſce, comede, bibe, epulare. Promittebat ſibi requiem ubi non datur quærentibus eam. Quomodo requies, ubi omnia ſunt in motu? Unde in mari requies, agitantibus mare ventis? Quomodo requies, ex quibus perditur vera requies? Hic mentes hominum vexat error, ut, ubi animorum & corporum eſt tota vexatio, quæſita requies adeſſe credatur. Si totus mundus in maligno poſitus eſt, unde mundum diligentibus requies eſſe poteſt? Si quis amicus voluerit eſſe hujus Sæculi, inimicus conſtituitur Dei. Ex Dei inimicitia nemini ſalus, nemini quies advenit: Eſt enim Dominus univerſi. Quis tutus in regno, ſi rex extiterit hoſtis? Nemo habebit requiem, ſi ſibi adverſabitur heros. Fortaſſis mundus his requiem præſtabit ad tempus, qui unde perfunctoriè delectentur inveniunt, velut corvus emiſſus de arca Noe inſedit corporibus mortuorum. Invenerat enim, quo ejus aviditas repleretur, in cujus imagine omnes requiem habere videntur, qui mortuis operibus delectantur. Sed cùm ab eadem arca emitteretur columba, non invenit ubi requieſceret pes ejus, videlicet affectus, in quo quis vexationem obtinuit, vel quietem, niſi revertatur ad arcam, typum eorum bonorum præſagiens, qui extra eccleſiam orthodoxam, & ambitum legum ejus non arbitrantur eſſe quietem. Turpis eſt requies divitum, audituque deteſtabilis, contra quos de Moab per Jeremiam Dominus dicit: Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, requievit in fæcibus ſuis. Moab populus fuit ex primo Moab deſcendens, qui de inceſtu per Filiam ex patre natus eſt, qui dives factus & potens Dei populo adverſabatur. Sed ubi requievit? Ut propheta teſtatur in fæcibus ſuis. Fæces ſiquidem ſunt egeſtiones, & farinata corporum. Fæces ſunt eliquationes liquorum inferius deſcendentes, in ſummo liquoribus remanentibus depuratis. Omnia temporalia fæces ſunt egeſtæ à perfecto eccleſiæ corpore, quæ incautè ex hirundinibus egeſtæ cæcavere Tobiam. Fæces ſunt omnia inferiora, puritas verò in ſupernis eſt. Quàm vilis, quàm abominabilis requies divitis, quam ſuæ animæ repromittit. Solùm pauperes Spiritu fideliter requieſcent, cùm rarò, vel nunquam divitiæ ſine infidelitate conſiſtant, quoniam aut per infidelitatem acquiruntur, aut fide ad proximum denegata poſſidentur. Falſò ſibi divites requiem promittunt, nam aut laborant, ut congregent, aut ſæpe terrentur, ne invitè perdant. Nulla divitibus requies, cùm ſemper nituntur addere, fortaſſis requieſcerent, ſi plura non vellent. Ex cupidine inſatiabili, ex ſudoribus acquirendi, ex ipſis rebus divitibus nulla quies. Comeſtio ſiquidem mitigare famem poteſt, auferre non valet. Similiter eſt judicandum de ſiti, quod bene per Aggæum prophetam dicitur: Comediſtis, & non eſtis ſaturati, bibiſtis, & non eſtis ebriati, operuiſtis vos, & non eſtis calefacti, & qui mercedes congregat, miſit eos in ſaccum pertuſum. Epulatio ad lautiorem vitam pertinet, & ad accuratiorem, necnon ad deteſtanda convivia: Ad quam contemplandam nemora vexantur, agitantur ſylvæ, cum arcu, ſagittis, canibus animalia ſylveſtria impetuntur. Aves rapaces ex natura, rapaciores ex arte dimittuntur ad volucres mites, ut venatu aliquid in prædam deveniat, ut eo ſit epulatio

Jacobi 4.

Jerem. 48.

Aggæi 1.

lario gratior, quo major extitit labor ipſe venantium. Maria, fumina, lacus exquiruntur in abditis ſubmiſſis hamis, lineis clauſtris, naſſis atque ſagenis, ut pro epulatione piſces veniant in capturam. Capiferi & dapiferi ſolertiſſimi exquiruntur. Loca expoſitionis rerum venalium viſitantur diluculo, conſiderantur epulonibus apta, quibus inventis ceſſat emendi litigium, pretium eſt in voto vendentis, fit rumor varius in varietate rerum, ut accuratè proveniant, & talis eſt ſtrepitus, acſi adhortatio diſponeretur ad bellum. Eriguntur menſæ, protenduntur deſuper gauſapa, ſine timore Dei diſcubitus ordinatur. Excitantur ſaporibus fauces, varia vina funduntur. Edendi aviditas etiam in multitudine in primo congreſſu ſilentium facit, & cùm ventres vino humidi, utres repletioni ſunt proximi, cum incaleſcunt capita mero, excitatur in menſis velut rumor in caſtris. Ibi proferuntur inania opprobria in abſentes, omnia inhoneſta, omnia digna riſu licita tunc temulentia facit, inde ſomni, inde gravedo, inde oblivio bonorum, inde chori, inde luxuriæ, inde omnis infirmitas ad prohibita. Ecce qualis eſt epulatio divitis, quam ſuæ vitæ miſerè repromittit. Sed advertendum eſt, quod ſequitur. *Dixit autem illi Deus Stulte hac nocte repetent animam tuam à te.* Per omnia eſt iſta horrenda reſponſio, quam diviti Salvator oppoſuit, quoniam ſtultus dicitur dives ex eo, quod peritura congregat, non ſervanda reponit, & communia redigit in privatum. Credit requieſcere ubi vexatio, comedere, bibere, epulari per tempora, & per multos annorum orbes. Et quandam beatitudinem ſibi velut ſomniando parat, ubi etiam miſera vita non durat. Hac nocte, velut ipſo die fuerit facta cogitatio, repetent animam tuam à te. Qui repetent? Maligni ſcilicet Spiritus. Sed quomodo repetent, cùm ipſi non mutuaverint? Nam repetitio eſt eorum, quæ dantur mutuò. Et juſta repetitio juſtum habet Dominium, & ſemper eſt rei, cujus Dominium non transfertur. Eſt ne anima alicujus ſub malignorum Spirituum Dominio conſtituta, ut jure debito repetere cenſeantur? Nonne omnes animas creavit omnipotens. Nonne ipſe univerſorum eſt Dominus? Quid ſibi hoc vult, quod dixit, repetent: Acſi animam divitis maligni Spiritus ad tempus præſtiterint diviti, quam ab ipſo repetant ratione non transſati Dominii? Modica eſt quæſtio, ſed terrore animas divitum quatit, quæ apoſtolica ſententia enodatur. Inquit enim Apoſtolus: Omnes qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli. Jam enim ex ipſa voluntate ditandi, teneri videntur intra retia diaboli, & ſibi ſunt mancipati, eo ipſo, quo divitias ex avaritia quærunt, & in ipſis, non in Domino gaudia ſua ponunt. Quo jure in hora mortis repetunt divitis animam, velut dum viveret, eis Dominio ex iniquitate jam traditam. Nec per hoc Dei Dominio derogatur, ſi anima voluntariè peccando ſatanicæ ſe tradidit poteſtati, cùm nihil ejus poſſit dehoneſtare imperium, ut non ſubjaceant omnia ſuæ juriſditioni. Reperunt igitur maligni Spiritus animam in morte ad æternam pœnam eo jure, quo eis ſe obligaverat per temporalem culpam. Nam qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Super quibus juſtè diabolus ſibi vendicat dominatum, & repetit animam in termino mortis velut emptum mancipium. Quæ autem paraſti, cujus erunt? Non divitis, quia ſecum ferre non poteſt. Non enim copiæ hujus Sæculi trahi poſſunt ad aliam vitam. Sed ad inferos anima divitis detrahetur, nihil ſecum horum portabit, quæ hìc congregaverat ad requiem ſive ad ſatietatem. Nam ibi laſſis non præſtabitur requies, nihil apponetur ad eſum, nihil ad refrigerium ſitis, ſolùm pœnarum erit ſatietas, quas ſemper oportebit ſumere, nec ab eis abſtinere poterit anima faſtidita. Et ſumet involuntariè atque inceſſanter id, quod ſuam naturam acerbè cruciat, pro eo, quod ſumpſit voluntariè, quod divinam habebat offenſam. Proinde divitem divitiæ non ſequentur. Cujus aurem erunt? Fortaſſis ad uſum inopum diſpergentur, Egeni ſua jura recipient, & fraudati pauperes in illis debitam juſtitiam conſequentur. Fortaſſis hæreditabit genitus hæres, qui fortè uſu prohibito gaudebit de mammona iniquitatis? aut fortè ſimul cum paternis divitiis vitiis aſtringetur paternis. Et fit ſæpe juſtis modis, ut eadem pœna multetur hæres, ſicut ille, qui hæredem inſtituit. Necnon plerunque factum eſt, ut qui fuit hoſtis, fiat hæres in bonis. De quo divite per omnia in Sapientia dicitur: Eſt qui locupletatur parcè agendo. Hæc eſt pars mercedis illius in eo, quod dicit: Inveni requiem, & nunc manducabo de bonis meis ſolus, & neſcit, quod tempus prætereat, & mors oppropinquet, & relinquet omnia alienis, & morietur. Sæpe remanent bona divitis apud alienos, & ejus poſſeſſio devolvitur ad extraneos. *Sic eſt qui theſaurisat, & non eſt in Deum dives.*

1. Tim. 6.

Joan. 8.

Eccl. 11.

ves. Thesaurizat quis sibi, & nescit cui congregabit ea. Sed qui ad Deum pertinet, dicet: Et nunc quæ est expectatio mea? Nonne tu domine? Et substantia mea apud te est. Culpabiliter & miserimè omnis est pauper, etiamsi omnibus terrenis gazis refulgeat, si in Deum dives non fuerit, in quo divitem fieri duntaxat ex copiis invisibilibus est, quarum possessio non deficiet, neque minuitur ex consorte, neque crescerot, etiam si consors nullus adesset. Divitiæ Fidelium solus est Christus, in quo si verè sui fuerimus, omnia possidebimus. Quamobrem Apostolus pro talibus ditatis in Christo gratias agit, dicens: Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vubis in Christo JEsu, quia omnes divites facti estis in illo, in omni Verbo, & in omni scientia, ita ut nihil vobis delit in ulla gratia. 1. Cor. 1.

Cap. XII.

De parabola divitis epulonis, & Lazari pauperis ulcerati, secundùm Lucam tantùm.

MAlui consimilem parabolam consimili nectere, quàm doctorum ordinem sequi. Proinde parabolæ divitis malè cogitantis vel congregantis ex ubertate fructuum, parabolam divitis impii, & bonis suis lubricè utentis annexui: Quoniam ex divite impio & delicioso, & ex paupere infirmo atque egene invariabiles fines hominum voluit insinuare Salvator, ut divites terrore perculsi converterentur ad decens, pauperes verò ne impatientia vexarentur. *Homo quidam erat dives, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè. Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat. Sed & canes venibant & lingebant ulcera ejus.* Luca 16. Nomen divitis subticetur, velut iniqui hominis. Omnis enim ad seipsum dives iniquus est. Neque in divitiis alia est iniquitas, nisi cùm sunt malè partæ, aut cum detinentur non per justitiam erogatæ, seu cùm per lasciviam sunt exhaustæ. Perperam nempe iste dives suis divitiis utebatur, nam induebatur purpura, & byssio & epulabatur quotidie splendidè. Culpatur pretiositas vestium, magis autem jactantia, vanitas, superbia, quæ ab ipsa pretiositate procedunt. Multa in seipsis inculpata manent, culparum verò causæ maximæ fiunt. Toleraretur interdum pretiositas in divitibus, si viliora pauperibus erogarent, si non jactantia vexarentur, si superbia non tumescerent. Etiam epulatio splendida huic erat in culpa. Et si excusaretur, quia interdum dives vescitur epulis accuratis, quotidie tamen splendidè epulari per ingluviem damnati criminis notam habet. Et quanquam nihil sit prohibitum, quod cum gratiarum actione percipitur, veruntamen omne superfluum est in culpa, & oblivionem Dei fecit, atque virtutum epulatio quotidie accurata. Semper consuevit gula annexa esse divitiis. Nam sicut habilitas furandi fecit furem, qui furari antea non meditabatur, & mœchandi facilitas occasione proposita mœchum fecit, etiam talia non prægitantem: Sic humanæ divitiæ voraces atque comessores plurimos perfecerunt, exceptis interdum his, quos avaritia plus pessundat. Sed ecce contraria conditio destituti hominis, ad condemnationem stipati divitis insurgebat. *Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo dabit illi.* Non ad condemnationem divitis factus est pauper, ut per pauperem divitem Deus velit involvere, sed sæpe pauperes esse permisit, ut per eos posset dives relevare, si velint habere in rebus, sicut habent, velint nolint, in natura consortes. Sed ipsi velut immisericordes pauperes contra seipsos in judicium statuerunt, ut per pauperem accusetur magis dives, qui naturali consorti manifestè indigenti subvenire contempsit. Erat quidam mendicus nihil ex propriis habens, absolutus à civilibus nempe causis, qui nihil vendicabat in proprio, quamobrem aliena mendicare cogebatur. Huic suppetebat in jure natura, quæ omnes debet alere pro captu, necessitas & indigentia quibus premebatur, sibi pro legibus erant. Ex istis exorta occasio depellebat pudorem, ut peteret aliena velut naturæ debitum, paternis hæreditatibus & lucris propriis non

tur mendicus, & portaretur ab angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem dives, & sepultus est in inferno. Videte ingressum hominum in hanc miseriam similem dissimilemque progressum, æqualem egressum, disparemque terminum. Nam unus est omnium ex Adam descendentium ingressus ad vitam, similiter & unus est exitus per mortis decretum. Sic enim in Sapientia Sapient. 7. scriptum est: Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, similis & exitus. Omnes qui ex traduce nascuntur, concipiuntur ex semine, coagulantur in lacte, commutantur in sanguinem, vertuntur in occultis in membra formantur, & cùm coagulati fuerint, egrediuntur per pollutam portam cum flebili voce in hanc ancipitem vitam. Ab hoc naturæ ordine nullus excipitur, sive futurus sit dives, sive in multis sapiens, sive rex. Et cùm hanc nascendi seriem Salomon contexisset, adjecit: Et nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. Cùm verò finis mortis advenerit, quibuscunque pœnis corpus afficiatur, unus est exitus, videlicet cùm à corpore anima separatur. Non enim attenditur exitus in multiplicitate dolorum atque pœnarum, quibus corpora humana vexantur, sed in eo quod à vexato corpore anima exire compellitur. Nam si omnes dolores uno conflarentur in corpore, finis aut exitus non diceretur nisi anima egrederetur. Ac per hoc in ingressu flebili, & in exitu lethali, omnium hominum similis & est una conditio, progressus verò aut ex divinis dispositionibus, aut ex electionibus hominum, aut ex fortuitis, aut ex communiter accidentibus consuevit esse dissimilis, & in experientia quàm eloquentia plus elucet, nec opus est ad declarationem hujuscemodi detinere lectorem. Claret enim omnibus apparenter ipsa in hominibus continuè inventa diversitas, prout in hac parabola dives delicatus & pauper derelictus insinuant. Veruntamen terminorum immutabilium atque invariabilium contrarietas non ex rebus, quas vulgus fortunales appellat, aut ex stellarum dispositione, aut à communiter accidentibus, sed à voluntariis electionibus hominum provenit. Nec iste mendicus sublatus est in sinum Abrahæ, quia sic exterioribus malis obsitus erat, nec dives ad inferna demersus, quia tantis bonis circumdatus erat, alioquin ex rebus exterioribus & corporalibus salus esset sive damnatio, sed quia dives sic elegit gaudere cum sæculo, non dare superflua mendicanti, quia despexit naturæ consortem. Mendicus verò etsi illam non expetivit à DEO miseriam, tamen patienter pro DEO elegit sustinere innatam, cùm etiam multi reperiantur, qui molestias sibiipsis imponunt, illatas ferunt, & ob virtutem, qua DEO se placere credunt, non abhorrent innatas, & si sensus refugit, ratio his assentit. Ecce finis toleratæ pro DEO in hac vita miseriæ, ut post hanc ærumnosam vitam illi spiritus cœlestes adveniant, & obsecudentur ei angeli, quem mundus abhorruit, & deferant in sinum veræ quietis, non Abrahæ, sed in æternum regnum, quod Christus in suo sanguine nobis emit. Frustra igitur omnis malè patiens anxiatur, turbatur, & querulatur, cùm abjectorum mundi sint regna cœlestia. Quæ poterit esse illa calamitas, quæ tribulatio animam doloribus perforans, si angeli deferant ad superna? Eja his qui sunt peripsema mundi, euge qui afflicti & angustiati sunt, qui sustinuere mala proposita, qui passi sunt omnia genera tormentorum, qui semetipsos nec tyrannorum aut æmulorum violentia, sed propria voluntate se tradiderunt in pœnas, quoniam in beatas & perpetuas æternitates ab angelis transferuntur. Quid his, qui mundi abjectissima facti sunt, si patiuntur in tenero sensu ea, quæ hauriant asperum sensum? Quid si moriuntur inviſi, si jaceant insepulti, si sint in fluminibus præfocati, aut in mare submersi, quid si à bestiis devorati, si angeli Dei deferunt in superna? O reprehensibilis cogitatio mortalium. O diffidentia hominum. Si credimus evangelio, si speramus resurgere, atque in melius immutari, cur in animo à tantis molestiis accidentibus circumferimur, si DEUS desuper spectat, si personas non accipit, cùm immittit cœlestes exercitus ad castra hominum abjectorum? O igitur quàm bene perituris omnibus propter Christum. Quid autem dixerim de divite, qui habebat multa bona, qui post mortem corporis æternam mortem incurrit, & per gravem in graviorem, & de perfunctoria sede honorum ad inferna penetravit. Divitiis temporalibus pœnarum abundantia, purpuræ induitio tenebra, epulationi focus ad pabulum, quotidianitati æternitas, splenditati cognitorum & sensorum horror, divina dictante justitia commutatis meritis succedere. Quid sibi divitiæ, quid purpura, quid epulæ, quid quotidiana & accurata refectio, quid convivia, quid famulorum copia, quid

1. Tim. 2.

quid omnia, quibus ipſæ divitiæ creſcunt, ſi poſſeſſor abutens, ad inferna detrahatur? Audaciter affirmem, nedum melius caruiſſe divitiis, ſed etiam non naſci ſibi fuiſſet decentius, quem viventem non abſterret pœnarum metus, ſed divina juſtitia inferna conſtituit, à quibus nulla eſt revocatio ad alias manſiones. Sed unde ſepultus eſt inferno? Non quia dives, ſed quia compaſſivus extitit ad mendicum, quia ſupra exigentiam naturæ divitiis abutebatur, quia impinguatus, dilatatus recalcitravit, nec gratias egit creatori ſuo, & ad faſtum convenerant, unde Deo debebat eſſe proclivior. Sed verè ſepultus in inferno poſt mortem, ratio, quia dum vivebat, in divitiis & corporis deliciis obruebatur. Nec de rapina, ſeu furto, aut de impotentum expoliatione ſeu devaſtione terrarum, aut quod graſſaretur ex præda, accuſatus eſt dives, nec ſibi homicidia ſeu incendia opponuntur, ſed ſolum incompaſſio & abuſus, ut à minoribus malis ad majora formatus progreſſus oſtendat quantùm ſit majoris culpæ eſſe criminoſum, quàm delinquentem, & nequiter operari, quàm negligere, aut aliena nequiter extorſiſſe ab eo, quod eſt propria non largiri. Sed quanquam in inferno non ſit vera confeſſio juxta propheticam ſententiam: In inferno autem quis confitebitur tibi? Ut nullus ſubintelligatur, & alibi: Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum: Attamen bonorum & malorum eſt vera cognitio, illorum per carentiam, iſtorum per experientiam cum natura invictè certantem. Proinde ſequitur: *Elevans autem oculos, cùm eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu ejus. Et ipſe clamans, dixit: Pater Abraham, miſereri mei.* Ex hinc moralia ſilent. Quomodo poſitus in tormentis vidit receptaculum beatorum? Quomodo in inferno ſepultus vidit Abraham, & in ſinu ejus Lazarum recumbentem? Si parabola eſt, quæſtio eſt ſoluta. Si verò rei veritas ſic exiſtit, illa oculorum elevatio, illa protinus viſio non refertur ad corporis actum, ſed ad illam internam cognitionem, ubi veritas rei in luce rationis cognoſcitur, qua damnatus etiam non privatur, ut illa pœna eum inceſſanter diverberet, qua facienda prætermittens, prohibita verò committens agnovit, qua bona, quæ perdidit, mala, quæ patitur, experimento cognoſcit. Elevans igitur oculos, ſcilicet interioris hominis cognitionem, vidit Abraham partem Fidei Salvandorum, qui credendo factus eſt juſtus. Cognovit protinus unde ſalvari poterat, ſed contempſit, & Lazarum quem deſpexerat, recognovit in ſinu, in quiete videlicet, quam electi poſt hanc vitam ſortiuntur. Clamor ejus ad miſericordiam conſequendam prodit immanitatem dolorum, & deſperans loquitur introrſus dictante juſtitia, quoniam juſtè irremediabiliter damnatus eſt. *Et mitte Lazarum ut intingat extremum digiti ſui in aqua, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Ad exaggerationem tormentorum, quem ſe inferiorem in hac vita perſenſit, ſcit in alto conſiſtere, atque quieſcere, qui vivens quotidie ab inedia expugnabatur, & petit auxilium aquæ in extremo digiti, ut indicet quoniam etiam minimo refrigerio privatus eſt, & petit per eum, quem omnino deſpexerat, ut creſcat pœna ſumendi. Sublimitas ad inferna detruditur, & ejus abjectio ad ſuperna levatur. Refrigerium in lingua duntaxat exquirit, acſi nihil in membris aliis pateretur. Sed lingua ſit confeſſio ad ſalutem, cùm corde creditur ad juſtitiam. Et juſſu linguæ potuiſſet hic dives illum pauperem ſuſtentare, circundatus copia famulorum. Digitum petit ad linguam, quia etiam opus minimum non perfecit alienæ linguæ audiendo doctrinam. Cruciabatur in flamma pro vita delicioſa, ſed non erat tunc tempus miſerendi ejus, quia tempus deſpexit, cùm potuit alterius eſſe miſertus. Unde *dixit illi Abraham: Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc verò hic conſolatur, tu verò cruciaris.* Non amore aut compaſſione Filium nominat, ſed quia eſſe debuit, aut quia eum deſpectum à DEO per juſtitiam deſpicit. Magis autem illud exiſtimo, quamvis ſcriptura non explicat quod diaboli Filium appellaverit, ſecundùm illam ſententiam, qua de reprobis dicitur: Vos ex patre diabolo eſtis. Hominum conditiones & ſtatus mutantur omnino poſt hanc miſeram vitam, ut aut plena felicitas, aut ſequatur omnino miſeria. Nec jucundis jucunda, nec adverſis adverſa, ſed adverſa jucundis, & adverſis jucunda ſuccedunt. Nec omnis in throno hìc reſidens ibi regnabit, nec de ſterquilinio, ad ſterquilinium eſt acceſſus, nec hic omnibus abundans ad votum, ibi pro voto refulgebit, & hic deſtitutus, ibi ſemper inopiam patietur, quoniam in alia vita conſolabitur, qui multa mala fuerit in vita per-

Pſalm. 6. Pſalm. 113.

Joan. 8.

perpeſſus, ſi tenuerit in anima & actione virtutem. Et qui omnibus hic floruit, ſi abjecerit illam, æterna damna omninò patietur. Hinc Abraham ſerò remedia inquirenti reſpondet: Bona recepiſti in vita tua, hic ſimiliter mala perpeſſus eſt. Nunc verò divina juſtitia ſingulorum merita abſque acceptione perſonarum infallibiliter trutinans, ſupplicia æterna nequiter in hoc mundo florentibus, & abjectis piis æterna bona largitur. Et orbem cunctorum juſta lege revolvit, & ima ſurſum, & ſuperna deorſum juſto moderamine vertit. Et ſic nec in aquæ gutta exauditus eſt dives, quoniam qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperum, & ipſe clamabit, & non exaudietur. *Et in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum eſt, ut hi, qui volunt hinc ad vos tranſire, non poſſint, nec inde huc aliquis tranſmeare.* Chaos firmatum protinus dixerim impoſſibilem compaſſionem beatorum ad æternè damnatos, & nullam poſſe eis contingere lætitiam de gloria beatorum. Nam ſtabunt juſti in madna conſtantia, ita ut in nullo modo compati poſſint adversùs eos, qui ſe anguſtiaverunt. Non enim vera eſſet beatitudo, ſi in eis poſſet eſſe compaſſio. Quamvis enim in viatoribus compati ſit virtutis, eſſet defectus protinus in beatis, qui per moleſtiam affici non poterunt. Et divinæ juſtitiæ opus apertè videntes lætabuntur utique de damnaris, reſpicientes in eum, qui neminem per juſtitiam, ſed per miſericordiam ſalvat. Quomodo igitur compati poterunt ſuper his, quos Dominus imperturbatè damnavit? Fulgebunt omnino æqualiter ad gaudium beatorum iſtæ divinæ ſtellæ, miſericordia & juſtitia Dei, ita, ut reſplendeat juſtitia in damnatis, ſicut miſericordia in beatis. Compati nihil aliud eſt, quàm de invariabili judicio conturbari. Sed necdum beatis, qui non poterunt, etiam viatoribus interdicitur, ne damnaris æternè compatiantur, quamvis peccatoribus & afflictis in hac vita in carne degentibus, & ardendennbus ad purganonem compati ſit charitatis officium, ſit etiam debitum pro ipſis orare, ut revocentur à malis, ut liberentur à pœnis. Non enim erit in ſuperis propinquitas generis, non habtia in mundo copula conjugalis, non amicitia, Non ſiqua neceſſitudo præhabita compaſſionem adducet, ſi hujusmodi damnatum cognoverit fuiſſe conſortem. Sed nec minus ad admirationem adducit, quod ad Abraham ſubintulit incola infernalis. *Et ait: Rogo ergo te Pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut teſtetur illis, ne & ipſi veniant in hunc locum tormentorum.* Sicut beati non poſſunt ad damnatos hujuſcemodi miſericordiis affici, ſic & in inferno ſepulti nequeunt ad eos, qui adhuc in carne degunt, ullis cautionibus commoveri. Extinctus protinus eſt in eis omnis amor in proximum, & omnis virtus adempta, necnon & exquirunt in pœnis habere conſortes, quamvis ex conſortibus nullum eis poſſet eſſe levamen. Æternè damnatorum omnis eſt depravata conditio, excepta bonitate naturarum, quæ integra ſemper manet, quoniam, niſi etiam in damnatis naturarum bonitas ſervaretur, non eſſet cum quo pœna conſligeret, ſed compaſſio & appentus bonorum eis omnino non adſunt. Quid ergo eſt, quòd æternè conſtitutus in pœnis rogare videtur pro fratribus ſuis vivis, ne ſimiliter pariantur? Reſponderim, quoniam hoc ſalvator parabolicè protulit. Etiamſi veritas rei, non parabola exiſtiſſet. non ipſam rem geſtam, ſed quid auditoribus velit edicere videamus. Si cum ſubſtantiali bonitate naturarum affectio recta, & compaſſio ad proximum in inferno vigerent, omnes providere deberent, ne quinque fratres, ſcilicet hominis in natura infimul omnes in quinque ſenſibus conſtituti, viventes in carne poſt mortem ad inferna deſcenderent, cùm in inferno augeatur pœna, non nominatur ex multitudine afflictorum. Sed quod eſſe debuit, non qualiter geſtum ſit, advertamus. *Cui reſpondens Abraham, ait: Habent Moyſen & Prophetas, audiant illos.* Sufficit ad cavenda peccata lex divina. At ſatis ſunt eriam & Prophetæ, abſque quod aliquis vobis prædicaturus reſurgat à mortuis. Inſiſtit damnatus improbiter, propter mala, quæ ſentit, propter tormenta, quæ patitur, quoniam ſi accideret per experienriam, fateretur differendo, quæ ſuſtinet, ut eos ad pœnitentiam provocaret. *At ille dixit: Non Pater Abraham, ſed ſiquis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Cupit eſſe doctor, qui mala tolerans factus eſt ſapiens, qui bonis abutens, Dei ſapiennam habuit in deriſum. Æſtimat ſe oratorem ſtrenuè factum, & referendo, quæ patitur, faciliter ſuadere ſe credit. Videtur nunc inutiliter compati fratribus conſtitutus in pœnis, qui contempſit utiliter compari ulceroſo, dum refarcinaretur ſplendidis epulis. Serò aliorum cupit eſſe Magiſter, fruſtra credit aliis ſuadere cautellam, qui ad ſemetipſum factus inſipiens dixit in corde ſuo: non eſt Deus, qui poſſit aut velit inferre pro delictis hominibus ultionem, & ſibi exiſtens incautus; ad tartares loca deſcendit. Sentire hic damnatus videtur cum multis, dum qui malè vivunt, optant quenpiam ex mortuis reſurgere, ut annunciet, ſi quid boni

Sapient. 5.

vel mali poſt hanc vitam erit, & quid erit, quod & quando vita iſta non erit. Aſſerunt ſe ad meliora converti, ſi ex mortuis jam notis audierint vera eſſe, quæ per fidem ſancta Eccleſia docet, ſi verò eſt beatitudinis atque pœnarum æternitas, ſi ſic eſt pœnarum acerbitas, ſi horribilitas dœmonum, ſi qualis affabilitas civium ſupernorum. Sed in reprobum ſenſum hujuſcemodi optatores dati ſunt, ut magis velint in meliora mutari ex uno reſurgente à mortuis, quàm univerſalis Eccleſiæ, quæ credit omnes ex mortuis in fine ſæculi ſurrecturos. Quærunt iſti fortitudinem noſtræ fidei dirimere, per mortuum ex mortuis alterius ſæculi certitudinem inquirentes. Quis ex mortuis veniens melius poſſet diſſuadere peccata, & homines ad meliora convertere, quàm, Moyſaica lex, quàm ſcriptura prophetarum, quàm ipſa veritas, quæ humanis mentibus interlucet, quàm illa originalis juſtitia in cordibus hominum ſcripta? Quis ex mortuis aptior alterius ſæculi bona & mala prædicere? Quis ad pœnitentiam cautior invitator, quàm ipſe Chriſtus factus inter mortuos liber, per quem facta ſunt ſæcula, qui docuit ſæculum, qui verè infernum novit & Cœlum? Proinde quod Abraham adjecit, ad tempora etiam Chriſtiana devolvitur. *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent ei.* Habebant illa tempora Moyſen & Prophetas. Habent tempora Chriſtiana & hos, & Chriſtum, & Apoſtolos. Si Chriſto & Apoſtolis homines perverſi non credunt, quomodo credent homini ex mortuis venienti? Chriſtus homines ſuſcitavit à mortuis, & ipſe ſua poteſtate à mortuis reſurrexit. Ipſe in fine ſæculorum potenter mortuos ſuſcitabit. In ejus virtute Apoſtoli defunctos revocaverunt à tumulis. Cui ergo rectius præſtabitur de alia vita credulitas? Porro ſi ad morum correctionem Evangelio Chriſti non creditur, deſperandum eſt, cui alteri melius credatur. Quærere hominem ex mortuis, ut vobis, quid ſit poſt hanc vitam annuntiet, qui monefaciat ad virtutes, qui retrahat à peccatis, ſubterfugia ſunt, excuſationes ſunt. Cauſatio eſt veritatis, dubium eſt in fide, nolle ſimpliciter ſervare promiſſa, nolle à crimmibus explicari. Ac per hoc ſi in Chriſto & Apoſtolis non creditur, neque ſi ſurrexiſſent centum millia mortuorum. Nam ſi angelicæ virtutes evangelizarent, ſi ſpiritus immundi in linguis humanis prædicarent, ſi omnes mortui revocarentur ad vitam cum ſcientia & poteſtate loquendi, ſi oſtenderentur oculis humanis bona ſuperna, ſi poſſemus, ut ſunt tormenta & loca tartarea mente ſeu corporaliter intueri, etiam ad hæc omnia plus eſt Chriſtus, cui præ omnibus eſt adhibenda fides. Ipſe deteſtatus eſt vitia, prædicavit pœnitentiam, dixit appropinquaſſe regnum cœlorum, & pœnas æternas interminatus eſt. Igitur qui ſint fines piorum atque impiorum, inſpicite, præſtate dictis fidem, notate parabolam, à vitiis explicari ſatagite, date virtutibus animum, ex quarum ordine cudantur & mores. Non te inanniter extollant divitiæ, quarum poſſeſſor ſempiternus inferni factus eſt civis. Non te delectet ciborum accuratum edulium, non inter convivas vana loquacitas, cùm guſtus & lingua pariter igne inextinguibili terreantur. Pauperies non te contriſtet, non corporalis anguſtia, non inflicta vulnera, non ulcera innata, non derelicta ſeu incognita vita, cùm his patienter toleratis, æternus collega fiat civium ſupernorum.

Cap. XIII.

De parabola divitis cum villico iniquitatis, ſecundùm Lucam tantùm.

AD honeſtam providentiam agendorum pro ſpe futurorum bonorum nos Salvator exhortans de villico iniquitatis agente ſub divite parabolam poſuit, dicens: *Homo quidam erat dives,* Luc. 16. *qui habebat villicum, & hic diffamatus eſt apud eum, quaſi diſſipaſſet bona ſua.* Divitiæ non ſolùm poſſidenti, ſed etiam diſpenſatori factæ ſunt cauſa peccati, ut rarò & difficulter factum ſit poſſidere divitias, quin inducant in animarum pericula contrectatores. Hinc diffamatur villicus divitis, pauperis ſiquidem nunquam reperimus villicum diffamatum. Non eſt ſubſtantia multa, ut diſpenſatore indigeat. Qui parum habet, unde pauperis nomen exortum eſt, ſibiipſi ſufficit ad curam & modicam gubernare ſubſtantiam, non requirit œconomum, occaſionem furandi non parat, nemo alius de ſua ſubſtantia diffamatur. Si autem eget, expeditior factus eſt, ut tantùm ipſe caveat, ne furetur, nam fures alii domum ejus ignorant, non habent aliquid diſſipabile. Litigandi cauſa pauperibus, & egenis ſublata eſt, etſi pauperi modica, egenis verò protinus nulla ſubeſt. Verumtamen multitudo divitiarum non excuſat raptores, neque diſſipatores, aut

aut quomodolibet contrectatores præter voluntatem poſſidentium : ut quia multæ ſunt, ergo licentia ſit perperam perpetrandi vel pertractandi. Nemini licet, quod ſuum non eſt redigere ad ſe ipſum, aut aliter effundere, quàm decreverit Dominus rerum. Quamobrem *Et vocavit eum Dominus ejus, & ait illi : Quid hoc audio de te ? Redde rationem villicationis tuæ, jam enim non poteris villicare.* Vera ſuſpicio de actione iniqua aures divitis ſortaſſis alio-rum relatione pulſaverat, aut res non inventa in ſuo pondere ſolito & menſura, divitis animum concitaverat, ut de villico ſuo inquireret, unde ab inquiſitis ut diſſipator accuſatus eſt. Nemo igitur malè agens dicat : quis me videt. Rarò inter homines actio mala tegitur, quin in publicum veniat, apud Deum autem nunquam. Et neceſſariò factum eſt erratum omne in judicium devenire. Non eſt omnino malorum operimentum. Nihil enim occultum, quod non reveletur. Ecce Dominus villici aſſumpſit officium judicis. Laudabili autem, & probato more formam juridicam ſequitur. Non enim more fulguris aut torrentis inretroverſibilis etiam in noxios decernendum, etiamſi accuſatio, & diffamatio multa conclamet. Inquirendum eſt à diffamato, ſi culpa eum accuſat, qualiter & quantùm. Nam juſtitiæ ratio plus cauſas actionum, quàm ipſas actiones conſiderat, & oportet ſuſpendere judicium, ſi conſtituto in cauſa excuſationi juſtæ aditus patet. Non levitate, non violentia, non ira, ſed ratione agendum eſt. Unde vocavit eum interrogans : Quid hoc audio de te ? Ac ſi diceret : Accuſatus es, in cauſa te habeo, eſt ne verum, quod audio de te ? Tuis accuſatoribus plenam non præſto fidem, fortè invidi, aut æmuli ſunt, aut fallere poſſunt, & fallere vollunt. Excuſationi etiam tuæ minimæ dabo locum, terminabit veritas litem, ut egeris ; ita recipies, non ut diffamatus es. Proinde *Redde rationem villicationis tuæ.* Potenter te comprimere nollo, violentia non utor, veritas ſit in cauſa. Ratio factorum duntaxat aut te abſolvet, aut te condemnabit. Sed quousque rationem reddideris, villicare non poteris. Non enim decet reum agere, pro quibus conſtitutus eſt in cauſa, niſi ab illa receſſerit inculpatus. Etiam jam non poteris villicare, ſi ratio te culpabilem monſtrat. Optimus cauſarum civilium & criminalium cognitor eſt judex, qui ex veritate, non ex opinione aut alia ſuaſione vult proferre judicium, & læſus in propriis præter rationem juſtitiæ non quærit ulciſci, nec ab ira concitatus ad judicandum fertur in præceps, ſed rationi inveſtigandæ ac promulgandæ activam & inquirentem ſubjicit rationem, ne lingua labatur. Cauſarum protinus ordinata & moroſa diſcuſſio, etiamſi adjudicetur innocens, ſi repertus fuerit inveſtigando nocens, inculpabilem judicem reddit, duntaxat quòd aliunde non adſit ſibi certa cognitio. Sed à nullo potior eſt convictio, quàm à ratione devinci. Improbatur ſæpe falſitas, ſi aliquando quempiam in judicio per falſidicos proſtraviſſet, veritas autem nunquam. Prætermitti veritas, & ratio poteſt, improbari verò non poteſt ratiocinabilis & improfugabilis terror, quin rei veritas inveſtigata cum ratione devincit. Hinc cùm villicus de reddenda ratione comperiſſet, attonitus factus ad ſemet ipſum reverſus eſt, ſi quo modo ſibi adeſſet copia evadendi, quoniam à ratione vincebatur, adverſùs quam ſibi non erat auxilium, nequiter ſe feciſſe cognoverat, tergiverſari non poterat in judicio conſtitutus, devitabat redere rationem, qua redita, ex fraudibus debebat ſubire pœnale judicium, non feſſus in malo iterum ex iniquo ſibi comparavit refugium. *Ait autem villicus intra ſe : Quid faciam, quia Dominus meus auffert à me villicationem ? Fodere non valeo, mendicare erubeſco. Scio, quid faciam, ut, cùm amotus fuero à villicatione, recipiant me in domos ſuas.* Aſſolitus ex alieno perperam vivere, artes omnino deſperat, & ex moribus delicatis per temporum augmenta coaleſcens, etiam in neceſſitate arribus licitis valedixit, ſed labonoſis magis ſemper ad iniqua regrediens. Facilius videtur his, qui vivere nequiter ex alienis opibus didicerunt, illa furta laborioſa committere, quibus juſta pœna debetur, quare ex arte, quæ non reprehenditur, nec meretur ſupplicium. Sæpe reprobis accidit, ut ea, quæ ſunt licita, eis difficilia videantur, quæ verò illicita ſunt, poſſint ſine labore perficere. Necnon, & qui malè agere vult, ea, quæ ſunt graviora in bona vita, producit in cauſam. Poterat enim iſte alias artes habiliores exercere, quàm terræ foſſionem, & alios mores vivendi, quàm eſſe mendicum. Et ſi omnino contingeret, non eſt pudori mendicitas, ubi adeſt neceſſitas, quæ ubi eſt rationabilis, non eſt, cur erubeſcentia ſit horror. Cur hic villicus nequam laborioſam artem mendicitatis ruborem meditatus eſt ? Multæ ſibi aliæ poterant eſſe artes, multi modi aliter vivendi, ſed pro his cavendis tendebat in ſolita mala. Et quod in moribus hominum ſummè damnatur, nullius requiſito conſilio apud ſemetipſum ſibi provident in poſterum. *Dixit enim, ſcio, quid faciam.* Non prudentum exquiſivit conſilia, non hominum in

periculis expertorum, non ſapientum, ſanè ipſe ſibi factus eſt conſilianus, & conſultor. Veruntamen cùm in mente hominis pro iniquitate patranda diffinitum eſt non conſulere quempiam temperantioris eſt moris, cùm minus malum ſit in malè agente non conſuluiſſe fidelem amicum quàm contra fidelis amici conſilia peregiſſe. Quandam habet ſpeciem honeſtatis, cùm neminem conſulit, qui omnino tendit in neſas, ſaltem in ſe ipſo corrupius, aliorum auriculas non ſædavit. In aliis ſiquidem conſultè agere canonica ſcriptura nos docet: Omnia cum conſilio fac, & poſt factum non pœnitebis. Cùm verò ille dixit: Scio, quid faciam, ad ſeipſum totaliter relatus eſt, ut de injuſto vivetet apud eos, quibus injuſtè credita ſui Domini cogitaverat relaxare, ſcilicet; cùm eſſet amotus à villicatione, quòd reciperetur in dominus debitorum, & eorum, quibus ſui Domini bona emphytehcando, ad culturam fructiferam commendaverat. Ut autem reciperetur *convocatis itaque ſingulis debitoribus Domini ſui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem meam, & ſede citò, & ſcribe quinquaginta.* Optima inquiſitio, ſed executio nequam. Interrogabat ſiquidem quantum deberetur Domino ſuo. Non ſibi, quoniam omnia Domini ſui erant. Ipſe verò œconomus erat, adminiſtrationem & curam habens, non proprium Dominium rerum. Sed agebat nequiter, quòd bona Domini ſui præter juſtum, & Domini ſui voluntatem debitoribus relaxabat, ut totam debiti ſummam reduceret ad dimidiam, centum ad quinquaginta. Penitus œconomus agit in fraudem Domini, ſi relaxat debitoribus prætet Domini voluntatem, & præſumit illud dimittere, quod veriſimiliter de Domino non poſſet eſſe præſumptum. Nec iſte hoc fecit, ut pius in pauperes velut pauperibus redditus annuos remittens, ſed in illis ſibi parans expulſo ab officio agilioris vitæ compendia, de alieno ſibi gratiam hominum comparabat. Sed necdum divitibus, aut mediocribus, ſeu ſuiipſius conſideratione præhabita, ſed etiam intuitu pauperum non licet de alieno fieri largitionem, illa duntaxat excepta neceſſitate, quæ à decretis abſolvit. Sed reprobi quidem homines contrarium faciunt, quod ratione decernunt. Sciebat enim hic villicus, quia omnia, quæ ad juſtam diſpenſationem acceperat, erant Domini ſui, proinde interrogat debitores, quantum debes Domino meo? Sed tanquam propria donabat contra voluntatem proprii poſſeſſoris, cùm ſummam debitam defalcabat. Multipliciter rei ſunt alienarum rerum præter voluntatem Dominorum ſpontanei largitores. Nam ſemetipſos & recipientes obnoxios in debitis faciunt, quoniam, quod quis juſtè non poſſidet, neque juſtè in malum vendendo vel largiendo poteſt transferre dominium. Nec eſſe poteſt excuſationis ſuffugium ex diſpenſatione commiſſa, ſi aliter facit, quod veriſimilitet præſumitur dominum non feciſſe, maximè autem, cùm fraus & aſtutia mentem diſpenſatoris inficiunt. Es qui rem accipit à diſpenſatore injuſto ex certa ſcientia, nil ſibi vendicavit ex jure, ſed obligavit ſemetipſum donec reſtituat, nec ſibi ad excuſationem divinæ juſtitiæ deſuper decernentis, ſi cautiones accepit. *Deinde alio dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. At illi: Accipe litteras tuas, & ſcribe octoginta. Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.* Remiſſio tritici, ſive olei, villici actionem inſinuat, & quod minus remiſerit de tritico, quàm de oleo, etiam quandam advertentiam providam arguit, quoniam plus ex tritico, quàm ex oleo uſus hominum ſumit. Et facilius deprehendi potuiſſet à Domino in tritici paucitate, quàm olei. Omnibus autem tradidit literas ad cautelam, ut ſi Dominus comperta fraude villci, repetere perperam remiſſa debitoribus decreviſſet, œconomi literis ſe in judicio tuerentur. Veruntamen Dominus villicum iniquitatis laudibus effert, non lætus de damno, ſed miratut cautellam. Non quia fraudulentum, ſed quia providum in futurum. Non actum virtutis, ſed ipſam virtutem commendat. Et mirum valde, quòd ſæpe actus eſt in reprehenſione, virtus in laude, ut à curru quatuor virtutum turpis ſonus edatur. Inſonuit enim hìc iniquitas, & villicus iniquitatis dicitur propter fraudem, & remanet in laude prudentia in futuris emergentibus malis, ut poſſit eſſe refugium. Sed hoc intereſt inter virtutes veritas, & morales, quod à nulla illarum, dum in veritate in animo inſidetur, reprehenſibilis actus egreditur, à moralibus verò etiam in quantalibet veritate retentis deteſtabilia multa fiunt. Et ut apertioribus ſermonibus eloquamur, in virtutibus vivificis duntaxat in veritate inhærentibus, nemo aliquando malè proceſſit in actum, in aliis verò ſæpe delictum eſt. Dominus autem villici laudetur, cùm laudatur ex eo, quod propter fraudem ejus non derogavit providentiæ ipſius. Bene conſtitutæ mentis eſt ob fraudem, aut propter damnum commune vel proprium, & propter agentem improbè

non

non derogare virtutibus, ſed ſemper illas extollere, quamvis actus condemnet iniquitas. Cogebatur homo rationis compos ab ipſa laudare virtutem, & hominem ex ipſa regulatum non malum, quod ex humana prudentia perficitur. Quare igitur laudavit? Quia prudenter feciſſet, non quia donavit alienum. Fecit prudenter, quia ſibi providit in poſterum. Pars enim prudentiæ ipſa providentia dicitur, de qua optativè Moyſes in ſuo cantico loquebatur: Utinam noviſſima providerent, Noviſſima providet, qui ſe parat ad ultimum finem, aut ad devitanda ſupplicia, quæ poſſent contingere, aut ad capeſſanda præmia, quæ debent pugilibus provenire. Hanc providentiam villicanam imò terrenam, Chriſtus cum appetitoribus alterius vitæ compoſuit, dicens: *Dico enim vobis, quod filii hujus ſæculi prudentiores, quàm filii lucis in generatione ſua ſunt.* Vigilanti verbo Salvator locutus eſt, cùm dixit in generatione ſua. Non enim ſæcularem prudentiam Chriſtianæ prudentiæ prætulit, quoniam ſæcularis prudentia inimica eſt Deo, ſed prudentia carnis mors eſt, & facit omninò filios agarenos, quia filii Agar exquiſierunt prudentiam, quæ de terra eſt. Non eſt comparatio terrenæ ſcientiæ, quæ tantùm perfunctoria captare contendit, ad eam prudentiam, quæ ſuperna nanciſcitur, quæ Chriſto tradente ſerpentina eſt, columbinæ ſimplicitati ſociata. Prudentia filiorum lucis, ſtultitia eſt ſæculi. Prudentia filiorum ſæculi, ſtultitia eſt in conſpectu Dei. Prudentia filiorum lucis prudentiam ſæcularem devorat, nam & ſerpens Moyſaicus devoravit ſerpentes magorum Pharaonis, prudentia filiorum ſæculi illam in aliquo evacare non poteſt. Ut alio proloquer ordine, ſæcularis prudentia requirit divitias, ſed illa contemnit. Illa ſe ponderibus onerat, iſta verò ſarcinas abjecit. Illa in compedibus eſt, iſta retia mundi frangit. Iſta ſe implicat, iſta ſe explicare concertat. Illa timet explicari. iſta renuit implicari, illa dolet diſſolvi à vinculis quibus irretita tenetur, iſta gaudet, cùm ſe videt exceptam. Illa pœnas refugit, iſta ſe in illis immergit. Illa omnino abhorret corporis mortem, hæc cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Illa morte intentata omnia exponit, ut vivat, iſta juvantia vitam, & ipſa pariter pro Chriſto parvi pendit. Sed quamquam ſuperferatur omnibus prudentia Chriſtiana, quid eſt, quòd filii ſæculi filiis lucis in ſua generatione dicuntur eſſe prudentiores? Quare Salvator omnium Chriſtus hanc comparationem ſuis auditoribus poſuit? Propemodum locutus eſt, ne ſæcularem prudentiam Chriſtianæ præferre videretur, quam ſi quis vellet inſpicere, ex rerum experientia reluceret. Et ſi aliqui de prudentibus hujus ſæculi deducerentur in medium, quorum adhuc in locis plurimis fama per ſcripturarum memorias reboat, & multorum, qui nondum à ſæculo migraverunt, clareſceret amplius. Sed ne videamur hominum ſæcularium geſta contere, aliis aſſertionibus Salvatoris ſententiam declaremus. Authumana ſæcularisque prudentia quærit devitare moleſtum, & quod adverſum videtur propno placito vel naturæ, aut aliquid ad votum, & ſibi propitium quærit, aut cum amico & inimico habet cauſam, aut pro præſentibus, aut pro futuris eſt anxia, aut propriam patriam, aut incolit alienam, aut ſubjicitur, aut ſuperfertur, aut æquatur hominibus, aut vendit, aut emit, & multorum ſimilium, in quibus ſic ſtrenuè agit, ut cogantur videntes, aut audientes velut de cœlica virtute mirari, & vileſcere videntur filii lucis in his, quæ per prudentiam agunt, cùm in filiorum hujus ſæculi comparationem deveniunt. Sed ideo Salvator hanc comparationem ſuis auditoribus tradidit, ut prudentes fiant ad futura bona cæleſtia, & æterna, cùm viderint ſæculares pro terrenis, atque caducis tanto prudentiæ acumine refulgentes. Actionem ex ſimilitudine, opus in re tentat Salvator inducere. *Et ego vobis dico: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Omnem prudentiam Salvator hic edixit, ne ſupernis privaremur. Etenim homines ad hoc ipſe creaverat, cùm ex iniquo mammona voluit nos amicos conquirere, quibus factis nobis præſidio reciperemur in illa. Non de furto atque rapinis, aut quomodolibet malè partis docuit eleemoſynas facere. Sed quia rarò, vel nunquam divitiæ ſine crimine acquiruntur, ideo illas iniquitatis mammonam appellavit, præſertim cùm infra diaboli retia teneantur cupientes ditari. Hinc Apoſtolus ad Thimotheum ait: Volentes divites fieri incidunt in laqueum & in tentationem Diaboli. Quæ autem major iniquitas, quàm aufferre ſe Deo, & Diaboli ſe mancipium facere? quæ major iniquitas, quàm ei ſe aufferre, qui condidit, & ſe tradere, qui peremit? De jure creatoris omnis creatura. Etenim quia bonus bona cuncta creavit, ejus adverſarium hominum iniquitas fecit Dominum. Proinde divites fieri cupientes ſunt Infra ſepta Diaboli, quia in laqueum ejus voluntariè injicientes pedem ejus facti ſunt ſervi. Nam à quo quis devictus eſt, ejus quoque ſervus addictus eſt. Aſſerit Salvator ad æternam requiem poſſe valere temporalem actionem, non tamen ſemper ex

Deuter. 32.

1. Tim. 6.

his, à quibus impenditur, ſi amici ex tributis fiant, cùm amicos Dei ac inimicos Dei poſſumus in amicitiam trahere largitione bonorum. Sed ipſa charitate, atque providentia in æterna tabernacula poſſumus introferri. Neque quicunque datarii quantumlibet efficiantur amici, ad ſuperna præterquam amare non poſſunt, ſed hoc modo in æterna tabernacula ſuos benefactores recipiunt, velut, qui de infinita virtute teſtificantur apud Deum, ut recipiantur.

Cap. XIV.

De parabola perditæ reinventæque ovis ſecundùm Marcum & Lucam.

COnſtruxit Salvator peccatoribus miſericordiæ portum, & ne deſpici omnino ab ipſo ſe crederent, quam habet ſolicitudinem circa eos, ſub parabolis introduxit. Ac etiam, ut redirent ad juſtitiam, exultationem aſſeruit Angelorum, confutans ex hoc atque reprimens ſuperbam Judæorum juſtitiam, & Phariſæorum murmurationem elidens. *Nam cùm eſſent*
Luc. 15. *publicani & peccatores appropinquantes ad JEſum, ut audirent illum, murmurabant*
Matth. 18. *ſcribæ & Phariſæi, dicentes, quia hic peccatores recipit, & manducat cum eis.* Opportuna peccatorum actio, importuna verò murmuratio Judæorum, benigna interjectio Salvatoris. Nil tam peccatoribus opportunum, quàm appropinquare ad Chriſtum, qui non vult peccatoris mor-
Ezec. 18. tem, ſed ut convertatur & vivat. Expedit infirmis medico eſſe propinquos, aliter invadens infirmitas infert exitium. Nulla major infirmitas, quàm fieri peccatorem, ad quam depellendam ſolus Chriſtus eſt medicus, quia languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit. Et in mortem tendentibus ſeu jam mortuis in peccatis eſſe prope vitæ fontem ſuadet neceſſitas. Etenim Chriſtus eſt vita, & mortui ſunt in anima peccatores. Sed cùm ratio, quæ in hominibus non extinguitur, eùam in criminoſis, cùm revigilare incipit, appropinquat ad vitæ fontem, Signum porro excitatæ rationis eſt in his, qui deliquerunt, Chriſto proximum fieri fide atque obedientia in his, quæ mandaverit. Et quoniam inſipientes, injuſti, immundi, & diabolo ſunt obligati homines
1. Cor. 1. peccatores, opportunitas angit omnino ad Chriſtum appropinquare, qui eſt nobis factus à Deo ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemptio. Et cùm ſibi appropinquamus, & ipſe nobis appropinquat. Sciptura enim dicit: Appropinquate Deo, &
Jacob. 4. ipſe appropinquabit vobis. In veritate ſiquidem appropinquatio iſta fiat, ne pro-
Iſaiæ. 29. pheticum dictum improbet appropinquantes. Dicit Dominus: Eo quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem ejus longè eſt à me: ideo ecce ego addam, ut admirationem faciam populo huic miraculo grandi & ſtupendo. In veritate ad Chriſtum appropinquatio fiat, alioquin condemnabitur magis appropinquans. Initium tamen appropinquationis ejus eſt, per omnem modum longè fieri à peccatis. Medium verò explicari ab his, à quibus ſub vellamento neceſſitatis plus debita colligamur. Perfectum quidem, cùm virtutum velociſſimos aſcenderimus equos, & ipſis ornati enimus placentes ei, qui tales nos quærit, ut appropinquet nobis. Importunitatem habebat Phariſæorum & ſcribarum ſuperba juſtitia, quæ de benignitate Domini murmurabat, qui recipiebat publicanos & peccatores, commodans ſe illis, nec dedignans eos in menſa ciborum, ut poſſet cum eis epulari in menſa virtutum. Non noverant ſcribæ & Phanſæi, quanta eos gravabat iniquitas, nec eis videbatur venia indigere. Juſti ſibi apparebant, zelo perverſo accendebantur, ut viderentur honeſtæ vitæ ſectatores, adversùs Chriſtum murmurationibus impingebant. Moris eſt hypocritali vitio ſervientium, ut ipſi potiores appareant, alios infamare, magis quidem gaudentes, ſi bonis poſſent notam applicare malorum. Dicebant, quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis. Neſciebant cauſam adventus dominici, qui venerat duntaxat ſalvos facere peccatores. Idcirco præſtabat eis gratiam, ut venirent, venientes verò piè recipiebat manducans cum illis, non ad inclu-viem, ſed ad oſtendendam benignitatem, & nimiam charitatem. Quibus murmurantibus, parabolam aptam, qua frænarentur, Salvator appoſuit dicens: *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, etſi perdiderit unam ex illis, nonne relinquet nonaginta novem in montibus aut in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, quærere eam, donec inveniat illam? Etſi contingat, ut inveniat illam, amen dico vobis: quia gaude-*

gaudebit ſuper eam magis, quàm ſuper nonaginta novem, quæ non erraverunt. Comparativa parabola iſta eſt, nec poteſt in alium ſenſum decenter converti. Ut ſi moris eſt hominum, propter unam perditam ovem ad horam totum dimittere gregem, ut illam reperiat quærens ad inveniendam, relicto in montibus grege, à quo ſua voluntate diſceſſerat, cur non liceat omnium conditori humanum genus quærere, atque unire cœtibus Angelorum ?. Non enim aliter, quàm ad veniam peccatorem Dominus requirebat. Sed quanquam ſit bene majus gaudium ſuper uno peccatore converſo, quàm ſuper nonaginta novem à Domino non averſis, nunquam eſt credendum, quod in conſpectu Domini multitudini juſtorum, converſorum paucitas præferatur, alioquin perſonarum acceptor, non virtutum eſſet omnipotens. Sed quia ſemper dicitur majus gaudium poſt dolorem, qui ex re perdita ortum habet, & conſona eſt moribus hominum iſta locutio, qui de modica re perdita exultant amplius, cùm illam invenerunt, quàm de plurima re ſervata. Et hoc quare ? Quia non præceſſerat dolor in illa, qui ſubſequens gaudium facit amplius aparere. Omnia verò ſimilitudo introducta quales eſſe debeant fideles oſtendit, videlicet ſine læſione ad proximum, manſueti, mites, fructum ferentes bonorum operum, ad utilitatem etiam proximorum, nulli malum pro malo reddentes, nec ſemetipſos defendentes, ſed dantes locum iræ, ne per improbitatem, ſed per patientiam convincatur improbitas. Quærit oves errantes Salvator, ut reducat in gregem. Iſaiæ 53. Et nos omnes ſicut oves erravimus non habentes paſtorem, non paſtoris defectu, ſed ovium ſubterfugientium curam ejus. Pius enim Paſtor noſter eſt, & inſopitum oculum habet, non patitur ignaviam : Oves ſunt in cauſa, dum errant. Hoc fatebatur David : Erravi ſicut ovis, Pſalm. 118. quæ periit. Proprium fatetur delictum, cùm Propria erraverat voluntate, ſicut ovis, quæ ſua deviatione periit, non quod eam verus paſtor abjecerat. Inventio autem perditæ ovis eſt, quod quærens, in quod quærebat, devenit. Sed nemo poteſt ſui conditoris manus aut ſcientiam effugere, quin, cùm volet inveniat, nec expedit actuoſum aut otioſum laborem inducere, cùm ſibi ad nutum omnia pareant. Sed in voluntate quæſiti poſitum eſt, quod ſe non ad pœnam ſed ad gratam inveniri permittat, quoniam, ſi non ad gratiam, ad pœnam omnino invenietur, atque tradetur invitus: ut ſicut propria voluntate perire decrevit, ſic ſe offerat requiſitus. Tunc enim Salvator quærens, quod perierat, invenit : cùm peccator à malis averſus ſe ad optima quæque convertit, non ſibi aut ſuo placito vivens, ſed ei, qui non indigens ipſum ipſo indigentem quæſivit. Impoſitio ſuper humeros facta de ove, ad Chriſti bajulationem, & noſtram infirmitatem pertinet. Nam peccatores & devii facti à nobis, quales Deus non fecit, ambulare non poſſumus, ſicut ſi in eo, quod facti ſumus, ſtetiſſemus. Nulla major infirmitas hominem gravat, quàm receſſus à Deo. Fit omnibus modis, quod diſſolvatur, qui à virtute recedit, & erret, qui rectũ iter reliquerit. Contra quos dicitur: Reliquerunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, & ad luminoſas redire nequeunt, niſi à divina gratia reportentur. Convocatio amicorum ad gaudium inventa ove, non refertur ad ovem, ſed ad Dominum requirentem ac invenientem, quod ejus labor non fuit deluſus, quod ſua eſt facta in inventa ove voluntas. Nam ſicut majus eſt malum Dei offenſa, quàm quæcunque multatio offendentis, ſic majus eſt gaudium, cùm per peccatoris pœnitentiam ejus abrogatur injuria, quàm deliberatione peccatoris. Necnon & congaudendum eſt pœnitenti ab electis civibus, in quorum eſt revocatus conſortium, ne videretur haberi contemptui, quia pro tempore in veritate non ſtetit. Magno documento facta eſt nobis iſta parabola, ut nemo, qui ſteterit imo juſtitia, nemo innocens abhorreat delinquentem, cùm revertitur inventus ad gratiam, cùm viderit Dominum gaudere in converſionibus peccatorum. Nam etſi non fuit culpa communis, non tamen facta eſt natura diſſimilis, & ea gratia, quæ tenuit innocentem & juſtum, revocavit erroneum. Oſtendenda ſunt converſis gaudia, imo habenda plus, quàm ſi ſemper in virtute manſiſſent. Habet enim communis uſus hominum, ut plus de inventis, quàm de non perditis, cùm retinuerint, gaudeant. Sufficiat in hac parte Salvatoris patrona ſententia. Et peccatores continuò convertantur, ſi nullum bonum amplius ſequeretur, quàm quod ex ipſorum converſione in cœlo poſſunt inferre lætitiam, cùm ſuper juſtos multos Angelos pro uno peccatore converſo aſſerat gratulari. Alius verò Evangeliſta non tantùm Angelorum. Sed Domini affirmat adeſſe lætitiam, cùm non ſit voluntas apud Patrem, qui in cœlis eſt, ut pereat unus de puſilis iſtis. Qui per Ezechielem multò ante prædixerat Nollo mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat. Porrò non eſt divinæ voluntatis, quòd aliquis pereat. Nemo cauſetur adversùs Dominum, cur omnium præ- Prov. 2. Ezech. 18.

ſcius

ſcius, quem præſciebat, creavit ad damnandum. Non enim creavit, ut damnaretur, ſed ut ſalvaretur hanc productus in lucem. Nec voluit in homines ita prævalere peccata, ut ſponte egreſſus ab eis, æternam traderetur in mortem, ad quam propellendam factus homo ſubire voluit temporalem. Sibi non Domino imputet, quicunque damnatur. Fecit enim ipſe quicquid faciendum eſt pro ſalute. Igitur feſtinemus in illam, ad quam conſequendam nobis prærogata ſunt omnia. Et ſalutis author ab illa divertentium factus eſt requiſitor, oſtenſor & dux, planator itinetis, per quod gradiatur morbida ovis.

Cap. XV.

De parabola drachmæ perditæ & reinventæ, ut ad pœnitentiam revocet peccatores, ſecundùm Lucam tantùm.

Luc. 15. PRætulit in ove humilitatem hominum, & pacificos mores, in drachma verò reformationem turpatæ imaginis demonſtravit. Habet enim drachma regis atque proceris cujusque imaginem, & ſuperſcriptionem, quatenus ſit in pretio, qui pro placito aut neceſſitate res ad invicem alternant. Sed incuria, & incautela drachma deperditur, quam cùm notum fuerit, accenſis luminibus diligenter inquirit mulier, quæ amiſit. Quidquid poſſidendo diligitur, ſolicitudine quæritur, ſi defuerit, Et ſemper animus manet impatiens, quouſque rem amatam invenerit, maximè, ſi ex ſolito in illa lætatus extiterat. Quod factus ſit homo ad imaginem & ſimimilitudinem Dei, & quòd ſignatum ſit ſuper nos lumen vultus ejus, & quòd circa nos inſcriptionem acceperimus mandatorum, ſcripturæ ſacræ declarant, ſed inutilis imago per peccatum eſt voluntariè, non compulſa in minus bona ab illis ſummis bonis averſa, fœdavit ſeipſam terreno ſtercore voluntas ſe ſuino more in cœno rerum corruptibilium dehoneſtans in ſe omnem ornatum ſubſtantiæ ſupenneductum ſibi naturæ conſervata ſubſtantia, quam malum voluntarium totam expugnare non potuit, & ſuperſcriptionem abolevit cœleſtium præceptorum, ut non ab eis, ſed à voluntate propria, malè ſuo placito ageretur, magis verò ageret, à quibus prohibebatur. Et facies cognitionis ejus & præſentiæ bonæ, quam author exquirebat, ab illo ſuper carbones denigrata eſt. Inter lapides, ſculptos & fuſa metalla & ligna dolata deperdita eſt, adorans imagines manufactas extra ſe, quonlam in ſe imaginem divinam non agnoverat, & ſi cognovit, non ſecundùm decens venerationem & cuſtodiam exhibuit. Una enim cauſarum, cur imaginibus divinus cultus exhibitus eſt, quia imago in hominibus non cognita ſeu cuſtodita eſt. Ac per hoc eſt drachmæ tota perditio, ad quam deitas, quia ſua imago erat, more mulieris ſedulæ requiſitura feſtinat cum lucerna filii ſui, quem lucem mundi ipſo dicente conſtituit. Ego ſum lux mundi Et cum verbo revocationis & directionis. ejus, quia lucerna pedibus hominum verbum ejus. Hinc Pſalmiſta ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Hanc verbi lucernam deitatis accendit, cùm luciferum filium produxit in tempore, cùm illum voluit in noſtra carne viſibilem reddere, cùm voluntatem ſuam per os filii ſui mundo aperuit. Accenſa lucerna Evangelium ejus, quo inveniuntur drachmæ deperditæ, ſcilicet animæ ad Dei imaginem inſignitæ, & in dominicos theſauros reportantur. Nec alius præexiſtit modus, aut eſt, aut erit reinventionis, niſi accenſa lucerna evangelii æterni, cujus lumine omnia declareſcunt, ſine quo cuncta tenebreſcunt. Accenſio ſiquidem in cordibus fit hominum. Eſt enim cor humanum æterni Dei quædam inviſibilis domus, ubi iſta lucerna reſplendet. Domus verò viſibilis, quæ totus eſt mundus, ab iſto ſole materiali ſuſcipit lumen. Viſibilis à viſibili ſed inviſibilis ab inviſibili ordine ſuo illuminari decretum eſt. & cum lumine hujuſcemodi domus inviſa evertitur, donec imago perdita reformetur, velut ſi res amiſſa in poſſeſſionem redeat amittentis Siqua verò ſunt in ſuperdicta parabola, & in iſta eſt ſimiliter differere, præterquam ſimilitudo ovis & drachmæ. Nam parabola perditæ ovis in humilitatem & opportunitatem vivendi quæſitæ poſita eſt, drachmæ verò in reparationem primi collati boni, quòd Dei ſimilitudinem in creatione accepimus, & divina decreta velut ſuperſcriptionem in gyro. In utraque tamen parabola commendatur labor & ſolicitudo quærentis, & dignitas hominis ſic quæſiti, ſicque dilecti, necnon & impoſſibilitas redeundi per nos in id, à quo per nos ad inanma defluxeramus. Et fit ligatura nodoſior quæſiti ad quærentem ex eo, quòd quæſitus eſt, quàm ex eo, quòd ſic creatus eſt.

Gene. 2. Pſalm. 4.

Joan. 8.

Pſalm. 18.

Cap. XVI.

Cap. XVI

De filio prodigo parabola in deſignatione divinæ miſericordiæ. noſtræque fiduciæ, ſecundum Lucam tantùm.

Lucæ. 15. HAbet Pater filios, qui creatione, ut creata ſint, & ut maneant omnium eſt pater. Habet hæreditatem & ſubſtantiam, qua filii omnes alantur & de ſubſtantia vivant, quæ niſi dividatur, eſt omnibus commenſurata pro debito captu, & nulli deficit, niſi dum vendicatur in proprium. Petit adoleſcentior ſenſu, non tempore de paterna ſubſtantia portionem, quæ ipſum jure cujuscunque donationis contingit, non emptionis, cùm filius familias laribus educatus paternis, non habeat, unde aliquid emat à patre, ſed petit dono, cùm ex jure non poſſet compellere aut ſiſtere in judicio patrem. Et poſtulat patrem, qui totum habebat in toto. Et pars deficiet, cùm ſeparatur à toto, velut rivus interruptus à fonte, velut ramus ab arbore, & velut radius à ſole præciſus. Non pater filium invitavit ad ſortem, nec à ſe illum emancipare tentavit, præcavens in filio paupertatem futuram, ſi non ſano regimine, ſed ſuo, non decreto paterno vixiſſet. Ipſe ſibi ſufficiens viſus eſt, cùm quæſivit à patre divortium. Omne noſtrum eſſe, omnis conſiſtentia noſtra eſt paterna ſubſtantia. In ipſo enim vivimus, movemur
Act. 17. & ſumus. Nec alunde nobis eſt aliquid, quàm ab ipſo excepto vitio poſitione carente. Diviſit pater ſubſtantiam, cùm unumquemque in ſuis ſingulatim conceſſis ſuo relaxavit arbitrio. Congregat in unum omnia filius adoleſcens, cùm homo conſiderat, quæ accepit, & accepiſſe ſe gaudet, & ad ſemet ipſum omnia convertit, & novit optimè, quid accepit, & à quo accepit, & quare accepit, ſed ad quid accepit à conſideratione ſubvertit. Ideo peregre profectus eſt, non locis & ſpatiis, ſed affectibus ſegregantur à Deo homines. Et electione contraria, poteſtate privata, propria directione vivendi à Deo pertinaci mente homines avertuntur. In regionem longinquam peregre profectus eſt, ut diſſimiliter viveret ab illis, qui in domo paterna patri ſubditi verſabantur. Non Deus ab hominibus elongatur, qui ſine ſitu ubique præſens aſſiſtit. Sed ſibi, non Deo placentes in his, quæ ab ipſo ſuſcipiunt, ſeceſſerunt in remotiſſimam regionem. Nil tam longè à Domo Dei, ubi eſt erudiens diſciplina, quàm vivere indiſciplinatè. Nil tam longè à lege quàm vivere præter legem. Nil tam longè à virtute, quàm ab ipſa in regionem vitiorum animo & moribus ſeceſſiſſe. Pſalmiſta inquit: Appropinquaverunt perſequentes me iniquitati, à lege autem tua longè facti ſunt. Patitur perſecutionem in animo pater, etiamſi ab extra quieſcat. cùm viderit filium indiſciplinatum, cùm viderit labefactari vitiis, quem virtutibus ſplendere cupiebat, prout eſt in filiis ſceleratis. Quotquot quotésque peccamus, quotquot & quoties ſine lege quippiam agimus, proſequimur Deum patrem, appropinquantes iniquitati, qua ſubvertitur omnis ordo juſtitiæ, longè facti ab illa divina lege voluntatis æternæ, qua jubetur hominibus quæquæ turpia devitare, ſectari honeſta, ut ſine reprehenſione conſiſtat in nobis divina imago, quam in nobis ſignavit omnipotens, ne irritum inſuper faciamus ſanguinis pretium, ne Spiritus ſancti gratiæ contumeliam inferamus. In regionem longinquam peregrinatus eſt filius adoleſcens, tanquam ſi crederet oculos poſſe devitare paternos, & agere enormiter non argutus. Sed mentitur hominibus iniquitas, cui appropinquaverunt, ut qui vadentes in longinquam regionem DEO è regione viventes, ipſum ſentiant ſuper eos ultorem, quem noluerunt habere piiſſimum patrem. Sed ſemper in luxu vivitur absque reſtrænante Deo. Et omnia malè fluunt, omnia mancipantur perditioni, omnia diſſipantur, ubi verus ordo deſeritur. Nam & hic (*diſſipavit omnem ſubſtantiam ſuam vivendo luxuriosè*.) Defecit omnino, qui ſibi ſufficere videbatur. Nec ſcivit tenere gubernacula vitæ ſuæ providentia, qui receſſit à patre. Præter Dei ſcientiam ſtultus eſt factus omnis homo à ſcientia ſua. Et ſiquis conſummatus fuerit inter filios hominum, ſi abfuerit ab illo ſapientia tua, quaſi in nihilum reputabitur. Luxurioſus animus lubriciter omnia bona diſpergit. Ornatus nimius corporis, voracitas, & coitus à luxuria parturitur, & rurſum ipſam in ſuis laribus fovent. Sed cùm hic meretricibus applicatur, luxuriam liberam, ſeu pernicioſam inſaniam in mulieres inſinuat, ſeu vanarum ſcientiarum aut omnium illarum rerum, quæ animam à cultu veri Creatoris avertunt, & illæ delectationes ſenſuales, & ſteriles, ex quibus turpis dulcedo carpitur, nullúsque fructus in quibus amaritudo ſubſequens

Pſal. 118.

Jerem. 5.

Sapient. 9.

obvelatur. (*Et poſtquam omnia conſumpſiſſet, facta eſt fames valida in regione illa.*) Prout in Deo vivimus, movemur & ſumus, & prout immortales in anima facti ſumus, hæc conſumere non valemus. Sed quoniam parabola eſt, trajicitur in alium ſenſum, ut. cùm omnem noſtram in delectationibus perfunctoriis perfecerimus voluntatem, è regione Deo in regione longinqua viventes, valida fames adveniat, non illa, quæ pro deſiderio ponitur, ſed illa, qua patiens cruciatur. Semper enim eſt fames, ubi non apponitur panis vitæ. Omnis alius paſtus deficit, ubique inedia famis expugnat, niſi ſubſtantiæ immortalis homo refectione paſcatur, quæ alibi non apponitur præterquam in domo paterna, quam lubricus dereliquit. (*Et cæpit egere.*) Inſatiabilis eſt mala voluntas, & ſemper egeſtanbus ſubjacet ad egena converſa, quibus non repletur, niſi cùm capax facta fuerit deitatis. Nobilitas & latitudo animi eſt, quòd rerum viſibilium, & corruptibilium appoſitione ſatiari non poteſt: perverſitas: quòd ex his ſatiari concertat: damnoſa pertinacia, cùm ſe non ad meliora converſit, ſed tentat ulterius experiri. Unde iſte *abiit & adhæſit uni civium regionis illius.* Cùm malus, & inordinatus animus velit ex omnibus carpere voluptatem, actu nequit continuò, ſingulari vitio ſe connectit, quo ſuum lubricale oblectetur, à quo ſubjungatur animus ad facienda turpia deſtinatur. Hinc eſt, quod *miſit illum in villam ſuam, ut paſceret porcos.* Cùm homo recedit ab urbanitate cœleſti, merito villanus in terrenis efficitur. Et mittitur velut mancipium à vitio nequiens reluctari, ut illa extra perficiat, quæ gerit in animo, ubi jam factus porcus, porcos paſcat exterius, in quos Salvator miſit dæmonum legionem. Porcus in animo, qui interreno cœno libenter involvitur velut ſus in lutabro luti. Et ſic porcinos ſenſus exterius turpiter paſcit, & prætet Dei legem ſingulis ſingula objecta proponens. *Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Cupit voluntariè ſegregatus à bonis præcipuus, ſatiare de infimis voluntatem, & de porcinis cibis implere rationabilem mentem & ordinem divinæ diſpoſitionis lubvertere, cùm ſpiritum corporeis ſatiare concertat. Sed nemo illi dabat. Sed quomodo nemo illi dabat, in cujus poteſtate penitus erat accipere de illis ſiliquis, ſcilicet leguminibus, aut de ipſorum ſollibus, quæ porci, more porcino paſcebant? Sed nemo illi dabat, quia nec ex eis ſaturare ſe poterat. Juſto Dei judicio agitur, ut recedens à ſatiabilibus impotentia ſaturandi multetur, & quod ſemper egeat inordinata voluntas, quæ in poteſtate habuit, unde egere non poſſet. Cupiunt inordinatæ mentes ab optimis bonis averſæ de his ſatiari, quæ animalitati, non rationi conveniunt, & replere de vacuis, & non ſinuntur, quoniam nec diſpoſitio divina rerum naturas pro hominum inordinata voluntate alternat: ut nec ſpiritus corporeis, nec corpora ſpiritualibus ſatientur. *Ipſe autem in ſe reverſus dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo.* Quo iverat, quo receſſerat, ubi ſe reliquerat, in quem locum cujuspiam ſe relicto poteſt eſſe receſſus? Porro ſi reverſio ad ſeipſum, aliquo præter ſeipſum acceſſiſſe inſinuat. Sed corpore nemo pergit ſeipſo relicto. Sed more extaſim patientis ex infirmitate Salvator parabolam ponit, qui recta caret ſenſuum actione, ſunt ejus, qui aliena loquitur, qui lucido habito intervallo recta pronuntiat, & extaſi terminata ſenſus reddit ad ſenſus. Et profundè dormiens ad ſe ipſum redire dicitur, cùm evigilat. Peccator à ſe recediſſe dicitur, velut qui ratione déperdita irrationabilia operatur. In ſe verò revertitur, cùm inditæ rationis eſt compos, Quo ſenſu in ſe iſte reverſus mente occulta proceſſum rationis exequitur, recognoſcens, quid reliquerit, & mala, quæ patitur, famem ſcilicet cruciantem, non famem, quæ deſiderium notat. Mercenarii verò abundantes in domo paterna, illos inſinuant, qui non fibali amore, ſed mercede quadam rerum labentium & futurorum bonorum Deo ſerviunt. Et omnes abundant panibus. Sed pane melius intuliſſet, illo videlicet vivo, qui de cœlo deſcendit. Poſt meditationem relicti boni & mali afficientis, quid iſte in ſe reverſus decreverit, atque perfecerit, audiamus. *Surgam, & ibo ad patrem meum.* Profectò ſe cecidiſſe cognoverat, qui ſurrectioni ſe aptat, & remotum abſceſſum cognoſcit, qui reditum parat, ſub impio tyranno tabuerat, qui redit ad patrem. Et orationem in mente præordinat, qua credit alloqui patrem. *Et dicam illi: Pater peccavi in cœlum, & coram te, & non ſum dignus vocari filius tuus.* Rectè perorat offenſum, qui offendit, ſi humiliter in principio profitetur offenſam. Et ad juſtitiam ſpectat ſe fateri coram Deo & hominibus criminoſum. Prov. 18. Nam juſtus in principio accuſator eſt ſui. Et indignitatem, quam ſortitur homo ex vitio, habere præ oculis, & confiteri orando ad præſumptionem arcendam, initium eſt gratiæ potiendæ. Peccat quis in cœlum, ſupernorum deſerendo conven-

tum

tum, ſubtiliter & concentum, cùm intellectu & affectu rerum corruptibilium diſcrepat. Peccat in cœlum, qui peccat deſerendo juſtitiam, cæteràsque virtutes. Peccat in cœlum, qui contemnit Eccleſiam, qui fœdat in ſe Sacramenta cæleſtia, qui ſcripturam ſacram deſpicit, aut exponendo pervertit. Et coram Deo, cùm ipſum deſuper omnia proſpectantem procaci mente ab ipſo ſe avertendo vilipendit. Et illico ſua paternitate indignus factus eſt filius ab ipſo averſus ad egena & infirma converſus. Et de ſemetipſo judicando pronuntiat, quod juſtè non ſit cenſendus de numero filiorum, qui ſponte receſſit à patre, ſed inter ſervos mercenarios ſe appetit deputandum. *Et ſurgens venit ad patrem ſuum.* Duos pernitioſos receſſus ſe feciſſe cognoverat: duósque reditus fecit. A ſe receſſerat, proinde in ſe reverſus in optima quæque deliberat, nec non à pſire, cùm ivit in regionem longinquam, in qua nunc ſurgens venit ad patrem. Sed nec audacter protulerim, quid horum præcedat, an à ſeipſo ratione deflexa prius, an à Deo per averſionem celebretur divortium, velut ſi alia occurrat quæſtio, ſcilicet quid horum præeat, an averſio à Deo, an ad creaturam converſio. Dixerim tamen prioritate atque poſteritate temporis omnino poſtpoſita, eodem momento iſta duo pariter celebrari. De duplici quidem reditu ſimiliter prohibeor aſſertione firma differere, ſi ad Deum, an ad ſeipſum alter altero prior exiſtit, cùm nemo ad Deum niſi ratione prævia redeat, nemo verò, niſi ipſo duce revertatur ad cor, & in intimis ſe malè feciſſe cognoſcat. Sed dixerim, quia, ſi uterque in veritate agitur eodem tempore uterque celebretur. Redit ad patrem filius undique maleactus, non inveniens inter cupita requiem, meliorem partem ratus exiſtere apud patrem. Quod utinam omnes in hoc ſolùm parabola iſta confoderet, qualiter, aut quomodo à Deo deſilientes manemus ſub principe tenebrarum, ocius profectò reverteremur ad Deum, qui prout parabolicè tradit, non tam paternè, quàm etiam nos divinè ſuſpiceret. Hinc ſequitur: Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ſuus, & miſericordia motus eſt. Et occurrens cecidit ſuper collum ejus, & oſculatus eſt eum. Longè erat adhuc impotentia redeundi. Abundat in nobis mala facultas ad opera pravitatis, ad redeundum verò in bonum, à quo averſi ſumus, etiam cùm voluntas aderit, niſi occurrerit coadjuvans gratia, valetudo non ſuppetit. Proinde pius pater miſericordiarum longè adhuc per impotentiam nos peccatores ſtare conſpiciens, non affectu novo in ipſo generato; ſed noviter oſtenſo, miſericordia motus de infelici peregrinatione filio revertenti occurrit præbiturus auxilia, prohibiturus adverſa, & paternam pietatem oportuno tempore oſtenſurus: irruens ſuper collum ejus, ſuper illam videlicet fidem, qua revertebatur ad patrem. Equidem velut collum corpus capiti copulat, ſic hominem Deo fides. Collum quidem amplexatus eſt, ſed ore oſculum tradidit, ut indubitata fide ſibi arctius conſtringamur. Ori confitenti delictum reddatur oſculum pacis, quia, ſi corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Rom. 10. Cui ore competit Pacis oſculum, ut peccator ex vera confeſſione ſe Deo reconciliatum agnoſcat. Os verò, quo à ſe averſos oſculatur, cùm revertuntur, verbum eſt ejus. Unde in canticis dicitur: Oſculetur me oſculo oris ſui. Os ſuum Filius eſt Cant. 1. Dei, per quem oſculatus eſt humanam in incarnatione naturam. Et Prophetæ veraces cunctique Doctores in lege Domini in veritate docti, os ſunt Domini. Juxta quem ſenſum Jeruſalem & Juda per Prophetam à Domino arguuntur, cùm pro auxilio deſcenderent in Ægyptum, & os Domini ſui Prophetas Domini non interrogaverunt. Iſaiæ 30. In quo quidem ore orthodoxa Eccleſia & in Apoſtolis cæterisque doctoribus in illis priſcis vatibus figuratis, in ſignum pacis ſe oſculatum agnoſcit. Sic & omnis anima, ſi ad miſericordiarum patrem revertitur in veritate, ſibi ſciat à Deo redditam pacem. Attamen hic filius adoleſcens, cùm perveniſſet ad patrem, & amplexus, & oſcula ſuſcepiſſet, deliberata prorumpit in verba, dicens: Pater peccavi in cœlum, & coram te, & non ſum dignus vocari filius Galat. 4. tuus. Quoniam miſit Deus ſpiritum Filii ſui in corda noſtra, in quo clamamus Abba Pater, ut, quod non habent homines per naturam, habeant per gratiam, per quam adoptati Deum Patrem noſtrum liceat nominare, per quam peccatores converſi audeant dicere creatorem omnium Patrem ſuum. Nam & Filius pro peccatoribus poſcens, dedit poteſtatem filios Joan. 1. Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus, quod ſi fieri, ſimiliter & clamare conceſſit. Reſumpta igitur bonæ ſpei fiducia peccator in ſe ad Deum reverſus dicit: Peccavi. Jam traditum oſculum ori filii delinquentis illum confortavit, ut confiteretur patrem, quem propria poteſtate delectans reliquerat, necnon & peccatum, quod relinquendo compleverat, ut ex nre plnò confeſſio fiat ad ſalutem. Peccavi ait, in cœlum & coram te, id eſt, cœleſtes deſerendo virtutes atque promiſſiones. Peccàt quis in cœlum, cùm terrena cœlo præ-

præponit, ad quod homo, ut aſpiceret rectus factus eſt, ipſe verò deorſum inclinavit aſpectum. Peccant in cœlum per pœnitentiam promiſſum hominibus, qui ſemper pœnitenda committunt. Peccant in cœlum ſpiritu pauperibus refrænatum, qui divites in mundo fieri uſquequaque concertant, quoniam, ut ait Apoſtolus: 1. Tim. 6. qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum & tentationem Diaboli. Peccant in cœlum, qui ſanctos viros contemnunt, quoniam Eccl. 43. ſpecies cœli eſt gloria ſtellarum. Sæpe quidem in ſcripturis ſacris per ſtellas ſanctos homines intelligimus. Peccant, quid peccant Prov. 18. homines coram Deo? Nihil enim ſupterfugit oculos ejus, qui in omni loco contemplatur bonos & malos. Et hæc eſt hominum altitudo ſuperbiæ, quòd ipſum Deum æternum omnia videntem peccando contemnimus, & temporalem præſentem inſpectorem judicem formidamus. Indignitatem filiationis confiteri, non ſervato immaculatè honore paterno, ad indulgendum paterna viſcera plus inclinat. Proinde pater antequam de optione mercenaria verbis proferat, ut totus in compaſſione miſericordiæ ad filium, nudatum videns veſte gratuitorum bonorum & tegumento veræ honeſtatis exutum, videns, quod ſignum nobilis herilis non geſtabat in manu, nulla ſua opera, quæ ex fide præcedunt, aſpiciens deorſum, diſcalceatum aſpexit, pellibus mortuis ſanctorum præteritorum ſcilicet projectis exemplis. In faciem maciem ſuam inverecundam frontem, & ſanctam propulſam audaciam, corpúsque cognoſcens effœtum, famis inedia expugnatum, videlicet omnibus bonis vacuum, oculo paterno filium ex omni parte contemplans, dixit pater ad ſervos ſuos: *Cito proferte ſtolam primam, & induite illum:* quia ferè nudus eſt, ut ſolida gaudeat dignitate, procedens communi tegumento cum cæteris. *Et date annulum in manu ejus.* Ut velut filius herois ſecernatur à ſervis, ut ſuum ſignaculum fidei teneat & operetur in fide. *Et calceamenta in pedibus ejus.* Ut protectus à ſentibus terrenorum ſecurè incedat. *Et educite vitulum ſaginatum, & occidite, ut manducemus & epulemur.* Quia ferè fame periit, etiam inſaturatus ex ſiliquis. Et rationabilium hominum ſocietate congaudeat, qui converſabatur in longinqua regione cum porcis. Quàm piè, quàm miſericorditer paterna providentia tendit ad filium, ut ſingulos toleratos defectus bonorum contrariorum appoſitione depellat. Si ſolùm ſtolam dixiſſet, non addendo primam, nulla ambiguitas eſſet, nam peccator pœnitens ut nudus induendus eſt. Sed quomodo de ſtola prima claret, ut quis nocens in primam innocentiam redeat? Niſi fortè id affirmaverimus, quòd Dominus ita liberè peccatoribus præſtet, ut ita ſecurè & ſine rubore inter iſtos exiſtant ante conſpectum ejus, acſi eos nulla macula deturpaſſet. Annulus in manu fides eſt cum operibus, quia fides ſine operibus mortua eſt. Nec decet converſum peccatorem, cui gratis eſt indultum, à pigritia detineri magis autem operari ardentius, quo ſceleratius ſe fædavit. Calceamenta pedum ex mortuis rebus monita humanorum affectuum ſunt, quibus mortis infixa memoria revocantur à turpibus, & ejus metu à malis voluptatibus abſterrentur. Vitulus ſaginatus omni pinguedine gratiarum Chriſtus eſt occiſus in cruce, qui conſiderandus attentè nobis apponitur. Et etiam in Sacramento, & in re Sacramenti ſumendus vere pœnitentibus traditur. Cauſam ſubjecit pater, cur talia beneficia filio malè peregrinato conferret, *quia erat mortuus & revixit, perierat & inventus eſt.* Jam ipſe Salvator ad Patrem Deum videtur aptare parabolam, cùm mortem pronuntiavit in filio, quia nemo filius mortuus temporali patri aliquando reviviſcit. Et vivus erat ex parabola iſte filius corpore, ſed mente in peccato deceſſerat, quod Sacramentum inter Deum & peccatores agitur, omni parabolæ depulſo velamine. *Et cœperunt epulari.* Non ſibi ſoli fuit appoſita menſa, prout cùm receſſit à patre, omnia in proprium vendicare tentavit, ſed omnes pariter ſecum epulantur, & ipſe cum cæteris, ut communem menſam Sacramentorum omnibus eſſe cognoſcat, & ut noverit, nihil ſibi quisquam debere vendicare in proprium in hac vita, ubi nihil poteſt eſſe perpetuum. Et epulatio vituli occiſi, ſcilicet Salvatoris verbi Dei non cedit in privatam partem hominibus, ſed eſt omnium & ſingulorum, ſed non ita ſingulorum, quin ipſa ſit omnium. *Erat autem filius ſenior in agro.* Si pro allegoria eſſet, diſſerimus tota hæc in iſtis duobus filiis gentilem, & Judaicum populum loquitur, ſed devitamus, ſi derelicto allegorico ſenſu aliunde patet ingreſſus ad mores. Hinc ſtatuimus duos hominum ſtatus, unum in juſtitia bonorum operum, & alterum perversè agentium, unum ſaginatum in ſeniore filio, qui ſub paternis legibus manſit, alterum in juniore, qui à paterna lege refuga factus eſt. Filius ſenior in agro illos inſinuat, qui ſemper in agro dominico aliquid boni agunt, filius junior peccatores ad dominium revertentes, qui ſic à Domino reſoventur. Veniunt de agro juſti, in conſiderationem eorum, quæ aguntur in domo

mo Domini, ſcilicet in Eccleſia ſancta Dei. *Et cùm appropinquaret domui, audivit ſymphoniam & chorum.* Concordiam videlicet vocum cantantium canticum novum, & odas reddentes Domino de converſione peccatorum, magis quia Dei non amplius in illis converſis agebatur offenſio. Et chorus erat ex inſertis manibus unius ad alterum, & circulari motu agebatur in gyro, velut communicatis adinvicem operibus, bonum unius jungebatur alteri adjuvamen & gaudium. Et filius inventus erat in choro ſancto ludentium, ſicut repertus in communitate bonorum, aggregatis fidelibus ad ſortiendum in ſuperna parte lætitiam. Et cum illis parabolis ovis & drachmæ deperditarum ſe parabola iſta conſociat, quod majus gaudium ſit Deo, Angelisque ſuis ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſuper nonaginta novem juſtos. Unde poſt menſam poſitam ſymphonia ſonitum dabat, & chorus juſtorum & Angelorum ad plenitudinem gaudii volvebatur in gyro. Etſi filius adhuc cum epulantibus epulabatur, & chorus ad ſymphoniæ ſonitum motibus ſe agebat leguimæ, non te moveat ad ſiniſtrum, ſed plus te ad bonum irradiet, ut duplex ſit lætitia occaſione peccatoris refugæ redeuntis, eorũ videlicet, qui ſunt in Eccleſia, quos adhuc neceſſariò ſedere oportet ad menſam Sacramentorum, dum viatores exiſtunt, aut qui, cum malè peregre redeunte lætantur, velut ſi ipſi fuiſſent ad tempus ab eadem iniquitate detenti, aut humiliter conſiderantes: quia in talibus, aut pejoribus eſſe potuerunt. Alia quidem oſtenditur coram peccatore pœnitentiam agente læta feſtivitas Angelorum videlicet in choro æterno ludentiũ inenarrabili lætitia pro beneficio converſorum, aſpicientium Dei placitum ſuper eos, & divinam voluntatem fieri, qui non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, & vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Interrogatio autem filii ſenioris de agro venientis ignorantiam mirabilium factorum DEI oſtendit, quæ continuò aguntur in Domo DEI. Audiri tamen à doctoribus poſſunt, ſimiliter & inſpici in ſcripturis, intelligi autem præterquam ſpeciali gratia nequeunt. Reſponſio ſervi eſt narratio rei geſtæ non tota declaratione rationis, cùm ſcilicet revertenti luxurioſo adderetur tanta ſolennitas, quæ ſtanti apud patrem nunquam fuit exhibita. Quamobrem ſuper hoc Dei voluntate incognita, & præſumptione ingeſta de non lubricali malo, & de manſione cum patre ſenior filius indignatur. Quo typo juſti exiſtentes apud Deum per innocentiam cuſtoditam videntur quodammodo indignari ſuper larga benignitate Dei in converſione malorum, non quia eos tædeat Deum propitium peccatoribus fieri, cùm & ipſi potuerint eſſe peccatores, ſed quòd non ita continuò recipiunt illa magna dona, quæ converſis peccatoribus donari conſpiciunt, ignorantes aliquando Dei providam charitatem, quæ non merito diligendi, ſed neceſſitate ſuccurendi, ſuarum legum refugas redeuntes amplius, quàm perſiſtentes in ſuis legibus prænorat. Sed hæc indignatio non defectu damnoſo eſt retorquenda in juſtos, qui, ſi invidi eſſent, juſti non eſſent: ſed nec omnes, qui ſequuntur juſtitiam ſunt uſquequaque perfecti, qui de occultis judiciis Dei velut in nocte cæca tenebrantur. Hinc iſte filius ſenior noluit introire, ex ignorantia indignatus in illud videlicet ſecretum Dei conſiderandum, quod derelictus requirit, oegatus vocat, & aberrantem revocat, contemptus indulget, vilipenſus honorat, provocatus diſſimulat, irritatus tolerat, deriſus ridet, maledictus benedicit, & gratis multa largitur ingratis, blaſphematus tacet, à ſe voluntariè recedentes recipit, ut homo habitus divinitatem offert, ut mortalis deſpectus immortalitatem largitur, ut terrenus æſtimatus cœleſtia repromittit. Sed ad hunc filium egreditur pater, quia ad talia deſideranda introire nolebat, & alloquitur juſta & irreprehenſibili ratione filium, rogans ingreſſum ad feſtivitatem filii perditi jam reverſi. Magnum quidem protinus, quòd pater filium rogat, cui competit imperare. Profundum impenetrabile, quòd Deus oret hominem pro ſalute, quòd omnis vita, mors, doctrina, expanſio brachiorum in cruce, hoc ab omnibus flagitat, ut ingrediamur in gaudium ſanctum ejus. Sed advertendum, quid reſponderit patri hæc roganti filius indignatus: *Ecce tot annis ſervio tibi, & nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dediſti mihi hœdum, ut cum amicis meis epularer.* Numerum non diſtinquit annorum, aeſt ſemper ſervierit, & indeclinabilem à juſtitia ſe pronunciat, cùm ſic inculpatè vixerit apud eum, hœdum etiam non acepit, ut ſibi cum amicis poſſet eſſe refectio. Quæ verba projecta in alium ſenſum, alium parant ordinem diſſerendi. Quis hominum poteſt ſeipſum extollere apud Deum, quòd ei ſemper conſtanter ſervierit, & quòd omnem ejus impleverit juſſionem? Horrendè præſumit juſtus, ſi de ſeipſo talia ſentit. Sed nemo juſtus ex lege. Nullus juſtus, niſi qui criminibus non ſervivit. Nemo ſibi aliquid perfectionis arroget, etiamſi mandata com-

pleverit. Inquit enim Job: Non reprehendit cor meum in omni vita mea. Sed nec concedebat ex hoc se esse perfectum. Apostulus etiam inquit: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum. Et Salvator Christus: Cùm omnia benè feceritis, inquit, & feceritis, quod debuistis, dicite tamen: servi inutiles sumus. Quis igitur his consideratis sententis sibi plenam justitiam deputet, reputet se perfectum, insultet adversùs alios, se præferat ad conversos? De quadam imperfectione procedit, & de inconsideratione divinæ benignitatis, cùm indignatio nascitur adversùs eos, qui juvante Domino convertuntur. Sed quem hœdum denegatum filio seniori mente contemplemur? illum videlicet, quo peccata designantur, nam in judicio hœdi erunt à sinistris, damnationis sententiam accepturi. Quem volebat fortè cum suis amicis atque sodalibus epulari, scilicet aliquam delectationem suscipere eum sensibus sui corporis, qui cuique sunt proximiores amici, sed utinam non dulces inimici & amici amari. Acsi tenderet in id ista conquæstio filii, derivata in aliquos justos, non tamen perfectos, quod eis aliquando voluissent concedi licentiam perfunctoris delectationibus sæculi abutendi. Sic nec fuit unquam, nec erit, quòd propter quæcunque bona facta & omnimodam observantiam mandatorum, ab aula justissimi Dei egrediatur licentia delinquendi, aut perperam quid agendi, nec mala cogitatio de divina concessione, quamvis Dei permissione procedat. Alioquin videretur divina justitia ex donis, aut placitis posse corrumpi, quod tam nefas est credere, quàm Deum non esse, ut ex benè actis præmissis aliquando etiam ad modicum alicujus mali usus præstaretur audacia, quamvis multa mala permittat fieri sapientia ipsa divina. Ex compositione ad fratrem videtur iste filius de patre amplùs indignari, ut ex verbis plènè pronuntiat adjiciens ad querelam. *Sed postquam hic filius tuus, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus venit, dedisti ei vitulum saginatum.* Acsi arguat de improvidentia patrem, & de injustitia tribuendi, quòd si non dedit sibi hœdum, nec isti dare debuit vitulum saginatum. Ut si justus non habet perperam agendi licentiam, nec peccator conversus sic citò debuit hujuscemodi sortiri annonam. Necnon, etsi meretriciuspeccator sic pascitur, quid apponendum est in justitia perseverantiæ? Acsi de reversione à malis sic iste altius est, quo cibo alendus sum, qui tua mandata usquequaque servavi? ut etiam cum parabola de operanis missis in vineam, indignantibus de æqua retributione similitudo ista concurrat, quasi non sit licitum patri decernere in filios pro placito voluntatis, & Dominus servis non possit propria authoritate providere. Sed nec pater filii legibus subjacet, nec Dominus angitur regulatione servorum. Non est filiorum authoritas in parentes. Servi nullo pacto Dominis præferuntur. Nulla nobis jura cum Deo, ut ipse nobis obligatione subjacet. Quod nobis confert, sui est muneris, non nostri juris. Quod præripit justos, ne peccent, est sui doni gratuiti, non hominum meriti. Quòd peccatores recipit, quòd illico pœnitentibus indulgentiam donat, quòd eos admittit ad Sacramenta cœlestia, quòd dulciter fovet, suæ benignitatis est, non nostræ prœventionis. Nulla nobis materja causandi adversùs Deum, arbitrii sunt omnia sui, reprehendi nequit. Nihil per injustitiam aut per calumniam facit, subtricere tantùm nobis est, non discutere suas infallibiles & justissimas leges. Nihilominus tamen quasi debitor dulci verbo refovens ait pater ad filium: *Fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat, & revixit, perierat, & inventus est.* Semper justus est cum Deo, dum justitiam servat, & cum ipso esse plena est justitia, & justitia nos facit esse cum Deo. Et omnia Dei bona sunt in appositione justorum, non tamen ita unius, quin plurium: non ita plurium, quin unius, sed ita singulorum, quod omnium, ita omnium, quòd singulorum, quamvis hic illa ineffabilia bona contueri non possint. Quia nec oculus vidit, nec auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se. Qui velut confidens de fortitudine justorum, velut pater de proyectis filiis, non eis blanditur, ut mater suis lactentibus facit, sed peccatores in gaudio recipit, mensam suarum largitionum apponit, ne memores delictorum justis inspectis desperatione franganiur. Non autumandum Deum amplius quàm innocentes, conversos diligere peccatores, sed sic se habet ad eos pro majori spe indulgentia prærogata, velut si non deliquissent. Posset tamen nuper peccator conversus in tantùm post lamenta pœnitentiæ in charitate proficere, ut etiam justos quàm plures præcederet, ut Magdalena Mantham cæterósque coapostolos Petrus, Stephanum Paulus, sed de his & de similibus non nobis sermo. Veruntamen quoniam dubitari mentò posset, si in seniori filio chorum justorum intelligimus, etiam non perfectorum, cur in hujuscemodi invidiam prolabuntur? Id dixerim, quòd aut

Job. 27.

1. Cor. 4.

Lucæ 17.

Isaiæ. 64.

1. Cor. 2.

Matth. 20.

id

id ſic fieri poſſet, quamquam factum non ſit, aut illos intelligamus, qui ſibi juſti videntur & non ſunt, imo eo ipſo à juſtitia cadunt, quod ſibi juſti videntur, & peccatoribus indignantur, ut phariſæus præſente Domino Magdalenæ, qui recipientem, atque parcentem Dominum, & indignam miſericordia judicabat, Salvatorem de ignorantia, Magdalenam de immunditia. Sed Deus pius neminem perire volens, diſſimulans peccata hominum, omnibus apponit, unde curentur, & peccatoribus præſtat redeundi gratiam, & benignè recipit revertentes, & juſtis tradit virtutem præſiſtendi, & intellectum aperit de ordine ſubveniendi.

Cap. XVII.

Parabola de remittenda offenſa, & præſtando pœnitentibus veniam, ſecundùm Matthæum tantùm.

PAter miſericordiarum DEus & indulgentiæ libens dator, filium ſuum miſit in terris, ut generi humano monſtraret, quòd antiquam dimittat offenſam, gratis tamen, nullis hominum præcedentibus meritis, nullis datis ſatisfactionum obſequiis, qui prout fecit nobis, facere nos adinvicem docuit, atque monſtravit, ſcilicet remittere injuriam, & dare petentibus veniam. Nec aliter voluit homines invicem vivere in retenta injuria, in erecta juſtitia, quàm ut ipſe ad nos factus eſt, qui dimittit injuriam, & petentibus veniam præſtat. Proinde, cùm Petrus ignoraret, ſi quoties foret hominibus dimittendum, cum dato reſponſo Salvator
Matth. 18. parabolam poſuit, dicens: *Ideo aſſimulatum eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum ſervis ſuis.* Similitudo eſt iſta negotii, non perſonæ, quæ appropriatè diſſerta patebit commixtus. Omnis homo ſervus Dei, & velit nolit ſibi ſubditus eſt, aut in lege juſtæ factionis, aut in lege juſtæ punitionis. Sed ſervos habet, non quibus indigeat, ſed quia indigent eo ſervi, ea indigentia neceſſitatis, qua nihil ſine ipſo ſubſiſtit, ſicut ſine ipſo nihil productum eſt, & ea indigentia, qua nihil poteſt ſine ipſo beatè
Pſalm. 13. conſiſtere. Bonorum noſtrorum ipſe penitus non indiget. Et in proſecutione rationis exigendæ decem millium talentorum debitor venit. Ex pondere debitum erat, non numeratæ pecuniæ. Nam talentum pondus eſt, ſed diverſum, ſicut diverſæ ſunt regiones, ut alibi plus, alibi minus importet. Et magna eſt debiti ſumma, cùm denarius numerus toties multiplicatur, ut aſcendat ad ſummam decem millium talentorum. Hinc ſumma colligitur bonorum omnium, quæ ab omnium creatore accepimus, ut numerari nequeant, cùm major numerus, qui eſt mille, ſit per denarium calculatus pro omnibus & ex omnibus obligati, nec ſummam debiti poſſumus noſtris viribus vacuare. Unde juſſus eſt debitor venundari & uxor & filii pro mancipiis ementium, & omnia juſſa ſunt diſtrahi, ut debiti ſolvatur pacta conditio. Quis hujus debitoris emptor? Quis uxorem & filios jure emptionis ſibi vendicabit in proprium? Quis omnia bona illius emet? Quis parabit hanc talentorum ſummam? quis ſe vadem dabit pro debitore Dei? quis hic venundandus, niſi qui dona divina ſuſcepit? Quæ uxor, niſi uniuscujusque propria & à ſe ipſa regulata voluntas? Qui filii, niſi opera mala ſeu affectus illiciti? Quæ talia omnia hominis hujus, quæ diſtrahi jubentur, niſi ea, quæ extra ſeipſum in proprium uſum à Deo donata recepit. Porro talium non habebit emptorem, etiamſi omnia venalia faceret, prius factus ipſe venalis. Sed quia parabola eſt, ad diſſerendum alius ſenſus eſt, ſcilicet ut ex locutione parabolica in illum finem veniamus, quem de dimittendo Dominus Petro reſpondit, & quæ per parabolam Dominus terminavit, ſcilicet dimmittere fratribus de puris cordibus noſtris. Nec hic planè cadit ille allegoricus ſenſus, ut in iſtis duobus debitoribus intelligantur populus Judaicus & gentilis, cùm ſolùm ad remiſſionem faciendam fratribus hanc parabolam Salvator adjecerit. Proinde, cùm non haberet, unde debitum redderet, debitor ſic actus ad orandum neceſſariò ſe convertit. Nulla melior eſt in jure deficientibus via, quam ad preces humiles ſe convertere, quibus poſſet inflectere creditorem. Eadem imagine agitur inter Deum, & nos ab ipſo jure redditionis exactos. Sed cùm omnia ſint ejus, nihil præter peccatum noſtræ proprietatis exiſtat, caremus unde noſtra debita evacuerentur. Sed nunquid exigit, quæ donavit? Sedforte ab ingratis, quæ gratis ipſe conceſſerat. Ergo totum eſſe noſtrum ipſe poſtulat. Sed nunquid ut ad nihilum rediget? minimè. Quid igi-

tur

tur iſta exactio? cogitatio eorum, quæ gratis accepimus, operatio, ad quid accepimus, gratiarum actio, laus, meditatio, cuſtodia impolluta donorum, obſervatio mandatorum ejus, dilectio ejus, & proximorum debitus amor, & cordiale atque indeficiens odium vitiorum. Iſta ſunt talenta; quæ conceſſit & exigit, ſed deficientibus viribus implere nequimus. Sed juſtè decernitur ſuper nos, ut tetris emptoribus venditionis jure tradamur, & ſiqua noſtri ſunt juris, & juſta pœna contorqueat, quos iniquitas & ingratitudo deluſit. Igitur cùm ſic in noſtris conſcientiis ex ſcriptura tradente decernitur ſuper nos, cùm tergiverſandi poſſibilitas ſit adempta, nec ad alium poſſit eſſe refugium, omnis deficiat copia evadendi; porro ad preces humiles convertendum, petere dilationem, & aliunde promittere ſolutionem. *Sic procidens ſervus ille rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Magnæ ſublevationis eſt initium procidere ante Deum, ante quem omnis erectus deprimitur, proſtratus voluntate in alta ſuſtolitur. Dilatio petita in meliorem deliberationem ſe contulit. Nam & patientia Dei ad pœnitentiam & ad ſatisfactionem vocat. & ob hoc ſe prærogat, qua malè utentes acerbiora tormenta ſuſpiciunt? Sed unde omnia reddere repromittit? Quæ nobis poteſt prævenire fiſcalis pecunia, unde ſuppetat nobis debiti evacuandi facultas? Una duntaxat ex pretio ſanguinis filii ejus, ex quo omnis debiti noſtri ſumma vacuatur, ex quo paterna debita & propria quæquæ ſolvuntur, nec non & chirographum diabolici decreti, quod adversùs nos erat ex peccato proprio vel paterno, reddita ſumma debiti divino ſcapello deſtruitur. Hanc ſtipulationem de ſolvendo nemo ſibi arroget, nec alicui Angelorum ſive Sanctorum appropriet, niſi ei. qui peccatum non fecit, & pro peccatis noſtris talia ſuſtinuit tormenta, qui totius noſtri debiti ſummam in ſe patri pro nobis ſoluturus in crucis ara ſuſcepit. Sed attende, quantùm valuit oratio humilis, ut ipſe debitor dimitteretur, & debitum. *Misertus Dominus ſervi illius dimiſit eum, & debitum dimiſit ei.* Optimus & dives in bonis Deus omnibus petentibus veniam, meliora exhibuit, quàm rogatus, amplius miſeratus, quàm velint homines miſeri à miſeria liberari. Sed ingratus ſervus nec exemplo Domini ſui didicit miſericordiam, nec recordatus, aut diſſimulans, quod accepit, in conſervum crudelitatem exercuit, ex minori credito efficiens ſine remiſſione conſervum, quamquam ipſe remiſſionem à Domino ſuſcepiſſet. Modicitas debiti, conſervilitas, exigendi modus, inclinabilitas ad preces, & intruſio ad carcerem, inexcuſatè accuſant eum, qui ex magnis debitis ſolùm miſericordiâ liberatus erat. Hinc advertant malignantes in proximos, quibus miſericorditer eſt proviſum, & in malignis obnoxii Domino exiſtentes, dimittere parva proximis omnino detrectant, quantùm à veritate, atque ab omni virtute deficiant. Quid enim eſt, quod proximis noſtris parva non dimittimus, qui maxima & horrenda nobis dimitti à Domino poſtulamus? infallibilis namque conditio inter Deum & nos appoſita eſt, ut qui pleno animo non dimittit proximo, nec ſibi dimittatur à Deo. Nam judicium ſine miſericordia fiet ei, qui non fecit miſericordiam. Hinc ex magnitudine crudelitatis ſunt exortæ triſtitiæ in conſervis. *Videntes autem conſervi ejus, quæ fiebant? contriſtati ſunt.* Non ſolùm miſericordiarum Pater, ſed homines, qui non ſunt omni humanitate deſtituti, abhorrent ingratitudinem, damnant crudelitatem, triſtantur, quòd ſic ſævit iniquitas, & quod infra beſtias reducatur humanitas. Feralis hominum ſanguis conſimilem in natura immiti dente decerpens. Indiſciplinabile eor, cùm non didicit impendere, quæ ſuſcepit, ſed potius depravatum, tenens memoriter formam, qualem unusquisque ſe debeat proximis exhibere, contraria electione peregit. Sed hi conſervi hoc facinus exhorrentes *venerunt & narraverunt Domino ſuo omnia, quæ facta fuerant.* Non judicant conſervi perperam agentem conſervuum, nam unusquisque Domino ſuo ſtat. Nec quisquam præterquam à proprio judice judicandus, quamvis ſit agens nequiter commonendus. Etſi per exceſſum deſæviret, unique prohibendus. Nemo autem ſibi arroget judiciariam poteſtatem, etiam inter homines, quamvis omnino invaleſcat iniquitas, niſi cui eſt à ſuperiore conceſſum, aut à jure permiſſum. Sed ubi tribunal defuerit judicantis, id ab hominibus agatur, quo inculpatius innocentia vitæ conſultat, & mala facultas à ſe, atque à proximo non libidine ulciſcendi, ſed quietè vivendi à pacem diligentibus arceatur. Igitur ſervaverunt hi conſervi modeſtiam, & publicæ juſtitiæ detulerunt, accuſantes reum Domino ſuo, nec in eum aliter decernentes. Et juſtè accuſatur injuſtus, piè impius ad judicium ſiſtitur. Non enim peccat delator odii felle carens, amans ſervari publicæ juſtitiæ honeſtatem. Et abunde miſeros revelat, qui peccatores ad judicium trahit. Porro minus valentibus miſeretur, qui poteſtatem habentem per judicium excutat

Jacob. 2.

contra

contrà malos, zelator est justitiæ, amator misericordiæ, tutor est innocentiæ, qui opprimentem pauperes justa delatione prosequitur. Nam siluisse, cùm indebitè irrogatur oppressio, malignitatem arguit aut pavorem. Sed nec infallibili Domino desuper omnia speculanti opus est delatoribus, nisi velimus credere ad exaggerationem criminum & detestationem malorum & Angelos delatores, aut istam narrationem de oppressione minoris in clamorem, & dolorem internum eorum, qui misericordiam diligunt, referamus. Nam compassione hominum mentes semper dolent, cùm immisericordes vident fieri actiones. Et quia tueri oppressos nequeunt, clamant ad Dominum, ut tueatur miseros, ut reprimat ipse sævos. Pia erat istorum conservorum tristitia super eo, qui oppressus erat. Habent hoc proprium zelatores virtutum, ut pro Deo, qui à malis malè agendo contemnitur, & pro calamitate
Psalm. 118 pauperum contristentur. De quibus Psalmista in se ipso pronuntiat, dicens: Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Et vidi prævaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua
Job. 29. non custodierunt. Et Job lætatur defensionem impotentium oppressorum exercuisse, quia potens erat. Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi, quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor, & conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Ecce Job fecit, quod potuit in relevatione oppressorum. Faciat unusquisque, quod justè potest, nec amplius, ex amore justitiæ ad liberationem fatigati recurrat ad judicem, velut isti conservi malè acta conservi Domino retulerunt. Qui *tunc vocavit illum, & ait illi: Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportuit te misereri conservi tui, sicut & ego tui misertus sum?* Justè increpat Dominus servum, qui noluit misereri. Nam eo ipso quis acerbè tristitiæ subjacet, quo impiè misericordiam denegavit, sicut scriptum est: judicium sine misericordia fiet ei, qui non facit misericordiam.
Jac. 2. Nequam est servus sævus, cui benignus est Dominus, cui dimisit & ob solum sui rogatum debitum relaxavit. Non adhibuit iste advocatos, non interposuit rogationes tantùm per se ipsum Domino supplicavit, cujus Dominus humilitatem respiciens misertus est. Qui, ut acceperat debuit erogare. Inexpiabilis est iniquitas apud Deum, si non misereamur aliis ac proutii fuerimus, prout quærimus nobis Deum habere propitium. Hinc alibi scriptum est:
Luc. 6. Estote misericordes, sicut Pater vester cœlestis misericors est. Et nisi fiamus benigni ad proximos, & ad naturæ consortes & ad consortes gratiæ & Sacramentorum, & sanguinis effusi pro omnibus, & dimissa mala in opproprium nostrum redibunt ad cumulum tormentorum, ut etiam retroacta, quæ remissionem Sacramentalibus mysteriis acceperunt, in culpam aut in pœnam, aut in utrumque redire credantur. Ac per hoc *iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quousque redderet universum debitum.* Sed quomodo reddet in carcere, qui liber existens omnino debitum solvendo evacuare non poterat? Quomodo tortus, quod non poterat sanus? sed quia de reddendo non aderat facultas, eum pœnarum æternitas torqueat, ut si, donec non suscipit terminum, sine termino pœna diverberet. Et ex illatione sequentium, Salvator asseruit, quid nos facturos admoneat. *Sic Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Omnino decernens, quòd ex opere, aut ex signo, aut ex opere annexo non sufficit illatas injurias fratribus dimisisse, nisi protinus interna remissio subsequatur. Non sufficit concordiæ signum, non satis est osculum pacis, non demulcentia verba proferre, si odium regnat in corde, si compassione privatur ad proximum, si ad ruinam ejus quandoque lætatur, si congaudet lædentibus, quamvis ipse non lædat, si tacet in conjuratione proximi, si non prohibet mala à proximo, si potest, si non juvat, valens cùm existit, in necessitatis articulo, si conqueritur, cùm indulsit, si famam non bonam querulando super eum inducit, si non amat ad gloriam, si non congaudet, quòd sibi Deus indulgeat. Ubi verò ista adesse noscuntur, ex corde judicanda est facta fuisse remissio, etiamsi amoris suavitas & dulcedo non adsit, sicut usquequaquè conjunctis,

B. Sim. de Cassia Com. in IV. Evang.

Cap. XVIII.

De parabola pro humilitate in hominum conversatione servanda, & de fine actionis, & beatitudine regni Dei, secundum Lucam tantùm.

CUm quendam in convivio Salvator curasset hydropicum, ad invitatos, ne inter homines superbirent, ut humilitatem tutam viam mollentem in cœlum in conversatione servarent, intulit talem parabolam sic. *Dicebat autem & ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos. Cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab eo: & veniens is, qui te & illum vocavit, & dicat tibi: Da huic locum. Et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.* Morale publicum est, quòd in conviviis distributio locorum pertineat ad authorem, & reprehensione digna esset præsumptio, sua electione potiorem arrogans sibi locum, quàm sibi vendicaret ex merito altior conditio invitati, & justè discretio invitantis impenderet. Videtur hic Christus ex moribus homines reddere velle facetos, cùm præsumptionem in convivijs arcet. Sed si me non fallit credulitas, nihil moralius atque urbanius ab initio mundi usque ad finem hujus labentis temporis à quoquam ex doctrina seu ex actibus prodit, quàm ex Evangelio Salvatoris infinitè sapientis. Etenim utramque urbanitatem docuit, qualiter pulchè viveretur inter homines & aptè, necnon & qualiter captarentur regna cœlorum. Etsi à judicijs hominis hominum non avellatur ratio judicandi, reprehensione caret ex Evangelio bene facetus. Nemini gravis, nemini dispendiosus existit, omnes honore prævenit, nihil sibi arrogat in honore. Non solùm altioribus, sed etiam æqualibus atque minoribus cedit. Magis autem homines supra se existimans animo, & moribus veneratur. Nihil tam verecundum & doctum in politia hominum aliquando repertum est, exceptione seu reprehensione carens, præterquam Evangelium Christi Dei, etiam in ea vivendi lege, prout humana vita decurrit, non solùm quod ex eo supernam concernatur ad vitam. Hinc Salvator ad considerationem suæ conditionis & aliorum unumquemque remittit, ne quis inconsideratis conditionibus potioribus cæterorum de seipso præsumat, & sibi arroget, quod alteri de morali censura debetur, cùm justitia pro personarum conditione servatur in moribus; confundatur arrogans, & in ruborem deveniat, & dignè digno deferatur à provido, cui ab inadvertente improvido delatum non fuerat. Igitur justa pœna consequitur arrogantem, & inadvertentem confusio. Sed hinc adversa æstimatio sanè sapit, ut in conditionibus hominum is locus æstimetur ad captum, à quo quis possit ad superiora subvehi, non ad inferiora demergi, & in conspectu adstantium gloria ex humilitate proveniat: quoniam ex superbia nemo tandem nisi confusus abscessit. Sed ad hanc parabolam alitèr altè provehor differendam. Factæ sunt nuptiæ in thalamo virginali naturæ increatæ, atque creatæ, ad quas invitantur omnes mortales ratione fungentes. Sed cùm acceditur, nemo sibi vendicet in his altiorem intelligentiæ locum, ne velit ratione comprehendere, quod tantum fide perceptibile factum est. Et in omnibus; quæ ad capiendum duntaxat fide sunt commissa mortalibus, arcetur humanæ mentis audacia, ne rationabili deductione aut ingenii acuitate intra claustra intelligentiæ includatur. Etenim dejicietur, & honoratior invitatus in sola fidei puritate accipiet locum ejus, non eo demerito, quo ille amotus, sed eo merito, quo ipse omnem suum intellectum in fidei obsequium captivavit. Factæ sunt & sanctarum scripturarum nuptiæ, ad quas invitantur intellectualium humanorum acumina, in quibus mysticæ variæque appositiones sunt, & sensus plurimi, unitatem quidem in veritate atque in Spiritu sancto earum conditore habentes. Ad quarum mensam pro animarum refocillatione tendentes, de loco capiendo prævideant, ne quis humano fastu velit ex ipsis intellectum veritatis capere, aut suo sensui coaptare scripturas, & suis dentibus frangere, divinámque glutire scientiam, cùm ex scripturis oporteat accipere, non dare intelligentiam. Nam eo spiritu fit vera interpretatio scripturarum, quo earum facta est traditio. Hoc maximè Petrus Apostolus præmonet dicens: Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando pro- 2. Pet. 1.

prophetia; ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei. Homines in errorem infallibiliter prolapſi ſunt, & multos alios induxerunt, qui ſcripturam ſenſui proprio coaptarunt. Non ſecundùm voluntatem, ſed ſecundùm illam, quam continet veritatem, eſt intelligenda ſcriptura, & tradenda ſimplicibus. Humilitate opus eſt ad ipſius intelligentiam capiendam, & ſuperbus lector dejicitur, humilis exaltatur. Nam qui primo loco in menſa ſcripturarum ſanctarum recumbit, propria authoritate recumbu, non capit, quod credit, perdit, quod jam percepit, & ipſe dejicitur, & qui videbatur neſcire literas, proceſſu intellectus humilis ſublevatur. Et ipſa ſe pandit humilibus, quæ ſe à ſuperbis ſæpe divertit. Superbis Deus reſiſtit, ne intelligant, humilibus autem intelligendi dat gratiam. Sunt & nuptiæ Sacramentorum, ad quas quisque dignè ſe credit accedere, indigniſſimus factus eſt, & qui ſe magis exiſtimavit indignum, dignior eſt habitus in conſpectu invitantis omnia cognoſcentis. Sunt & nuptiæ divinorum præceptorum atque virtutum, in quibus ſemetipſum præhonorans ex loco completæ impletionis exiſtimans rectè divina perfeciſſe mandata, virtutes deduxiſſe in actum, totam apprehendiſſe dilectionis & operationis juſtitiam, ad beatitudinem ſuis meritis ſe paratum aſpexit, ſupprimetur, quoniam veritas ait: cùm omnia bene feceritis, feciſtis, quòd debuiſtis, dicite, ſervi inutiles ſumus. Et Elias, quin ſe ſolum exiſtimabat divina ſervaſſe mandata, nec ad idololatriam acceſſiſſe, audivit à Domino in repreſſionem æſtimationis ejus: Reliqui mihi ſeptem millia virorum in Iſraël, qui non curvaverunt genua ante Baal. Nemo ſibi arroget majorem inter homines ſanctitatem. Nemo credat præ cæteris melius divina ſervare mandata. Nemo putus ab aliis cuſtodire veritatem, aut exercere juſtitiam. Nemo præ aliis quippiam boni habere ſe credat. Nemo decernat in aliis de peccatis, quòd alios deprimant, ſeipſum in parte ſaltem aliqua non inficiant. Nullus ſibi appropriet in talibus dignitatem Solus cognitor electorũ ſcrutatur hominum corda, & merita & demerita plenè cognoſcit. Ille dignior, qui humilior. Ille honoratiòr, qui prout in ſe agitur, totam juſtitam perficit, & ſe perfeciſſe non novit, ſéque facit abjectum indignum reputans etiam corporis ſui vita. Hunc invitator ad alta provehit, hunc appellat amicum, huic indicit aſcenſum, hunc præhonorat, dejecto, qui arrogaverat, deſuper ſtante divina ſententia: *Quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Jac. 4.

1. Pet. 5.

Luc. 17.

3. Reg. 19.

Interjectio
De Fine Actionis.

ET ex verbis ſuis coercita ſuperbia, & humilitate commendata præ fructibus, illico finem & intentionem noſtrarum operationum appoſuit loquens invitanti, velut de corporali convivio ſpiritualem rependens ex doctrina mercedem. *Dicebat enim ei, qui ſe invitaverat: Cùm facis prandium, aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte & ipſi te reinvitent, & fiat tibi retributio. Sed cùm facis convivium, voca pauperes, claudos, debiles, & cæcos, & beatus eris, quia non habent, unde retribuant tibi. Retribuetur enim tibi in retributione juſtorum.* Mos egregiorum animorum fuit agere ſecundùm virtutis officium, non negotiari ex virtute. Nam intentio artis eſt feciſſe, non negotiari, quamvis artificis ſit ex illa nanciſci mercedem: virtutis ſolùm eſt feciſſe decentia ſibi. Qui verò quippiam ex illa præter hoc quærit, mercatur in illa. Largitatis virtus, cùm facit, quod ſuum eſt, tranſitivum tantùm, non retranſitivum habet aſpectum, ut ſibi ſolùm ſufficiat feciſſe pro præmio, abſque quod repenſionem accipiat. Igitur ſi moralis humanè hominum egregiorum virtus hoc egit, quid Chriſtiana virtus operari deberet, ut ſit liberalitas in largitate donandi, abjecta penitus retranſitiva mercede in perfunctoriis, maximè cùm ipſa virtus retributionis promiſſionem habeat in ſupernis, inter illos juſtos, qui ſectati ſunt juſtitiam, non mercedem. Ac per hoc commonefacit Salvator omnium Chriſtus, ut non expectetur humana merces ex actione virtutis, nec Deo & hominibus velimus vendere, quæ donamus. Et non ſolùm intentionem mercenariam damnat, ſed impoſſibilitatem interponit, ut illis duntaxat fiat largitio munerum, qui rependere non poſſunt, etiamſi velint vicarium. Prohibet vocari amicos, quoniam ipſa protinus amicitia quædam merces eſt favoris humani, necnon & mercedem habet præteritam vel futuram. Prohibet fratres, & cognatos, quoniam ipſa copula ſanguinis, non virtus induxit. Prohibet & vicinos, quoniam non ex virtute, ſed ex quadam conſuetudine agitur, ut inter vicinos vice vicaria convivia celebrentur, maximè inter divites, quos maximè à conviviis ex pietate factis divertit, ne retributio fiat, & virtus largitatis ſuum inquinet officium, ne retributionem perdat in retributione juſtorum. Sed vocandi ſunt indigentes, etiamſi velint retribuere non valentes, & virtus ſuum regat im-

maculatè officium, & cum juſtis debitum præmium ſortiatur. Proinde in omnibus præintendere oportet actionis finem & intentionem inobliquatam habere ad id, quod rectum eſt, neque ſpiritualia corporalibus, neque divina humanis immutare, neque inſtrumenta virtutum, quibus beatitudo æterna conquiritur, in ulla retranſitione humana fiant. Ut quid aurum blumbo, argentum ferro æquis ponderibus compenſantur? Omni virtuti ſua danda eſt actio, tempori competens, perſonis & modo: nec ei ſtatuatur obliquata intentione temporaneus aut tranſitorius finis, cui ex æterna verâque pollicitatione beatè debetur æternus. Recto fine propoſito eſt agendum, ſed actionibus rectis. Non enim ex recto fine approbantur indebitæ actiones, cùm ex malo etiam debitæ reprobentur. Actio fini, & finis actioni omni rationabili cenſura conſentiat. Apta igitur in hac commonitione Salvatoris edicta invitanti elargitionis, & menſæ eſt forma data, ut nec humano faſtu, nec vice reddita præſenter, aut exſpectata futuræ alicui fiat. Dei ſunt omnia, ſuum eſt aurum & argentum. Ut quid vendimus hominibus dona Dei, cùm & ipſorum ipſe ſit etiam factus empror, pollicens retributionem, ſi diſtributionem juſtam fecerimus indigentibus ſuper terram. Ad horrendum ſe parat judicium, qui de donis Dei aliter decrevit facere, quàm ille decreverat, vel conſtituerat. Miſericordiarum cumulum fecit, qui miſericordiarum opera in lance juſtitiæ noluit egentibus impartiri. Sancivit ſemper divina juſtitia, ut ſuperflua non habentibus neceſſaria miniſtrentur, non his, qui habent copias emendi. Nec vult cadere ſub humana mercede, quod eſt de ſanctione juſtitiæ, Placita & grata debebant eſſe audientibus eloquis Salvatoris, juxta Pſalmiſtæ ſententiam. Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Et alibi: Dilexi teſtimonia tua ſuper aurum & topazion. Sed aliqui nullo quidem hauſtu afficiuntur ad illa, parum quidem plerique, multum quidem plurimi, ut etiam affectus interior cogat exclamare per verba ſonantia. Ebullire penitus mentem facit verè ſuſceptum divinum eloquium. Quamob rem *quidam de aſtantibus ſeu diſcumbentibus* animo motus ad verba dominica, delectatus in illis, fervefactus ab eis, cùm hæc à Salvatore audiſſet, *dixit illi: Beatus, qui manducabit panem in regno tuo.* ad credulitatem jam hic ex verbis dominicis motus erat, ut aliud in illo & de illo crederet, quàm quod oculis videbatur, aut auribus audiebatur, cùm credidit illum habere id regnum, quod & habebat, ut coram Pilato teſtatus eſt, quòd regnum ſuum de hoc mundo non erat. Et latro juxta pendens huic conſentaneus factus eſt, dicens: Memento mei, dum veneris in regnum tuum. Altè poſuit iſte beatitudinem transferens ab hoc mundo in regnum Dei. Non enim ſine fame reditura hìc ſaturatus erat ad humanam & perfunctoriam menſam hominis. Iterum futurum erat inter ipſum & famem duellum, in quo ſuum jam ſciebat habere conflictum. Protinus terrena iſta non ſatiant, ad horam ſunt quædam lenimenta malorum, expellere nequeunt inediam reverſuram. Sed in regno Chriſti plena eſt, & perfecta ſatietas, quam præ cæteris aliis noverat hic conviva, ex verbis Salvatoris ſe major factus in fide, velut aſpernatus, imo aſpernans humana convivia, & quidquid provenire poſſet ex tranſitoriis atque viſibilibus rebus, ſolùm ſe contulit in regnum lucis, ibi beatificari credens commedentem æternum panem atque vivum, qui ad homines de cœlo deſcendit, non dentibus corporis, ſed illo mentis hauſtu, quo anima Deum revelata facie contemplatur. Cui JEſus pro ſe omnibus ſubſequis in eadem anhelantibus gloria, ne deſperatione illam poſſe conſequi frangerentur, ad ſolidandam fidem, erigendam ſpem, & permovendam audientium voluntatem, parabolam ſubſequentem adjecit.

Pſalm. 118.

Ibidem.

Luc. 14.

Cap. XIX.

De Parabola magnæ cœnæ pro præparatione regni Dei ſecundum Lucam tantùm.

SAlvatorem noſtrum ſæpe legimus invitatum, ac eumtem non ratione convivii, ſed occaſione diſſerendi. Hinc, cùm in quodam convivio altè pro virtute diſſeruiſſet quidam de aſtantibus in magni convivii deſiderio factus, aut fortè prætentans, quid Salvator eſſet dicturus, inquit ad eum: *Beatus, qui manducabit panem in regno tuo.* Beatitudinem, ſi recta intentione locutus eſt: & aliud regnum, quàm ex mundo proteſtatus eſt ex Chriſto, ſi perverſa, Chriſtum in utroque deriſit. Cui Salvator parabolicè reſpondit: quòd in regno ſuo manducare panem, & beatam

beatæ vitæ fulcimenta ſuſcipere, nemini volenti accedere negabatur, cùm ad illius regni annonam ex parte præſidentis eſſet invitatio generalis, ſi dignarentur accedere invitati, quòd & ſubjecta parabola manifeſtat: *Homo quidam fecit cœnam magnam, & vocavit multos* Homo quidam, quaſi ſit innominabilis Deus infinitate ſua, cœnam fecit magnam in die ſuo, in quo non eſt ſucceſſio poſteræ comeſtionis, velut cùm parabolam de prandio poſuit. Cœna magna ex magno factore, quia magnus Pſal. 144. Dominus & laudabilis valde, & magnitudinis ejus non eſt finis. Et magnus Dominus & magna virtus ejus. Magna ex appoſitione magna, æternorum ſuorum ineffabilium bonorum, ut nullus illorum apprehenderet pondus, numerum & menſuram, ſicut æternis potitoribus contributa. Magna ea domo magna, ſicut ſcriptum eſt: O Baruch. 3. quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus Poſſeſſionis ejus. Magna ex dulcedine magna. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te. Et ſi ad convivium, quod in eccleſia quotidie agitur, referatur, eisdem ſententiis magnitudine divina grandeſcit. Sunt enim in eccleſiaſtico convivio chariſmatum omnium appoſitiones, ad quod Salvator invitat, ubi inter cætera ſui corporis & ſanguinis appoſitio eſt ex tranſubſtantiativa virtute. Necnon & calix benedictionis ejus omnibus offertur, ut de uno pane & calice omnes participemus, ut panis vivus, qui de cœlo deſcendit, poſſit manducari in iſto militante. atque ſub cœlo eccleſiaſtico regno Dei, ut hac temporali participatione finita, transformati à Chriſto aliud æternum introducamur in regnum, Sed *hora cœnæ mittit ſervos ſuos dicere invitatis, ut venirent.* Nam ſemper ad iſta convivia per ænigmata, & figuras, & parabolicos ſenſus, atque propheticos invitatio facta eſt, duntaxat in populo Dei, ubi talia ſplenduerunt. Nunc verò in noviſſimis diebus ubique latéque invitatio facta eſt, & omnia decentia præparata, ut aliud non ſit opus, quàm invitatos ad cœnam hujuscemodi feſtinare. Rerum evidentia claret ex fide, quoniam omnia ſaluti noſtræ atque refectione animæ neceſſaria in regno eccleſiæ ſunt parata. De quo gratias refert Apo- 1. Cor. 1. ſtolus, ad Corinthios ſcribens: Gratias agoDeo meo ſemper pro vobis in gratiaDei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu, quia in omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo & in omni ſcientia: ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis, ita ut nihil vobis deſit in ulla gratia. Sed parans omnia bona divina bonitas ad illa invenit homines imparatos. Sed neſcio, quæ major perverſitas, quàm ad præparationes divinas ſe reddere imparatum. Hinc invitati ſe excuſare cœperunt, plus intendentes præparationibus & directionibus propriis, quàm divinis. Sed accuſatio irreprobabilis eſt, ubi cunctorum Dominus vocat ad vitam. Deneganda & nihil pendenda ſunt omnia, ubi adeſt præparatio æternorum, & divinorum magnalium. *Sed primus dixit illi: Villam emi, neceſſe habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excuſatum.* Emit homo villam, cùm ſe in interiore homine donat, ut exteriora conquiret. Qui cùm acquiſierit, voluntatem in neceſſitatem convertit, ut placitum neceſſarium dicat, non neceſſarium placitum facit. Et naturæ, legis, atque gratiæ ordo pervertitur, ſi placitum pro neceſſitate ſuſcipitur, necnon quod neceſſarium eſt, à voluntate rejicitur. Neceſſitas etiam hæc multis adeſt in perverſo animi appetitu, cùm fingitur à voluntate, non à ratione. Sed accuſatio potius, quàm excuſatio dici poteſt, ubi agitur, quod voluptas elegerit, non quod veritas ipſa dictaverit. quoniam quid ea neceſſe videre, quorum contemptu beatificamur promiſſione regni cœlorum? Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Quid ne- Matth. 5. ceſſe videre terrena, quorum contemptu cœleſtia tribuuntur? Quid neceſſe videre temporalia, quorum contemptu æterna præſtantur? Quid neceſſe videre illa, quorum contemptu cum Angelis portio noſtra ſtatuitur, quid neceſſe videre quippiam, aut velle quomodol bet implicari, cùm creator omnium vocat? Quid neceſſe videre, quæ nunquam plenè habentur, aut ex tota copia, ſeu ex modica mora, nec habita ſatiant, imo ſæpe faſtidiunt, cùm paterfamilias omnium magnam vocat ad cœnam? Ad abundantiam per omnia pertinet, quòd hic emerit villam, cùm modicis parvisque rebus ipſa hominum natura fulciatur. Rogat, ut habeatur excuſatus à ſervo, & conſequenter excuſetur à Domino. Sed ipſa rogatio eum accuſat: quoniam nulla ratione protegitur. Quæ ſi ei favori aſſiſteret, nullis precibus eſſet opus. Nam ubi veritas & ratio coram juſto judice pro aliquo ſe ingerunt abſque precibus juſtitia tota pollet. *Alius dixit: Juga boum emi quinque, ſed eo probare illa, rogo te, habe me excuſatum.* Emit homo juga boum, duplicatos ſcilicet quinque corporis ſenſus pretio inſitæ rationis, cùm exterioribus ſenſibus vivere delectatus decernat, & id probare, cùm experiri vult, quid unusquisque de hoc nequam ſæculo percipere poſſit in voto, ac ſi fruſtra eſſent ſenſus corporei, niſi eis homo culpatè uteretur. Quibus ut homo inculpatè uti ſciat, poſſit & velit, lex poſita

est, tributa temperantiæ virtus, bonorum æternorum adjecta promissio. Ad rationabilia lamenta se parat, necnon & se præstat in mortem, qui pro voto sensualitatis sensus corporis experitur. Quod Jeremias prophetico spiritu dixit: Audite ergo mulieres verbum Domini, & assumant aures vestræ sermonem oris ejus, & docete filias vestras lamentum, & unaquæque proximam suam planctum, quia ascendit mors per fenestras vestras, ingressa est in domos vestras. Quod & pro Jerusalem defunctione ista dicta sint, nullus, qui historiam & prophetiam legit, ignorat. Sed tropologicè verba transsumpta justam lamentationem, & rationabilem planctum indicant, quod per fenestras quinque sensuum, dum eis malè usua est animus, mora animæ sit ingressa. Et nulla rationabilior causa plangendi, quàm causa peccandi. Et nihil mœroribus, & mæstitia dignum, quàm peccatum. Quod sæpe fit, dum juga nostrorum sensuum satagunt experiri dulcedinem objectorum, divinorum præceptorum, & modestiæ lege exempta. In brutorum legem trajectus est, qui ad forinsecas objectas sensibus qualitates propter legem positam probando se contulerit: tabefacta ratione, imo sine ipsa est inter animalia irrationabilia deputandus, qui tantùm sensibus fertur in placita, sed nec ejus excusatio suscipitur, ubi de ratione voluntariè transitur in belluam, quæ tantùm sensibus non ratione, qua caret, fertur in placita. *Et alius dixit: Uxorem duxi. Et ideo non possum venire.* Magnum est vinculum hominibus uxor ad divina convivia, etiam si bona consistat, si nolit celebrare divortium propter Christum, & vacare ad tempus, & ab amplexibus cessare mariti. Propterea sanxerunt sapientes antiqui, quod sapientiæ vacare volentibus non conveniat uxor, minus autem cum aliis luxuriæ frena laxare. Quòd si ad terrenam scientiam capessendam, atque ut sapiens sapientiæ possit intendere, abigenda est uxor, quantò magis ad veram contemplationem cœlestium non sunt conjugia facienda. Ne quia ad refutandum, quod dicitur, veteris testamentiin medium proferat magnos patres, cùm nostrum non sit differere, quid habuerit illa ætas, sed quid in novo consulat veritas, cùm castratio propter regna cœlorum præcellat conjugalitatis effectum, non tamen compositione alterutra in interitum damnet. Contumaciori animo iste respondit, qui procaciter allegavit impotentiam, nec adjunxit preces, ut excusatus haberetur. Sed nulla impotentia major in divinis mandatis exequendis, quàm nolle obedire, & tyrannidem patri à propria voluntate, quæ sibi subditum ita suis loris frænat & angit: ut impossibile dicat, quòd à sua voluntate discordet. Sed malè ducit quispiam uxorem, cùm propriam sequitur voluntatem, qua uxore nulla damnosior, cùm quis propria voluntate delectatur, ad cujus obedientiam sæpe constringitur. Qua delectatus Adam & in obedientia ei assentiens, à Deo maledictiones accepit, ut sacer textus scripturæ eloquitur: Quia obedisti voci uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedea herbas terræ. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris. Væ! qui uxorem duxit propriam voluntatem; cum illa voluptuosè delectans, ipsumque suo amplexatus in placito: quoniam sex velut primus parens accipiet maledictiones. Et nil tam adversùm Deo, dæmonibusque proximum, quàm propria voluntate delectari. Nec enim Adam aliud expulit de paradiso, quàm quia consensit uxori velut propriæ voluntati divinam inobedientiam suadenti. Quamobrem primùm maledicta fuit terra corporis in opere suo. Terra in opere maledicitur, cùm opus sterile in illa consurgit, & quantùm plus operationis impenditur, ex ea minor aut nullus, imo sæpè fructus corruptua excipitur. Talia est hujuscemodi corporis nostri terra. Inquit enim Apostolus: Qui seminat in carne, metet corruptionem. Et alibi: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Et caro & sanguis revellant, quòd divinum est & arcanum. Et nil nequius, quàm quod excogitavit caro & sanguis. Et caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Et filii Dei ex voluntate carnis in ecclesia non nascuntur. Adjicitur maledictio secunda, ut in laboribus commedatur ex ea cunctis diebus vitæ mortalis. In magnis arduisque laboribus ex carne nostra commeditur, hoc est, si aliquando ex ea fructus boni operis capiatur. Quàm sit laboriosum ejus tentationibus resistere, ipsam divino cultui mancipare, ut orationi insistat, ut jejunet, ut vigilet, ut serviat, ut incedat rectissimos morum callea, solùm, qui cum ea certare disposuit, novit. Et in illa verificatum est, quod per Salomonem dicitur: Qui addit scientiam, addit laborem. Scientiam quidem addere dicitur, qui nititur cognoscere devitanda similiter & agenda. Sed labor immensus statim exoritur, cùm jubetur declinare, quod nefas, & exercere, quod fas. Maledictio tertia infertur in germina-

Jerem. 9

Gene. 3.

Galat. 6. Rom. 1. Matth. 81. Eccl. 17. 1. Cor. 15. Joan. 8. Gene. 3. Eccl. 1. Gen. 3.

minat, non ut ex eis ipsa caro fodiatur, quamvis sæpe punctiuras asperas sentiat, sed unde perforetur spiritus interior ex malè actis, dictante ratione sententiam, & in occultis cordis animam conscientia perforante, ut quo plures delectationes caro extra suscepit, amplìores in anima pungentes spinas & tribulos germinet. Confodiunt enim peccata conscientiam, & ipsa animam ex omni parte diverberant, etiam si non illico sequatur cum tetris dæmonibus pœna larvalis, ut peccatum non transeat impunitum, etiam ad momentum, quin laceretur à peccatorum sentibus spiritus, antequam justa pœna plectatur & corpus. Quarta maledictio pecorinam quandam habet imaginem, ut homo rationalis naturæ comedat herbas terræ. Sed parum est hoc, nec notam turpitudinis habet, si pastus hominis cum pecoribus & animalibus est communis, cùm ipsum frumentum surgat ex terra in herbam antequam fiat granum convertendum in cibum. Sed sensus alius sit
Psal. 48. horrori: Cùm homo in honore maximè factus esset cœlestibus aptus ad Dei imaginem, cum Angelis deputandus, bonis æternis fruiturus æternè, non intellexit, cum effectu debitæ actionis, à quo factus erat, ad quid factus erat, propter quid factus erat, quid factus erat, quid habiturus erat. Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Hoc enim est herbas terræ comedere, electione contraria relicto honore divinæ imaginis transire in similitudinem pecoris, & relictis cœlestibus ad terrena & perfunctoria rationalem animum inclinare. Hæc maledictio non impellit hominum mentes, ut sic necessariò fiat, sed occulto demerito merentur hic homines ea mala perficere, quibus alibi eos sæva pœna contorquear. Quinta maledictio, si ad corpus refertur, quid ante obedientiam uxoris homo habuisset, & quid incurrerit, minuat. Quies in homine fuisset imperturbabilis, nisi prius ipse ordinem naturalis justitiæ perturbasset, non Deo, sed uxori factus obediens. Et sustentativum corporis humani fuisset ex nascentiis terræ aut ex arboribus, absque quod homo pro ipso laborando sudasset. Et sponte sine artificio terra geminasset, & produxissent arbores fructus suos ex virtute ipsis insita naturali. Nam absque alicujus hominis artificio fructus produxerunt arbores in paradiso, de quarum una vetita Eva malè suasa comedit. Et aliæ arbores fructu repletæ jam erant, de quibus comedendi licentiam, absque quod peterent divina largiente bonitate primi homines acceperunt. Sed post uxoris obedientiam in sudorem mutatus est pacificus usus edendi.

Si verò tropologicum sensum sequimur, difficilior erit atque angustior materia disserendi. Nam panis noster Christus est, qui vivus de cœlo descendit, quem quotidianum quotidie monemur expetere, sed sudore opus est. Sudor quidem in corpore procedit ex intimis seu interioribus in exteriores partes cum fatigatione hominis utriusque, qui aut ex magno & continuo motu corporis oritur, aut ex debilitate, aut ex aliqua infirmitate corpus opprimente, aut ex nimio calore, corporis poros aperiente, aut ex timore, aut ex contactu, aut ex verecundia, aut ex intenta meditatione, seu speculatione alicujus veritatis non subito menti apparentis. Sed quoquo modo res se habeat, ex interioribus ad extra progreditur. Ac per hoc, cùm Christus in Sacramentis verus panis vivus & noster credendus hominibus proponatur, sudat in interioribus anima, priusquam captivare possit intellectum, ut Christum in elementis aut rebus elementatis credat existere. Si qua etiam dicta sunt de illo pane nostro prout ad nos dignanter de cœlo descendit, & de progressu ejus quousque resurgens ex mortuis superiora in assumpta carne penetravit, ita sunt nostrum excedentia sensum, ut sine magno sudore anima nostra vix credat. Sed nec de hoc credere maledictio est, sed benedictio sancta nimis, etsiamsi cum sudore atque labore accedat ipsa credulitas. Sed in hoc maledictio est, quia ipse per omnia benedictus maledicta nostra suscepit, factus pro nobis maledictum. Et quod admittentes Deum pro creaturis in creatis rebus, ipsum coacti sumus exquirere, non ingenii aut intellectus naturali apprehensione, sed fidei veritate. Ad ultimum terribilium sexta maledictio tota trajicitur, ut experiamur mortem, quam ipse Deus non fecit, & in illam primam materiam nostra corpora revertantur, unde Gene. 3.
transsumpta: Quia pulvis es, & in pulverem reverteris, obedienti uxori homini dictum est, qui noluit manere, quod factus erat, incurrit mortem, quam Deus non fecerat, obediens uxori scilicet propriæ voluntati, secundùm quam sibi vivendùm non erat, ex data similitudine in vindicta puniti Angeli, qui non secundùm Deum, sed secundùm seipsum instituit vivere. Propositæ sunt nobis tres conditiones malorum, qui divina cœna se reddiderunt indignos, quos cœnæ actor invitatione, vocatione, requisitione, si venire assensissent, volebat facere dignos. Renunciat ingratos, indignósque convivio se improbiter excusantes servus, qui fuerat missus, & accusativas eorum excusationes denunciat. Quamobrem *Dominus tra-*

tus

tus ſcilicet pater familias, ait iterum ſervo ſuo: *Exi citò in plateas & vicos civitatis, & pauperes, ac debiles, cæcos & claudos introduc huc.* Non eſt acceptio perſonarum apud altiſſimum, ut illos quodam modo inſignitos ante invitaverit, & requiſuerit, ut properarent ad cœnam, quibus venire contendentibus, ad iſtos humanè miſſos legationem fecerit, ut unius reprobatio alterius ſit vocatio, ſed etiam poſt illos, & hos vocaturus erat. Attamen, quia propter peccatores Deus homo factus eſt, illos primò viſus eſt quærere, quos novit arctius terrenis & carnalibus actibus implicari, atque voluntatibus propriis deſervire. Unde verò humani hi miſeri deducantur ad cœnam, ſolerti diſcuſſione opus eſt, quia de plateis & vicis civitatis. Sunt quidam, qui ſuas pœnalitates pandunt & ſcire volunt ab aliis mala, quæ perferunt. ut quia per ſe ipſos victum & veſtitum nanciſci nequeunt, ab aliis valentibus adjuventur. Et hi ſedere conſueverunt in publicis locis ſcilicet plateis, ut clamoribus & viſu homines ad ſe traherent, quorum humanitate in bonorum largitione ſuſtententur. Et jam ex publico viſco per decretum ſic afflictis novimus eſſe proviſum, ita ut multi fierent voluntarii ſic miſeri & noti, ut ex publico ſumptu poſſent ſuſtentari. Quamobrem cautiora facta ſunt decreta, quod miſeria eſſet alenda, non emenda, & ſunt quidam, qui à quadam erubeſcentia detinentur aut mentali ſuperbia, qui hujuscemodi malis affecti ad publicum venire devitant. & hi civitatum morantur in vicis. Et ex his peccatorum trahentes imagines, aliquos publicos novimus, & privatos. Occultos aliquos autumamus, quos & amator hominum Deus ſecum quærit ad cœnam, ſcilicet pauperes in virtutibus. Non de illis pauperibus dicit, qui ſpiritu pauperes, ipſorum eſt regnum cœlorum, ſed de his, qui parum in bonis ſpiritualibus habent, debiles ad cadendum, atque ad Diabolo reſiſtendum, cœcos ad veritatem, claudos ad fidem. Et hac juſſione perfecta *inquit* iterum *Servus: Domine factum eſt, ut imperaſti, & adhuc locus eſt. Et ait Dominus ſervo: Exi citò & in vias & ſepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea.* Adhuc locus eſt, quia nondum completus eſt numerus electorum. Et magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus. In vias mittitur ſervus, non in etiam, quia una via recta, qua deventur in æternam requiem, ſolus eſt Chriſtus, dicens: Ego ſum via. Omnes aliæ ſiquidem prævaricationis ſunt, & erroris præter iſtam. Itur in vias plurimas, in malos terminos definentes, ut reductio malè gradientium ſit ad unam. Hinc per Jeremiam dicitur: Hæc dixit Dominus Deus: ſtate ſuper vias veſtras & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris. Quæ ſunt iſtæ viæ, niſi in quibus erratur, cùm unusquisque ſic viam & proprium placitum ſequitur. Sicut per Iſaiam dicitur: Omnes nos quaſi oves erravimus, unusquisque in viam ſuam declinavit. Erravimus ſcilicet à via veritatis, dum vias plurimas ingrederemur. Et unusquisque in viam ſuam declinavit, cùm ſecutus eſt ſui animi pravitatem. Itur & in ſepes & ſolitudines, videlicet in nationes aut perſonas incultas ex ſcientia, ex moribus, ex omnibus, quibus grata poſſet eſſe civilitas, quas Deus Pater non reſpuit, ſed requirit. Aut in ſepes, ſcilicet ad requirendum illos, qui omnimoda inedia premebantur. De quibus per Job dicitur: Qui rodebant in ſolitudine ſqualentes calamitate, & miſeria, & mandebant herbas & arborum cortices, & radix juniperorum erat cibus eorum. Qui de convalibus iſta rapientes, cùm ſingula reperiſſent, ad ea cum clamore currebant. In deſertis habitabant torrentium, & in cavernis terræ, vel ſuper glaream, qui inter hujuscemodi lætabantur, & eſſe ſub ſentibus delitias computabant. In his utique verbis deſignatur, qui ex ſepibus requiruntur, per ſingula velle differere prolixitas eſſet & tædium. Satis quippe ſit, quæ lectoribus parata eſt materia differendi, ſed hi ex viis & ſepibus jubentur compelli, ut etiam intelligamus divinam tantùm ad nos inclinari, & amore conſtringi clementiam, ut non ſolùm velit ad æternam cœnam illos habere conſortes, quos movit charitas, & libera terrenorum abdicationis voluntas, ſed etiam illos, quos impellit ipſa neceſſitas, ſcilicet quos mundum volentes mundus abhorret. Compelluntur de viis, compelluntur de ſepibus, ut operante divina providentia ſuis turbinalibus ſucceſſibus à ſe abdicet mundus, qui poſſidere ipſum omnimode ſatagebant, Aut illi dicantur compulſi, qui ſibiipſis vim in voluntis & moribus facientes velut violentati capiunt regna cœlorum, ſicut dictum eſt. A diebus Joannis Baptiſtæ regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Et ſententia ſertur irrevocabilis ſuper eos, qui primò invitati, deinde requiſiti, ad propria converſi detrectavere cœnam, cùm adjecit: *Dico vobis, quòd nemo illorum virorum guſtabit cœnam meam.* Scilicet qui curis propriis intenti, & propriis delectati propter Deum placitis

Matth. 5.

Baruch. 1.

Joan. 14.

Jere. 6.

Iſaiæ 53.

Job. 30.

Matth. 11.

Digitized by Google

placitis, cœnam non gustabunt æternam. Timendus atque horrendus sermo, maximè ad negligentes, atque spernentes.
Isaiæ. 33. Nam nonne, qui spernis, & tu ipse spernerís? Quid spernimus, nisi vocantem Deum, non ad labores, non ad pœnas, non ad dolores, non ad sarcinas deferendas, non ad bella, ubi victor est victus, ubi victus nunquam censetur invictus, non ad mercenarias seu vicarias mensas, non ad aliquid perfunctorium, sed tantùm ad id, ad quod creati & præordinati sumus, cui vocationi dissentientibus dicitur, quòd non gustabunt cœnam æternam videlicet beatitudinem, cui variis anxietatibus humana suspirat intentio. Et retunditur illorum pervicacia, qui ut liberius malefaciant, æternam aversionem à Deo denegant, quæ penitus adveniet non respondentibus sapientiæ infinitæ ad æterna vocanti. Hinc per Salomonem justa ira, & vindicta in exprobratione contemptorum dicitur: Vocavi & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis, quod timebatis, advenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio & angustia. Tunc invocabunt me, & non exaudiam, mane consurgent, & non invenient me, eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo, & detraxennt universæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque saturabuntur consiliis. Prov. 1.

Cap. XX.

De duabus parabolis adjectis ad fieri Christi discipulum, scilicet de ædificatione turris, & occursione regis ad regem, secundum Lucam tantùm.

SUmmæ veritatis & vitæ moralis pro captandis cœlestibus infallibilis, & irreprehensibilis doctor & dux divinæ probitatis anceps bellum pro suis sequacibus omnino devitans, instituit ad vera sequentem exercitum, & ad secura bella committit. Nihilque in bello securius, ubi bellans nihil amittere potest: ubi de subjectis hostibus honor, de perditione temporalium gloria, de corporis morte vita vera consequitur. Hinc, cum Salvator turbas multas eum sequentes inspiceret, conversus dixit ad illas: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Duo docet magister & dux, verius autem ad duo præmonet in discipulatum ejus transire cupientes, nec ista docet discipulos, sed his prælibat, qui fieri gestiunt veri discipuli ejus, ac si jam factos discipulos vellet ad altiora provehere. Sed utinam & nos in his primis rudimentis essemus, aut fortè, si quis discipulus ejus sic factus est, ampliora discere non cogetur. An hoc solùm est discipulum Christi esse, propinquos carnis odisse, bajularéque crucem? Sed certum est, quòd, qui hæc theorica vera & necessaria esse ignorat, & actu non sequitur, à discipulatu Christi abrogatus est, quamquam & alia docenda supersint altioris contemplationis, atque dulcedinis hujuscemodi Jesu factis discipulis. Duo quidem ista sunt, ut conjunctio carnis, & cujuscunque necessitudinis veniat in sanctum odium, & quòd vitæ hujus pœnalitas assumatur in cruciatum, aut si omnino innascitur, aut infertur, æquo animo toleretur. Odium quidem non de crudelitate, aut de immiti corde, seu de aliqua nequitia consulit emanare Salvator ad eos, qui talibus necessitudinibus fœderantur, sed ab eo, quòd quis ex his induceretur ad nefas, seu ad bonorum actionem obicem poneretur. Crucem verò bajulare consulit indeclinatè propositam ad negationem fidei, & virtutis, aut ad tolerantiam passionis seu assumendam suadente gratia ex placito voluntatis, velut plerique fecerunt, sua corpora in pœnis, & abstinentiis asperis configentes. Crux quidem multiplex, sed una, quæ potest omnibus esse communis, dum vivitur secundùm Evangelium pœnali cruce in fine vitæ Christi signata. Ad hunc biformem Christi discipulatum duas parabolas ipse Christus apposuit, unam ad odium sanctum, alterum ad voluntarium cruciatum. Unam in ædificatione turris, alteram in occursione regis, ut turris ædificatio ad id referatur, quo quis fit Christi discipulus per Evangelicum odium, & occursio regis ad regem ad Evangelicum

B. Sim. de Cassia Com. in IV. Evang.

cruciatum. Et quamvis videantur hæ parabolæ ad propositum dissonæ, non tamen cunctari oportet, quoniam Salvator ad biformem discipulatum adjectis parabolis sic concluſit, dicens: *Sic ergo omnis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest esse meus discipulus.* Ubi odium & cruciatus pariter includuntur. Ait quidem: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, nonne prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habet ad perficiendum, ne postquam posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: quòd hic homo cœpit ædificare, & non potuit consumare?* Ex humano more Christus parabolam protulit, quanta providentia opus sit Christi velle discipulum fieri, & in superna descendere, atque, quod corporaliter agitur, spiritualem trajicit in sensum. Turris sive à tuendo, sive à territuline dicatur, in alta ædificando tollitur. Nil altius in hac vita fide cognoscimus, qua nomen Christi laudabili, & constanti audacia confitemur. Et turris fortissima nomen ejus, ad quam confugiet justus, & salvabitur. Et ad sponsam Ecclesiam dicitur: Sicut turris David collum tuum. Collum corpus capiti nectit, sic fides corpus ecclesiæ Christo capiti suo conjungit. Et turris altitudinem virtutum, & spiritualium consistentiarum insinuat. Nam & Josias ædificavit turres in Jerusalem, & in solitudine. Turres in Jerusalem altitudines virtutum in ecclesia, fidei, spei, charitatis, humilitatis, obedientiæ, castitatis, providentiæ, prædicationis, orationis, & contemplationis, & similium. Turres in solitudine, in abdicatione omnium delectabilium hujus mundi, & in decessu à tumultu turbarum impedientium, & adversantium ad salutem. Quæ turres non publicis, sed privatis sumptibus ædificantur, cum odio Evangelico eorum, quæ possent animam humanam à divinis avertere. Prius ergo ledeat, & computet, qui vult hujuscemodi turres ædificare, in quibus disciplinatus est Christi, si potest hujusmodi terrena contemnere, quoniam simul ipsa non possumus, & cœlestia contemplari similiter, & amare. Prævideat, si potest humana propter divina despicere, si divina potest in ista humanitate diligere, si spiritualia corporalibus anteponere, si se transferre in vitam regnis cœlestibus aptam, si taliter Christi discipulus fieri, quòd non circumferatur alio vento doctrinæ. Sicque, cùm cœperit, & consumare non potuerit, illusionem à dæmonibus insidiosè, imo invidiosè videntibus patiatur. Quoniam non qui inceperit, sed qui perseveraverit, salvus erit. Aliam verò subjecit parabolam: *Aut quis rex iturus commettere bellum adversùs alium regem, nonne prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc longè agente, legationem mittens rogat ea, quæ pacis sunt.* Bellum habet omnis homo cum Deo æterno rege, cùm æternam vitam ex tempore captare contendat, cùm in terra more animalium natus, in vita cum Angelis totis rationabilibus fatagit se transferre: cùm audit sermonem omnino naturæ, atque nostræ sensualitati adversum. Cui cum viginti millibus venienti scilicet binaria in decem dote corporis & animæ nec quidem perfectè cum observantia decem mandatorum occurrimus, cum quo sævum est bellum, si eorum justitia non impletur. Et si ex toto in omnibus, aut in quoquam mandatorum esset perfecta justitia, servi inutiles sumus, fecimus, quod debuimus. Etiam Dei misericordia opus est, cùm nemo ex sua justitia salvus fiat. Legationem mittere oportet pro argumento pacis, quo nullum efficacius, quàm bajulare crucem, sequi & theoria & actu omnium redemptorem. Sicque fit Christi discipulatus ex odio domesticorum, non de crudelitate aut impietate, sed de charitate, & ex desiderio supernorum ex divino beneplacito venienti, cui ædificatio turris in parabola sanè favet. Fit etiam ex bajulatione crucis, quæ pacem firmam habet ad regem, cum quo ex æquo bellare non possumus.

Cant. 4.

Cap. XXI

De parabola operariorum missorum in vineam pro vocatione atque retributione justorum, & paucitate salvandorum, secundum Lucam tantùm.

CReavit Deus hominem non otiosè debentem existere, sed positus fuit in delitiarum horto, ut operaretur. Et Deus operatus est creationem universorum, nil otiosum ad se habens. Et incarnationem sui operatus est, & multa bona in carne assumpta. Sed nec steriliter ad verum finem boni, & ad utilitatem creatorum rationabilium operatus est omnia. Et ad operationem pro supernis homines invi-

invitavit, ne virtus indita hominibus à natura otio torpesceret, atque prout non esset, destinaretur. Nec ad seipsum opera nostra quærit, bonorum enim nostrorum ipse non indiget, sed pro nobisipsis vult nos esse solicitos. Justitia enim sua præmium justis operibus appositit, & qui non operantur secundùm virtutem, condemnantur. Nulla ætas, nullus sexus, si velit, ab operatione justitiæ excluſus eſt, Et per parabolam Dominus clarefecit, quod ad operationem in vinea justitiæ seu eccle-
Matth. 20. siæ generalis vocatio facta est. Nam *simile est regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam ſuam.* Tempora vocationum in hac parabola distinguuntur, ut nec sæculo decurrenti desuerit, quin in omni ætate ad opera justitiæ mortales homines vocarentur, ac etiam in omni ætate ad opus justitiæ homo singulus invitatur, & omnibus excusationis via præcluſa eſt, ſi recte non agunt, ſi in vinea justitiæ non laborant, illam excolendo, maximè vitam ſibi ad regnum aptam. Hanc vineam ſive dicamus esse justitiam, ſive ſanctam fidem, & eccleſiam ſanè credentem, vult, qui plantavit, ut justis operibus excolatur. Qui primo mane in illam operarios mittit, diurni denarii pacto conductos. Primum mane ſcilicet ſummum, quando diluceſcere incipit diſſugientibus tenebris, quod fuit quando primo intellectus rationalis emicuit in prima creatione naturæ mortalis, illico factus capax vitii & virtutis. Et etiam in unoquoque ſic agitur, ut in primo ſuo mane illico vocetur ad vineam, quod tunc eſt, quando ad utramque partem diſcretio & notitia illuſtratur, cùm demereri poteſt, atque mereri, & adhuc innocentia in ſuis radicibus viret, cum qua ex pacto agitur & merito, ſi turpari refugit, ſi operari aſſentit, atque operari concertat in vinea pro communi hominum ſalute plantata. Cæteris vocatis non eſt oblata conventio, ſed ad diſtributionem juſtitiæ ſunt ſervati, quia jam hora tertia ſtantes in foro invenerit otioſos, qui mittuntur in ſpe juſtitiæ providentis, quæ in ſua proviſione non fallitur, quibus dicitur: *Ite & vos in vineam meam, & quod juſtum fuerit, dabo vobis.* In foro vagantes non ſunt inſontes à crimine. Innumera mala committuntur in foro, & inevitabiliter ſine offenſa ſtatur ab his, qui circumforani eſſe dicuntur. Et otium notam peſſimam auget, cùm inertia ſit in voto, & tabeſcat ſegnitiæ animus, & confundatur corpus. Igitur peccatum in foro, delictum ex otio. Egredi ergo penitus opus eſt, ut juſto exercitio poſito eatur in vineam, ad laborandum amore virtutis exercendæ, dulcedine præmii, in ſpe retributionis juſtitiæ. Arguti quidem ſunt, cùm dictum eſt. *Ut quid ſtatis in foro tota die otioſi?* velunt palantes & indiſciplinati neſcientes, quæ Dei ſunt, neque quod vobis expediat agnoſcentes. Et ad illam increpationem hæc refertur, quæ in Pſalmo facta eſt. Filii hominum uſquequo Pſalm. 4.
gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Vànitas quidem eſt aſpicere, & audire illa, quæ aguntur in foro. Et mendacium eſt omnis quies noſtra in tempore iſto ſine quiete labenti. Et ad illam redargutionem etiam pertinet, quæ per Salomonem facta eſt. Usquequo Prov. 1.
parvuli diligitis infantiam, & ea, quæ noxia ſunt cupitis? Et ad illam Jeremiæ 4. Uſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? Et illa Jeremiæ 31. Uſquequò delitiis diſſolveris? Sed videntur hi ad excuſationem intendere, cùm dicunt: *Quia nemo nos conduxit.* Quod ſi in moribus hominum ſæpe hoc habeat veritatem, in conſpectu Dei excuſatione caret, cùm ſemper ad operandum conducere voluerit, & juſtitiæ vinea exuterit aptè plantata, & Hebre. 11.
Deus exterit multifariè, multisque modis loquens olim in patribus & prophetis, vocans, denuntians & conteſtans, & ſub indeterminatione, atque bona pollicitatione monefaciens, ut in vinea juſtitiæ laboretur. Noviſſimè verò locutus eſt nobis in Filio, ut inexcuſatè eatur in vineam, & laboretur, ut fructus dignæ pœnitentiæ capiantur. Laboravit & exercuit in tempore ſuo Abel juſtus ſuſtitiæ, patientiæ & innocentiæ vites. Vitem munditiæ & di- Gene. 4.
vinæ inhærentiæ coluit Enoch, vitem laboris & exercitii juſti, & tolerantiæ in cultu Geue. 5.
accepit Noe, peregrinationis & abdicationis & obedientiæ, largitatis & eleemoſy- Gene. 6.
næ, altæ contemplationis & adorationis juſtæ latriæ, & humilitatis profundæ vites, in forte ſui cultus accepit Abraham, Iſaac conjugalis caſtimoniæ & pacis & ceſſionis cum improbis vites accepit. Jacob quietis & lenitatis & exercitii laborioſi, & orationis indefinentis vites amavit, Joſeph patientiæ, zeli boni, ſanctæ cuſtodiæ ſuſtinuit ſine improbos, & repenſionis boni pro ſuſceptis malis in fratres vites elaboravit. Aaron juſti ſacerdotii vitem, Moyſes fidelitatis & patientis ducatus, Joſue juſtæ commiſſionis & laborioſæ plenæ periculis, Gedeon audaciæ ſanctæ in exprobratione & deviſtione malorum. Samuel totius dedicationis ad Deum, David totius manſuetudinis & humilitatis & viliatis in regio apparatu, Joſias veritatis deiferæ cultus & deſtructionis idololatriam habentis vites in exercitio ſuſceperunt. Et ut

perſtringam originalis mundi tempore Noe & Abrahæ, & ab his in decurrentibus temporibus non defuerunt homines ignoti & cogniti uſque ad Chriſtum, maximè in populo Judæorum, vocati vocibus aliorum, & miris & oculis modis operante inviſibiliter Spiritu ſancto, qui in vinea juſtitiæ debitas vites excolerent, atque purgarent. Et qui conducti non fuerunt, aut à propria malitia, aut ſegnitie propria detenti ſunt eorum occulto demerito, non Dei beneficio, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Nemo enim juſtè condemnatur, aut à Deo reprehenditur, niſi benignè vocatus publicè vel privatè contemneret. Sanxit juſtitia, ut fiat retributio poſt labores, & poſt opera facta præmia tribuantur. Nec tamen cupiditatibus hominum divina largitas alligatur, nec ſubmittitur infra merita operantium, ſed juſtitiam ſervat, & ſtipulationem ex pacto conductis, & cæteris tribuit ſupra ſpem. Nam *cùm ſero factum eſſet, dixit Dominus vineæ procuratori ſuo: Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à noviſſimis uſque ad primos.* Serò finis eſt ſæculi & diei, qui ex corporali luce illuſtratur: Dominus vineæ idem, qui plantavit, ſcilicet rerum omnium creator, & amans Pater, qui procuratorem idoneum ſuper omnia bona ſua conſtituit Jeſum Chriſtum: quoniam Pater omne judicium dedit Filio, & poteſtatem dedit ei judicium
Joan. 8. facere, quia Filius hominis eſt. Et ipſe aſſerit: data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo
Matth. 28. & in terra. Cui Pater Dominus dicit: Voca operarios, & redde illis mercedem. Jubetur vocare operarios, ſcilicet ad mercedem, non otioſos, aut agentes perperam, qui jam judicati ſunt. Et impii in judicio non reſurgunt. Et temperato verbo locutus eſt Dominus, cùm non addit ſuam, quia nemo meretur præmia ex aſſumptis operibus, neque ſummam mercedem, idcirco non addit ſuam, ſed mercedem tantùm, illam videlicet, quam ab æterno juſtis operariis ipſe donare diſpoſuit. invertit ordinem in retribuendo, cùm dixit, quòd noviſſimus prior, quàm primus acciperet, & poſterior eſſet in munere, qui ad opus prior acceſſerat, incipiens inquit à noviſſimis uſque ad primos. *Cùm veniſſent, qui circa undecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt, quòd plus eſſent accepturi. Acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et murmurabant adverſus patremfamilias, dicentes, hi noviſſimi una hora fecerunt, & pares illos nobis feciſti, qui portavimus pondus diei & æſtus.* Ordo præpoſterus, ſed ad magnum myſterium & documentum permutatus eſt, ut in rebus agendis non illum eſſe verum ordinem credamus, quem homines ordinant, ſed quem divina providentia indidit, quæ nullo modo noſtris directionibus ſeu ordinationibus alligatur, apud quam non eſt prius atque poſterius, & eodem modo atque præſentia eſt primus ſive noviſſimus. Apud quam poſterior, ſi amplius bonis operibus fervet, excedit eum, qui tempore anteceſſit. Affectuum vehementiam magis quàm temporis ipſe pater plus pendit. Et quid ſi noviſſimi quàm primi ſe in opere ferventius habuerunt? Oſtendit cognitor occultorum, quòd non ex tempore, ſed virtute ſint merita. Et ne videretur magis tempori detuliſſe, quàm operi, ordinem temporis alternavit. Et idcirco fortè fecit præire noviſſimos, ne crederetur ex tempore in ſuperna patria gloriandum, cùm ibi omn ex eo, quod præcedit, eſt gloria, ſed ex eo, quod infinitè poſt ſequitur. Non componitur millenarius in ſuperna patria, cum eo, qui hodie eſt egreſſus. Quid ad eum, qui jam fuit, cùm ex hodie ſemper erit? Quid amplius ei, qui per mille præceſſit, cùm utriusque ſit ex æternitate una & æqua felicitas, quamvis ſtella in claritate ab altera differat? Necnon & ſpei erigendæ omnibus prætulit argumentum, ne ob dilatum tempus redire ad veniam ſeu juſtitiam deſperatione homines frangerentur, cùm noviſſimos primis præpoſuit ad munus. Sed plus auget quæſtionis materiam, cùm tantundem utrisque contribuit, ut acciperent noviſſimi ſicut primi. Unde primis videtur eſſe indignatio ſatis juſta: qua uſque ad murmurationem contra patremfamilias irrumpunt. Sed quo magis juſta videretur hominibus, injuſtior eſt apud Deum. Etenim pacto conductis ſtipulationem dedit. Amplius petere non habebant, niſi ex improbitate invidiæ erga noviſſimos jam exortæ, qui ut ipſi tantundem acceperant. Et largitatem donantis videbantur velle reſtringere, ne ſua benignitate ſupra merita hominum ſua deberet dona conferre, aut ampliare, ut ultra ſtipulatum donaretur & ipſis. Quod ſi in allegoriam verba transferimus, alternationem novimus Judaici populi cum gentili. Sed nec ita ſumpſimus differendum. Comparant homines tempori temporum quantitatem, ſed omnium Creator & Dominus intentionem affectuum & charitatis vehementiam adinvicem componit, ut ſua retributio fiat non humano judicio, ſed divino, & quòd ſuæ largitatis eſt, & ſui muneris, quod largitur, non humani, ſeu noſtri meriti, quod accepimus. Quamobrem juſtam apologiam facit: *Qui reſpondens*

ſpondens uni eorum, dixit: Amice non facio tibi injuriam. Nonne ex denario diurno conveniſti mecum? Tolle, quod tuum eſt, & vade. Volo autem & huic noviſſimo dare ſicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Nemo, nemini alligatus ex debito, ſi non largitur, facit injuriam, beneficus tamen utique dicendus eſt, ſi ſua gratis impendit. Et ſi ex pacto donatorem ſe fecit, perfecto fœdere non opprobrium infert, ſi ampliora non errogat. Neque mali quippiam infert, ſi aliquid immerito alicui elargitur. Deus nobiscum nullo pacto conſtringitur, nullum chirographum donationis ex debito producere poſſumus cum ipſo in judicio, hoc duntaxat excepto, quòd dignatus eſt promiſſionibus ſuis verè fidelibus & remuneratoribus ſuis debitor fieri. Quid enim adversùs eum cauſari poſſumus, cùm ipſe ſui ſit juris, cùm bonorum noſtrorum ipſe non egeat, ut exhibitionem ipſe retribuat? aut quis dedit illi, & retribueretur ei? Quo ſe protendit humana præſumptio, ut de Domino queruletur, ſi non accepit, quod affectat, ſi, cui vult, infert, ſi denegat, cui placet? Unde damnata judicia, quare illi & non mihi? Quare in afficientibus ſenſum mihi, & non illi? Quare plus mihi quàm illi? Quare quod illi, non mihi? Quare mihi, quod non illi? Et hujuscemodi querelis humana non ceſſat præſumptio Deum laceſſere. Nonne terrenus Rex poteſt unum malefactorem coſimilem de miſericordia liberare? Quæ ergo injuria ei facta eſt, qui eſt de juſtitia interemptus, ſi alter de miſericordia ſit liberatus? Nonne legitimus terrenarum rerum Dominus poteſt ſua jura retinere neminique tradere, atque de ſua largitate, cui placuerit, elargiri? Quæ ergo injuria ei, cui habens non dedit, quod voluit, ſi cui alteri quod voluit dedit? liber in ſuis bonis nemini derogat, ſi quomodo vult, & cui vult, denegat, vel impendit. Quantò magis creator omnium Deus, à quo, quidquid habemus, accepimus, non merito noſtri operis, ſed ſui largitate doni, à quo creando proceſſit donatarius & donatum, recipiens & receptum. Proinde quòd hujuscemodi querelæ ab oculo nequam, id eſt, ab animo & intellectu & affectu perverſo, ſiquidem ex judicio maculato, & ex invidia damnata procedunt, Patet ex his, quæ inferuntur: Amice non facio tibi injuriam. Amice ſcilicet ex debito ad amicitiam obligatus, quamquam ex verbis non eſſet cenſendus amicus, non facio tibi injuriam, denarium ex fœdere tribuens, quia tu mecum ex denario conveniſti, pro vita ſcilicet æterna in vineajuſtitiæ laboratntium reſpondens. Proinde tolle, quod tuum eſt, ex tuis laboribus partum, & vade. Quo? In perditionem. Quia omne, quod noſtrum eſt, de jure damnationis eſt, cùm nihil ex nobis, præterquam id, quod damnationem habet annexam. Si verò ad retributionem ſententia iſta refertur, modicum eſt, quod meremur. Proinde à Deo abiblmus potius, quàm ſibi inhæreamus. Impenoſam, juſtam, ſanctam, irreprehenſibilem ſuurſius authoritatem alligans: *Volo huic noviſſimo dare, ſicut & tibi.* Volo. Cujus voluntas ſi larga, non prodiga: ſi libera non injuſta. An non licet mihi facere, quod volo, qui omnibus creditor, nemini debitor ſum? Cujus voluntas ſuper omnes, ſuper quam nulla, qui nullius agor imperio, mihi quoque omnia ſunt ſubjecta. Cujus voluntas ſi occulta, ſemper tamen juſtiſſima, à quo cuncta, qui à nullo, qui omnia poteſt, præter quem nullus poteſt, qui omnia diſcernere habet, ſub nullo protinus decertari, à quo nihil injuſtum, ſine quo cuncta in perperam vadunt, qui nullis legibus alligatur, qui omnia ſuis legibus ligat, quas qui præteriit, ſemetipſum amiſit. Proinde nil à me proceſſit injuſtè. Sed oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum, tibi dans ſtipulationem ſecundùm juſtitiam, & huic adjiciens per miſericordiam. Porro nequam eſt oculus, ſcilicet intellectus, arguens eum, qui malè, aut nequiter agere nihil poteſt. Qui bonus ex natura, nihil ſibi prævalere poteſt malitiæ notam habens. Nam Deus fidelis eſt abſque ulla iniquitate, cui peccant in ſordibus, ſed non filii ſui. Et Job quidem: Ipſe enim ſolus eſt, & nemo poteſt avertere cogitationem ejus, & anima ejus quodcunque voluerit, hoc facit. Nec acceptor perſonarum eſt Deus, ut ex hoc ſua bona diſtribuat, ſicut etiam Petrus ait: In veritate comperi, quoniam non eſt acceptor perſonarum Deus. Et ad Galatas: Deus perſonam hominis non accipit. Et ad Romanos: Non eſt acceptio perſonarum apud Deum. Ac per hoc ſi probatur, quia perſonarum acceptio apud Deum non eſt, cur in eum murmuratio audet humana, ut eum dicat alicui feciſſe injuriam, cùm nemini, quod juſtum eſt, deneget, & pluribus per miſericordiam ſupra debitum largiatur? Sed oculus hominum nequam eſt, quia ipſe ſolus eſt bonus, utique per naturam, à qua variari ſic impoſſibile factum eſt, ſicut non eſſe, quod eſt. Verumtamen aſſertiva ſententia claudit ora cunctorum, adjiciens in retributione

Deuter 32.

Acto. 10.

Gal. 2.

Rom. 2.

butione ordinem præpoſterum. *Sic erunt noviſſimi primi, primi noviſſimi.* Aſi dicat: Ex iſta præpoſteratione, quam parabolicè intellexiſtis, capite, quod ſic erit in retributione illa, quam exſpectat Chriſtiana credulitas, ſive ad præpoſterationem duorum populorum, ſive ad ordinem in beatitudine permanendi referatur. Sed ſi ſequentem ſententiam cum iſta in conſenſu connectimus, intellectus alius utique timendus carpitur, ſcilicet quòd multi ſunt vocati, pauci verò electi. Ut iſtarum ſententiarum fiat iſta connexio. Sic multi ſunt vocati, pauci verò electi. Quia multi ſunt primi vocatione, accedentes in id, quod vocati ſunt, ſed neſcio, quo Dei occulto judicio, fiunt noviſſimi in operatione, necnon & quod flendum eſt, retrocedunt ab eo, quod acceperunt ſancto mandato in perditos mores. Et qui videbantur noviſſimi & indigni & peccatores, fiunt primi præcepta divina imprævaricatè ſervantes. Proinde aptè adjungitur: *Quia multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Hoc etiam ipſe Salvator infra declarat dicens: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Hoc etiam magis experientia & fide claret, quàm eloquentia differendi. Attamen in compoſitione proficientium æque lucet, quòd fiunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi. Nam noviſſimè tanquam abortivo Chriſtus apparuit Paulo, ut ipſe teſtatur, ſed ipſe plus omnibus laboravit. Et 1. Cor. 15. ante ipſum in vocatione Chriſti fuerunt ſeptuaginta duo diſcipuli, quos ipſe merito & operatione præceſſit. Et cùm Stephanus eſſet inter grandines lapidum, Paulus tunc Saulus lapidantium veſtimenta ſervabat, in eum plus cæteris ſerviens. Et proſequens eccleſiam Dei, divinè vocatus, Stephano, quem perſecutus fuerat, Anania, quem à Chriſto vocante in magiſtrum ſuarum actionum acceperat, ſic factus ſuperior, ut ipſe primus in dignitate, illi loca poſteriora tenerent. Et noviſſimus latro Chriſti vocatione antequam exſpiraret, priusquam Petrus aut alii diſcipuli æternæ vitæ præmium ſumpſit. Sed nec in compoſitione proficientium & meritorum, ſic noviſſimorum intelligatur poſitio, ſicut in ordine ſituandi, ut qui noviſſimus, ille ultimus, ſed ſicut prius & poſterius, ante & poſt, magis & minus, præhabens & minus habens, præhonoratus & honoratus. Etenim multi primi ratione poſteriorum, qui & ipſi poſt ſtant ratione priorum. Aptè quidem dixerim contemplari ſub hac imagine proceſſionem beatorum procedentem coronatim, ubi primi fiunt noviſſimi & noviſſimi primi. Verumtamen nimis terret iſta ſententia, quòd multi ſunt vocati, pauci verò electi. Sed nec in vocantem culpa jaculetur, ſed in eos, qui renuunt, juxta Salomonis verbum: Vocavi, & renuiſtis. Necnon & illos, qui ad fidem venerunt, ſed non ambulaverunt Prov. 1. dignè ad vocationem cœleſtem, neque ſuos mores ſancto Evangelio coaptaverunt, quæ ſua ſunt quærentes, non quæ Jeſu Chriſti, non renovantes ſe in ſpiritu interiori, aut plenè hominem veterem expoliantes & induentes novum, qui ſecundùm Deum creatus eſt in juſtitia & veritate & ſanctitate, nec carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixerunt, fructus dignos pœnitentiæ facientes, aptos vocationi deiferæ. Quàm pauci? audi in figura Prophetas dicentes: Attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus emarceſcet. Et erit ſicut congregans in meſſe quod reſtiterit, & brachium ejus ſpicas liget. Et erit quaſi quærens ſpicas invalle Raphaim, & relinquetur in eo ſicut racemus, & ſicut excuſſio oleæ duarum aut trium olivarum in ſummitate rami, ſive quatuor aut quinque Iſaiæ 24. cacuminibus ejus. Et alibi: Quomodo ſi paucæ olivæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea, & recemi, cùm fuerit finita vindemia, hi levabunt vocem ſuam, atque laudabunt. Et alius Propheta in Chriſti perſona & prædicatorum ejus exclamat: Væ mihi, quia factus ſum ſicut qui Miche. 7. colligit in autumno racemos vindemiæ. Nam hæ ſimilitudines ſpiritu prophetico editæ ſunt, & pro veritate ſanctorum, quæ populo Iſraëlitico & Jeruſalem incomparabiliter acciderunt, hoc præſagientes atque figurantes, quod ſicut ex oleis & de olivatis ſtudio poſſidentis paucæ remanent, quæ excuti poſſint, & ex vindemiis factis pauci ſunt racemi, qui remanent: ſic erit paucitas ſalvandorum reſpectu eorum, qui ſupplicium ſuſtinebunt æternum. Multos terret littera iſta, dum legitur, ſed plures & amplius terrere deberet, quoniam judicium Dei eſt ſecundùm veritatem, cujus irrefragabilis eſt ſententia, qui dicit, quòd multi ſint vocati, pauci verò electi, quorum numerus ſolùm ſibi eſt cognitus, ut etiam inter mortales nemo poſſit dicere, ad electionem pertineo, & alius ad reprobationem deditus eſt. Sed ſæpe agitur, ut qui apud vulgare fallibile judicium habetur electus, in conſpectu Dei factus ſit reprobus. Necnon & electus ſit apud Deum, quem opinio humana condemnat. Electio & reprobatio non humano, ſed divino ſunt librandæ judicio, quia inter judicia divina & humana compoſitio nulla cadit. Veruntamen electi Dei quasdam imagines cum cœleſtibus habent, & via

regia

regia gradiuntur, non exorbitantes in alteram partium, & conditionatam prædestinationem adjuvant ordinatis atque appositis argumentis. Non enim prædestinatio aut electio simpliciter à Deo factæ sunt, ut nullo additamento electio & prædestinatio tendant in gloriam, sed auxilia plurima sunt pro eis, scilicet pura observatio mandatorum, sicut & Salvator ait: Si vis ad Matth. 19. vitam ingredi, serva mandata. Et repurgationes interiores post lapsus. Sic enim scriptum est: Lava à malina cor tuum Jerusalem, ut salva fias. Jere. 4. Et operationes pertinentes ad vitam. Sic quidem ipse prænonuit: Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Joan. 6. Et de abundantia justitiæ super Judæos dictum est: Nisi abundaverit justitia vestra plus, quam scribarum & pharisæorum, Marc. 5. non introibitis in regnum cœlorum. Et inculpata factio divinæ voluntatis. Nam Matth. 7. scriptum est: Qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis est, hic intrabit in regnum cœlorum. Et cordialis remissio ad lædentes. Dimitte inquit, & dimittetur vobis. Et pura humilitas. Comminatus est Salvator: Nisi converti fueritis, & efficiamini sicut parvulus iste, non introibitis in regnum cœlorum. Et Sacramentorum ablutiones. Et decorationes virtutum. Et neminem Christo in amore præferre. In omnibus autem perseverantia, quia, non qui incœperit, sed qui perseveraverit, salvus erit. Et hæc & similia sunt ad electionis seu prædestinationis testimonium, & juvamen appositis & inventa. Ac per hoc nemo præsumat Deum de vocatione aut de electione causari, aut sibi de prædestinatione inferre. Nam non suæ prædestinationis est, quòd salvamur, si illam adjuverimus appositis, & non suæ præscientiæ est, quòd damnamur, sed nostri demeriti proprii. Lucæ 6; Matth. 18

Cap. XXII.

De parabola duorum filiorum missorum in vineam, secundum Matthæum.

QUoniam antelata parabola est de vinea in designationem operationis in justitia faciendæ, alias parabolas de vinea sine interpositione jungimus. Et primò illam, qua Salvator conatus est Judæorum populum ostendere negligentem, & præferendum esse in bona operatione gentilem. Conatu ordinato Salvator id agebat, ut homines redirent introrsum ad cognoscendum semetipsos, & discernerent differentiam inter activos & inertes, & qui divina jussa perficiunt, quive despiciunt, ut in sua retributione commendetur divina justitia, non sibi hominum placitò derogetur. Et interrogativè loquens ad confusionem malè sentientium Matth. 22. ait: *Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios. Et accedens ad primum ait: Fili vade hodie operari in vineam meam. Ille autem respondens ait: Nolo. Postea autem pœnitentia motus abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait: Eo Domine. Et non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Ab exordio creationis rationalis creaturæ duos filios, scilicet duos populos creator omnium habuit, scilicet & obedientem & contumacem. Et etiam in illis intelligentiis separatis reperta est ista distinctio, ut in uno reperirent adhæsionem, in altero aversionis invenerit pravitatem. Et in hominibus primis totum, si populus dici posset, infectum invenit. Etenim ambo protoplasti prævaricati sunt. Sed cùm succederet propagatio filiorum, virtutibus altrinsecus sunt divisi, ut unus justus, alter reprobus haberetur. Et hoc siquidem, quod cultus justitiæ in vinea disparitur sit repertus, & ab ipsis usque ad Christum, & à Christo usque ad finem sæculi, certis distinctionibus Sacramentorum & morum sit procursus hujuscemodi populorum. Sed gentilis à tempore Noe velut unus duorum filiorum, requisitus est in vineam accedere justitiæ, ad excolendam rectælatriæ, atque virtutis vitem, quamquam vera dici non possit distinctio populorum usque ad ultricem divisionem linguarum. Erat enim usque ad superbiam illam ædificandæ turris, superbè molientis in cœlum, lingua una & populus unus. Et usque ad signum circumcisionis datum magno patriarchæ Abrahæ, quæ non fuit multatio, sed electio, non aperta cognoscitur varietas populorum. Sed qui populus Judaicus dicitur, per ipsam circumcisionem in Abraham requisitus est, ut iret in vineam veræ justitiæ inculpatè observaturus præcepta dominica, & spopondit, & in Moyse, & spopondit, Gene. 11.

pondit, & in propheris, & ſpopondit. Sed non ivit in illam juſtitiæ vineam, quæ ex promiſſione eſt, & ex fide, credens per circumciſionis, & legis juſtitiam ſalvum fieri, quam nunquam implevit, ut in actionibus Apoſtolorum Petrum dixiſſe Judæis, Lucas Theophilo conteſtatur. Et Paulus ad Philippenſes, non quærit juſtitiam legis, ſed fidei. Quam vitem in vinea Domini Sabaoth nunquam excoluit populus Judæorum, neque quod promiſit, executioni mandavit. Sed tandem ductus pœnitentia populus nationum requiſitus ab Apoſtolis, cæteriſque ſubſequis evangelizantibus regnum Dei, per fidem venit ad Chriſtum, & ivit in vineam, ſcilicet in juſtitiam fidei, captivans intellectum in obſequium ejus, Chriſto factus obediens ſub decreto paterno, qui ad hujuscemodi operandum in vineam duos populos velut duos filios mittebat, ut ſibi crederetur, & per eum, in eum & ad eum referrentur actiones cunctæ mortalium. Et judicantibus Phariſæis, quod primus filius, quamvis primo contumax, deinde ductus pœnitentia, paternam perfecerat voluntatem, non ille, qui promiſit diſſimulans, quaſi ſemetipſos ignoté, ſed doctè condemnantibus illico Dominus intulit: *Amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei. Venit enim Joannes ad vos in via juſtitiæ, & non credidiſtis, publicani autem & meretrices crediderunt ei. Vos autem videntes, nec pœnitentiam habuiſtis poſtea, ut crederetis ei.* Ex his luce clarius reprobatio Judaici populi & gentilis electio pateſiunt. Illius per incredulitatem & inobedientiam fidei, illius duntaxat per fidei juſtitiam emundari. Et ad exeggrationem culpæ addidit, quòd à publicanis & meretricibus creditum ſit Joanni, qui præter viam juſtitiæ, quam prædicavit & tenuit, nulla ſigna & macula fecit, & non credebatur ſibi, qui tam magnis operibus atque ſignis ſuam validabat doctrinam. Et quod amplius ad cumulum malorum acceſſit, cùm publicanos & meretrices haberent prævios in credulitate, nec ipſi poſtea ſunt ſecuti. Et tunc Judæi non credentes, rationabilius & deterius condemnantur, cùm præeuntes vident populos nationum, ſicque ſanctam eccleſiam roboratam, ſic late altéque diffuſam, in ſua pertinacia perdurantes. Si ad mores parabolam iſtam trajicimus, oportet omnes credere peccatores ægere miſericordia Dei. Sed pœnitentia & impœnitentia diſpares faciunt, cùm unus malorum ſuorum pœnitentia ductus, reſipiſcit à malis, & ad viam veritatis revertitur: alter verò cor impœnitens ſibi continuò theſaurizat, ut iram divini judicii non poſſit evadere. Necnon & poriorem credamus in conſpectu altiſſimi hominem diffuſum in malis omnibus peccatorem, reverſum tamen ad juſtinam fidei, quàm quemquam immaculatè viventem, fidei juſtitiam non habentem, ut poſtquam mundo Chriſtus inclaruit, nullius juſtitia etiam originalis utique cuſtodita, & per omnia lex obſervata Moſaica ab æterna damnatione non liberet, niſi ei verè inſulſerit juſtitia fidei & miſericordia Salvatoris. Componere quidem fas eſt ſecundam iſtam parabolam etiam inter ſe omnes, qui Chriſtianæ fidei regulam ſuſceperunt, ſecundùm prohibitionem vitiorum, aut affirmationem virtutum: Etenim vitia prohibitionem, affirmationem protinus ipſæ virtutes habent. Ecce pater habet duos filios; quorum uni dicit: Ne facias tale crimen. Reſpondit filius: Non faciam, tuam volens adimplere prohibitionem. Sed eggreſſus à facie ejus ſtatim facit. Hoc idem & alteri prohibet. Qui reſpondit: Non obediam, ſed omnino faciam, & perfecit maculationem. Sed pœnitentia ductus, vocatus deteſtatur, quod fecerat, pro miſericordia illico adit patrem, confitetur culpam, precatur & veniam, alter verò in obſtinatione perſeverat. Quis horum paternæ voluntati magis conſentaneus factus eſt? Nonne poſterior? Ad affirmationem verò ſuadet & præcipit Pater: Fili hoc in virtutibus eſt agendum. Præſto ſum ait: Egreſſus diſſimulat. Hoc idem & alteri. Reſpondit: Nequaquam faciam. Et perſiſtens ſic aliquamdiu juxta negationem, quam fecerat, tandem pœnitentia ductus, malè ſe reſpondiſſe cognoſcens agit, prout ſibi fuerat imperatum. Quis in hac juſſione ſeu affirmatione obedientior Patri fuit? Nonne qui ad exercitium virtuoſæ aſſertionis acceſſit etiam poſt negleſtum? Sic quidem ſimilitudine parabolæ mutata, præter id, quod allegoriam habet, diſſeritur & aſſeritur inter eos, qui per rudimenta veræ fidei proficere decreverunt, quæ in moribus à quibuſdam ex toto deſpicitur, à quibuſdam verò interdum deſpicitur, & aliquando tenetur à multis, licet à paucis omnino per mores irreprehenſibiles cuſtodita eſt.

Philipp. 3.

Cap. XXIII.

Cap. XXIII.

De parabola plantatæ locatæque vineæ malis, in deſignatione reprobatorum Judæorum cæterorúmque reproborum, ſecundùm Matth. Marc. & Lucam.

EX parabolis velut ex incontradicibilibus ſententiis Salvator oſtendebat perfidiam Judæorum, & cogebat eos ex ſubjectis exemplis veram proferre ſententiam eis adverſam, ex qua judicabant ſemetipſos reos, tgnari, quod contra ſeipſos, ſed in judicio juſto apprimè docti erant. Et cùm contra ſeipſos in ſuperiori parabola judicium protuliſſent, aliam parabolam ſubjecit, ex qua ſeipſos amplius reſpondendo damnaverunt. Et magno, ſed horrendo documento inſtruimur, quòd neminem Deus damnabit, niſi quem propria conſcientia incuſabit. Quoniam ſic ſunt juſta divina judicia, ut unusquisque de ſe pronuntiet juſtam perpeti ultionem, cùm plenè cognoverit à ſeipſo derelictam juſtitiam, & iniquitati animam, & membra corporis tradidiſſe. Subinducta parabola ſatis oſtendit, quàm damnetur meritò, qui deliquit. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, & ſepe circumdedit eam, & fodit in ea torcular ſive lacum, & ædificavit turrim in medio ejus, & locavit eam agricolis, & peregrè profectus eſt multis temporibus.* Paterfamilias, qui & omnium plantavit vineam ſynagogam, quam tranſtulit ex Ægypto, etiam primo omnium originalem juſtitiam, quam locavit agricolis originalis mundi, qui deſtruxerant illam, quia cuncta cogitatio hominum prona erant ad malum, & omnis caro corruperat viam ſuam. Et Noe poſt diluvium plantavit vineam, de cujus vino inebriatus eſt, & in ſuo tabernaculo nudatus, ut à tertio deridetur filio. Quæ figura, pro veritate ordinabatur ad Chriſtum, qui novellam eccleſiæ plantationem fecit in altiſſimis ſuorum myſteriorum montibus, cujus amore crucifixus & nudatus eſt & deriſus à gentibus, & à perfidia Judæorum. Plantavit vineam novam, ut ait Apoſtolus: initiavit nobis vineam novam. Et vinea à vi & neos dicitur, quia vi renovatur. Vinea quidem nova eſt, quam nobis Salvator oſtendit, ut renovati à vitiis & in virtutibus innovati, æterno regno noviter promiſſo præparemur. Nam juxta prophetiam Davidicam ipſam tranſtulit de Ægyptiaca ſervitute, ſcilicet de tenebroſitate peccati, ſub qua malè ſubacti per immunditias ſerviebamus principi tenebrarum. Sed nec in hominibus plantari poteſt vinea Domini ſabaoth, niſi relinquamus illum teterrimum incolatum. Abjicienda ſunt opera tenebrarum, ut vinea plantata ſimus à Domino. Et genes ejiciantur, opera ipſa gentilium, quæ tantum ſunt ex corrupta natura, prout ipſi nati ſunt, nullis legibus alligati, nullo moderamine morum inſtructi, nulla gratia informati. Et vinea Domini ſabaoth domus Iſrael eſt, non adhuc Jacob fraudulenter ſurripientis fraternam benedictionem. Et quamquam myſterium ibi magnum præſignatum extiterit, mos tamen reprehenſibilis fuit: Non Jacob adhuc ſervientis pro uxore, qui bigamus imo trigamus & quadrigamus fuit, non deſpicientis ſocerum in decorticatione virgarum. Quæ omnia quamvis fuerint præſagia futurorum, non tamen judicata ſunt à pluribus habere publicæ juſtitiæ honeſtatem. Sed non condemnantes tantum patriarcham, quem Deus dilexit, odio habens fratrem, ſed in meliora geſta trahentes ſua, quia Angelum vicit, Dominúmque vidit, ſortitus eſt altioris nominis dignitatem, ut Iſrael vocaretur, velut à mundo alienus, carni prædominans per orationem vehementem, uſque ad benedictionem detinens angelicas poteſtates, una potitus benedictione, cum eis animo totus factus in ſpeculatione cœleſtium, ut Iſrael quaſi homo ex omni ſuo dicatus Deo penitus diceretur. Domus ergo ſimilium & talium concio vinea Domini merito appellatur, ex prophetico ſpiritu authoritate firmata, quòd vinea Domini ſabaoth domus Iſrael ſit, quæ plantata eſt plantatione fideli & electi lapides offenſionis ex illa. Cui ſpes in circuitu adjecta eſt, ſcilicet ſancta & immaculata lex animas convertens, quam qui diſſipat, à ſerpente lædetur, ſicut ſcriptum eſt: Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber. Semper enim ſub diſſipatione legis divinæ diabolus invenitur in pœna & horrenda tortura. Sæpe quidem in ſepibus flores fructus inveniuntur & ſpinæ. Et in lege odorifera bonæ famæ floréſque virtutum & odoramenta & promiſſiones, videlicet ſupernorum, & fructus pœnitentiæ digni ſuper cœleſtia ſe tollentes. Spinæ interminationes pœnarum interminabilium ad eos, qui

Matth. 22.
Marc. 12.
Lucæ. 10.
Gene. 6.
Gene. 9.
Hebr. 10.
Pſal. 79.
Iſaiæ 3.
Gen. 27.
Eccl. 10.

qui perperam agunt. De quibus dicitur:
Eccl. 28. Sepi aures tuas ſpinis, Spinis quidem aures ſuas ſepit, qui timore illarum pœnarum à malis voluptatibus abſterretur, & à ſuaſionibus dæmonum hominúmque malorum aures cordis avertit, ne audiat ſerpentem, ut protoplaſti non abſterriti audierunt. Et ubi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio.
Eccl. 30. Ubi divina fuerit lex, poſſeſſio bonorum naturalium intellectualium & corporalium in direptionem dæmonorum datur. Et vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam. Illi larvales latrones, qui viam noſtram transgrediuntur inviſi. Torcularia facta in vinea, experimenta paſſionis, tentationis & tribulationis, & omnis adverſitatis appoſita ſunt. Nam & quot Pſalmi de torcularibus inſcribuntur, ad paſſionem Domini referuntur, & ad corpus ejus, quod eſt eccleſia, prout in tribulationibus probata eſt. In quibus boni à malis, electi à reprobis, velut vinum à vinacils, & oleum ab amurca ſecernuntur. Et ipſe torcular calcavit Dominus virgini filiæ Judæ
Iſaiæ 63. Solus quidem Chriſtus crucem aſcendit, & perfecit vinum ſanguinis ejus, in quo abluit ſordes humani generis, in quo luant ſtolas ſuas omnes, qui in ſuperna aſcendere contendunt. Calcavit virgini filiæ Judæ. Nam virgo eſt eccleſia, & filia ſynagogæ in Chriſto Jeſu ſecundùm carnem, & in Apoſtolis ex ipſa progrediens, &
Ibidem. ipſa veteraſcens eſt mortua. Virgo filia ejus eccleſia eſt, uſque in finem ſæculi duraturſa. Et alibi ibidem ſcriptum eſt: Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum. Non enim adhuc ingreſſæ fuerant gentes ſanctuarium fidei, quando Chriſtus ſolus patiebatur in cruce, calcans mortem, calcatus à morte. Crux
1. Cor. 1. Chriſti eſt torcular, in qua, & per quam electi à reprobis ſegreganiur. Myſterium quidem crucis Judæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, vocatis autem & electis virtus Dei eſt, ſapientia Dei eſt. Ac per hoc torcular eſt ſecernens affectu, vita, moribus, ante quam irrevocabile Dei judicium in homines decernatur. Ex hoc vinum æternæ lætitæ defluit, quamvis mœrorem habeat in præſenti. Et oleum ſcilicet fomentum interni luminis eſt ex cruce. Turris etiam in medio vineæ poſita eſt ad proſpectandum incuſtantes, ne inviſi diripiant, & ad tuendum, ſi quiſpiam violentiam vellet inferre. Sed altæ contemplationis virtutem in turre conſpicimus, ſi ſcripturam veterem perſcrutamur, ſicut turris David, quæ reſpicit contra Damaſcum. In altitudinem oportet aſcendere, qui multa intueri concertat. Et non ſolùm ad tuendum, ſed etiam ad contemplandum ſæpe turris conſtruitur. Sed eſt turris David, ſcilicet Chriſti manuſortis altitudo ſubvecta fidei Chriſtianæ, in quam omnium verorum fidelium ſit aſcenſus ad recipiendum Damaſcum, quæ eſt civitas in provincia Syriæ, & caput, ab eo denominata, quòd fuerit condita, ſcu ibi aliquid initiatum à ſervo Abraham ſic nominato. Cujus interpretatio non incongruè in utramque partem trahitur, & utraque ad contemplandum aſpectui noſtræ mentis objicitur. Interpretatur enim ſanguinem bibens, ſanguinem propinans, ſanguinis oſculum. Sanguinem bibit hoſtis antiquus, qui ſuo deſiderio implicabiliter malo homines incitavit ad effundendum humanum ſanguinem, ut primum fratricidam cæterósque ſequentes. Et tantum deluſit hominum mentes, ut ſanguinem eorum in ſacrificio accepiſſet, Qui ſanguinem Chriſti fecit effundere, ſed præneſciens, quòd ad ſuæ poteſtatis excidium. Et in Martyribus fluere flumina fecit ex ſanguine. Sanguinem propinat, ſcilicet peccati delectationem hominibus. Et oſculatur in ſanguine, volens mortem inferre, prærogat primo pacem. Cujus membrum Judas ad exitium Chriſti oſculum præbuit. Igitur aſcende turrim David fidem Jeſu Chriſti, contemplare Damaſcum ſcilicet ſanguineum malum, ſanguinis periculum, ut effugias, ut devites, ut non te in ſanguine capiat, qui tot mala fecit in ſanguine, quamvis divina ſapientia in bonum ſanguinis infuſionem intorſerit. Sanguis peccata hominum deſignat. Quamobrem exiſtens in turre David, exclama contra Damalcum, ſimiliter cum David: Libera me
Pſalm. 50. de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea juſtitiam tuam. Si verò in alteram partem interpretationem invertimus, quid Damaſcus niſi Chriſtus, qui bibit deſiderio moriendi ſanguinem, quem velut anxietate ſitis pro nobis effudit. Qui bibit ſanguinem, noſtra peccata videlicet velut potum abſorbens, quæ in ſuo corpore pertulit ſuper lignum. Qui propinavit omnibus ſanguinem, invitans ad paſſionem: Qui vult venire poſt me,
Luc. 9. abneget ſeipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Propinavit ſanguinem in noſtræ redemptionis pretium. Nam per
Hebræ. 9. proprium ſanguinem introivit ſemel in ſancta, æterna redemptione inventa. Et
2. Pet. 1. Petrus dicit quaſi ad hanc contemplationem invitans: Scientes, quòd non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incon-

incontaminati & immaculati Chriſti Jeſu. Propinavit ſanguinem in ablutionem. Nam lavavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Propinavit & ſanguiem in potum
Matth. 26. ſacramentalem, cùm dedit in cœna diſcipulis, dicens accepto calice: Accipite, & bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti. Et alibi ſic
Joan, 6. propinat, ut interminetur, niſi bibatur: Niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et è regione altiſſima propinando pollicetur: Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die, quia ſanguis meus verè eſt potus. Et ipſe ſanguinis oſculum. Inſtrumentum ſive pignus ſive ſignum pacis eſt oſculum. Pater æternus omnia ſibi & in ſe pacificavit in ejus ſan-
Col. 1. guine. Sic enim dicit Apoſtolus: Omnia in Chriſto pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in cœlis, ſive quæ in terris ſunt. Proinde hanc Davidicam turrim nitamur aſcendere hujuscemodi alta mente contemplatum Damaſcum. Plantata eſt vinea & inſtructa locatur agricolis, Judæis ſiquidem primo, deinde gentibus ſingulisque fidelibus in emphyteoſin & annuum fructum. Et peregrè proficiſcitur Dominus. Qui peregrè proficiſcitur, fit notus innotis, & apud innotos innotus incedit, & peragrat ſibi extraneas nationes. Sed quo peregrinatur, qui nuſquam deeſt, niſi quod ignotè à nobis omnia facit? & nec eſt, qui ſcire poſſit conſilium ejus, & inveſtigare vias illius, qui poſuit tenebras
Pſalm. 17. latibulum ſuum, qui ambulat ſuper pennas ventorum, qui verè eſt Deus abſconditus,
Iſaiæ. 45. qui & homo eſt, & quis cognoſcet eum? Pro quibus omnibus exclamat Apoſtolus
Rom. 11. ſua ſecreta neſciens perſcrutari: O altitudo divitarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus. Sed tempore fructus exigendi ex cultu ſub cenſu ex ſtipulatione interjecta, ſervos ſuos mittit exigere. Protinus juſtitia inevitabilis omnes angit, ut reddant debitum cenſum de his, quæ acceperunt. Et nihil ab ipſo creatore cunctorum accepimus, de quo non cogamur ſub emphyteotica pactione atque ſtipulatione præhabita cenſuali coram juſtiſſimo judice reddere rationem. Hac enim lege ſunt cuncta largita hominibus. Sed quod ſequitur de occiſione atque verberatione ſervorum, & filii, duntaxat oſtendit Judaicam pravitatem in præteritos prophetas, & in Jeſum filium Dei unigenitum. Qui, ut poſſint in libertate pernicioſa regnare, quidquid in eis à divina bonitate actum eſt, detruſerunt. Nec poteſt omnis illa occiſio & vapulatio in alios ex typica locutione transferri. Nam deinceps à Chriſti morte nemo non recipiens verbum in prædicantibus alium interficit aut verberat niſi Chriſtum. Quoniam ſi qui Chriſti verba receperunt ab evangelizantibus, & propter illa exprobaverunt aut occiderunt illos, Chriſtum reprobaverunt, quem ſi tacuiſſent aut negaſſent, nullo modo fuiſſent illa mala perpeſſi. Et Salvator diſputans cum Judæis, ab eis exigit de hac crudeli actione judicium dicens: *Cùm ergo venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Ajunt ei: Malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis.* Contra ſe Judæi ſcientes, vel neſcientes juſtum judicium protulerunt. Sic unuſquisque à propria cognitione ſuadente veritate damnabitur. Ac etiam prædixerunt, quòd ad cultum hujus vineæ ipſis reprobatis atque multatis ſubintraturus eſſet populus nationum, ex eo, quod vineam ſuam aliis locabit agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis. Atqui Salvator ipſorum audita ſententia, pro eo, quod reprobandus & occidendus eſſet ab eis, ſubjecit typum prophetarum quidem, ſed nec ſcriptum qualiter geſtum. *Dicit illis Jeſus: Nunquam legiſtis in ſcripturis? Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Pſal. 117. Lapis quidem reprobatur in ædificio, locum non inveniens in extenſo per directum pariete, ſed cùm perventum eſſet ad angulum, ubi alius paries cum alio extranſverſo jugebatur, ita ut angulus ſtrueretur? lapis reprobatus in uno pariete, acceptus factus eſt in capite duorum, ut illos diſpoſitione fabricatoris poſitus ſimul in parte illa connecteret, deinde vocatus lapis angularis. Sicque Salvator reprobatus in pariete Judæorum, factus eſt in caput anguli, duos populos, Judaicum atque gentilem velut duos parietes in ædificatione ſpiritualis ædificii unius domus, quæ eſt eccleſia, in unam domum cœleſtem conſumato myſterio transferenda copulans & connectens. Ex his enim conſtat eccleſia, quamvis ad tempus conſiſtat Judaicus populus reprobatus. Sed *à Domino factum eſt iſtud*, non proviſione humana, *& eſt mirabile in oculis noſtris.* Et pronuntiat eſſe futurum, ſecundùm ſententiam, quam ipſi protulerunt. *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Regnum Dei multiplex eſt, ſed illud auferendum Judæis, dandúmque gentilibus eſt, vitæ agendæ, vitæque ſignificandæ: unum in actione, alterum in promiſſione. Vnum

ſcripturarum intelligentia, quam nunquam meruerunt habere Judæi, & eſt omne ſacramentale myſterium, quo abluuntur animæ in ſalutem: & alterum ſcilicet æternum, quod ipſi per figuras & prophetas in promiſſione acceperunt. Eſt etiam ab eis ablatum ab eo, quod ab eis Chriſtus reprobatus eſt, & Apoſtoli tranſierunt ad gentes. Datum ipſis gentibus, quæ crediderunt, & reddunt in Chriſtianiſmum translatæ fructum dignum pœnitentiæ temporibus, quibus exigere placuit plantatori. Et quamquam multi ſint vocati, pauci verò electi, firmiſſima tamen in electis ſuis manet eccleſia, quæ ab exordio ſuæ conſtitutionis reddidit fructum in martyribus, in doctoribus, in confeſſoribus, in virginibus, in continentibus, in conjugatis, in pueris, in juvenibus, in ſenibus, in omni ætate atque conditione ſexus, ex obſervatione mandatorum & conſiliorum Chriſti, ſub exercitatione virtutum, & ſub purificatione & remedio Sacramentorum. *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Cadit ſuper lapidem, qui peccat, cadit lapis ſuper eum, quem ex juſtitia damnat. Ille confringitur, quia & reparari poteſt. Sed ſi reparari negligit, conteretur velut lagena figuli contritione valida, ut non inveniatur de framentis ejus teſta, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea. Non tamen miſericordia erit & charitas ad juvamen his, qui damnationis ſententiam ſuis demeritis acceperunt. *Et cùm audiſſent principes ſacerdotum & pharisæi parabolas ejus, cognoverunt, quia de ipſis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas, quia ſicut prophetam eum habebant.* Hoc habet malum inſertum omnis anima ſibi viſa ſapiens, proprio corpori & terrenis rebus affecta tenaciter, & propriis ſubjugata votis, quòd veritatem odit, deviat corrigi, verum convertit in falſum, aut audire diſſimulat, aut intelligere, ſi auditum non potuit avertere. Cúmque omninò ex ratione convincitur, vellet ulciſci, crudelitate pro ratione uti. Protinus & inferret exitium ſive jacturam, niſi aliquo timore arceretur. Hujusmodi erat ſacerdotum & phariſæorum anima, qui timore, non veritatis amore, ne Chriſtum caperent, abſterrebantur. Nihil habent meritorum coram Deo in declinatione malorum, aut actione bonorum, qui non Deum, ſed homines verentur, aut pœnas horreſcunt.

Cap. XXIV.

De parabola regis, qui fecit nuptias filio ſuo, ſecundùm Matthæum tantùm.

Matth. 22. *Simile factum eſt regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo. Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.* Prohibet exponere, quòd hìc regnum cœlorum æternum ſit atque ſupernum, hoc, quod ſequitur, quod ejectus eſt quidam non habens nuptialem veſtem, cùm exinde, ſi quis fuerit introgreſſus, nunquam legatur excluſus. Impermutabilitas eſt in ſuperno regno, nec quis poteſt ingredi, quin ſummo principi Deo & toti aſſiſtenti curiæ placeat, nec inferre, unde diſplicere poſſit, & ejici mereatur, nec aliquid ibi perperam committere, propter quod ejiciatur. Alioquin ibi ut hic ſemper eſſemus in fluctibus, nec portus eſſet quietis atque ſalutis. Sed hanc peregrinantem eccleſiam per regnum cœlorum intelligo, quia ipſa de cœlo deſcendit, quia iſta eſt civitas
Apoc. 21. ſancta nova Jeruſalem, deſcendens de cœlo à Deo parata, ſicut ſponſa ornata viro ſuo. Cœleſtis eſt ille, qui condidit, & de cœlo deſcendit huc veniens, eccleſtia non relinquens. Et in cœlo eſt, quo aſcendit, & nobiſcum eſt uſque ad conſummationem ſæculi, gubernans eccleſiam Matth. 28. verbo doctrinæ ſuæ. Rex verò, qui omnia regit, Deus pater eſt, qui ſponſam filio ſuo prius incarnato velut legitimo fidei fœdere, atque anulo copulavit, qui ante illam lavit & dealbavit in ſanguine, quàm ſibi conjungeretur in munere. Nupſit ſibi humana natura mortalis immortali facto pro nobis ad tempus in aſſumpta carne mortali, ut per id, quòd factus mortalis, eſſet ſuæ ſponſæ ſimilis: per id, quòd immortalis ſemetipſum & ipſam revelaret ex mortuis. Talamus nuptiarum alius quàm virginalis uterus eſſe non debuit, congruens immaculato ſponſo, qui corrumpi nequit & violari. Ac etiam ſponſæ ipſi videlicet humanæ naturæ, quam creavit in virginitate atq; altiſſima puritate, quæ ad illud primum revocanda erat, ut conſervaretur in incorruptis & repararetur in violatis, & ſi non integritate carnis, ſaltem integritate virtutis. Quamquã conſumato mundi myſterio in utraque ſubſtan-

ſtantia incorruptionis & integritatis ſit ſponſæ legitimæ donanda felicitas. Sed amplioribus argumentis hæ nuptiæ perficiendæ diſponebantur, ſi corde, verbo ſponſa jam electa, jam placita conſentiret immortali, jam facto mortali, non ut ſemper eſſet mortalis, ſed ut ſponſa una cum illo virtute ſuæ immortalitatis fieret immortalis, ut corde ipſum credens & capiens fieret juſta, verbo confitens fieret ſalva. Et ad hæc ipſe ipſam factis, verbis, vita, moribus invitavit. Ulterius amoribus altioribus ipſam alliciens, antequam conſumaretur honeſta conjunctio, convivium ſibi de cœleſtibus pabulis fecit, ſuam ſibi tradens carnem & ſanguinem verum animæ cibum, & potum. His non contentus amore captus ſponſus, quia ipſam ſciebat debitis paternis & propriis alligatam, cui non erat copia de ſolvendo, non auro aut argento ipſam voluit ab exactore redimere, ſed ut ipſam ſibi glutino amoris inſolubilis alligaret, fuſo ſui corporis ſanguine ab omni debito, quo tenebatur, abſolvit. Proceſſit ulterius hujus ſponſi amor impatiens, quòd ſponſa morti obnoxia ſubjacebat, cùm aliter poſſet, noluit ſibi prætierquam per mortem propriam vitam dare. Nam & pro ipſa mortuus eſt, & ipſi copulatus tenacius. Territa in morte ſponſa, quòd, quem per per omnia patri confeſſa fuerat eſſe æqualem, hunc quem acceperat filium Dei vivi, mortuum aſpiciebat, deſperabat tam conſeſtim viduata marito, & malè ſe nuptam exiſtimabat in homine, quem ut Dei filium cœperat adamare. Cui propèrè providit, ne deſperatione atque diffidentia ex toto deficeret, ſemetipſum reſuſcitans apparens illi ſponſæ, quæ jam congregabatur in paucis, glorioſus ex mortuis, & per multa argumenta omne vulnus dubii & deſperationis abſterſit. Non quieſcit validus amor, nec laſſatur ex factis. Cœlum pro illa penetravit, vadens ſibi parare tutiſſimum locum in manſionibus diverſis, juxta decentiam meritorum. Solicitus eſt amor quouſque beneficia largiri ordinata perficiat. Nec novit tarda molimina, nec patitur aliquid magni retinere in theſauris occultis, quod poſſit in participium devenire cum ſponſa. Spiritum ſanctum mittit de ſuperis, ut ſit ſancta, immaculata, impavida, dotata, ornata, ſapiens, intelligens, bene conſulta, fortis in omnibus adverſis, ſciens placitum & implacitum, bonum & malum, falſum & verum, pia ipſum ſolum colens fide, ſpe amore, virtutibus, donis, Sacramentis, ipſumque ſolum timens, qui, & non alius timendus, ſolus valens eripere de tyranide tenebrarum & portas aperire ſupernas. Prærogatis omnibus his ex ſponſo ſub decreto paterno, qui tales nuptias pro filio celebravit, ſponſa conſenſit & ſponſo reſpondit, primum in ſanguine Stephano lapidato, deinde per mortem & ſanguinem & omne virtutum genus, ſponſo & patri regi gratiſſima facta eſt, & decora nimis in regnum proficiſcens ſempiternum. Ad has nuptias homines invitantur, invitati vocantur, ut veniant. Sed plurimi venire nolebant, aſpicientes mortis aſperitatem, & mundi vilitatem impoſitam ſuper ſponſam, non conſiderantes, quòd dona jucundiſſima & ineffabilia ſequebantur, contenti præſentibus viſis, deſperantes animo de futuris. Nolle venire vocatum non eſt vitium ignorantiæ, aut fragilitatis deprimentis, ſed obſtinatæ malitiæ, & voluntaris rebellis, ſicut in Job de contumacibus & obſtinatis dicitur, quòd fuerunt rebelles lumini. *Iterum miſit alios ſervos dicere invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occiſa, & omnia parata ſunt venite ad nuptias.* Non definit ſumma bonitas propter contemptores agere bonitatem, & ſæpe requirere, qui prima vocatione non veniunt, & propter aliquos negligectores alios experiri, ſi velint ad menſam venire charismatum. Et ut alliciat, quæ ſunt parata, denuntiat. Prandium eſt paratum, cui æterna cœna ſuccedat. In eccleſia eſt prandium, in cœlo cœna, ubi nihil occiſum eſt, ſed omnia æterna vita vivunt. Hìc occiſi tauri viri fortes in fide, quos mundus domare non potuit. Hìc occiſa ſunt altilia viri contemplativi atque ſaginati virtutibus à terrenis elevati, amore ſupernorum in alium ſubvecti. Et omnia parata ſunt, ut nihil deſit apponendum in menſa eccleſiaſtici pabuli. Nihil eſt, quod prærogatum non ſit, atque paratum pro communi ſalute mortalium. Noſtrum eſt, quòd ſpirituali fame perimus, non accedentes repetitis vocibus, cùm vocamur. Non ejus eſt culpa, qui nuptias fecit, qui omnia paravit in nuptiis, qui vocare invitatos non deſinit. Paravit in dulcedine pauperi Deus. Porro genus humanum paupertate nimia premebatur, nec ſibi erat adjutor. Sed paravit Deus omnia in nuptiis, & in dulcedine ſenſus hominum excedente paravit pauperi. Sed qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum & in tentationem diaboli. Proinde venire nolunt, in mundo quærentes fieri divites, non in Chriſto. De quibus Apoſtolus: In omnibus divites facti eſtis in illo. Et alibi: In Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Et alibi: Nonne nobis omnia cum illo donavit? Sed mundi divites

Job. 24.

Pſal. 67.

1. Tim. 6.

1. Cor. 1.

Epheſ. 2.

Rom. 8.

vites intra diaboli retia existentes, venire contemnunt & negligunt: *alius* vadens in *in villam suam* ad malè delectandū cum porcis: *Alius ad negociationem suam*, inhians acquirendis: aliqui à diabolica tentatione prævenți, qua divites fieri volentes tenebantur denuo incluſi, pejores prioribus pejora perfecerunt. *Qui tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.* Sic factum est à Judæis, sicque factum est à paganis, sicque factum est ab hæreticis, sic à tyrannis, sic à perversis & ab atrocibus Christianis, sic à mundi amatoribus, qui si non corpore. attamen mente odio, contemptu, displicentia interficiunt servos Dei & prædicatorum verba confundunt, subvertúntq; veritatis & cœlestis vocationis doctrinam, quæ spiritualis est interfectio divinæ vocationis. *Sed iratus rex* in ultionem homicidarum exercitus suos mittit ad perdendum illos civitatésque succendendas, quia Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit, reddens retributionem superbis, in promptu habens ulcisci omnem inobedientiam, scilicet eorum, qui vocantur & renuunt, & eorum, qui Dei servos & sui verbi ministros corporaliter & spiritualiter ad bonorum & divinorum charismatum atque cœlestium gaudiorum vocationem interficiunt. Habet exercitus lucidos & larvales, quibus in hostes ulciscitur, quia Dominus æmulator & ulciscens Deus ulciscens Dominus, & habens furorem, ulciscens Dominus in hostes suos. *Et civitates eorum* igne *succendit*, ut habitatio eorum fiat cum dæmonibus in igne, qui paratus est eis ob culpam. *Tunc ait servis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.* Parabola ista cum prædictis de reprobatione Judæorum & vocatione gentilium posita est, cùm illis venire nolentibus, imo interficientibus servos mittitur ad exitus viarum, videlicet ad vocationem gentilium, qui à via veritatis exierant, idola ex lapide, ex ligno ex metallo condita venerantes. Non quòd reprobatio Judæorum sit causa vocationis gentilium: neque gentilium vocatio Judæorum reprobationem perfecerit, sed vult rerum omnium conditor, ut particlpentur bona, quæ fecit, imo ipsum summum bonum, quod ipse est, in nostrum vult participium devenire. Sed perversi transitoriis inhærentes, cùm ad hæc vocantur, renuunt: per illam viam, qua vocantur, omnino venire contemnunt: quia fortè venirent, si aliter vocarentur. Nemo enim est, qui in superis nollet esse cum Deo, & quin præstita facultate vocatus libenter accederet. Sed ad istas nuptias in quibus invitatos primo necesse factum est epulari, venire desistitur, imo contumaciter resistitur invitanti propter abjectionem humanationis divinæ, quam superbi homines naturalibus operationibus innitentes non capiunt. Nesciunt, imo nolunt homines descendere ab illa altitudine appetitus, quo voluerunt esse primi homines sicut Dii, credentes difficulter aliqui, nullatenus plurimi, quòd Deus homo fieret, cùm appetitum sit ab hominibus Deos esse. Ille hominum appetitus deitatis perversus est quasi quoddam originale demeritum, ne ad humanationis divinæ nuptias veniatur. Cætera verò etiam abjecta videntur in sponso, quousque resurrexit & glorioſus ascendit. Sed ea perfidia, qua non creditur abjectus, despectus, & passus, denegatur, quòd ascenderit glorioſus. In sponsa verò cuncta videntur esse despectui atque dedecori. Nec omnes aspiciunt, quod ipsa de se prohibet conspici. Nolite considerare, quòd fusca sim, quia decoloravit me sol. Fusca videtur in martyribus, in mundo quomodolibet, aut austeritate vitæ, aut paupertate confectis. Terrentur homines videre hunc sponsum habentem vestem aspersam sanguine, ignorantes, quòd nomen ejus vocetur Verbum Dei. Horrent in sponsa horridas vestes, & quòd delectatione sensibilium ipsa privetur. Non speculantur, quòd his nuptiis ad cœlestes & æternas nuptias fit furura translatio. Ac per hoc ipse modus vocationis renuitur ab his, qui pravitate animi detinentur. Verumtamen penitus vult Dominus omnium suipsius suorúmque bonorum homines mortales immortalitatis esse participes. Idcirco vocat & iterum atque iterum vocat, & denuntiare non cessat, ut veniatur ad nuptias, donec invcniat voluntariè accedentes, aut ex necessitate demum in voluntatem conversa, non invitans nostro placito modo, sed suo ineffabili & meliori decreto. Mittitur igitur ad exitus viarum, scilicet ad eos, , qui à Dei misericordia exierunt, & à veritate sua ineffabili aversi sunt, seù misericordiam Dei desperant & fugiunt & veritatem Dei in creaturam corruptibilem transtulerunt, seu ad eos, qui misericordiam in seipsis & proximis non exercent, & à veritate alieni, per falsitatem unumquemque confundunt. Hi sunt, qui in exitu sunt viarum, quoniam universæ viæ Domini misericordia & veritas, à quibus multipliciter homines erraverunt. Et jubetur, ut quoscunque invenerint, ad nuptias introducant, duntaxat venire volentes. Nam quamquam velit omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veri-

Psalm. 93.

Cant. 1.

Nahum. 1.

Psalm. 24.

tatis

titatis venire, tamen hac conditione, ſi vocationi aſſentiant. Nullus enim à Domino ſalvatur invitus, niſi propria fide aut aliena voluntarius veniat, ut etiam is, qui in aliena venit, cùm coaluerit, vertat in propriam alienam. Nec enim ad plene alitus aliter ſalvaretur. Nec obſtat, quod alibi ſcriptum
Lucæ 14. eſt: Compelle intrare, ut intelligatur dominus violentiam intuliſſe ſalvandis. Alium protinus ſenſum habet illa compulſio. Sed hoc maximè terrere debet hominum mentes, quod, qui erant invitati, non erant digni, ſed nec hi poſteri, qui venerunt. Nullus enim dignus eſt vocatione cœleſti. Sed prædeſtinationem includit illa ſententia, quia prædeſtinati non ſunt, nec digni ad illas nuptias dominicas introire,
Rom. 3. quia ut ait Apoſtolus: Quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, hos magnificavit. Occultum eſt demeritum, quo à vocatione diſſentire aut non aſſentire meremur. *Egreſſi ſervi ejus in vias congregaverunt omnes, quos invenerunt malos & bonos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentium.* Quia ex omnibus nationibus crediderunt homines, ex quibus eccleſia impleta eſt, & ex bonis & malis conſtat eccleſia, & mixtum eſt eccleſiæ Chriſti corpus, quamquam ipſe velit ipſam exhibere glorioſam, non habentem maculam neque rugam. Sed in area negotium agitur, ubi plateæ ſunt & triticum. Nondum enim ventilabrum unum excuſſit ab altero. Sed boni & mali diſcumbunt in nuptiis eccleſiæ militantis diſpari vita, diſpari cultu, diſparibus moribus, atque meritis, quouſque diſcernat ſuper utrosque rex, qui novit non perperam, ſed in veritate proferre judicium, qui excludet meritò excludendos, & juſtè abſque macula ſuper menſam eccleſiæ epulantes in pace dimittet. Nam & ſequitur: *Intravit autem rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice quomodo huc intraſti, non habens veſtem nuptialem?* In hoc ſæculo fiunt divina judicia, & juſtitiam ſuam hic Salvator exercet, qui eſt rex regum & Dominus dominantium, qui quotidie intrat in hanc peregrinantem eccleſiam per occulta judicia decernens ſuper bonos & malos, juſtos & injuſtos. Vidit omnes diſcumbentes ſuper menſam fidei eccleſiaſticæ Sacramenta ſumentes, atque aliis miniſtrantes. Inter quos cognoſcit ineptos tanto myſterio, dum quendam ſignanter reſpicit non veſtitum veſte nuptiali, in quo cœtus deprehendirur talium ineptorum. Sed deſpectivè vocatur amicus, aut quia ut amicus eſt vocatus, ſed nec ut amicus venit, qui cum cœteris npn intravit honoratus ad nuptias, aut quia amicus eſſe poterat, ſi comptè veniſſet. Nuptialis protinus veſtis ad operimentum & ad ornamentum corporis erat, maximè ad illud, qui in nuptiis honoratorum exquiritur, habens pulchram aptitudinem ad induendum, & ut convivarum non offendat, imo deleƈtet aſpeƈtum. Sed nullæ nuptiæ honorabiliores, quàm Chriſti & eccleſiæ, quam ſibi quærit non habentem maculam neque rugam. Omnes nuptiæ quidem eo nobiliores & digniores honore, quo puriores exiſtunt, in quibus non corporis, ſed mentis & morum ornatus exequitur, ubi nuptialis veſtis eſt innocentia, & ſi non cuſtodia ſaltem recuperata illa intentione vivendi, qua nec ſeipſum turpitudine peccatorum maculare velit, nec pro- Luc. 15.
ximis inferre jacturam. Et eſt illa prima ſtola, quæ prodigo filio revertenti exhiberi jubetur à patre, & eſt illa tunica inconſutilis, quæ indiviſibilem unitatem fidei, & charitatis & juſtæ unionis habet, qua, qui caret, à nuptiis militantis eccleſiæ, ſi non corpore, ſpiritu tamen repellitur, non admittendus ad ſuperas, niſi per debitam pœnitentiam ad iſtas prius vivens fuerit revocatus. Qua quis indutus permittitur in ipſis reſidere nuptiis, transferendus poſtmodum in æternas. Sed cùm hanc veſtem non habens argueretur, *obmutuit*, velut excuſationem non habens de carentia, cùm intus à conſcientia moderetur, quod hanc veſtem habere potuiſſet, & extra clamaret contra Deum. Eſt ſanè mentis excuſationem non quærere in peccatis, quod exo- Pſalm. 140.
rabat David: Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Et accuſatio potiùs, quàm excuſatio diceretur, ubi mandati apparet transgreſſio manifeſta, & peccati & criminis certa commiſſio, nec boni latet aperta dereliƈtio. Sed nec iſte obmutuit ex virtute, nam & ſic veniam poſtulaſſet, promittens errata corrigere, non enim tam ſævè multari à Domino juberetur. Sed pertinax in animo juſſus eſt à miniſtris tradi in tenebras exteriores, Nam *tunc dixit rex miniſtris: Ligatis pedibus ejus & manibus mittite eum in tenebras exteriores.* Sunt plerique, qui arguti non erubeſcunt, ſed ſemetipſos excuſant, & falſitate tuentur, ut Cain, qui odio fraterno innocentem fratrem venabatur, qui ante-
Gene. 4. quam perficeret, & poſtpatratũ fratricidium vocatus à Domino non erubuit, ſed potius
Geue. 3. conabatur falſam excuſationem aſſumere. Nec non & parentes ſui à tali perverſitate non fuerunt exortes, qui exiſtentes omnium peremptores in peccato, & in delicto per inobedientiam deprehenſi excuſaverunt ſe in authorem eorum, & unus in alterum, & in ſer-

pentem-

pentem crimina refundentes. Sunt & alii, qui arguti ad pejora labuntur, ut Herodes
Marc. 6. & Herodias, cùm arguerentur â Joanne Baptiſta, poſt inceſtum homicidium commiſerunt, & quod gravius eſt, in eum, qui baratbro damnationis conabatur eripere. Multi verò arguti ſilent non invenientes, quid objiciant veritati, velut hic, qui obmutuit redarguius, non tamen in animo correctus, aut tactus vera pœnitentia, ut veniam poſtularet. Jubentur ligari pedes, ne ſibi affectus boni & intellectus veri ultra ſubveniant. Similiter & manus, ne operatio bonorum foveat ſuturorum. Aut pedibus competitus, ne pœnas poſſit effugere, & manibus ligatus, ne valeat compedes à pedibus removere, ut ex omni parte deficiat copia evadendi, & omnino à libertate poſſibilitatis propellatur. Exteriores tenebræ pœnæ ſenſibiles ſunt, quoniam interiores ſunt, quas pertulit homo interior, dum peccaret, necnon & tenebræ in exteriores, & interiores etiam diſtinguuntur: ut exteriores ſint involuntariæ culpæ. *Ubi erit fletus & ſtridor dentium.* Fletus pro vano mundi gaudio, ſtridor dentium pro vario corporis cultu. Fletus refertur ad calorem nimium, ſtridor dentium ad frigus nimium. Fletus torquet pro omiſſis, ſtridor dentium cruciat pro commiſſis. Pro bonis æternis perditis fletus æternus erit, pro inflictis æternè inevitabiliter pœnis dentium erit ſtridor continuus. flebit ibi, qui non flevit hìc, ſtridebit ibi, qui hìc ad Deum corde valido non clamavit. Flebit ibi oculus, qui hìc ſecutus eſt concupiſcentiam occulorum, ſtridebit & dentibus, qui ſibi prohibita velut mandens dentibus incorporavit.

Cap. XXV.

De Parabola Phariſæi, contra illos, qui de ſe præſumunt, & Publicani pro his, qui ſe reputant Peccatores. Secundùm Lucam tantùm.

Luc. 18. DEteſtatur Dominus de ſe præſumentes, & eos, qui ſibi juſti videntur, confidentes in operibus bonis, mentis juſtitiam non quærentes, maximè, cùm ſe cæteris præferunt, etiam incognitas hominibus animas velut eis inæquales, aut maculoſas deſpiciunt, contra quos Chriſtus ſubjectam parabolam intulit. *Dixit autem ad quoſdam, qui in ſe confidebant tanquam juſti & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam.* Qui ſunt, qui in ſe confidunt, niſi à ſeipſis exiſtimantes eſſe virtutes & de propria virtute gloriantes, ac ſi eis oportuna non eſſet miſericordia Dei, confidentes in propriarum juſtitia actionum. qui Chriſti myſteria, incarnationem, activam vitam, & contemplativam, ejus conſervationem, & doctrinam, ſigna & opprobria, pœnas & crucem, mortem, & ſepulturam, reſurrectionem & aſcenſionem, confirmationem ex paracleto, auctoritatem clavium, effectum Sacramentorum nihilipendentes à complacentia ſuarum directionum diſtorti ſunt. Sed maledictus homo, qui confidit in homine. & qui confidit in ſeipſo, nonne in homine confidit? Quoniam unusquisque ad ſeipſum tantùm eſt homo, ſed pejor adjecta conditio, quoniam confidentia ex juſtitia ſumit exordium, cùm omnes juſtitiæ
Iſaiæ. 64. noſtræ ſint quaſi panus menſtruatæ. Et etiam
Luc. 17. aſſerit ipſe Salvator: cùm omnia beneſeceritis, dicite: ſervi inutiles ſumus, feciſtis, quod debuiſtis. Et Apoſtulus: quid habes,
1. Cor. 4. quod non accepiſti? & ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? & alibi: Non ſumus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis tanquam ex nobis, ſed omnis noſtra ſuffi- 2. Cor. 3. entia ex Deo eſt. Et qui gloriatur, non in ſeipſo, ſed in Domino glorietur. Unde igitur 2. Cor. 10. confidentia ex propria juſtitia exoritur in hominibus? Execrabilis eſt omnis homo dejiciendus à Deo, ut ſpiritus ille lucifer de cœlo, ſi confidat in ſeipſo, juſtum ſe reputans ex actionibus legis. Sed necdum lex Moſaica, ſed etiam evangelica per omnia deducta in actum nun ſufficeret ad juſtitiam, niſi juſtificati eſſemus in ſanguine redemptoris. Severius quidem decernendum eſt in eum, qui à ſeipſo ſe reputat juſtum, ſeveriſſimè protinus in eum, qui in ſua & propter ſuas juſtitias alios aſpernatur, ſemetipſum ſupsriorem ad alios comparativè aut deſpectivè conſtituens, aut præter compoſitionem alios iniquos, ſeipſum duntaxat juſtum ſuerit arbitratus. In hoc redarguius Elias ſuit, cùm audivit, reliqui mihi
1. Reg. 19. ſeptem milia virorum in Iſrael, qui non curvaverunt genua ſua ante Baal, quinon typo ſuperbiæ, ſed defectu ignorantiæ bonorum cæteris depravatis, ſolùm ſe juſtè credentem, atque agentem opinabatur eſſe relictum. Quamobrem adjecit Salvator parabolam, qua talis confunderetur non vera, ſed præſumpta juſtitia, & elideretur confidentia ex ſententia divina damnata, & omnibus neceſſaria exaltaretur humilitas. *Duo homines aſcenderunt in templum, ut orarent.* Bona duorum ſocietas, ſed & plurium in pari cultu & in virtutum connexione ligata in eadem intentione placendi ei, cui

cui bona cuncta placent, & displicent inimica virtutibus. Erant isti duo, sed neque voluntate, aut intentione coibant in unum alter sibi placens, alter sibi per omnia displicens. Sed sibi placens, Deo displicens fastu erat, sed sibi displicens, Deo in humilitate placebat. Ascenderunt in templum. Laudatur ascensus, si non agatur fumo superbiæ, si fiat ab imis ad potiora, si à carne ad spiritum, si à spiritu ad Deum, si de mundana conversatione in orationis, & Psal. 83. contemplationis locum. & beatus, qui ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, ut ascenderet in latitudine divinorum charismatum. Ascensus in templum dimensa longitudine, altitudine virtutum vitalium & vivsiantium rationales animas hominum denotat. Et templum Domini Sacramentorum est locus, quo adorandi fiat ascensus. Opportuna est occasio hujus ascensionis, & expediens moribus contendentium captare cœlestia: ut oratio fiat, sine qua protinus deficiunt jam insistentes virtutes, & non habitæ in possessionem non veniunt. Absque ipsa non pellumur molestantia, neque prohibentur eorum belba, quæ possunt de novo consurgere. Recta est in hominibus ipsa societas, si ad orandum coitur in templum Dei. Sed quoniam spiritus est Deus, & veritatem amat, neque templum, neque desertum, neque solitudo, neque cubiculum manufactum sufficiunt, ut oratio in conspectu Domini dirigatur. Sed spiritus & veritas orationem deducunt ante Thronum Dei, propulsantem validè aures ejus, ut reportet fructum directionis ipsius. Non autem istorum unus orationis est modus, nec similis fuit conditio orandi, nec eadem imagine coram Deo astiterunt. Nam unus elevabatur in animo, exultabat de suis operibus in semetipso, ore quidem semetipsum coram Domino ex laudibus extollebat. Alter verò in animo pondere gravabatur, erubescentiam patiens totum in suiipsius confusione manebat. Manifestant hæc istorum dissimiles actiones. Quoniam *Pharisæus stans hæc apud se orabat: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus.* Solum initium orationis laudandum, reprehensione carens, cùm gratias agit altissimo. Sic expedit fieri omnis orationis exordium, ut de omnibus gratias agamus Domino Deo nostro, aliàs quæ orando sequuntur, penitus evanescunt. Sed nec iste Pharisæus medium & orationis finem recta directione perfecit, in spiritu & veritate consistens, sed illam omnino distorsit in pravum, cùm se non esse sicut cæteri fatebatur. Ergo pro isto locus singularior, si salvandus, & si damnandus, pœna distinctior, si non habebat cum cæteris portionem. Et se præferens cæteros judicabat, denuncians raptores, injustos, adulteros in agendis. Inspiciatur attentè illa perversitas, & confidentia mala de justitia præsumpta proveniens, quod veniens hic ante Dei tribunal in suo tribunali se posuit, ut semetipsum judicans, à criminibus authoritate propria in absolutionem prosiliens, qui non erat ut cæteri, alios condemnans, quòd essent utique rei, in authorite sua factus est audax, non in divina subjectus. Ad judicandum alios venit injustè, non ipse judicandus utique justè. Non pectus suum percutiebat in contritione factus pro culpa, sed omnium & socii pectora velut culpabilia feriebat. Suorum oblitus criminum aut ignarus bonorum, sua bona super omnia præferebat. Et quem habebat in templo & in oratione socium, adverso animo condemnabat ex vitio, annectens ad sui laudem, aliorum condemnationem, augmentum ad crimen, velut etiam hic Publicanus. Sed ad quid orantem pro se oportet aliorum peccata perquirere? Nam si orat pro se, ut quid decernit in alios? Si orat pro aliis, cur judicat, & non miseretur, cùm in partem misericordiæ, non justitiæ tendat oratio? Non justitiam, non judicium, sed misericordiam oratiu deprecatur, sive pro se, sive pro proximis effundatur, & omnino judicium devitat, dicens, Non intres in judicium cum servo Psal. 142. tuo Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Altum, sed ad casum thronum conscendit, qui temerariè de aliis judicat, semetipsum verò velut immaculatum & immunem à delictis absolvit. Non est ista oratio, sed judicium, non supplicatio, sed superlatio pro præsumptis justitiis, & in proximis ignoranter vitiis existimatis. Ad profundam ruinam se confert, qui ascendit adjudicia cæterorum, imò & unius, prout iste decernebat in suum in oratione socium publicanum. Igitur orare volens tempus & locum capiat, seipsum cum suis iniquitatibus statuens coram Domino, cunctas suas justitias prætermittens, nil memorans boni suarum actionum. Etenim, si bona sunt, commendatore non indigent, nec expedit ad memoriam ejus reducere, qui cuncta novit antequam fiant. Ex quo facta sunt bona, oratione non indigent, sed orare expedit, ut futura bona proveniant. Non veniant in orantis judicium animæ delinquentes, quamquam & pium sit orationibus humili-

bus juvare omnes peccatores. Cuncta ſunt abjicienda poſt tergum, ubi ante divinum conſpectum ſe ſtatuit verus orans. Quid hic malè orans habebat tractare de cæteris, niſi eos juſtis & humilibus precibus adjuvare? Sed ſi volebat orando prodeſſe, judicare protinus non debebat. Igitur aut oret pro ſe, aut pro quibuscunque indigentibus, qui coram Deo in fidei templo ſe aſtruit, aut pro ſe tantùm in alios nec memoria ſeu aliquibus invectivis præſumptuosè decernens. Non orat, ſed judicat, non laudat, ſed blasphemat, non commendat altiſſimo vota ſua, ſed vitoperat aliena, qui detrahit actionibus proximorum. Nefas aliud ſuæ perverſitatis annectebat ad cumulum, cùm ſuas juſtitias in orationis judicium deduxiſſet. *Jejuno bis in ſabbatho, decimas do omnium, quæ*
Iſaiæ 64. *poſſideo.* Non aprè iſte memor erat verbi prophetici, quòd omnes juſtitiæ noſtræ
Lucæ 17. quaſi pannus menſtruatæ Nec jam evangelicus factus erat, ut noſceret, quòd etiam ex benefactis ſervi inutiles ſumus, debitum nobis poſitum facientes. Non enim ſe jactaſſet ex opere, nec bonorum commemoratio ſibi fuiſſet ad culpam, ſi ex humilitate feciſſet. Hoc enim fecit Zachæus, ſimiliter & Paulus fecit. Ille, ut adverſùs Chriſtum murmurantes reprimeret, quòd ad hominem peccatorem divertiſſet. Paulus verò, ut innanniter gloriantes humiliaret. Hic autem Phariſæus, ut ſe ſuper omnes extolleret, & exaltaret, ſeipſum
Prov. 16. præparans ad ruinam. Scriptum enim eſt: Ante ruinam exaltatur cor. Sed ſapiens
Eccl. 23. orabat: Extollentiam oculorum meorum ne dedens mihi. Orare adverſùs cordis ſuperbiam expedit, quoniam facilè humanus animus exardeſcit ad eam, ex qua demum exaltatus dejicitur. Et extollentia intellectuum devitanda, ne nobis aliud videamur eſſe, quàm ſumus. Et qui præſumendo elevant cor ſuum, Domini Dei obliviſcuntur, ac ſi à ſe ipſis, non à Deo bona poſſiderent & facerent. De quibus
Oſee 13. per Prophetam dictum eſt: Elevaverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei. Seipſum, non Deum ſufficientem à ſeipſo aſpicit, qui bona ſua laudibus effert, cùm non ſi-
1. Cor. 3. mus ſufficientes aliquid à nobis tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quàm malè gloriando ſe jactat, quem infallibilis judex non approbat. Proinde inquit Apoſtolus: Qui gloriatur, in Domino glorietur. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem
1. Cor. 10. Deus commendat. Nemo judex & teſtis & laudator eſſe debet operum ſuorum. Pauci enim ſunt, qui ſua propria non decipiantur in cauſa. Proprium placitum in hominibus dominatur, aliorum diſcretionibus eſt committenda judiciis. Quæ propter Deum aguntur, ipſius ſunt committenda judicio, an laude, an vituperio digna ſint. Probatus à ſeipſo aut ab hominibus, coram Deo reprobatus eſt, niſi commendatus ab ipſo, qui opus quale ſit, & intentionem, quo tendat & affectionem, quantùm invaleat, præcognoſcit qui etiam plus magnis affectibus, quàm operibus tribuit. A Phariſæo Phariſaica proceſſit oratio, ut diviſus à cæteris orationem ſuam à virtutibus ſequeſtraret. Vocalis quidem oratio non oratio vera, ſed opus virtutis eſt. Virtus in habitu mentis, opus ejus ad exercitium corporis ſpectat. Dividitur plerumque opus à virtute, ut nec à virtute præcedat, & opus virtutis appareat. Ex intentione agentium opera judicantur. Intentio interna pondus operibus facit. Oratur ſæpe, ſed non ex illa virtute orandi, qua ſolùm in Deum intenditur. Magis autem intentione placendi his, qui foris ſunt: ſimiliter & jejunium agitur à plerisque. E regione ſiquidem ex Publicano humilis orandi forma objicitur, qui velut Phanſæus ingreſſus in templum ad propitiatorium non appropinquavit, neque ad ſecreta velamina & ad ſancta ſanctorum. *Sed à longè ſtans, nollebat oculos ad cælum levare, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens: Domine, propitius eſto mihi peccatori.* Aut iſte publicanus ex Judæis erat publicis judiciis deputatus, ſicut & Matthæus, aut ex gentilibus, ad hoc per ſenatores Romanos reipublicæ ordinatus. Quoquo modo ſe haberet ordo rei, officium videbatur in crimine. Aut ſolà parabola eſt ſine veritate geſtorum, quamvis ſeriem accepimus, in idem redit ſecundùm intentionem & ſententiam Salvatoris, qui volebat ordinare humiles, & humiliare ſuperbos. Ingreditur ille templum ſcilicet Salomonis ex licentia, qua cunctis ad orandum patebat introitus, ut ipſe dicato templo à Domino poſtulavit. Ingrediatur quis orare patrem volens catholicæ fidei templum de communi Dei licentia, qua omnes invitantur ad fidem, & typum portet in anima & corpore publicani. Stet à longè confidetatione humili, & in ſeipſo propria reputatione vileſcat, quia longè ſumus à Deo infinito interjecto ſpatio naturarum. Ille Deus, nos homines: Ille immortalis, nos mortales: Ille juſtus, nos injuſti: Ille pius, nos iniqui: Ille beatus, nos miſeri à natura aut voluntate conſiſtimus, quamvis ex unione naturarum ſit facta quædam propinquitas. Sed nec ille deſtitit

tit esse, quod est, nos desivimus esse, quod sumus. Longe standum, quia peccata nostra sunt, quæ diviserunt inter nos & Deum. Longè quia à lege ejus longè facti sumus, quando per impietatem à Deo recessimus, conversi ad nos & ad delectantia forinsecum sensum, recedentes ab ipso in terra scripti sumus, & ad illam inclinati, pressi desuper pondere peccatorum. O quanta magnitudo invitibilis spatii nos ab ipso secernit, si mente animamur indignitatem nostram, in quam nos culpa trajecit. O quam ineffabilis longitudo, ubi nulla conventio lucis ad tenebras, Christi ad Belial, virtutis cum iniquitate. Ubique nobis æque Deus adest, nos autem ab eo moribus & affectionibus elongamur, non terrenis spatiis, neque marinis distantiis. Ac per hoc longè se mente statuat ille, qui pro suis abrogandis criminibus orat, & misericordiam precatur, in profunda contemplatione factus sumpsius, quis ex natura, qualis ex culpa & affectione consistat. Attamen ista elongatio humilis propinquitatem facit ad Deum, virtute quidem, quæ majorem vim, quàm corpora connexionis & conjunctionis habet. Beatus ergo, qui novit cum odio facti quantùm à Deo recesserit in regionem longinquam, nullam immaginem bonorum habentem, solùm tales recipientem, tenentémque incolas omnium brutorum animalium in similitudine convivantes. Initium redeundi ad patriam dulcem, siquis cognoverit, quàm in amaram & remotam recesserit. Sequitur: *Stans iste sic à longè nec volebat oculos ad cœlum levare,* Mos antiquorum oratorũ fuit, & Christus aliquando servavit, ut orantes oculos levarent in cœlum, velut in alium locum, ubi sedere deceret altissimam majestatem. Fecerunt hoc quamplures sancti patres veteris testamenti, etiam gentiles ad cœlum levabant oculos, cùm suos Deos, deâsque in suis opportunitatibus precarentur. Et summum Deum esse in cœlis, imò super cœlos ab omnibus nationibus creditum est. Et David spertè differuit: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Et Jeremias tremens ait: Levemus corda vostra cum manibus ad Dominum in cœlo. Ex multis in multis perspicuè offensum est ad cœlum veros suspicere oratores, in defignatione, quód quamvis Deus ubique sit, ibi maximè ob excellentiam loci, quo minimè indiget, ob ostensionem, quòd in altissimis habitet, & ad illa humanis invisibilia loca homines invitat. Sic ex infusione atque doctrina cordibus hominum infusum est, & ut quodam præsagio avelli quærant homines à terrenis. Quia cœlum cœli domino, terram autem dedit filiis hominum. Sed vera humilitas arcet, & propriorum facinorum consideratio vetat, ut nec oculos levemus in cœlum ad illam scilicet regionem, quæ nobis aliquo naturali aut civili jure non competit. Ut quid mortalibus & miseris lares immortalium & beatorum oculis fatigare? Ignoro quid magni noverit iste publicanus, quòd nec oculos voluerit ad cœlum levare, quòd non solùm homines, sed etiam incurvata in terram animalia intuentur. Edidit & reliquit oratoribus posteris ipse doctrinam, qua humilitate, cùm ad orationem accedimus, reprimamur: cùm nec voluit oculos ad cœlum levare. Legimus etiam anachoretas & quamplurimos cœnobitas orantes, nec ad cœlos ob confusionem scelerum, ob indignitatem, ob humiliatem, nec oculos levantes in cœlum velut illius patriæ offensores & indigni existentes aspicere lares mundorum & immaculatorum spirituum, qui altissimo ab initio inculpatè servierunt, neque Dei voluntatem facientes in terris sicut in cœlis agitur & impletur. Sed quanto magis oculus corporis ex humilitate submittebant, tantò amplius interiores oculi levabantur. Et quanquam Psalmista decantet: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis, sic intelligendum est, quòd auxilium & omne beneficium nostrum aliunde nobis provenire non possit, neque postulandum sit ab aliis diis præterquam ab eo, qui habitat in cœlis, non situ corporis, sed in plenitudine ostensæ majestatis. Attamen patùm aut nihil videntur alta sapientibus & hominib⁹ curiosis actus corporales ad divinum cultum exhibiti, non advertentes, quòd mentis qualitas qualificavit & corpus, & sicut ipsa consistit ipsum consistere facit, & pro signis sunt ostensiones qualescúnque forinsecæ, cujuscemodi existant invisibiles animæ qualitates. Et corporaliter virtuosis actibus collendus est Deus: etenim ipse ad nos non solùm studio mentis, sed corporis exercitio factus est. Aptè igitur iste publicanus mentem jam ex malè actis contritus, oculos non levabat ad cœlum, cujus habitatorem summum, & sibi assistentes in terra offenderat. Proinde discrepans à legibus cœli, cur aspicit cœlum, in quo veterem posita servant fidem legem nulla inobedientia irritatam, super quod Angelorum cœtus coram æterno Deo inoffensibiliter gratulatur. Quæ jura cœlum aspiciendi hominibus competunt creatione, conversatione atque affectione terrenis? Summe solutæ inimicitiæ,

Psalm. 122.

Thren. 3.

quas cùm Deo ſupernisque civibus noſtra pravitate contraximus? Multam moderationis materiam poſteris præbuit publicanus, magis verò Jeſus ſuo commendans ore ipſius humilem actionem. Qui longè ſtans, oculos nec levans, percutiebat pectus ſuum: dicens: Domine propitius eſto mihi peccatori. Percutiebat pectus, non ut exteriorem corporis aliquam partem magis delinquentem, ſed velut ſub quo quieſcit inquietum ad mala hominis cor, omnium malarum actionum fontale principium, à quo exeunt, quæ homines natura bonos inquinant. Et mos contractus eſt apud fideles in eccleſia ſancta Dei, quod pœnitentes pectora ſua tundant, in ſeipſos culpam, non in alios reflectentes, & punientes quodam modo quod animo deliquerunt. Et ſolerti verbo dictum eſt, quòd percutiebat pectus ſuum, non alienum, non in alium refundens culpam, non cauſam, non occaſionem, non ſuggeſtionem ſatanicam, ſed ſeipſum criminans, qui, ſi nollet, nullo pacto peccaſſet. Multi enim ſumunt ſcutum priorum parentum excuſationis impropriæ, ſuſpendentes ad collum, allegantes excuſationes in peccatis, quas à ſe declinari petebat David: Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis. In Deum, quod ſic voluit, atque permiſit ſic naturam fragilem fecit, in fatum, in ſtellas, in proximum, in neceſſitatem, in conſuetudinem, in exempla malorum culpam, quòd malefecerint, inferentes, nec ſuum pectus percutiunt, ſed ſuffugium indecentis excuſationis inquirunt. Sed mentitur iniquitas eis dupplici baculo repercuſſis, ut nec excuſatio in peccatis locum habeat, quæ ſola voluntate delectante aut conſentiente fiunt, quæ nulla lege, aut imperio, niſi divinis aſtringitur. Nec pœnitentes, dum excuſant, miſericordiam conſequuntur. Apud terrenos quidem judices, qui plerumque ab ignorantia detinentur, in aliorum cauſis dijudicandis, ſæpe opportuna eſt excuſatio aliena vel propria: ne innocens pœnali ſententia involvatur, ſed apud Deum infalibiliter omnia cognoſcentem nulla excuſatio expedit, nulla tergiverſatio congrua, nulla in excuſatione verborum urbanitas opportuna, quoniam alia ſcientia ſibi non poteſt inferri de rebus, quàm ab æterno habuerit, qui novit omnia ſicut futura erant, antequam fierent. Neque ut homo judicat verus Deus, qui æquè falli & fallere nequit. Igitur ſi mala commiſeris, quid excuſas? Quid autem trepidas, ſi non feceris? Ad hujus peccatoris publicani imaginem unusquisque percutiat pectus ſuum, conterrens in animo ſemetipſum, ſolùm ſe aſſerens ſuorum malorum actorem ſine admixtione conſortii aut excuſationis impropriæ. Veruntamen multi ſua pectora tundentes mole contriti præactorum malorum, ſed nec ſubmoventes occaſiones & cauſas, nec cautelas præparantes ad poſtera, nec ſemetipſos ad optima diſponentes, confirmant tunſionibus peccata, non removent. Expedit autem ad removenda peccata, & ad pro malè factis miſericordiam conſequendam, cum mentali pœnitudine atque tunſione pectoris occaſiones & cauſas removere malorum, & in cautella maximè fieri pro futuris, & opere ſuſceptibilem fieri antidoti virtuoſi. Adjecit etiam iſte publicanus ad tres corporeas actiones ſupplex verbum, dicens: Domine propitius eſto mihi peccatori. Confitetur Dominum omnium creatorem, confitetur creaturam ſe eſſe, quam fecit dicens, mihi: confitetur malum, quòd ipſe appoſuit, adjiciens peccatori. Ac ſi diceret: Omnium Deum verum Dominum meum voco & peto eſſe propitium. Propono, quid feciſti, & quid feci. Tu me feciſti, ego me peccatorem feci. Ergo per te remitte, quod feci, propter id, quod creando feciſti. Si peccatorem ſolùm aſpicis, quem ego feci, damnabor. Si me verò, quem tu creando feciſti conſideras, propitius etis iniquitati meæ, ne deroges creaturæ tuæ. Non ſolùm allego, quod feceris, quia culpa ex factione caret, nihil enim maculatum facere potuiſti. Propitiatione non indiget, quòd culpam non habet. Nec duntaxat allego, quod feci, quia dignum eſt à propitiatione repelli. Utrumque connecto petens, mihi peccatori Domine propitius eſto. Fidelis iſte ſermo & omnia acceptione dignus, veritatem confiteri, exiſtentem ſcilicet creatum & peccatum, creatum Dei, & peccatum hominis, creatum mihi, peccatum peccatori, ut ex humili confeſſione veritatis gratia exauditionis obveniat. Quid enim eſt homo, niſi creatura quædam digna facta, ſummè donata, pro eo, quod in ſua editione imaginem ſui creatoris accepit, non in viſibili, ſed in inviſibili parte, ut eſſet ſpiritus incorruptibilis, immortalis, libera in arbitrio, quædam lux divinæ bonitatis in terris, prout ſeparata ſubſtantia erat in cœlis, apta unioni divinæ, quam in fine ſæculorum accipiet, receptaculum divinorum charismatum, cui dæmones ad exercitium, Angeli ad cuſtodiam deputati ſunt, ſuſceptibilis ex demeritis pœnæ, pro merito gloriæ, tantúmque à Deo diligi potuit, ut pro ſua redemptione illum aſcripſerit ſævæ pœnæ. Quid autem peccator, niſi omnium horum, ut eſt in ſe deſtructor & diſſipator, avertens ſe à potioribus, ſed ad minora convertens propria delecta-

Pſalm. 140.

lectatus poteſtate, ſui abjiciens legem Dei, propter ſe contemnens Deum, propter quem contemnere debet ſeipſum. Proinde vide me factum tam dignum à te, & peccatorem tam malum à me, pro quo ædo preces: Propitius eſto mihi peccatori. Remove additum, conſerva creatum. Procul dubio, miſericordiam accipit miſer, ſi ſuam miſeriam cognoſcendo etiam in Dei bonitate confidit, & expoſcit humiliter, quod neceſſariò noverit utiliter, quoniam non obliviſcetur miſereri Deus, neque continebit in ira miſericordias ſuas, ſecundùm quas David
Pſalm. 50. petivit ſibi veniam dari, & obtinuit, cùm dixiſſet: Miſerere mei Deus ſecundùm magnam miſericordiam tuam. Magnam porrò confitebatur miſeriam, qui Dei precabatur miſericordiam magnam. Super infirmitate magna, magna medicina depoſcitur, & medicina magna multitudinem infirmitatis
2 Reg. 12. arguit. Et cùm ipſe David dicit coram Nathan, peccavi, audivit extemplo, tranſtulit
Ezech. 18 Deus peccatum tuum à te. Et, non vult Deus mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Et de ipſo ſcriptura dicit: Miſereris omnium Domine, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Manſuetorum autem & humilium ſemper tibi placuit deprecatio. Quamobrem Salvator parabolam coaptavit, ſuperbos, & in ſe confidentes, aſpernatoresque aliorum reſellens, & humiles in virtute firmavit: dicens: *Amen dico vobis, deſcendit hic ab illo juſtificatus in domum ſuam*, ſcilicet publicanus humilis à phariſæo ſuperbo. Unde juſtificatus? Quia ſe cognovit inexcuſatè peccatorem, neminem aſpernans, non in ſe confidens, & ſolùm miſericordiam Dei implorabat, quem Deus juſtificavit ex miſericordia, non inſpecta peccati miſeria, ab illo phariſæo remanente in altitudine cordis ſui. Ratio autem irrefragabilis ſubinfertur: *Quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur*, Exaltatio à ſeipſo ad caſum fit & eò profundus, quo exceſſus affectata ſublimitas. Nemo à ſeipſo aſſumens honorem, dignus eſt illo, magis verò privandus. Si bonus eſt homo, cur ſublimia petit? Si autem malus, deprimi, non exaltari meretur. Si bonus eſt, virtute quis bonus eſt. Virtus nil extra ſeipſam quærit, ratum tenens unum eſſe poſitorem ejus, & retributorem infallibilem actionibus ejus. Ac per hoc apud homines nihil quærit, qui ex virtutum actionibus ſperat à Deo. Nec dicenda eſt virtus digna cœleſtibus exaltationem apud homines quærens, & de propria virtute præſumere non eſt pro virtute, ſed pro vitio judicandum. Quo igitur te & ex quo & ante quem ô homo te exaltando protendis? uſquequo? ignoro. Ex quo? ex natura ſubſtantia propria, copia rerum, ex adjectis qualitatibus. Horum nihil à te, hæc penitus ab alio acceſiſti. Ante quem vero? Si ante homines, virtutem perdidiſti, & præmium, cùm virtus non ſit ad homines, ſed ad Deum, & fallunt & fallunturhumana judicia, Deus autem impaſſibiliter ſe habet ad hæc. Si ante Deum, in vacuum laboraſti, novit enim infallibiliter omnem depreſſionem aut exaltationem dignum, in juſtitia judicabit, nec ex dilatione præmiebit ipſa juſtitia, niſi mutatione illam prævenens in alteram partem. Cur igitur in conſpectu Domini te exaltas qui neminem magnificat, niſi dignum, neminem à ſe repellit, niſi indignum, ex voluntate propria ima petens ad ſublimia extollere, non impatienti animo jam depreſſus. Aliud enim eſt ab alio humiliari, aliud humiliare ſeipſum. Primum duplicter lædit, ſi defuerit voluntaria patientiæ virtus, ſecundum verò ſemper ad
Matth. 23 præmium reſervatur. Ipſa protinus Salvatoris hic & alibi nobis eſt patrona ſententia, quia, qui ſe exaltat, humiliabitur, qui verò ſe humiliat, exaltabitur.

Cap. XXVI.

De parabola poſita pro orationis inſtantia, ſecundùm Lucam.

CErtum eſt, quòd natura homines facti ſumus in voluntate noſtra mali, gratia Dei juſti, divina ope indigni, nullam ex nobis ſufficientiam, ſed defectum habentes. Et niſi abſterſerimus, quod prava voluntate contraximus, juſta in nos pœna deſæviet. Igitur, ut, quod ſumus natura, ſervetur, & quod mala voluntate additum eſt, depellatur: & ut juſti ex gratia ſimus, Dei miſericordia & adjutorio indigemus. Et ut defectum in partem alteram transferamus, oratione penitus opus eſt, ex qua magna nobis confertur authoritas, ut nobis ſeciales alii neceſſarii non ſint, ſi reconciliari petimus apud Deum. Unusquisque per ſeipſum poſt illam ſummam mediatoris æterni atque ſecialis in humanitate per crucem tractatam concordiam, per orationem valet inimicitias inter nos & Deum tollere, prohibere contrarium, & obtinere, quod expedit, veruntamen ſi perſeveranter oraverit, & ſi non deſiterit etiam non auditus, inhæſitanter menti præfigens, quod aut futuu votum, aut melius in tem-

pore, in loco, in facto pro ipso accipiet ab æterno Deo æternè decretum. Sæpe quidem in hoc opere de orationè tactum est, quod Salvator videtur intendere, scilicet orationis instantiam inquiramus. *Quia oportet semper orare, & non deficere.* Oratio, si ad quem fiat, orantis defectum arguit, aut quia patitur, quòd molestat, aut quia non habet, quod expedit, nec non & copiam ejus, cui exhibetur, quod possit utrumque depellere. Quæ tam diu est agenda, donec mala passio depellatur, & præstetur expediens. Et quoniam indeficienter exterius & interius nos undique mala premunt, indeficientem orationem expedit exhibere. Nec adhuc degentes pœnaliter in hac vita mortali accepimus terminationem votorum, neque aliquid ultra velimus, imo nec velle possimus præter illud summum bonum, quod velle hominem terminat, non fastidit, quin semper habere vellit. Innumerabilia quidem sunt prementia mala, maximè illa invisibilia, quæ infert invisus hostis antiquus, fatagens animam suis fallaciis avertere à vero & summo Deo, impellens in illam superbiam, ut non elevemur, unde & qua ipse dejectus est. Nunquid ab hac vexatione quiescit studens animas hominum illa sagitta confodere, qua ipse non ab alio, quàm à seipso confossus est. Et philagyriæ laqueis irretire conatur, & intemperantia fumendorum & lubricitate brutali inquinat visibile & invisibile nostrum. Succendit ignem furentem in naturæ consortem, & tetra caligine videndi tædio proximum, atque fratrem, totum esse nostrum involvit, ad tepiditatem & negligentiam inclinans viritatem nostram. Et nosipsi etiam sine dæmonibus facti fumus dæmones, seducentes, imo inducentes nosmetipsos in cogitationes & actiones ira dignas. Objcit se nostris sensibus cum suis amænitatibus mundus, trahens eos in concupiscentias suas, quos anima malè cauta sequitur. Et sociata cum eis, sed & delectata in eis cum mundo posito in maligno dulcia pacta trahit, futuras & horendas amaritudines paritura. Sæviorem verò, sed apparentet amœnum præ cæteris seipsum unusquisque patitur hostem, à quo quis erutus, unde allos timeat visibiles seu invisibiles non habebit. Multa etiam molesta mundus habet & infert, & caro nostra variè sauciatur, ut sæpe faciant exorbitare à via in superna tendentes. Hæc incessanter fiunt ad nos, ut nec sine bello spatium vitæ præteteat, nec dormiens requiem accipiat agonista. Nunquid & nusquam in sæculo pax est ab his rebus hominibus super terram. Ergo bella insunt, pax abest, hostes prohibere non possumus, Importuni sunt aliqui visi & cogniti, aliqui nec visi nec cogniti, & qua parte insillant ignorati, aliqui muti, solùm ex aspectu lædentes, aliqui amœni & dulces, nosipsi existentes. Quosomnes nec valemus aliquando nostra virtute subjugare, non cessantes nobiscum è regione habere congressum, Proinde oportet orare ad illum, & non deficere, qui de cœlo solus præstat auxilium ad tuendum. Paucis aut nullis dedit de tam multiplici hoste victoriam, cùm usquequo anima excludatur à corpore, non quiescat à spiritualibus bellis, sed hostium reprimit vires, ne vincant, nobis virtutem resistendi tribuens, ne vincamur. Tota vita hominis est militia super terram, ut semper orare oporteat, non ut tales hostes coram nobis intereant, sed ne super nos suis viribus invalescant. Nec invicti divina virtue ab hostibus hujuscemodi existentes sic superna conscendimus, sed inclinatione virtutum, quæ non conceduntur exemplo, nisi quis orando datorem exposulet. Omnifariè est oportuna oratio incessabiliter importuna. Nec sic intelligendum est, ut nulla sit intercapedo temporis ab orando, cùm & sopor interdum opprimat, & assumendus cibus sit ad valetudinem, & spatium expediat ad quietem, & plures cogantur inevitabiliter ad laborem, sed quod intentio nostra sit ad illum in omni vita nostra, & tempus lucis, atque tenebrarum non prætereat, quin in aliquo sui spatio coram altissimo animo & corpore assistatur ad orandum illum pro expedientibus nobis in miserationibus suis. Et omne virtutis opus factum à nobis, orat pro nobis quo peragendo oportet indeficienter intendere in animo ex immoto amore, in corpore, ut se possibilitas offert. Nec est defectus orationis aut operis, ubi non est defectus validæ voluntaris. Hac necessitate orandi perspecta, in exhortatione facti ad explanationem rei Salvator parabolam posuit, dicens: *Judex quidam erat in quadam civitate, qui Deum non timebat, & homines non verebatur. Vidua autem quædam erat in civitate illa, & veniebat ad eum: dicens: Vindica me de adversario meo. Et nollebat per multum tempus, & post hæc autem dixit intra se: Et si Deum non timeo, nec homines vereor, tamen quia molesta est mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens suggillet me. Ait Dominus: Audite, quid judex iniquitatis dixit.* Auget parabola fidem & exercitationem orandi, ut is, cui precatio porrigitur, saltem importunitate & assiduitate vincatur, vin-

vincatur, facturus petitum deprecantis. Nec ad aliud parabola ſe videtur extendere, quàm ut indeficientem orationem pro votis ſeu expeditivis obtinendis faciat. Attamen mirum, quòd ſub judice iniquo exaudituro viduã importunam, Deum bonum petentes exauditurum inſinuat. Horrendum, niſi poſitionem negocii ad negotium, non perſonæ, aut ad perſonam aſſumamus. In ſimilem horritatem trajicitur, quod orans petierit ultionem, quam Deus omnimodè ſibi reſervavit, ſecundùm illam ſententiam: Mihi vindictam, & ego retribuam. Deut. 32. Magis autem, qui exaudítione data horrendam locutionem, imo ſententiam facit. Nec inducimur à Salvatore ultionem petere, qui & à quo jubemur omnia nobis illata dimittere, ut niſi dimiſerimus proximis noſtris ex corde, nec dimittatur & nobis. Rom. 12. Et Salvatoris ſententia in plerisque ſcripturæ ſententiis explicita, & in plicitis mandat, & innuit, quòd niſi aliena mala dimiſerimus, noſtra penitus non dimitti. Admirationem facit & tertium, quod ideo exaudivit viduam illam in petitionibus illius, ne ſuggillaretur ab ea in finibus ejus, cùm nec res hujuscemodi adſint Domino, neque poſint. Inſolita iſta prætereant. Solum id decernatur, quod orationem indeficientem ex hac parabola Chriſtus aſtruit, ut importuna oratione inclinatus eſt exaudítioni judex iniquus, quanto magis inclinabitur verus & bonus Deus. Et terrere voluiſſe videtur eos, qui alios comprimunt & arcere ne alios comprimant: quoniam ſicut judex fecit viduæ petenti vindictam, ipſe faciet electis ſuis. Unde ſubjecit: *Deus autem non faciet vindictam electorum clamantium ad ſe die ac nocte, & patientiam habebit in illis? Dico autem vobis, quia citò faciet vindictam illorum*, ſcilicet indeficienter ad ſe clamantium. *Veruntamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Quia ſecundùm fidem operibus fultam propriam vel alienam fiet, & remuentur cuicunque mortalium. Quæſit filius hominis invenire fidem, imo fidelitatem. Fides multis; ſed fidelitas paucis ineſt.

Cap. XXVII.

De parabola ficulneæ ad dignoſcentiam futurorum, ſecundùm Matth. Marc. & Luc.

Signa quamvis non ſemper nec omnibus tamen interdum & aliquibus, peculiaribus data ſunt. Et ſeorſum etiam ab intentione petentium, ut Judæi ſublimitatis ſignum quærentes, infirmitatis acceperunt, recommendando Jonæ præteritum capipiſcium pro Chriſti humanatione futura. Juſte quidem ſigna denegantur optata, oportunè atque utiliter petita conceduntur. Hinc, cùm multa pericula futura denunciarentur à Chriſto, ſignum expreſſum & tacitum expetitum eſt, ſi quando talia evenirent. Et inter cætera de ficulnea ſimilitudiem ſeu parabolam poſuit. Attamen potius inter ſimilitudines hæc ponenda erat, ſed ſic dictum eſt: *Ab arbore ſici diſcite parabolam.* Ficus absque flore in fructus prodit. Nec ejus gemmæ prius in flores, quàm in fructus erumpunt, imo ſic in fructus, quod in flores nunquam. Et inter cæteras arbores fructus edit dulciores, ut, cùm ad maturitatem perveniunt, interius & exterius mandi poſſint. Succus ejus lacteus eſt, pruntum interdum & incendium facit. Parum durabilis fructus ejus, niſi decoquatur ad ſolem. Ex hujuscemodi foliis malè ſe texit Adam, ac ſi de illa commediſſet arbore interdicta. Fecerunt enim primi parentes poſt peccatum perizoma ficus, excuſationes quidem & tegumenta verborum, non de his, quæ non fecerunt, ſed de his, quæ fecerunt. Nemo de eo, quod non fecit, niſi calumnia ingeratur, ſed de eo, quod patrat timens pœnam, fuſſugium excuſationis inquirit. Ac per hoc in argumentum trahitur, quod ſic vocata fuerit ab impoſitione Adæ vetita illa frutex, ſed poſt peccatum nomen ſcientiæ boni & mali in perpetuum acceptura. A qua Salvator voluit parabolam trahere ad ea, quæ futura erant, ut ſicut pronuncia eſt ætatis, ſic malorum tantorum crebroſitas regnumDei, finémque mundi denunciet eſſe vicinum. Nam ſicut tres Evangeliſtæ referunt, multa præire pericula dicta ſunt ante ultimum Salvatoris advenium, ut non ſolùm rei veritate credantur iſta fieri, ſed etiam innuant citò poſt ſequi adventum Filii Dei, de omni actione mortalium ſententiam prolaturi. *Ab arbore*, inquit, *ſici diſcite parabolam. Cùm ramus ejus tener fuerit, & folia ejus nata, ſcitis, quia prope eſt æſtas. Ita & vos, cùm videritis hæc omnia fieri, ſcitote, quia prope eſt & in januis ſeu oſtiis.* Alius autem Evangeliſta plus expreſſit. *Videte ficulneam.* Gene. 3.

Matth. 24. Marci 13. Luc. 21.

ficulneam & omnes arbores, cùm producunt jam ex ſe fructus, ſcitis, quia prope eſt æſtas. Ita & vos, cùm videritis hæc omnia fieri, ſcitote, quia prope eſt regnum Dei. Quamvis omnes addant arbores fructificantes ad æſtatis præſagium, tamen arbor fici præfertur in ea deſignatione, quam prætulit Lucas. *Levate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra*, ut alta lætáque conſideratione filii Dei expectetur adventus, ab his duntaxat, qui ejus redemptionis per ſanguinem meruerunt eſſe participes. Et hi, qui ſatagunt fieri non interpoſitione apparentiæ velut florum, ſed illico ſicut in bonorum operum fructu. Nec animo amaro ſint in agendis, ſed ferant omnia dulciter pro ſperandis. Et maturè omnia fiant, ut ex rectâ intentione atque laudabili teſtimonio digna reddantur, ut maturus fici fructus interius & exterius placet. Qui ſi ſervandus in longum, decoqui à ſole oportet: ſic & opera naturalia, ſi ad æternitatem in beatitudinem tentamus inducere, ſub ſole juſtitiæ Chriſto ſupponamus, ut ipſe ſua virtute perficiat imperfectionem impiorum. Non enim opera noſtra quamvis digna, quia in tempore & à temporibus & mortalibus facta æternam beatitudinem ſortirentur, niſi Chriſtus æternus Dei filius ſua poteſtativa charitate ſolidaſſet, & induxiſſet in beatitudinem illam. Succus lacteus ad puritatem trahit pruritum & incendium faciens, ut quadam impatientia ſemper in meliora tendamus, ſi tam ex vicino Dei filii præſtolamur ultimum adventum, & ſi ſic prope factum eſt regnum Dei. Veruntamen ſanè intelligentibus perſpicuum eſt, quòd alia contemplatione arbor fici maximè proponitur in futurorum parabolam, pro eo, quòd protoplaſti poſt inficiabile malum ex ejus foliis perizomata texuerunt. Non enim illorum inobedientia tot malis ſpiritualibus & corporalibus illos & totum futurum genus humanum adſcripſit, ſed quòd texuerunt perizomata ficus, ſcilicet excuſationes in manifeſtis peccatis agentes, ut unus alteri, alter ſerpenti crimen imponeret ut tandem culpa refunderetur in Deum, qui tale animal edidiſſet. Poro ſeipſos & poſteritatem ipſorum, ſi inexcuſatè petiviſſent veniam, à tot malis, atque periculis abſolviſſent, ſine cunctatione humiliter ſupplibantibus indulſiſſet illis Deus, ut ſaltem ex traductione culpa non eſſet, quamvis quilibet potuiſſet ſuo arbitrio interire. Damnabilior fuit illa excuſationis ſuperbia, quàm inobedientia prima. Crediderunt enim ſe tegere ſummo Deo, & ſe ab ipſo arborum foliis obvellare, cui nihil obtegi poteſt. Ficus igitur in parabola, ut ſciamus, unde mala, unde horrenda futura judicia, unde Chriſti ad judicium timetur adventus, & amoveamus Perizomata, quia omnia nuda ſunt & aperta oculis ejus. Itaque nolite ante tempus judicare fratres, quousque veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordis. Submoventur omnino perizomata ficus in futuro judicio. Necnon & aliud intellexerim ex parabola fici, dulces fructus, perducentis, quoniam ex dulcedine mundi & carnis, cùm excuſatur, amaritudo magna exoritur: ex dulcedine verò virtutum beatitudo gignitur, ut illa dulcedo fici fructus ad utramque vitiorum atque virtutum per parabolam relata dulcedinem, prope credamus regnum Dei, etiam in januis eſſe Chriſti adventum, qui de omnibus juſtè judicabit actionibus vitiorum atque virtutum, illis infimum pœnale ſupplicium, aliis tribuens æternum, ac beatificum regnum. Unde diſcamus ab arbore fici parabolam, non tamen futurorum, ſed etiam corrigendorum morum, atque agendorum. Magis nos Chriſtus voluit ex parabolis ejus bonis moribus eſſe inſtructos, quàm præſcios futurorum. Quid enim rerum venturarum, præſcientia valet, ſi bonorum morum integritas deſit? Non enim ſcientia ſalvat, ſed virtus. Itaque maximè omnis divina ſcriptura quomodolibet edita, malorum cautellam & bonorum actionem inſinuat. Aliter autem & ramus tener, & folia nata, & fructus, producti fici ſeu alterius arboris, ex quibus æſtas vicina cognoſcitur, hoc innuunt, quod diſpoſitio prima mentis folia confeſſionis, ædificationis & laudis, fructus boni operis adeſſe æſtivam claritatem, & dilectionis ardorem, atque lucem æternam præſagiant. Et ea ſimilitudine multitudo malorum deſtruentium mundum, alia novitate donandum, Dei regnum proximum, adventum Chriſti irremorum enunciant, ut affectus & mores mutentur in melius, & alia vita requiratur ardentius.

Cap. XXVIII.

Cap. XXVIII.

De parabola decem differentium Virginum pro diverſo fine omnium electorum ſive reproborum, ſecundùm Matthæum tantùm.

HÆc parabola non ſic in rei facto, prout ſonat littera, geſta eſt, ſed fictionem Sanctam Salvator innotuit, ut cautum faceret omne humanum genùs ad futuram ſententiam audiendam, qua pars hominum quaſi ex portionibus æquis admitteretur ad præmium, reliqua verò excluſionem patietur æternam. Sub virtute virginitatis à Salvatore parabola poſita eſt, & pro conſummatione Sæculi, quoniam Virginem fecit Deus humanam naturam in parentibus primis, ſicque ſervatur ex corruptis genitoribus in naſcentibus cæteris. Nec hoc corporale naturæ donum ex propagatione, quæ agitur ex corruptione, propter peccatum ablatum eſt. Quod etiam in adventu in carnem ſupra communem naturæ propagationis uſum ſingulariter & miraculoſè in ſua incarnatione monſtravit, & ex Virgine natus in ſe, ſuaque genitrice ſervavit. Grandis factus docuit poſt miſſionem Spiritus Sancti, innumerabiles perſonas utriuſque ſexus uſque ad mortem animavit ad illam. Sed nec credendum eſt, quod ſub illa virginitate corporea in decem calculata Virginibus, omnis cœtus ſalvandorum atque reproborum ſit incluſus. Sub alia quippe virginitate in denario numero Chriſtus parabolam poſuit, ſub illa videlicet, qua integritate Fidei apud omnes gentes unus ſummus & æternus tenetur, & creditur verus Deus. Præſertim illi intelligendi ſunt ſub iſta parabola, qui Chriſtianæ Fidei ſignaculum acceperunt, qui regnum cœlorum, quod eſt eccleſia militans, dicuntur, qui ſponſo Chriſto & eccleſiæ ſponſæ, ſcilicet rriumphanti, pro ſuſcepta fide venire obviam poſſunt. Nunquam & nusquam aliquis fecit obvium ſponſo & ſponſæ Chriſto, & eccleſiæ in hoc Sæculo, præterquam in ſignaculo Fidei, niſi obviationem ad impedimentum, aut acceperimus in contrariam actionem, quod hic nequit intelligi, cùm omnes pulſaverunt, januam ſponſi aperiri eis obnixè poſtulantes: Sed concionem illorum qui ex fide ſunt tantummodo capiamus, pro quibus ſic parabola poſita eſt. *Tunc (ſcilicet in fine Sæculi) ſimile eſt regnum cœlorum decem Virginibus, qui accipientes lampades ſuas exierunt obviam ſponſo & ſponſæ.* *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Regnum cœlorum eſt eccleſia peregrina, merito vocata regnum cœlorum, quoniam cœleſtis eſt, qui illam condidit, & ad cœleſtia præordinavit, atque vocavit, cœleſtibus illam diſciplinis inſtruxit, terrena propter cœleſtia contemnere docuit, cœleſtibus illam virtutibus decoravit, ſibi regna cœleſtia repromiſit. Necnon & regnum cœlorum præſentis tranſitus eccleſia dicitur, propter celata myſteria, in qua ſi facta creduntur, factorum omnium modi à mente celantur. Et propter ſublimitatem, quam poſſidet à Synagoga, quæ ſi cum ipſa in compoſitionem ducatur, terra eſt ipſa cœlum, ac omnes aliæ conciones, in quibus apparere potuit aliqua religio bonitatis. Denariùs verò numerus ad eos, qui acceperunt divina præcepta tali numero prætaxata, quorum aliqui quinque ſenſibus delectati illa facere contempſerunt, ſolùm nomen virginalis Fidei reſervantes, aliquæ cohibentes à perhibitis quinque ſenſus animo & moribus ſervavere. Omnes tamen acceperunt lampades ſuas, ſcilicet ſe paraverunt, prout in eis erat, ad recipiendas divinas repromiſſiones. Sed quinque ex eis erant fatuæ, quia ſe à forinſecis ſenſibus decipi permiſerunt. Nihil ſtultius, quam ſe permitti ſuo damno ab inferiore devinci, cui poteſt reſiſti. Quid ad majorem fatuitatem hominibus adſcribi poteſt, quàm quod à quintuparitia ſenſuum illecebra peſſundentur? Meritò ſcriptum eſt: Cor fatui vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit. Vas confractum liquores non retinet, nec cor fatui ſcientiam agendorum, nec novit cavere, qui ſibi poſſunt inferre jacturam. Nulla ſapientia fatuo adeſt, qua ſe præparat in futurum. *Quinque igitur fatuæ, quia ſumentes lampades (ad obviandum ſponſo & ſponſæ) oleum (fomentum luminis) non ſumpſerunt.* Non conſideraverunt Dei beneficia in oleo miſericordiæ deſignata, gratis impenſa mortalibus, ex quibus ſapientes fierent, & ſcirent, quid agendum eſſet pro receptis in merito retributionis, velut unus de ſapientibus ſcire cupiebat, inquirens & dicens: Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Conſideratio beneficiorum

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

Eccl. 21.

Pſalm. 115.

rum ad gratitudinem ſapientem animam facit. Oleum non ſumere in hanc conſiderationem non venire penitus eſt. Sapientes ſive *prudentes acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus.* Prudentes fatuarum è regione conſiſtunt, ut quod illis defuit, iſtis adſit. Quinque ut prudentes deſcribuntur, quoniam quinque corporis ſenſus debita ſapientia rationabiliter frænaverunt. Et obviam ſponſo & ſponſæ venientes in fide ſuſcepta, oleum in vaſis ſuis cum lampadibus acceperunt. Hic lampades non pro vaſis, ſed pro luminioſis flammis accipiuntur. Nam ſi hic ut ſupra de fatuis pro vaſis acciperentur, ſuperfluum eſſet hic bis vaſa replicare. Quis intellectus clarus hic extrahi poſſet, acceperunt oleum in vaſis cum vaſis, ſi lampades pro vaſis acciperentur, quanquam & in aliis locutionibus in iſta ſerie textus Evangelici etiam pro vaſis intelligantur. Sed ſi me non fallit iſta locutio, ſenſus hujuſcemodi eſt habendus, *Prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum luminibus.* Nam : Et lampades viſæ ſunt in monte Sina dum lex daretur, & aſpectus quatuor animalium quaſi aſpectus lampadum. Nam lampades in monte luminoſæ flammæ. Et quatuor animalium aſpectus ut aſpectus lampadum, videlicet luminoſarum flammarum, quoniam illa lex ignea fuit & luminoſa præ cæteris aliis, quouſque quatuor animalium appareret aſpectus. Et quoniam calorem habet ignea flamma, Dei charitatem oſtendit, qua dedit legem retinentem populum, ne ab ipſo defluerent. Et lumen & charitas eſt in quatuor animalibus. Et luminoſæ flammæ ſunt in vaſis prudentium, & oleum, quod luminis eſt fomentum, ut intelligantur in vaſis animæ, quæ receptacula ſunt divinorum beneficiorum. Et omnes naſcimur vaſa iræ, ſed efficimur vaſa miſericordiæ. Oleum eſt ipſa pia conſideratio acceptorum, ſimiliter & promiſſorum. Lampades flammæ bonæ intelligentiæ & charitatis ſurſum tendentes ſunt, lumen, quo rectè gradiamur, calor, ne tepeſcamus. Moram autem faciente ſponſo dormitaverunt omnes & dormierunt. Mora ſponſi in id, quod ad judicium futurum pertinet, & in cunctorum mortem & in reſurrectionem trajicitur, quod poſt vocationem ſuam & poſt acceptam ab hominibus fidem omnes dormiunt & acquieſcunt in voluptatibus propriis, & actionibus voluntariis, & tandem pœnali morte ſopiuntur. Et ipſe ſponſus moratur expectans emendationem, daturus mortem, & demum judicium peracturus. *Media autem nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit, exite obviam ei* à prima obviatione Fidei. Nec amplus ſponſa memoratur, ſed ſolum ſponſus in actionibus myſterii hujus: Quoniam non ad ſponſam, ſed ad ſponſum ſpectat ſententiæ ferendæ judicium. Nec ſponſa beata judicabit, ſponſa verò militans in his decem ſignata Virginibus, ad judicium eſt ventura. Media nox profundam & omnimodam ignorantiam arguit futurorum, maximè temporis, quo judicaturus adveniet, quia de die illa nemo ſcit, neque Angeli ejus in Cœlo, neque Filius, niſi pater: Et tanquam fur in nocte ita veniet. Similitudo Chriſti ad furem non eſt perſonæ ad perſonam, neque negocii ad negocium, ſed tantùm temporis ad tempus, ut, ſicut fur noctem in furando, ut neſciatur, expectat, ſic Chriſtus judicii tempus per ignorantiam à mentibus omnium abolebit. Clamor factus in evitationem auditionis oſtendit, quod tam validus erit in tubicinio Angelorum, quòd ab omnibus inevitabiliter audietur, denuncians ſponſum repentè venturum. Et tria hæc ſic conjunctim obvenient, ut neutrum ab altero ex differentia temporis diſcernatur. Scilicet clamor, & reſurrectio corporum, & adventus peracturi judicium. *Tunc ſurrexerunt omnes Virgines illæ (boni & mali) & ornaverunt lampades ſuas,* Surgent poteſtate tonantis in ſua virtute mirabiliter. Ornaverunt ſeipſas velut vaſa parantes recipere non merito præmia, imo divina bonitate atque largitate donanda. *Sed fatuæ (videntes ſe vacuas oleo, privatas lumine) ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro, quia lampades naturæ extinguuntur.* Merito fatuæ, quia quod eis futurum erat prævidere neſcierunt illectæ terrenis illecebris: Sed tardè ſibi providere voluerunt, quoniam amplius tempus non erit. Magis autem præter omnem rationem, ſi de alienis bonis ſe fulcire ſatagebant. Fatuitas eſt tempus non prævenire per tempus, ut poſſibilitas ipſa permittit. Fatuitas eſt de aliena juſtitia in conſpectu Dei patrocinium quærere, qui ſolum judicabit ex propriis, ut nemo ex aliena, ſed ex ſua damnetur nequitia, nullus de alterius, ſed per miſericordiam Dei de propria juſtitia coronetur. Etſi per ſeipſum cogetur unuſquiſque reddere rationem, jus in parte vel totum aliorum aliquis non accipiet, nec quisquam transferre valet, aut poterit in alterum jura ſua. Date nobis fatuis nunc factis ſapientibus & cognoſcentibus fatuitatem noſtram de oleo veſtro. Oramus veſtris meritis adjuvari, quibus propria defuerunt, quibus nulla ſuppetit alia copia evadendi, quia lampades noſtræ extinguuntur, oleum miſericordiæ & conſiderationis bonorum fomentum

Matth. 25.

mentum luminis non habentes. Lampades hic vasa seu flammæ intelligi possunt, ut vasa privantur lumine, aut ipsæ flammæ veritatis & charitatis in nobis penitus sunt extinctæ. *Respondérunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes & emite vobis.* Ideo prudentes, quia providere sibi noverant optimè in futurum. Et nunc in sapientia dant responsum. Nullius hominis justitia, excepta justitia Christi sufficit, nisi sibi, alioquin ex hominibus hominum potuisset est redemptio. Acsi sic responsio inferretur: Bona nostra non sufficiunt nobis & vobis, imo deficerent protinus nobis, nisi Dei misericordia per pretium sanguinis subveniret, suppleretque defectum. Ite nihil expectantes à nobis, sed ad vendentes potius, & emite vobis. Dono non invenitis suffragium, experimini si saltem commercio invenire valeatis. Non instruunt nec exprobrant, quia tunc nulla doctrina utiliter instruit, nec electorum est ex superbia infra se positis exprobare. Sed, quod sicut dicendum esset, sic à Salvatore dictum in parabola est ad cautelam præsentium hominum & posterorum, in adeptione bonorum, devitatione futurorum malorum. Nec in illo extremo judicio erunt commercia rerum, sed vendentes hi sunt intelligendi, qui malè in ista vita consulunt, malè ducunt, malè sociantur, nequiter laudant vitam malè agentium. *Dum autem eunt emere, venit sponsus, & quæ parate erant intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.* Quomodo igitur ire ad emendum dicuntur, si tunc commercia nulla erunt, nisi quod reprobandæ animæ in considerationem tunc venient, si poterunt habere aliena subsidia, quæ divinis atque propriis caruerunt? Paratæ intrant ad nuptias paratas in supernis, quoniam illæ supernæ non sunt paratæ, nisi in hac vita ante paratis. Clauditur janua, quia impermutabilis est judex, cùm diffinitivam sententiam dederit, neque ab ea potest haberi appellationis suffugium. Clauditur quidem janua juxta illam sententiam: Quoniam confortavit seras portarum suarum, benedixit Filiis tuis in te. Firmabuntur prævalidæ seræ supernæ civitatis, ut ab ea ex eis non possit aut velit egredi, per Dei misericordiam & per accensam justitiæ lampadem intromissus, nec quisquam intromitti possit, etiamsi velit indignus, quoniam sic in illa benedicti atque confirmati sunt Filii, ut non possint exire futuri ab ea iterum peregrini, nec ad eos intrare dissimiles. Et hoc manifestat, quod sequitur: *Novissimè verò veniunt & reliquæ Virgines dicentes: Domine, domine aperi nobis. At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos.* Quæ nuper veniunt non recipiuntur, quoniam eo tempore, quo invitabantur ad nuptias, non ingredi velut imparatæ meruerunt, non habentes propria meritæ, declinantes ad aliena, maximè ad illorum, in quibus deceptæ sunt. Applaudunt Verbis, ingeminatè Dominum vocant, aperiri petunt ingressum, velut omnem locum credentes insicientes habere pœnalem, nisi à sponso ad nuptiarum sedilia intromittantur. Negatur eis introitus, ut ignotæ à cognitore omnium repelluntur, eo demerito, quo fomentum luminis, id est, cognitionis & charitatis oleum habere noluerunt, quoniam ignorans ignorabitur, & nesciens nescietur. Nec ista gesta corporum atque morum sic accipienda sunt facta vel fieri, in multis enim repugnantia est à littera ad rei veritatem, & à rei veritate ad litteram, si prout littera prodit, facta credamus. Sed parabola est à Christo Salvatore inventa pro his, qui in divino judicio celeritate judicis, & ex apprehensione subita intellectuum exvelatorum, ist approbatione bonorum, & malorum reprobatione confestim, & sine mora quasi temporis sient. Etsi aliquod interjacietur tempus ratione creaturæ, quæ non agit, aut patitur nisi in tempore, quamvis Deus faciat sine tempore, modicum tamen erit. Vigiles & prudentes omnes vult esse omnium salutis author. Proinde parabolam solertis providentiæ atque admonitionis Verbo includit dicens: *Videte itaque, vigilate & orate, quia nescitis diem, neque horam quoniam tempus sit.* Non vult percutere, præcavere monens, non odit, sed diligit, qui instruit ad evitanda pericula. Pius est judex, habens in manu justitiæ romphæam, qui non vult invenire, quem puniat, omnimode nitens sic solertes esse subjectos, ut nemini romphæa sit ad pœnam. Hinc pius omnium judex permonet ante videre, vigilare mente, orare adversus invisibilia mala, & pro his, qui ad cavendum expediunt iram judicis & ad intrandum ad nuptias regni Dei: Quia nescimus diem neque punctalem horam illius ultimi temporis, quoniam amplius tempus non erit, quoniam tempus non sit, post quod æterna beatitudo vel sæva pœna erit.

Psal. 147.

Cap. XXIX.

De parabola proficiſcentis accipere ſibi regnum, tradentisque talenta ſive mnas in exactione meritorum, ſecundùm Matthæum & Lucam.

NIhil Deus otioſum dedit hominibus aut impertinens, aut inordinatum ad debitum finem. Nec ea ratione factus eſt homo, qua & animalia ratione carentia. Et cùm primus homo in paradiſo Eden poſitus eſſet, in fœdere quidem, ut operaretur & cuſtodiret. Agunt ſupercœleſtia, cœleſtia, ſubcœleſtia & terreſtria naturaliter operationes ſuas, etiam illa, quibus nullus ſenſus ineſt, ſic & natura faciunt habentia ſenſum. Homines verò natura & arte operantur. Sed in eo, quod ſupercœleſtibus ſimiles ſunt, & ad imaginem Dei facti, operatio ab eis exigitur in natura cum arte illa, quam ætate coalente percipiunt deſuper infuſivè ſeu tradente homine, deſcendente doctrina. Illam quidem dixerim artem virtutum agendam, qua poſſimus in ſuprema conſcendere viſuri creatorem, noſtrosque conſimiles, non illam, qua mechanicè pro vivendi aptitudine in hac vita homines operantur. Ad quam operandam Dominus omnium cuncta expedientia hominibus contulit, ut non ſit occaſio feriandi uſquequo verum ſabbatum erit. Et dirè, atque inevitabiliter ab omnibus exigetur, quid acceperunt, quid verò fuerunt operati, acſi addiderunt lucrativo commercio ad dona ſuſcepta. Nec juſtè ab hominibus fieret exactio operum, niſi credita ſuſcepiſſent. Ex creditis quidem nobis in opus deductis, aut otioſè retentis, rationem reddere compellemur, ut, ſi ſic operati fuerimus cum datis & acceptis, ampliora recipere mereamur, aut auferri data & inutiliter accepta. Poterat enim omnipotens Deus hominem ſicut & Angelum facere, ut abſque talibus actionibus fieret beatus & divinitatis inſpector, ſed Angelus laboravit in illa converſione, qua ſe irreconvertibiliter convertit ad Deum, alio ſic non operante, ſed deſcendente in barathrum. Non autem noſtrum eſt perquirere, cur ſic Deus non fecit, ſed operari ut juſſit non ſua, ſed utilitate noſtra, cùm bonorum noſtrorum ipſe non egeat. Voluit penitus nobis ſui participium dare, imo totum juxta capacitatis menſuram. Sed præordinavit quandam operationis juſtitiam, ut operemur in his, quæ gratis dedit, ne illam beatitudinem habeamus omnino gratis. Gratis quidem data ſunt dona, non tamen gratis dabitur in patria. Sed quoniam operibus noſtris quamtumlibet magnis illam mereri nequiveramus, ipſe ungenitus Filius Dei in humanitate aſſumpta voluit mereri pro nobis, qui cooperatores ſecum inquirit, largitus etiam illa ſupra naturam chariſmata, quibus ei cooperemur, ut ex donis datis gratis agamus, ne auferantur à nobis ingratis. Et ut iſta operandi dilectio cordibus audientium tenacius imprimeretur, poſuit Salvator ipſe parabolam, quæ ſimpla eſt aut dupla, cum aliter ipſam Matthæus, quo ad tempus & ad negotia, & quo ad ipſa vocabula diverſè Lucas recitare videatur. Attamen ſi ſimpla eſt ſive dupla, una expoſitione claudetur. Dixit ergo: *Homo quidam nobilis peregrè proficiſcens, abiit in regionem longinquam accipere ſibi regnum & reverti. Vocavit ſervos ſuos; & tradidit illis bona ſua. Et uni quidem dedit quinque talenta, alii duo, alii verò unum.* Matth. 25. Aliter Lucas: *Vocatis decem ſervis ſuis dedit illis mnas, unicuique ſecundùm propriam virtutem. Et ait ad illos: Negotiamini dum venio. Et profectus eſt ſtatim. Cives autem ejus oderunt illum, & miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Luc. 19. Homo nobilis eſt Dei Filius factus pro nobis homo, cujus nobilitas ineffabilis eſt ex utraque natura, quia ex divina & æterna, & ex humana incorrupta, & immaculata, ex hoc nobilis etiam, quia ipſe humanæ naturæ decor natus ex Virgine. Inſigne quidem ſingularis nobilitatis, & ſingularitatis nobilis eſt, quod quis in humanis ortus ſit ex Virgine matre. Sed hic tam ſingulariter nobilis, & tam nobiliter ſingularis peregre proficiſci voluit, dum abſtractus à mortalitate communi per veram reſurrectionem, ut iterum non moriatur, nec mors ſibi ulterius dominetur, cùm per aſcenſionem à mortalibus ſeparatas, dum cœtibus ſubſtantiarum ſeparatarum atque beatarum ſociatus eſt. Sed hoc actum eſt in regione longinqua. Diſtant iſta altiſſimis differentiis magis, quàm ſpecialia quæque loca intervallorum ſpatiis, quòd beatus receſſit à miſeris, immortalis à mortalibus, juſtus ab impiis, homo Deus ab hominibus puris, quanquam virtute,

tute, poteſtate, defenſione, ſacramento, usque in finem ſæculi nobiſcum in hac vita etiam ſit manſurus, Longè ſunt iſta, magis dignitate, quàm locis, cùm etiam loca immenſurabiliter diſtent. Abiit quidem in illam longinquam regionem accipere ſibi regnum, quoniam mors illi ultra non dominabitur, & deſtructo mortis imperio, regnum relinquitur vitæ. Et ipſe nobilis vita eſt. Et omni defectione depoſita, perfectum omnium perfectionum ſtatutum eſt regnum. Et regnum ipſius regnum omnium ſæculorum eſt. Et accepit regnum æternum, qui in temporali regno à temporali domino judicatus eſt, & crucifixus ut rex, ſicut monſtrat non mutatus ad perſitionem Judæorum titulus triumphalis, JESUS Nazarenus Rex Judæorum. Sed nec ſic ibat accipere regnum, ut non reverteretur ad eos, quos reliquerat, quoniam eo pacto Chriſtus penetravit cœlos, conſcendens cœlum empyreum, ubi æternum poſſidet beatificum regnum, ut etiam reverſurus ſit ad judicandum juſto judicio actiones bonorum, atque malorum, ſicut angeli teſtificantur Apoſtolis, Actor. 1. dicentes: Hic JESUS, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Abiens tradidit dona ſervis. Indiſtinctè Matthæus, diſtinctè Lucas ſub denario numero data dinumerans. In decem ſervis omnes intelliguntur, qui ſerviunt in decalogo, aut qui ſervire tenentur. Decem verò mnas diſtributæ ſecundùm propriam virtutem, univerſa dona Dei ſignificant, quia denarius numerus univerſalis & major irreplicatus eſt, & omnis multitudo aut aggregatio numerorum in iſtius radice cum replicatione conſiſtit. Quæ dona ſecundùm propriam virtutem, ſcilicet recipientium diſtributa ſunt, quoniam non omnes eandem capacitatem habuerunt. Divina bonitas pro capacitatis menſura replet univerſa, ut aqua decurrens, quæ juxta captum replet foveas magnas, aut parvas, quas reperit. Donum quinque talentorum, conceſſio eſt quinque ſenſuum cum potentia uſuali. Lucrum cum eis de tantundem factum eſt, quod innocenter & ſine macula cuſtoditi ſunt, ordinati, ut eſſent inſtrumenta virturis. Donum duorum talentorum eſt, quod quis accepit ex actione & contemplatione poſſe lucrari in ſe bene ordinato, & in proximo in neceſſitate conſtituto. Unius verò talenti donum, affectus ab intellectu directus eſt, qui ad diligenda cœleſtia & illa, quæ DEI ſunt, eſt datus, & ad cœlibatum corporum proſequendum, & virtutum inviſibilium argumentum. Sed hoc talenti donum abſconſum eſt ab improbo acceptore, ita ut nullum lucrum ferretur ex eo. Abſconſio talenti facta in terra defoſſa prodit affectum terrenis rebus amabiliter implicatum, aut intellectum terrena ſolùm ſapientem, qui ſuadet affectui, quod novit diligere affectus, effectui, quod diligit facere. Poteſt autem eſſe & unius talenti donum intellectus & ingenii humani acumen, quod cùm potuiſſet ſe in alta ſuſtollere, declinavit in ima. Et cùm potuiſſet cœleſtia cognoſcere, ſcire terrena procuravit. Et ex dono gratis impenſo datum erat agere atque proficere in gratia. In natura illud abſcondit, ut ex gratia amplius ſcire nullet, quàm quod natura ſuggerret. Magnum protinus unius talenti donum, unius ſcilicet fidei, qua colitur unus Deus, quæ ſine operibus mortua eſt, in qua ſervus piger deſiit operari, abſcondens fidem ſolùm in terra ſui cordis, non operans in ea in virtute confeſſionis, ut confiteretur Chriſtum coram hominibus in bonis operibus, ac etiam in ſuppliciis, ſi eſſet pro fide ab æmulis fidei comprehenſus. Veruntamen qui fuit talentorum dator ſuo tempore fit exactor, præmia tribuens operatoribus ſolicitis, ut eſſent potiores in bonis Domini ſui, & intrarent in gaudium ejus, ut ſua viſione perpetuò fruerentur. Exactus ſervus piger in his, in quibus quærit excuſationis ſuffugium, ſemetipſum illaqueat, in quo tergiverſari quærit, includitur. Et cauſæ, quas ſubmittit ad ſuam pigritiam expiandam, illam potius propellere debuerunt, & Inlicitum in actionibus facere, ſi durus & juſtus exactor eſt Dominus. Propterea huic ſervo dicitur: *De ore tuo te judico ſerve nequam.* Quoniam non minus reus eſt, ſi in eo lucratus non fuit, quàm ſi prodegiſſet. Non enim excuſatur ſervus accipiens ad ſeminandum ſemen ut multiplicetur, ſi ex integro ſervat, & illæſum domino ſuo reſtituit, damnificatus eſt dominus in ſpe ſua, ſperans meſſem ex ſemine. Quid igitur lucari poſſumus cum acceptis, non Domini, ſed noſtra utilitate unusquisque conſideret. Ac per hoc nulli excuſatio juſta erit, & ex quibus credimus iram DEI avertere, promeremur. Tollitur talentum à pigro, & bene operantibus datur. Non tamen eo intellectu iſta ſententia capiatur, quod demeritum reproborum tranſeat in cumulum juſtitiæ electorum, ut unius pœna gloriam alterius augeat: quoniam ſicut per proprium peccatum unusquisque damnatur, ſic per pro-

propriam juſtitiam unusquisque ſortietur ſalutem, cooperante miſericordia Salvatoris, cùm merita nullius ſufficiunt ad ſalvandum, nec augetur ſalus ex demerito, aut ex ſupplicio damnatorum. Ex propriis bonis operibus eſt auxeſis, non ex reorum ſuppliciis. Alioquin negativè, aut privativè, non affirmativè & poſitivè acquireretur, aut daretur beatitudo cœleſtis. Et qui fulgentior eſſet non de ſuo, ſed de illo, quod ſibi daretur ablatum ab alio. Sed eo ſenſu dictum eſt, quo nulla bona depereunt apud Deum, qui novit dignos eſſe bonorum, ex quo benè operans illam gloriam habeat, quam & ſegnis, ſi fuiſſet ſolers, potuiſſet habere. Vera & ſubſtantialis beatitudo non augetur paucitate, nec minuitur multitudine ſociorum. Parabolicè quidem dictum eſt, ſed Salvator exponit: *Omni enim habenti dabitur, & abundabit, ei autem qui non habet, & id quod videtur habere, auferetur.* Ut id quod dictum eſt de auferendo talento, & alteri concedendo, non tantum intendat, quod dabatur habenti, quàm quod piger illo privetur. Hinc adjectum eſt: Omni habenti virtutem & bonam operationem dabitur gloria, ut abundet indefectè in æternum in ea. Et qui non habet virtutem & debitam actionem, & id quod videtur habere auferetur. Solers verbum. Non aſſerit qui habeat, ſed quod videtur habere. Quoniam qui virtute & bonis operibus caret, nil boni habet, videtur tamen habere. Habent quidem eſſe & naturalia dona, & plurimi videntur fidem habere, ſed quod habent infeliciter atque pœnaliter erit, & fides ocioſa non proderit. Sicque ſententia eſt. *Et inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & ſtridor dentium.* Sæpe dictum eſt verbum iſtud. Exhortatur ad vigiliam Salvator, ediſſerens cur hujusmodi parabolam poſuit. *Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere à ventura ira, & ſtare ante Filium hominis.* In orationibus vigilandum eſt, ſic & Petrus admonet: Eſtote prudentes, & vigilate in orationibus ad præcavendam iram, ſcilicet juſti judicii. Et ſtare cum ſecuritate innocentiæ, læta & jucunda facie, conſcientia non rodente ſeu accuſante de malis, ſed teſtificante pro nobis ante filium hominis, cùm juſtè judicaturus advenerit. Nam criminoſus vultu proclivo ex erubeſcentia, & timore ſtat ante judicem. Sed à delicto & peccato immunis, & ſi timeat iratum malis, tamen audet illum in facie intueri. Quod autem poſt factam collationem talentorum, & peregrinationem cives ejus, qui oderant illum, miſerunt legationem poſt illum, dicentes: Nolumus hunc regnare ſuper nos, ad Judæos pertinet & ad Chriſtianos fallaces. Dixerunt Pilato Judæi; Non habemus regem, niſi Cæſarem, Chriſtum reprobantes, ne regnaret ſuper eos. Et triumphalem titulum conati ſunt infringere, ne ſcriberetur rex Judæorum. Et poſtulaverunt dimitti latronem, & crucifigi Chriſtum regem, adhuc in illa pertinacia perdurantes, quod Chriſtus non ſit Filius DEI, rex & Dominus univerſi, in cujus fœmore ſcriptum eſt, quod ipſe eſt rex regum, & dominus dominantium. Perverſi & fallaces etiam Chriſtiani, terrenis rebus illecti, hujus vitæ labentis amœnitatibus delectan, nulunt regi à crucifixo rege, ne motus carnis cruci pœnalitatis affigat, & cruce paupertatis divitias tollat, & auferat honores patibulo vilitatis, & cogat patienter omnia mala ferre, usque ad ignominiam mortis. Legatio miſſa nulla verior, quàm perverſa voluntas, quam ex alto Chriſtus cognoſcit. Ecce culpa, inſpice ultionem. *Veruntamen inimicos meos illos, qui noluerunt me regnare ſuper ſe, adducite huc, & interficite ante me.* Quotquot reſpuunt regi legibus Chriſti, ipſo judicante in æternum interitum ibunt. Cætera de numis & ſervis una eſt expoſitio cum talentis.

Joan. 19.

Petr. 1.

Cap. XXX.

De parabolis ſimul connexis vigilantium ſervorum, & fidelis & prudentis diſpenſatoris, & janitoris, ad inducendam cautelam pro futuro judicio & debitam actionem pro præmio, ſecundum Matthæum, Marcum & Lucam.

SÆpe quærunt mundi principes eſſe terrori ſubjectis, nec præmonent eos, ne per cautelam delinquant: ſed ad punitionem avidi, ad ſævitiam faciles, plus debito & præter juſtitiam interdum multant. Et acti ſuperbia magna, ſuarum voluntatum ſuos ſervos volunt eſſe ante Prophetas, quærentes calumnias involvendi, ſi placita etiam non prolata non perfecerint. Etſi aliquando cum principatu utuntur doctrinalibes verbis, magis expedienda vota, quàm ſubditorum atque ſervorum utilitates aſpiciunt, non facti amore ad ſervos, quibus omnino indigent, ſine quibus tur-

turpis & vilis aut nullus eſſet principatus, ſed ita truces plerunque ad eos ſunt, acſi ſervi inevitabili opportunitate ipſis dominis indigerent. Sed omnium creator, Salvator & Dominus, qui ſervis non indiget, neć aliquo extra ſeipſum eget, & à quo quælibet creatura, ut ſit & rationalis, ut bene ſit, opus habet, non ſuis, quaſi indigus, ſed noſtris utilitatibus conſulit, non tantum temporalibus, ſed & æternis, ſub parabola omnes diſcipulos, quos habebat præſentes & futuros, tali doctrina præmonuit. *Attendite ne graventur corda veſtra crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa. Tanquam enim laqueus ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ. Vigilate, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Præmonuit ſervari ex integro corda, non corpora, quia ipſa receptacula ſunt virtutum & divinarum infuſionum, ſimiliter & vitiorum. Et corda, non corpora in noſtris actionibus reſpicit, & affectum cordis, non corporis ſenſum penſat. Cordi loquitur omnis ſcientia ſcripturarum. Ex ipſo noſtra bona & mala exeunt, & omni cuſtodia ſervari jubetur. Prov. 4. Omni cuſtodia ſerva cor, quoniam ex ipſo vita procedit. Hinc Salvator maximè ſervari ſuadet à crapula. Opprimunt enim eſcæ voluptuoſè ſumptæ hominum corda, ut nec evigilent ad verum, nec caveant detrimentum. Et oprimum eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Et ab ebrietate removenda ſunt corda. Inebriat namque vinum nimietate potatum, & à veritate Oſee 4. avertit hominum corda. Quoniam fornicatio, vinum, & ebrietas auferunt cor. Cui non eſt ſolers cor, neque DEUS cum eo. In corde charitas, qua nobiſcum DEUS moratur, moramurqúe cum illo. Equidem autem & hujus vitæ curæ ſic humana corda gravant, ut niſi ſummotis ad verum futurum DEI judicium propinquum ſive remotum non poſſit eſſe aſpectus. Pondera ſunt deprimentia, ne ad Deum erigamur, & obvelamenta impedientia lumen. Non expedit aliquem præpeditum eſſe, cui conſulitur contemplari futura & ſeparari ad magni regis, ſeu imperatoris adventum, maximè ſi, cùm non ſperatur, adveniet. Proinde cavendum eſt à crapula & ebrietate & à cura, ne ſuperveniat repentina dies illa. Repentina quidem à ſubitatione inſperata tanquam laqueus ſuperveniens. Abſconſum quid enunciat laqueus & inexplicabilem involutionem, & illaqueationem cunctorum, cùm deſuper veniet ad capiendum ſedentes in Matt. 13. terra deorſum. De cœlo capientur ubi obviare non poterunt ſuper terræ faciem habitantes. Proinde vigilandum, ad quod hortatur: *Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Ubi certus rerum eventus ex tempore incertus, ad expectationem ſuſpendit continuò mentes. *Sicut enim homo, qui peregrè profectus reliquit domum ſuam, & dedit ſervis ſuis poteſtatem cujuscunque operis, & janitori præcepit, ut vigilaret.* Parabolicè loquitur Chriſtus de humanis & moralibus actionibus hominum, ut ex his benè agendi viam informet. Proficiſcitur aliquis Dominus derelinquens bona ſua in ſervorum cuſtodia cum authoritate agendorum ſemper tamen vigilias præcipiens ad ſuum ſibi determinatum adventum, ſervis ſuis ſeu janitori omnino incertum. Ex hujuſcemodi typo ſe Salvator ingeſſit, qui peregrè ab hac vita in aliam in aſſumpta came proficiſcens, hujus ſæculi viſibilis, ac etiam ſacramentalis eccleſiæ donum ſuis fidelibus dereliquit, tribuens omnibus arbitrii libertatem. Sicut enim in creatione angelis & hominibus data eſt voluntas libera, quod libuerit, id agendi, ſic in creatione non eſt ablata, ſed iterum conceſſa poteſtas, ut quod placuerit, exerceant in domo utraque Salvatoris noſtri DEI. Ad quam domum liberum & libitum ſibi reſervans adventum, ſibi cognitum, ſervis inſperatum, menti noſtræ velut cuſtodi pervigili & ſolicito janitori præcepit, ut vigilaret, ea condinone, ut advenienti Domino non ut imparatus, ſed ut paratus aperiat. Neceſſarius eſt & utilis ad tam magnum adventum Domini mentis oculus non ſopitus, etiam ſi neceſſitate urgente oculus corporalis obdormiat. Sed ſi nocte Dominus venerit, ne ſibi occurrendum ſit corpore præpedito aut hora pallente, hinc ſubinfertur: Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. Et vos ſimiles hominibus expectan- Luc. 12. tibus Dominum ſuum, quando revertatur à nuptiis. Expectant dominum boni ſervi præcincti ad obſequendum, geſtantes lucernas in manibus, ne obſequendo errent, ſi nocte Domini eſſet adventus. Ad cujus ſimilitudinem Salvator ſuos monet eſſe diſcipulos, ut præcincti ſint & lumina deferentes. Præcinctio quidem lumborum præter id, quod caſtitatem ſonat, & adjicit ad præparationem fortitudinis, docet ad validas & arduas actiones. Delatio lu- Joan. 3 cernarum, ut omnia in veritate fiant, & in luce, quoniam arguuntur opera, quæ in luce non fiunt. Et omnis qui mala agit, odit lu- Exod. 36. cem, & ad eam non venit, ne arguantur opera ejus. Igitur lucerna in manibus, opera bona ſunt accenſa igne ventans & charitatis. Septem lucernæ in candelabro erant,

erant, ut ex donis ſeptem opera noſtra lucerant. Et David paravit lucernam Chriſto ſuo. Parat quippe Chriſto lucernam, qui nihil in conſpectu ejus agit incautum, nihil tenebris ignorantiæ obvelatum. Sed lumen lucernæ non ad ſeipſum, ſed ad Dominum referebat, dicens: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine. Non enim ex nobis eſt lumen, ſed à DEO, igitur ab ipſo petendum eſt veræ ſapientiæ & ſcientiæ lumen. Sicque oratum legimus: Illumina oculos meos ne unquam obdormiam in morte. Et alibi: Mitte illam, ſcilicet ſapientiam de ſanctis cœlis tuis & à ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret, ut ſciam, quid acceptum ſit apud te. Scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobriè & cuſtodiet me in ſua potentia. Et affectibus & directionibus noſtris lucerna eſt DEI Verbum. David dicit: Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Proinde à divinis verbis illuminatur lucerna, cujus luce dirigimur. Sicque præcedentem expectemus Dominum, quia ceſſit ad nuptias regni cœlorum, quando Apoſtolis videntibus aſcendit in cœlum, indeque venturus judicaturus eſt mundum, in quo judicatus eſt, ut, cùm venerit, & pulſaverit, confeſtim aperiant ei. Veniet perſonaliter, & pulſabit corda mortalium, ſi ſint apta receptui, cui tunc aperietur, ſi in bonis operibus ante fuerit vigilatum. Sitque procul, ne Domino dicatur, expecta: ſed ex præacta vigilia janitor noſtræ mentis confeſtim aperiat. Ac per hoc beatitudo promittitur vigilantibus, cùm dicitur: *Beati ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Verè beati ſunt ſervi ſummi ac immortalis imperatoris, qui non retribuit temporaliter, ſed de æternis æternè, quos in ſuis miniſteriis, non in terrenis rebus invenerit occupatos, ſed vigilantes ad ejus adventum, parati ſemper ex corde ſuſcipere à Deo factas inſpirationes, & ab hominibus diſciplinas cœleſtes. Unde tamen, & de quo beatitudo. *Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* Verſa vice videtur Salvator rependere ſervis ſuis ex actu obſequendi, quamvis amplius ex æterno. Hortatus erat, dicens: Sint lumbi veſtri præcincti. Nunc ad præcinctos ſe præcinctum ad obſequendum oſtendit: cùm dicit quod præcinget ſe. Acſi ſenſus capiatur: Paratis paratus ero, non præpediris expeditus ero. Sicut præcincti & habiles fuerunt in actione bonorum: ſic illis ero in remunerationis præmiorum. Præcinxit ſe Salvator in abluendo pedes, ſe aptans ad obſequia more ſervulorum ex illa, quam acceperat forma ſervili. Et ut dominorum lavit & abſterſit apoſtolicos pedes, & hoc in mundatione à maculis ſordium, & in præſagium futurorum, quoniam & iterum ſe præcincturum aſſeruit, ut diſcumbere faciat ſuper æterni regni menſam in fruitione divinorum. Et ipſe tranſiens miniſtrabit illis, non eo tranſitu quo ſæpe tranſivit exiſtens mortalis in terris, nec illo tranſitu mortis, & aſcenſionis, quo tranſivit de hoc mundo ad patrem, quo non rediit in priora, ſed tranſitu, quo tranſit hoſpes ſive miniſter ſerviens menſis, & intendens diſcumbentibus, quid removendum, aut apponendum ſit pro voto edentium, aut quid velint, & petant ſinguli diſcumbentes. Iſta imagine Dominus per ſervorum vigiliam expectatur. Præcinctis lumbis in hac vita præcinctus in patria obſequetur, ut ipſe duntaxat ſit beatitudo civium ſupernorum ſedentium ad æternam menſam. Et tranſiet non paſſibus aut mutatione locorum, ſed ſingulis gradibus, & ſtatibus beatorum ſic ſe dabit, & oſtendet, ſicut meruerunt. Et unus idem exiſtens per omnes cœlicos cives varia claritate fulgebit, ſicut ſtella per claritatem ab alia differt. *Etſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi.* Stationes noctis nominat ad vigiliam ordinatos, ut nulla hora per otium & ſomnolentiam tranſigatur. Et iterum per parabolam dicta confirmat. *Hoc autem ſcitote, quoniam ſi ſciret Paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret utique non ſineret perfodi domum ſuam. Et vos eſtote parati, quia neſcitis, qua hora Filius Hominis venturus eſt, ſerò, an media nocte, an gallicantu, an mane, ne, dum venerit repentè, inveniat vos dormientes.* Vide ſimilitudinem. Venturus eſt fur, ignorat paterfamilias adventum & tempus. Si ſciret adventum, vigilaret in tempore. Si ſciret tempus, vigilaret in adventu. Si ſciret utrumque, non ad furem, ſed ad hoſtem manifeſtum oporteret occurrere. Neutrum ſciens ſæpe rerum ablatarum patitur damna furis, attamen ad ſcientiam vigiliam adderet utique ne domus perfoderetur à fure. Sed nos ignorantes horam ex fide tam comminationis multiplici veniendi ab eo, qui mentiri neſcii, ſcimus adventum. Quamobrem neceſſitas urget eſſe paratos animo ſincero, emendatione morum, qualificatione virtutum, certum tenentes adventum omni extempore ignoratum, ſcilicet in qua ſorte quatuor ſtationalium vigilarium ſit ipſe venturus, ne nos inveniat in mundi delectatione dormientes, & à bonis operibus feriantes.

Pſal. 131. Pſal. 12. Pſal. 12. Sap. 9. Pſal. 118.

antes. Quandoquidem parabolicè loquitur non eſt de tempore quatuor vigiliarum acutè differendum, niſi prout ipſa ſimilitudo deducitur, quod nullum temporis momentum prætereat, quin ſimus mente ſuſpenſi, corde pavidi, purgationem nefandorum, additionem bonorum agentes, & hanc vitam exoſam, quia caduca eſt, habentes, amatores futuræ jam facti, ſimul cum pavore Domini diligamus adventum futurum, qua non putaverimus hora. Petrus quidem auditis parabolis, quæſivit usque ad quos aut ad quot ipſa diffunderetur, & ait ad Salvatorem: *Domine an ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes?* Salvator reſpondit. *Quod uni dico, omnibus dico. Vigilate: Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam?* Quæſivit Petrus non ad ſuam ſolùm, ſed ad utilitatem & eruditionem etiam cæterorum præſentium & futurorum. Nihil Chriſtus dixit in proprium ſed commune pro omnibus, quoniam non pro uno, ſed pro omnibus ſalvaturus advenerat. Non ſolùm illos diſcipulos, quos elegerat, & Apoſtolos, quos prærogativa ſpeciali nominaverat, cautos reddebat ab ira futura, & vigiles ad adventum, acſi tantùm ipſos ſalvare niteretur, cæteris omnibus abdicatis, ſed omnes, qui ad imaginem DEI facti ſunt, ſuæ fidei lumine inſignitos vigiles ad adventum, paratos ad regnum, ſalvos eſſe ab ira præmonuit. Sicque Petro reſponſum eſt: Quod uni dico, omnibus dico. Vigilate: Ut unusquisque per ſeipſum & pro ſeipſo inveniatur prudens & fidelis. Et hoc eſt quod Salvator adjecit: Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens? Per parabolam humanorum motum loquitur. Servus fidelis in diſpenſatione commiſſorum & prudens in regimine familiæ ſuper quam conſtitutus eſt, dignus eſt præmio, ut det illi Dominus in tempore ſuæ reviſionis tritici menſuram ſive cibum. Pauci quidem ſunt. *Sed beatus ille ſervus, quem, cùm venerit Dominus ejus, invenerit ita facientem: Verè dico vobis, quia ſuper omnia bona ſua,* quæ poſſidet, *conſtituet illum.* Sicque deducta parabola fideles ſuos tales vult eſſe Salvator. Servus fidelis eſt Chriſti, qui bona ſibi tradita non diſſipat, ſed aptè pro tempore atque loco diſpenſat. Multa quidem per naturam & gratiam à DEO donata ſunt nobis, & ad diſpenſandum, non ad diſſipandum commiſſa. Sed heu! multi audaci conatu diſſipant non diſpenſant. Prudens verò intendit prævidere ſubjectæ familiæ propter Chriſtum, ſi præintendere per authoritatem habet. Sic verò, ſi aliter ſe ſuperiorem agnoſcit, ut utilem ſe poſſit præſtare indigentiæ proximorum, acſi ſe conſtitutum agnoſceret ſuper familiam Domini ſui. Beatus quidem hic in ultima retributione fiet, quia ſuper omnia bona ſua conſtituet eum Dominus, quia ſic & ea ſecuritate bona æterna, ſi qua ſunt, participando poſſidebit, acſi ſuperponeretur, non ſubjiceretur eisdem. Et præſagio hujuscemodi retributionis Joſeph fidelis & prudens inventus in diſpenſatione frumenti ad indigentes, Ægypti porro Dominus conſtitutus eſt. Velut agens rectè poſſidebit beatè. Quoniam de fructu oris ſui unusquisque replebitur bonis, & juxta opera manuum ſuarum retribuetur ei. Et alia ſcriptura dicit: Et retribuet mihi Dominus ſecundùm juſtitiam meam, & ſecundùm puritatem manuum mearum retribuet mihi. Quæ retributio? Menſura tritici in tempore ſive cibus. Menſura porrò juxta illam ſententiam qua dictum eſt: Eadem menſura, qua menſi fueritis, remetietur vobis. Triticum Chriſtus ſecundùm menſuram virtutum & actionum bonorum participatio dabitur in tempore, quo Decretum egredietur immutabile de ore judicis cuncta juſtiſſimè decernentis. Cibus ad idem refertur, quia Chriſtus dixit: Caro mea verè eſt cibus, quo æternè fidelis cibandus eſt ſervus. Perficit parabolam ex mala cogitatione atque actione ſervorum, ut perficiat, quam cœpit dare de ſolicitudine vigilandi doctrinam. *Quod ſi dixerit ſervus in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere pueros & ancillas, & edere & bibere & inebriari: veniet Dominus ſervi illius in die, qua non ſperat, & hora, qua neſcit, & dividet eum, partemque illius cum infidelibus ponet, illic erit fletus & ſtridor dentium.* Servus eo malus, quod moram Domini meditatur, cùm moram & properationem æque ſciat vel neſciat. Meditatur autem moram ratus perperam agere in duas ſe partiens iniquiſſimas actiones, aut proximum lædere, aut turpiter aut impudicè delectationes in ſemetipſo ſuſcipere. Omnis animæ deordinatio & actio culpabilis digna pœnis ad ſeipſam eſt præter Dei legem, mundi & illecebris carnis oblectando perquirere, aut proximis in perſonis & rebus infere jacturam. Hæc agit iniquus homo, qui futurum Chriſti non contemplatur adventum, magisque moram, amplius autem, ut nunquam veniret, exoptat, ne aliquando ex ſuis criminibus vindicaretur in eum. Sed omnino veniet Dominus. Nam, ut ait Apoſtolus, eſt autem judicium Dei ſecundum veritatem, quia ſicut promiſit

Matth. 7.

Marc. 4.

Joan. 6.

miſit, veniet non mentitus, nec judicando falletur, ut inſcius. Et veniet in tempore nun ſeparatus, cujus horæ omnis eſt neſcius. Facietque in pondere rationis judicium, dividens malum ſervum à bonis, ea ultione juſtinæ, qua ſe ipſe diviſit à moribus optimis. Sociandus quidem erit infidelibus ſervis, quibus ſe ſociavit in operibus malis, ut ab his ſeparetnr in beatitudine, à quibus vivens ſeparatus extitit, non inhærente virtute, magis autem vitio dividente, & his aſciſcatur in pœna, quibus ſimilis fuit in culpa. Sed ubi tradentur in infidelitate ſontes? Ubi fletus erit & ſtridor dentium: fletus, quia diviſi à bonis: ſtridor dentium, quia ſociati malis *Ille autem ſervus qui cognovit voluntatem Domini ſui & non ſeparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, plagis vapulavit multis. Qui autem non cognovit, & fecit digna, plagis vapulabit paucis.* Poſt malas actiones & poſt peccata trajicit Salvator ſervorum parabolam in eos, qui negligunt agenda perficere. Culparum atque pœnarum facit auxeſim non perficere cognitam Domini ſui voluntatem. Ad hoc enim eſt obſequioſa ſervitus ordinata, ut ſervus Domini ſui perficiat cognitam voluntatem. Quod ſi non fecerit, juxta delicta plagarum pondus erit. Neſciens verò & ſi voluntatem non perficit quam neſcivit, aut ignoranter adverſum aliquid egerit, ſuſtinebit quidem pœnam cum mitigatione plagarum. Utrobique divina ſervatur juſtitia, in exhibitione pœnarum, ſecundum exigentiam delictorum. Nam & potentes potenter tormenta cruciabunt, ut pœna eum acerbius afficiat qui ſceleratius comprehenditur deliquiſſe: illum verò confodiat pœna mitior qui non tam deliquit adverſaria voluntate. Nam in cœlo differentia eſt ſtellarum, & in gloria beatorum ſicut merita propria exegerunt. Sic & in inferno inæquatur pœna, ſicut inæqualitas in culpa fuerit judicata. *Quoniam omni, cui multùm datum eſt, multùm quæretur ab eo.* Unusquisque conſideret, quid, quantum, qualeque ad quid, & à quo accepit. Secundùm hæc enim conſiderata, vel non conſpecta, unusquisque ab omnium datore tempore judicii examen accipiet. Et qui potior fuit in datis acceprisque donis ab eo juſtè operis plus quæretur, & minus ab eo, qui nec inventus eſt plus præhabere. *Et cui commendaverunt multum, plus quærent ab eo.* Fit obligatio in datis, & acceptis potior atque minor ſecundùm quantitatem donorum, ut, qui minus accepit, in exigenda ratione levius ab exactoribus exigatur, qui verò plus, amplius apponet ad corbonam. Providos omnes in hoc voluit eſſe Apoſtolus: Nos non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum qui à Deo eſt, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis. Qui Dei dona cognovit, prænovit futuram exactionem, & ad reddendam rationem ſe vigilem fecit, lance mentis prætrutinans, quantum ab eo à juſto exactore fuerit exigendum, ut antequam exigatur, præparet, quid reddendum ei, qui neminem per calumniam involvit, à nullo plus debito exigit, ab aliquo nec petit plusquam dedit, ultra facultatem reddere non compellit. Et in hoc quidem cunctorum culpa damnabilior extat, non in eo, quod per fragilitatem dereliquit, quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum, ſed in eo, quod quis juxta datum & acceptum datori penitus non rependit, qui ſua utilitate nil exigit, ſemper eodem modo exiſtens ſummum bonum, non alio bono bonum niſi à ſeipſo, & per ipſum, in nulla dependentia factus, noſtris duntaxat utilitatibus providet, dum exigit à nobis, ſed non rependentibus væ! utique nobis.

1. Cor. 2.

Cap. XXXI.

De parabola adverſarii in via ad divinum verbum ad habendam concordiam, ſecundùm Matthæum & Lucam.

VIdens DEUS humanam naturam à ſummis bonis averſam, & ad ima bona converſam, in quibus deluſa, delectata plus debito felicem ſe credebat, ſi harum infirmarum rerum copiam habuiſſet, & quoniam ſemper erat in via, tendens in alias regiones, aut terram, aut lucidam, ad quas per portam mortis eſt ordinatus ingreſſus, cùm ab iſto mundo neceſſariò celebratur egreſſus, ubi verax & infallibilis conſtitutus eſt judex, ante quem omnes cogentur de omnibus prout geſſerunt, reddere rationem, qui decipi nequit, à quo tergiverſari non poteſt, qui nemini tunc parcit, neminem, niſi juſtè damnat, nullum niſi ex miſericordia ſalvat, proinde ad declinandam illarum culpabilem delectationem, adverſarium conſtituit adverſantem animalitatibus hominum, diſſuadentem quæ ſenſus appetit, ſuadentem omnino quæ refugit, ut quia non poteſt devitari judicium, ſaltem ſupplicium devitetur. Inquit enim: *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mitta-*

Matth. 5.

Luce 12. *cerem mittatis. Amen dico tibi, non exies inde, donec reddas noviſſimum quadrantem.*

2. Cor. 1. Benedictus Deus & Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, pater miſericordiarum, etiam pater & creator omnium, qui non appetit delinquentium Fdiorum pœnam, nolens in hominibus invenire multabile, præmiabile potius in illis inquirens, lites & controverſias ſedari vult antequam ad judicium veniatur, ubi duntaxat per juſtitiam erit examen, ubi miſericordia depulſa tacebit.

1. Petr. 5. Unde dicit: Eſto conſentiens adverſario tuo. Quis hic adverſarius, cui conſentire jubemur in via? Eſt ne adverſarius noſter diabolus, qui tanquam leo rugiens circuit quærens quem devoret? Cum iſto nullus conſenſus. Quoniam ſi Chriſti ſumus, nulla convenrio Chriſti ad Belial. An homo adverſarius quærens adverſùs hominem aliquid habens, cui ante oblationem noſtram reconciliari oporteat? Hunc ſenſum littera importare videtur, ſi eam ad præcedenna coaptamus. Sed ſatis diſſertum videtur in reconciliarione futura priuſquam munus offeratur. Qui ſi reconciliatus eſt, adverſarius penitus non eſt. Si verò reconciliatus non eſt ex animo pertinaci, non reflexus ad reconciliatorem ex gratia, tamen reconciliator adverſus quem erat actio factus eſt liber, ſi omne, quod in ſe tenebatur, effecit. Nihil huic amplius cum adverſario contumace vel protervo. Si verò ad majorem expreſſionem pacis atque concordiæ poſt juſſum reconciliationis etiam conſenſionis factum eſt Verbum, liquido ſententia daret, cùm una amplius alteram manifeſtet. Sed præter hoc omnino mihi parabolicos ſenſus ad differendum occurrit, cum adverſarius homo alium hominem non poſſit tradere judici divino, quamvis poſſit adverſantibus cauſis ſiſtere coram terreno. Ac per hoc ex iſta ſimilitudine, qua ſubeunte cauſa trahit adverſarius reum, niſi paciſcantur in via, citò ad judicem terrenum, ſic Verbum veritatis, niſi omnino ſibi conſenſerimus, trahit ad divinum. Adverſarius quidem eſt Verbum veritatis omnibus hominibus, quia omnis homo mendax. Nullæ inimicitiæ, adverſariæ nullæ majores, quam inter verum & falſum, quàm inter veridicum hominem & mendacem. Omnis homo mendax, omne Verbum Chriſti verax. Verbum veritatis mendaci homini adverſatur. Inde omnis homo mendax, quia ei credidit, qui in veritate non ſtetit, qui mendax eſt & pater ejus. Inde mendax ſicut ſcriptum eſt. Filii hominum uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? A mendacio mendax dictus eſt homo. In de homo mendax, cùm ſe non tenuit ad veritatem, cùm ſibi factus rebellis declinavit in aliam partem. Etiam inde mendax, cùm falſitati adhæſit. Inter veritatem & falſitatem porro nulla ſunt media, in alteram iſtarum homo cogitur cedere. Igitur mendacium eſt, cùm dicitur, quod non eſt, & quod non eſt, dicitur omnino quod eſt, aut cum aliquid dicitur non ſicut eſt, aut cùm creditur, quòd nunquam fuit, nec eſt, nec erit, ſeu cùm aliquid apparet, & non exiſtit. Et his homo conſtitutus eſt mendax, In his homo ſæpe devolvitur, in his pro ſuis voluntatibus obverſatur. Cui è regione ſermo veritatis contradicendo conſurgit, expetens ſibi non mendacio præſtari conſenſum, quia dicit, quod eſt, & quemadmodum eſt, credendum offert, quod fuit, eſt & omnino erit, & nihil propter exiſtentiam habet apparens. Diſſertione multa in talibus opus eſſet. Veruntamen ſit omnis homo viator, exiſtens adverſario ſuo conſentiens. In eo ſiquidem ſermo veritatis hominibus adverſarius eſt, quia eos ab his, quæ diligunt, & inquirunt, avertit: Diligunt vanitatem, & quærunt mendacium. Omnia perfunctoria vana ſunt. Hinc Salomon dicit: Vanitas vanitatum dixit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum & omnia vanitas. Hinc apertè comprehenſum eſt, quod etiam eſt ex vanitate mendacium. Verè in rebus tranſitoriis vanitas eſt, & mendacium cui veritas adverſatur. Recommemorat Salomon ad veritatem converſos, quòd in omnibus operibus hominum reperiat vanitatem. Dixi ergo in corde meo: Vadam, & affluam deliciis, & fruar bonis, & vidi, quod hoc quoque eſſet vanitas. Ecce in cogitationibus vanitas, ecce ſimiliter & mendacium, ſi deliberatio cordis ad perfunctoria ſe convertit. Cùm verò ab hominibus facta conſpiciuntur, vanitas & mendacium omnino non deſunt. Semper vanitas mendacium ſecum defert. Inquit autem: Cùm me convertiſſem ad univerſa opera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores in quibus fruſtra ſudaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole. Ad mendacium omnino pertinet quod permanere dicitur, & non permanet, & quod inquiritur ſub ratione optimi, tamen invenitur in termino imperfecti ſubſiſtere. Quoniam apertè contra reprobos per Iſaiam dicitur, qui poſuerant mendacium ſpem ſuam. Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans, cum tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & men-

Pſalm. 115. Joan. 8. Pſalm. 4. Eccle. 1. Eccle. 2. Iſaiæ 28.

dacio protecti ſumus. Illi ſiquidem mendacium ſpem ponunt, qui in aliquo temporali confidunt, & mortem, ubi omni viventi domus eſt conſtituta, conantur effugere. Illi mendacio proteguntur, qui temporali potentia fulti omnino permanere ſic credunt. Sedfit, ut veniant in illam cognitionem, qua omnia temporalia prout exiſtunt, appareant : Et inde confundantur, unde confidebant. Ac per hoc ſolerer inſpiciendum eſt, quomodo ſermo veritatis nobis in rebus hujuſcemodi adverſatur. Et ut breviter omnem ſermonem adverſarium clauſulis duabus concludam, dixerim : Omnis ſermo placitas ſenſuum impetuoſitates, & irrationabiles motus animorum, & objecta Sæculi, ſuaſiones diaboli quoquo modo prohibens, adverſarius eſt animæ malè concupiſcenti, & animalitati turpiter delectanti, necnon & ſermo ſuadens, quod tener refugit ſenſus, aut quod arduum in virtutibus habet aſpectum, ſimiliter adverſatur. Porro hominibus adverſarius factus eſt ſermo veritatis, velut bifrons, bifaux, biceps, bilinguis, ut gladius biceps, aut cùm prohibet quod apperimus, aut cùm jubet & conſulit, quod ſenſualiter devitamus. Seorſum autem ab iſto bifario modo, eſt quidam ſermo veritatis adverſarius, qui non moleſtat appetitum, neque ſenſum, neque cum natura hominum ad deſtruendum confligit, ſed ipſam ſupergreditur & intellectum, & rationem, & uſum, & ordinem ejus. Hinc quidam eſt ſermo, qui credere jubet ea, quæ ſuper naturam, & præter naturam, non tamen contra naturam facta ſunt, fiunt, fientque quouſque ad pacata vel turbulenta regna ſine fine veniatur. Adverſari quidem dicitur, quod non eſt ſecundùm ſe, magis autem præter ſe. Nam, quod intellectus non capit, ratio ignorat, uſus caret, nec ordo naturæ luis regulis alligavit, eis videtur adverſum. In lege naturæ eſt aliquid prohibens, & aliquid jubens, & in omni lege Moſaica. In Pſalmis & Prophetiis id idem eſt reperire. Doctrina Evangelica prohibet delectantia ſenſum, jubet & conſulit, quæ adverſa videntur. Magnus autem Evangelii gloſſator & totius ſacræ ſcripturæ Doctor ſermonem adverſarium prohibendo depromit. Carnis curam ne feceritis in deſideriis. Et multa hujuſcemodi, & jubentia plurima, quæ vitæ auſteritatem habent. Quæ omnia hoc teſtificantia per ſingula inducere in majori parte ſcriptura evacuaretur, ut etiam plurima volumina cuderentur. Indaganvi ſolertes inveniet pro ſeipſis, ad denùntiandum his, qui has virtutes inquirunt. Sermones verò adverſarii fidem vivificam ſuadentes eorum, quorum nulla eſt aperta per naturam traditio, utique plurimi ſunt. Ex his omnibus ortus eſt adverſarius ſermo divinus, cui jubetur conſentire viator. Viator eſt omnis, qui per mortem corporis non eſt depulſus à vita. Via Sæculum præſens eſt, quod principium habet & finem. Via eſt hominum vita, in qua dum homo eſt, citò adverſario ſuo conſentiat, concordiam juſtam faciens, ſi homo eſt, omnino ſecundùm ipſum ſe regulans, ſi ſermo divinus eſt. Ne fortè adverſarius tradat te judici Chriſto, videlicet cui pater omne judicium dedit, & poteſtatem dedit et judicium facere, quia Filius hominis eſt. Et ipſe conſtitutus eſt judex vivorum & mortuorum. *Ex* conjunctione tantum eſt iſta traditio, cùm homo reus à ſermone veritatis convincitur, cum quo neque cavendo prohibita, neque agendo mandata, neque credendo credenda voluit habere conſenſum. Judex verò convictum tradet miniſtro, ſcilicet tormentorum, qui detruder in carcerem, ut nulla ſit copia evadendi. Nec inde fiet egreſſus, donec reddatur noviſſimus quadrans. Quadrans genus eſt monetæ, a quaria parte uncialis ponderis trahens originem. Quem niſi reus carceri mancipatus reddiderit, de carcere non exibit. Et cùm reddere nunquam poſſit, fiet æternitas tormentorum. Non enim carere poterit carcere. Ibi nihil inveniet, unde poſſit quidpiam promereri. Aliorum merita non ſubvenient. Nemo aliorum merito liberabitur ab illa gente tartarea, neque aliorum ſuffragio vitam conſequetur æternam. Lucas autem hanc eandem parabolam, ſi parabola dici debeat, in aliquibus ſuo loquendi genere variavit dicens : *Cum autem vadis cum adverſario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo.* Omnes imus ad principem omnium Chriſtum, qui princeps eſt regum terræ, qui princeps eſt pacis, ſuper cujus humerum principatus exiſtit. Sed adverſarius noſter penitus eſt nobiſcum. Ita faciendum eſt, ut ab ipſo liberemur in via. Sed qui poteſt eſſe libertas à Verbo divino, niſi aſſentire illi dum vivimus, ne in morte truci exactori tradamur, qui detrudet in carcerem, ubi exactor ſemper exiget, ubi exactus nunquam reddet. Et exire inde non poteris *quouſque noviſſimum minutum reddiderit exactori.* Hæc enim reſtituno impoſſibilis erit, ut in pœnis detentio tota & æterna ſubſiſtat, ut noviſſimus quadrans & noviſſimum minutum ultimitatem pœnarum inſinuent, à quibus nulla poſſit eſſe libertas in illis, qui ab adverſario in via liberari operam non dederunt. Ad contumaces Verbi Dei & cognitæ veritatis factum eſt Verbum iſtud de dura-

Rom. 13.

Joan. 5. Act. 10.

Luc. 12. Apoc. 19. Iſaiæ 9.

durarione pœnarum, ſecundùm divinum judicium, quod eſt ſecundùm omnimodam veritatem. Proinde ad concordiam abſque dilatione cum tam utili adverſario veniamus, dum ſumus in via, quoniam poſt hanc vitam ſpatium pœnitentiæ non conceditur, locus emendæ non invenitur, retributionis duntaxat protinus tempus erit, & lucus gaudii vel mœroris. Sunt quamplures aliæ ſimilitudines, atquæ parabolæ in Evangelio, quæ ita ſunt connexæ cum ſententiis præcedentibus atque ſequentibus, & ſicut virtus Verborum præcedentium in ipſas conjunctim infunditur, ſic ipſarum ſententia in Verba ſubſequentia derivatur, ut non potuiſſent ſingulatim decenti aſſertione tractari, ſed conjunctim cum cæteris ſententiis, quæ præcedunt ſive ſequuntur, ſunt diſſertæ.

Cap. XXXII.

De parabola infructuoſæ arboris contra eos, qui juxta datam virtutem deſinunt operari, ſecundùm Lucam.

OMnis creatura quandam exprimit trinitatem ad inſinuationem trinitatis creatricis, & increatæ, ſcilicet quia eſt, quia ſic eſt, quia ad aliquid eſt. Hic pater & Filius & Spiritus Sanctus. Hic fides, ſpes & charitas. Sed in eo, quod ad aliquid eſt, exquiritur actio ſecundùm inſitam à Deo virtutem, ut à Cœlo diſponens hæc inferiora motus, non tamen voluntarios hominem motes. A ſtellis lumen, & ea, qui ſunt earum. Ab elementis data proprietas. A carentibus vegetatione aptitudo quædam. Ab arboribus & plantis fructus ſecundùm inhærentem à natura virtutem. Ab animalibus id, ad quod facta ſunt. Ab Angelis adminiſtratio ſine labore divinæ juſſionis & placiti. Ab homine fructus originalis juſtitiæ, atque legis ſcriptæ in corde, ſimiliter & Moſaicæ tempore ſuo, necnon & Evangelicæ in his qui crediderunt. Et cæteris creaturis reddentibus ſuæ proprietatis officia, poſt reprobos Spiritus fructum reddere ſolùm neglexit humana natura, ut in triplici juſtitia omnino deliquerit non reddens debitum fructum. Et quamvis in paucis reddiderit, in pluribus invenitur obnoxia. Sed infallibilis eſt ordo divinæ juſtitiæ, cui aut cum exigit redditur, aut multat ſæviter contumacem. Hinc ad animandum & terrendum homines parabolam poſuit, dicens: *Arborem ficî habebat quidam plantatam in vinea ſua. Et venit quærens fructum in illa, & non invenit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce tres anni ſunt ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non invenio. Succide ergo illam. Ut quid etiam terram occupat? At ille reſpondens, dixit illi: Domine dimitte illam & hoc anno uſque dum fodio circa illam & mittam ſtercora. Et ſiquidem fecerit fructum, ſin autem, in futurum ſuccides eam.* Ad Synagogam objicitur parabolicum Verbum, hujuſcemodi enim erat. Sed ſententia incluſa etiam plura includit, contumaciam videlicet totius humanæ naturæ, necnon & eccleſiæ in his qui vota divina non reddunt, necnon & ſingulariter diverberat ſingulares. Prætermittamus multa ſenſum Verborum omnimode perſtringentes. Creator omnium Deus eſt ille quidam qui habet arborem ſici plantatam inter vites. Nam vinea in hoc mundo plantata, univerſalis eſt juſtitia, in qua vites ſunt plurimæ fructum juſtitiæ porrigentes, de quibus in hac parabola nulla eſt querela. Inter quas etiam erat arbor ſici plantata. Mos enim agriculturæ hoc habet, ut arbor ſici plantetur aliquando inter vites, quæ inter omnes arbores fructum videtur producere dulciorem. Hæc ſupergreditur vites altitudine ex induſtria cultoris, quæ vites in vinea prout natura infunderet, non permittit aſcendere, quæ omnem laborem ſupergrederentur, ſi cui inniterentur, haberent. Arbor iſta illos inſinuat, qui ſtatum altiorem in eccleſia gerunt, qui fructum, ad quod ordinati ſunt, non referunt quorum omnino eſt damnanda ſterilitas, & eo amplius quo fructificare uberius poſſent. Et Dominus per Jeremiam prophetam conqueritur, quod peiores invenerit optimates populi, quam vulgares, & illos, qui videbantur legem ſcire, quàm eos, qui videbantur ignorare. Si verò genus omne humanum ſub arbore iſta colligimus, facilior eſt diſſertio. In quo ex tribus annis creator ipſius veniens fructum debitum non invenit, in anno primitivæ juſtitiæ, in ſecundo legis ſcriptæ, in tertio, quo gratia divinæ incarnationis effulſit. Fructus quæſitus non ad quærentem pertinet, ſed ad proferentem. Bonorum noſtrorum etenim non indiget. Et quidem fructus quem Deus quærit ab homine, id bonum opus, quod ex virtute naturæ, donoque gratiæ ſub decreto legis, aut occultæ oſtenſionis ipſe poteſt efficere, quo non reddito, velut res impertinens humana penitus

Luc. 13.

Jerem. 5.

Pſalm. 52.

Eccles. 5. nitus arbor eradicanda est. Hinc per Salomonem dicitur : Quodcunque manus tua potest facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. Potest omnis adulius conditam naturam sequi, & secundùm illam agere. Potest refrænare corruptam ejusque opera declinare, non virtute propria, sed divina. Potest datæ gratiæ cooperari, aliter autem sine causa daretur. Potest vivere sub decreto legis, aliàs homo delinquens excusaretur. Si verò mente incapax, adhuc impotens corpore ab hac vita discesserit, si aliorum fides illum obtulit sacramentis, in illa salvabitur. Si verò fides aliena sibi non subvenit aut propria, excluderetur à bonis illis, includendus in malis ubi originalis culpa promeruit, aut propria iniquitas acquisivit. Propterea omnibus dicitur : Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare. Periculosa est in omnibus operibus mora. Præterit enim semper irrevocabile tempus, & ad inferos sine operibus justitiæ properamus, ubi ratio, scientia & sapientia remedium afferre non possunt. Necnon & per prophetam fructus, quem Dominus ab humana arbore quærit, edicitur. Indicabo tibi o homo, quid sit bonum, & quid Mich. 6. Dominus requirat à te. Utique facere judicium, & diligere misericordiam, & 1. Cor. 11. solicitum ambulare coram Deo tuo. In se & ad se intorsisse judicium est evasisse divinum, quo steriles arbores succiduntur. Inquit enim Apostolus : Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. Optimus fructus est justitiæ, se judicasse de malis, & se à criminibus avertisse, atque in se punire pœnaliter, quod deliquit suaviter, fructum protendit in altum. Misericordia derivatur in proximos, quam, qui perfecit, est etiam ipse misericordiam consecurus. Sic Salvator ait : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam Matth. 5. consequentur. Et alibi contraria & severa Jacob. 2. est expressa sententia : Judicium sine misericordia fiet ei, qui non facit misericordiam. Eccl. 9. Exquiritur fructus misericordiæ ab eo, qui vult omnibus misereri, qui velut fœnus excrescit. Nam qui facit misericordiam, fœneratur proximo suo. Solicitè ambulare coram Domino in id refertur, quo imprætermissa cautela turpia, & iniqua declinantur, ne Dei offendatur aspectus, & cùm omni prudentia propulsa pigritia placita Dei fiunt, & itur de virtute Col. 1. in virtutem, & fructificatur in operibus Ephes. 5. bonis, sicut dicit Apostolus : In omni opere bono fructificantes. Hanc siquidem solicitudinem ambulandi coram Domino, quæ habet annexam cautelam atque prudentiam, ad Ephesios Paulus expressit. Videte itaque quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. 1. Thes. 4. Ed ad Thessalonicenses etiam ait : Rogamus vos, & obsecramus in Domino JEsu, ut quemadmodum accepistis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, sic & ambuletis, ut abundetis magis. Sic enim solicite ambulandum est coram Domino, ut in virtutibus semper amplior sit profectus, & abundantia latior, & fructus uberior. Necnon & ad Galat. 5. Galatas similiter ista commemorat : Spiritu ambulate, & desideria carnis non perfi- Galat. 6. citis. Et alibi : Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus. Hæc porro est solicitudo ad ambulandum placitè coram Domino, quæ inter fructus, quos Dominus exquirit à rationali arbore, numeratur. Sa- Proverb. 6. tagunt igitur arbores rationales fructum expetitum à Domino reddere, qui eas in hac vita plantavit, quoniam de fructu oris sui unusquisque replebitur bonis, & juxta opera manuum suarum retribuetur ei. Et sub metaphora mulieris fortis ad totam ecclesiam, & ad omnem animam dicitur: Date ei fructum manuum suarum, & lau- Ibidem dent eam in portis opera ejus. Ecce, quòd alia non datur retributio, aliorum bona in meritum gloriæ nemini accedunt, sed unicuique datur de fructu manuum suarum. Et qui non laudatur ex propriis, ex alienis fordescit. Quod beatus est, qui fructum quæsitum à Domino exhibet, Psalmista declarat : Beatus vir, qui non Psalm. 1. abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. Sed in lege Domini voluntas ejus. & in lege ejus meditabitur die ac nocte. Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. Tria devitanda, duo facienda denuntiat, ut ex arbore humana fructus obveniat. Prava non inferre consilia, nec perversis consultoribus sociari, nec feciſse juxta perversa, in via malorum non stetisse, dispositio est ad bonum, etiam post delictum. Et cùm semper sit ad malum prona mortalis infirmitas, cùm cecinerit, statim adjiciat, ut resurgat. Et citò redeundum est à peccatis. Non dogmata dedisse secundùm prava quæ sentit, temperantiam sanctam habet, quoniam sæpe plures inficit dogma perversum, quàm actio nequam. Voluntas hominis in lege DEI est, perfecisse voluntatem DEI, & illam meditari

ditari die, erudit in proſperis; meditari nocte, ſolidat animam in adverſis. Jugis debet eſſe meditatio legis DEI, cùm die ac nocte in illam defixiſſe aſpectum beatitudinem habeat. Meditatio legis Dei aſſidua invenit certiſſimè, quid vitandum, quid agendum hominibus propoſitum eſt, & quoniam omnium eſt honeſtiſſima, ſua pulchritudine ad ſe homines traxit. Invenit etiam in lege Dei occulta meditatio ejus, quid per juſtitiam debetur reprobis, quid per miſericordiam promittatur electis. Necnon & animus ſedulò illa meditans, reperit infirmitatem ejus, qua in prohibita decidit, & ad ejus juſtitiam non reſurgit, quam implere fatagens propter pulchritudinem ejus, & propter præmium ipſius gratiam poſtulat, qua poſſit devenire in fructum, & ex hoc eſt tanquam arbor plantata ſecus aquas, dans fructum in exigentia temporis. Sic homo iſte factus eſt ſentiens juxta ſe Dei gratiam decurrentem, cujus virtute fructum quæſitum domino quærenti miniſtrat. Sed ſi arbor evaneſcit in fructibus, cujus natura exiſtit fructus educere, ſruſtra permittitur ſupra terram in occupatione ipſius, maximè, ſi eſt in vinea, cùm vitibus ſubjacentibus noceat, nec calore ſolis uvæ perficiantur. Illam abſcindere agriculturæ ratio exigit, ſi ſterilis exiſtens, & aliis cauſa ſterilitatis aut incommoditatis exiſtit. Sæpe factum reperimus, ut unus homo in bonis operibus ſterilis, in alios aut impedimenti aut exempli mali damna transfundat. Ait Dominus: *Succidite eam. Ut quid etiam terram occupat.* Ex rigore juſtitiæ ſententia ſucciſionis egreditur, pro eo, quod ad aliquid omnia facta ſunt. Sed ſi ab arbore ſici terra ſteriliter occupatur, ſucciſioni obnoxia ſubjaceat. Cùm nihil in terra Deus fecerit ſine cauſa, fruſtra vivit, qui ſibi ordinem poſitum prætermittit. Quid arbor in agro, vel horto, ſi id, quod eſt ſuæ naturæ, non reddit? Nulla cauſatio adverſus ſylveſtres arbores, ſi dulcem fructum non exhibent, non enim eis natura ſuadet. Adverſus ſici arborem eſt querela, competebat enim ei hujuscemodi fructum reddere. Non enim exigit Deus à rebus à ſe creatis, quod in earum natura non poſuit, ſed in credita ejus eſt exactio, aliàs injuſtus haberetur exactor. Humana igitur videat arbor, quid ſibi creditum eſt ex natura, quid ex gratia, & quantum ſua valetudo protenditur, & in his duntaxat ſe agnoſcat obnoxiam exactori. Reddat, quod ab ea exigitur, ad impoſſibilia non cogitur, per injuſtitiam non gravatur. In ea ſecundùm jura divina decernitur, ſecundùm quæ contemnens paratur ad rhomphæam. Quoniam fruſtra vivit, qui nequiter vivit, & mori melius, quàm perperam agere. Ut quid igitur homo ſterilis vivit? Amplius & malè operans cur exiſtit? Cur terram & loca terrarum occupat, qui debita naturæ atque gratiæ non perſolvit? Fructum pœnitentiæ Salvator ex illa parabola inquirebat, cùm ipſam his, qui mortem Galilæorum occiſorum à Pilato, & à caſu turris nuntiaverant, protuliſſet, adjiciens, ſi non pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis. Et illico parabolam ſubdidit. Sed cultor vineæ pro arbore intercedit, ut quamvis digna ſit ſucciſione, tamen cultoris interceſſione ſervetur, eo pacto, quòd arte natura juvatur. Hinc autem ille reſpondens, dixit illi: *Domine dimitte illam & hoc anno, usque dum fodiam circa illam, & mittam ſtercora, & ſiquidem fecerit fructum, ſin autem, in futrrum succides illam.* Cultor vineæ Chriſtus homo eſt, qui ſuam colit eccleſiam, apud patrem pro ſterilibus intercedens, ne poſt delictum ſubitò tollantur à vita, ne ſit omnino deſperanda correctiu, quoniam ſi mox poſt delictum eradicans à vita multatio ſequeretur, paucorum eſſet ſalvatio, & de correctione nullus ſermo texendus, deſperatio in delinquentibus adderetur, quorum, quoniam quàm plurimi toſerati ad tempus, ad juſtitiam revertuntur. Hinc Petrus dicit: Non tradat Deus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant, ſed patienter agit proter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti. Promittit optimus cultor circa arborem foſſionem, terrere ſcilicet delinquentem per verba doctorum, donec compungatur, ſimiliter & ſtercus apponere vilitatis, peccati atque pœnarum dare notitiam. Quod ſi ex hujusmodi adhibitis arbor non fructificat ſteritate depoſita, ferrum divinæ juſtitiæ illam ſuccidens adveniat. Terror ex hoc omnibus factus eſt. Nam ſi non fructificans juſtitiæ, atque non faciens fructus dignos pœnitentiæ, juſtè ſuccidituri: iniquitati deſerviens, quibus pœnis multabitur? Confirmat enim hoc ad aliud dicta quædam magis acerba Petri ſententia? Et ſi juſtus quidem vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt? 1. Petri. 4.

Cap. XXXIII.

Epilogus quidam de parabolis tribus proximè ſupradictis.

VOlens Salvator noſter propter ſui ſecundi adventus incertitudinem ſervos eſſe paratos, adverſùs imparatos ſimpliciter docens & terrens, & parabolicè ſuo modo diſſeruit. Omnis ſervus, qui aliquid agere commiſſum accepit, ſi malus eſt, in abſentia Domini ſegniter operatur. Et moram facere Dominum in corde cauſatur, ut conceptæ malitiæ opus adjiciat, ſibi nequiter impunitatem promittens, ſi tardaverit Dominus. Eſt & aliorum malorum ſervorum perverſitas, quæ bipartitè committitur. Ut aliqúis Domini voluntatem nolit intelligere, ne quod intellexerit teneatur implere, ſciens veram & infallibilem eſſe ſententiam: Quia ſervus ſciens voluntatem Domini & non faciens, plagis vapulabit multis. Et ſervus neſciens voluntatem Domini ſui, neque perficiens, plagis vapulabit paucis. Sed ſcientem & neſcientem ſequitur vapulatio ſecundùm trutinam divinæ juſtitiæ. Eſt & alius malus ſervus, qui conſervis & ancilis infert injuriam, Dominum in abſentia non veritus. Et participium habet eum conſimilibus malis, cum eis in abuſum deducens Domini ſui bona, in familia Domini Dei noſtri talium ſervorum reprobam conſiſtentiam adeſſe certiſſimum eſt. Sed certiſſimus erit improviſus adventus, certiſſimam proviſionem faciens non prævisus. Ideo patemo affectu diligens, quos condidit, & redemit, venire ſe improviſè minatur, ne cogatur ex juſtitia inevitabili percutere, quos monet ante cavere. Ferire penitus volens ex juſtiſtitia ſive odio, cautelam non prædicat, ſed velut immobile ſignum expoſitum ad ſagittam quærit inevitabiliter, quem transfigat. Cautum ergo fiat omnibus in Domini ſervino recenſiris, quod veniet, ſed certiſſimè, cùm non ſperamus, adveniet. Et ſi ultima omnium dies, atque communis à remotis conſpicitur, uniuſcujuſque finalis multis in inſidiis, multis verò in januis eſt. Sed nemo adverſùs Dominum moveatur, quare omnes hujuſmodi ignorantiæ voluerit ſubjacere, utilius fortè arbitrans, ſi ſcientia làrgiretur in multis, quí ad hanc utilitatem excogitari poſſunt, jaciens fundamentum. Magis autem talis arbitratio peccatum gravat, quia Dominum tanquam defectuoſè agentem noſtram ſalutem accuſat, quia nihil ad ipſam expediens in aliquo retardavit, ſeipſum autem nobis in omnibus dedit, atque promiſit, quòd illius ſcientiæ majoris eſt muneris. Quam ſcientiam tanquam non utilem, ut in Actibus Apoſtolorum legitur, ipſis petentibus denegavit. Scire nanque futura non eſt virtus, quamvis ſignum poſſit eſſe virtutis, ſe autem ad futura vita & moribus & animo præparare, plenam dico eſſe virtutem. Majori verò ſum contemplatus intuitu periculum magnum generi humano adeſſe, ſi talem ignorantiam in ſcientiam converriſſet. Nam homines non converſi, & ſi qui fuerunt jam facti averſi, uſque ad ultimum ferè terminum mundi hujus amœnitatibus delectati, atque illecti, redire ad Dominum diſtuliſſent. Et ex eo firmatur iſta ſententia, quòd experientia docet: Nam ſi finis proximi atque remoti hujus, & omnium ignorantia homines à mundi amœnitate non eximit, certum, quod ſcientia non eximeret, potius temporis faceret parritores, ſi haberetur temporis certa menſura, ut partem primam floridæ inventutis pulchriorem atque majorem divinis laboribus aptam, magis acceptam omnium conditori, cum mundo abuſivè in dulcedine vana conſumerent, & reliquam & minorem ſenilem, & graveſcentem ineptam ſtudiis altæ vitæ, velut putridam fæcem inaniter claro vino conſumpto reſervarent. Igitur imparatum & malum ſervum, qui Domini non cogitabat adventum, ſententia juſtitiæ dividet Dominus à paratis, & partem ejus ponet eum hypocritis, cum quibus ſimilem vitam habuit. Et mancipabit æternis fletibus, qui pro peccato flere noluit, & ſtridoribus dentium, cum quibus malè comedit, & riſit. Amplius autem ſuos cautos facere volens, & improbare adverſos, decem Virginum adjecit parabolam, quinque prudentium pertinentium ad paratos, & quinque fatuarum ſignantium multitudinem omnium imparatorum, qui delectati ſenſuum quinque objectis, forinſecus in corporali lumine pervagantes, non accipiunt vaſa plena, patulum cor ad Deum non habent, nec ſe conſtituunt vaſa chariſmatibus replenda divinis, nec oleum miſericordiæ internæ lætitiæ fomentum luminis in ſeipſis velut in vaſis Domini ponunt, nec lampadem faciunt in ſeipſis lumen infallibilis veritatis ſurſum ferentis & dirigentis, habentem ſed ad portam divinæ juſtitiæ audient vocem divinæ ſententiæ:

Luca 12.

Actu. 1.

Matth. 25.

Ibidem.

Amen

Amen dico vobis, nescio vos. Quid est, nescio vos? Quid est, quod nesciat, qui omnia creat? Quid est, quod nesciat, qui omnia fecit? Quid est, quod ignoret, qui omnia novit antequam fierent, nec aliter novit facta quam futura? Invariabilis enim est scientia ejus. Sed nescio vos, non approbo vos. Nescio vos, reprobo vos. Ut qui me non probastis, nec ad me vigilastis in cordibus vestris, reprobo vos in januis meis. Et servum non operantem cum accepto talento justissimè condemnavit, Quotquot ætatem capacem vitii & virtutis attingimus, talentum accepimus rationis super quam fundatur liberum arbitrium voluntatis, cum quo demereri possumus, & mereri. Sed plerique donum acceptum à Deo abscondunt, qui publicum ex actibus virtutum non faciunt, quod ratione intrinseca cognoverunt. Sed ubi abscondunt? In terra. Quomodo in terra? Fodit. Bonum est id, quod absconditur, quia donum quod divina largitur bonitas. Malum, quia nulla in absconsione utilitas. Ecclesiasticus dicit: Sapientia abscondita & thesaurus absconditus, quæ utilitas in utrisque? Malum ubi abscondunt, quia in terra. Terra maledictionem accepit in operibus peccatoris. Malum modus, quo abscondunt, quia fodiunt. Fodiens enim lat orat. Iri laboribus fossionis est mali author, & novitatis inventor. Sed ad prælibata extensius revertamur. Bonum absconditur. Quod bonum? Quod placere potest Deo, quo mereri nobis aliquid supra datum possumus, ut bonum mereatur amplius bonum. Quod bonum? Quod novit esse authorem. Quod bonum? Quod non discrepat à consimili. Quod bonum? Quod consonat universo. Quod bonum? Quod destrui ex toto ipse author non sinit. Quod bonum? Quod non habet ex natura contrarium. Quod bonum? Naturale ingenium. Quod bonum? Rationis donum. Quod bonum? Liberæ voluntatis arbitrium. Quod bonum? Esse in conventu. Quod bonum? Morale quadripartitum. Hæc omnia, & similia ex radicibus naturæ fecit, atque dedit consurgere, qui naturam fecit & dona. Et hæc omnia talentum unum perficiunt, quod summum pondus designat. Quod si ad hoc pondus adderem gratiam Christianam, quasi arena maris gravior appareret. Vide igitur talentum concessum, vide donum acceptum, vide pondus supremum, vide bonum ex multis bonis conflatum. Sed vide bonum absconditum. Sed hoc damnabile malum, quòd Dei absconunt donum. Operemur cum donis acceptis, & ad sibi conveniens unumquodque ordinemus, nec sint sopitæ virtutes, quas natura voluit palam fieri, & ipse omnium largitor bonorum ad hoc dederit, ut ordinarentur ad opus relatum ad largitorem, & redimeremus nos ab his, quibus nos tradiderat primogenita mors, & relevaremus ab imitantibus, in quas dejecerat noverca natura, & ipsis compilatis ad finem ordinatis, velut exules revocaremur in patriam. Vituperat ecclesiasticus bona abscondita, dicens: Bona abscondita in ore clauso, quasi appositiones epularum circumpositæ sepulchro. Ut ista similitudo altius deducatur, sensus à littera reconvertitur. Mortuus autem, cadaver in sepulchro existens, comestibiles appositiones non comedit neque sentit. Ita velut cadaver in sepulchro fœtidè jacens reputandus est, qui talenta Domini appositra, & varia dona Dei non mancipat invisibili aut visibili operi ad largientis honorem propriamque salutem, & ad ædificationem proximi. Et maledictus, qui abscondit frumenta in populis, sapientia clamat, ut æternis subjaceat pœnis, qui dona Dei abscondit à proximis. Et multabitur talione pigrorum absconsor operum. Abscondit piger manus suas sub ascella sua, & laborat si ad os suum eas convertit. Quid ergo per manus nisi potentia & actus? Quid absconsio sub ascella, nisi sub modico calore occultè delectationes detineri? Quid quod non applicat ad os, nisi quod taliter non agit, ut debito modo fiat? Sed malum est locus ubi abscondit, quia terra. Terra cibus est serpentis, terra gravis est, terra terrenos facit. Væ igitur, qui interenis rebus divinum abscondit talentum, quod ideo datum erat, ut cum illo mercaretur regnum æternum. Reprobus est mercator, qui aurum in ferrum, argentum in plumbum, margaritas in lapides alvei æquali quantitate commutat. Nulla tam grandis sufficit pœna ei, qui dona invisibilia pro visibilibus, incorruptibilia pro corruptibilibus tradit in commercium. Absconsionis autem modus culpam magis aggravat, si quis rectè considerat. Primo fodit, deinde abscondit. Fodere laborem insinuat, quem ferre malus villicus recusabat, dicens intra se: Fodere non valeo. Quis autem infructuosior labor, quàm de quo vitæ privatio carpitur? Quis periculosior, quàm quem nulla sequitur requies? Quis inutilior, quàm cui stipendium mortis offertur? O male fodiens, velut equus ungula terram. O qui conaris in vetitum propulsa virtute, O qui superna dona terra ima defodis. O qui adinvenis unde mit-

mittaris in antrum, fodis, ut abſcondas arte atque violentia facis, Væ igitur qui conantur in malum. Væ qui adinventiones perficiunt in peccatis. Viſitabo vos dicit Dominus in adinventionibus veſtris. Malum eſt malum facere, ſed peius eſt cum labore, ſicut propheta exaggerando loquitur: Ut inique agerent, laboraverunt. Malum eſt quod Deo non placet, ſed gravius peccat, qui adinvenit, quod ſibi maximè diſplicet, quia ibunt per damnationem in adinventionibus ſuis. An ideo fodit, quia malè credebat facere inviſus? Sed oculi Domini in omni loco contemplantur bonos & malos, & nec eſt qui ſe abſcondit à calore juſtinæ ejus. Et ſi noſtra ſubſtantia occulraretur in inferioribus terræ, à Dei oculo non eſſet effugium. An fodit, ut in profundum malorum deſcenderet? An fodit ut plantaret aut propaginaret plantatum? Ad quid fodit? Ad nihil utile fodit. Sed ad finem perverſum fodit, & foveam fecit, ut abſconderet. Quid? Pecuniam Domini ſui, non partem, ſed totum talentum quod acceperat, ut nihil remaneret ad uſum, quod totum ad fructum fuerat erogatum. Ecce labor in damno, ecce operis perditio certa, ecce fangatio, ut deveniatur in pœnam: Sic Dei ultione agitur, quod peccator incidit in foveam, quam fecit. Et alibi: Foderunt ante faciem meam foveam, & inciderunt in eam: Dixerat olim Job: Traxerunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcenderunt. Ego contrarium dico: Trahunt & ducunt, peragunt, & faciunt in laboribus, ſudoribus & anxietatibus dies ſuos, & in puncto, imo in temporis momento parviſſimo ad gehennalia loca merguntur. Qui fodit, corpus rectum incurvat, & terram percutit ſarculo duriori, & amplo ligone ſurſum terram trahit ab infimis. Fovea verò facta funditus jactato talento, terram in infimis ut abſcondat, iterum reconvertit. Nonne hoc labor & afflictio Spiritus? Ecce cæcatas hominum mentes, qui labores quietes, amaritudines dulcedines, punctiones unctiones appellant. Ad peragendum malum, quam bonum amarius deſudatur, & toleratum ex tempore malum præparat ad æternum. Quæ perverſio ad labores à laboribus pergere? Accedere ad quietem expediebat potius laboranti. Veruntamen, ſi pro DEO, non pro mundo aut carne fuiſſent tolerati labores, non labor, ſed cauſa quietem adjicit vel laborem. Quid ergo eſt fodere, niſi præter Domini voluntatem in terrenis animo, & corpore laborare, atque deſudare in his, in quibus divina bonitas nobis in carne facta magiſtra deſudandum contempſit, & ad terrena omnem ſuam incurvare virtutem, velut illi, qui oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram ſeorſum ab iſtis, dicente Job: Lux vultus mei non cadebat in terram. Quid eſt fodere, niſi cum inſenſibilibus gerere bellum durum? Nonne cum terra pugnat fodiens duro ligone? Percutit & artus, ſimul & brachia tremunt, & qualem dedit ictum pertulit terræ foſſor. Quid autem eſt abſcondere in humo foſſa talentum, niſi omne à ſummo Deo acceptum beneficium, & donum, ita in rebus viſibilibus & mortalibus implicare atque immergere: Ut in Dei ſervitio nihil ſuum appareat ante conſpectum? Abſconditum eſt enim quod ante Deum obſequendo non venit, id finaliter agens, ut faciem miſericordiæ ſuæ ipſe abſcondat à nobis. Strenuus miles tempore belli virens corporis bellandi peritiam non abſcondit. Sapiens ſapienter neceſſitate dictante, quod noverit expedire, non celat. Si quis ſuper naturam doctus quærit materiam rebus gerendis, deliteſcere appellat inertiam. Qui diligit non occultat amorem, ſed ſigno & operibus pandit. Infans fugere poſtulanti mater aut nutrix ubera non ſubpannat, & lamiæ nudant mammas, & lactant catulos ſuos. Aves & animalia non abſcondunt eorum expedienda natis. Non obtegunt plantæ virtutem inſitam à natura, ſed ornant foliis, floribus & fructibus orbem. Quatuor elementa eorum proprietatem naturæ non obnubunt. Lux ſeipſam non operit. Nihil eſt ordinem rerum ſequens regulamque juſtitiæ, quod non obtendat loco & tempore, neceſſitate aut eventu rerum opportunè manifeſtari expediens ad profectum ſui, aut ad retunſionem contrarii. Quid eſt, quod ſola iniquitas hominis, quod à Deo accepit, abſcondit? Exagitabit te forte ſermo uteri tui, ut ad excuſandum aut te protegendum inferas Verba tua, ut quod eſt vitii, velis adſcribere ad virtutem, dicens: Præceptum accepi à Chriſto, ut abſcondam opera bona, orationes & munera. Sed aliud eſt abſcondere juſtitiæ opera, ne intentione ſuppoſita temporalem atque ventoſam gloriam capiamus, & hoc eſt quod prohibet Chriſtus. Aliud eſt inſtrumenta bonorum operum atque virtutum in terrena delectatione defodere, ne cum illis Domini placitum faciamus, & talem abſconſorem juſſum eſt à Domino mitti in tenebras exteriores, quia in exterioribus fuerat delectatus, & fletum & ſtridorem

Jerem. 9.
Pſalm. 7.
Pſalm. 56.
Job. 21.
Job. 29.

dorem dentium patietur, qui flebilem vitam dilexit, & pro ipsa dentibus multa corrosit. Omnes quidem parabolæ supra proximè memoratæ de decem Virginibus, de servis prudentibus, de vigilia janitoris, de rege peregrinante dona tradente, rationem exigente cùm redierit, in vigilia terminantur, & prudentiam persuadent, & solicitudinem agendorum, non quod semper corpore vigilemus, sed mente solerti, & provideamus nobis, & operemur pro nobis, ne inveniamur in die ultimæ exactionis futuræ à Domino imparati, sed parati ad ejus regnum ab ipso nobis paratum æternum.

Cap. XXXIV.

De parabola mulieris in partu tristitiam habentis, ad depellendam in agonibus tristitiam electorum, secundùm Joannem tantum.

ALtos agones Salvator in mundo imposuit, cùm ex Verbo & auditu fidem trinitatis, incarnationis suæ, cæterorumque factorum suorum, & resurrectionis omnium, æternæ pœnalitatis, & gloriæ humano cordi per suos discipulos disposuit conjugare, atque mundum subjugare cruce, quæ Judæis scandalum, gentibus stultitia est. Hinc talia suadentibus, persecutiones, pericula, gladii, exilia, & omnia tormentorum genera parabantur, etiam omne horrendum moriendi genus. Ratione atque demonstratione ista insinuanda carebant, nec aliter, quàm per fidem poterant in cordibus hominum mitti. Magna porro distantia inter cor humanum & talium, atque invisibilium & futurorum fidem. Proinde JEsus pronuntiat futura pericula, & ex eis causandam tristitiam, quam & per adjectam parabolam mitigat, & pollicetur in
Joan. 16. lætitiam convertendam, dicens: *Amen amen dico vobis: Quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Unde fletus, atque ploratus? Quia ex his, quæ prædicabitis, contumeliis afficiemini atque tormentis. Et quoniam segregatos à delectoribus mundi moribus, etiam à societate & conversatione separabunt. Gaudebit mundanus homo, cum se viderit superiorem subactis suaforibus fidei, cùm crucifixus suos non tuebitur cruciatos, cùm exemplo non fuerit in eis vindicatum ex jacturis, & contumeliis irrogatis. Gaudebit quippe, cùm viderit novos Christi præcones atque sequaces squalidos, pressos media, nudatos rebus, abdicatos à domesticis, seiunctos à charis, nulla substantia mundi refulgentes, seipsum autem aspiciens florere placitis, abundare cupitis, & mundum sibi arridere ad votum, ignorans quanta sit infelicitate claudendus. Vos autem contristabimini corpore, sed non mente. Non enim oportet mente tristari eum, qui pro Christo agonizare disposuit, & certare ad captanda cœlestia, quamvis etiam corpus teneatur in pœna. Etsi aliquando in anima irrepserit ipsa tristitia, si pro re corruptibili fuerit, illico avellatur, si verò pro injuria Salvatoris, pro defectu virtutis, pro derelinquentibus legem Dei, pro patratione facinorum; oportet, ut teneatur. Etenim David in his tristitiis angebatur, dicens: Vidi prævaricantes, & tabescebam, quia eloquia tua non custodierunt. Laudabilis miserabiliter, & misera laudabiliter est ista tristitia de perditione boni honesti, & cùm committitur, quod summa justitia vetat, sed talium tristitia vertetur in gaudium, non perfunctorum, sed æternum. Ad hoc melius cordibus infigendum, subjecit de parturiente parabolam, in qua statum militantis ecclesiæ & cujusſibet agonizantis animæ Salvator edocuit: *Mulier, cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora ejus. Cùm autem peperit puerum, jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Sub typo mulieris parturientis describitur ecclesia orthodoxa, & quælibet anima Fidei anulo desponsata Christo, quæ præhabet tristitiam ad gaudium: Et quod est causa tristitiæ ab incerto, fit causa lætitiæ, cùm votum aut speratum possidetur ex certo. Tristatur mulier pariens ex doloribus, tristatur ex incertitudine partus, an masculinus aut fœmininus existat. Tristatur, nesciens an partus, an ipsa pariens moriatur. Tristatur, ne abortivum habeat, aut editum illico mortuum audiat, & ne aliquid sit demptum, unde pudor sit in pariente, & coalescente prole tristatur, ne quod timet, eveniat, & ne veniat, quod sperat. Inter spem & metum impossibile fit non adesse tristitiam. Hujus mulieris typo laborat ecclèsia, & omnis fidelis anima. In partu continuo ecclesia est, quid sit nesciens paritura. Multos habet ipsa conceptus ex semine Fidei, ex semine Verbi Dei, nescit tamen quales partus omnium sit futurus,

quonlam multi ſunt vocati, pauci verò
Matth. 20. electi. Habet, cùm parit ipſa triſtitiam, quia venit hora ejus, ſcilicet partus, quæ dolorem parientibus infert & hora diſcernendi quid ſit geſtatum in ventre, an validum àn infirmum, an cum omni decore, an cum aliquo naturæ dedecore. Attendendum qui ab homine non fatus in virgine ſupra naturam partus à virgine, qui triſtitiam primæ mulieri ex vindicta parienti appoſuit, & de muliere natus, omnium triſtitiam, quantùm in ipſo erat, conabatur auferre, etiam per mulieris ſimilitudinem parientis, triſtitiam ſuorum diſcipulorum ex mundi variis eventibus venientem, & tunc de abſentia ſua in illorum cordibus jam exortam conſolari dignatus, inferens parabolam parientis in triſtitia, poſt
Geneſ. 3. partum in lætitia exultantis. Præceſſerant hujus triſtitiæ teſtimonia in ſcriptura ſacra. Nam Evæ poſt peccatum dictum eſt: In triſtitia paries Filios. Et eccleſia, cùm ſuos parit, triſtitiam habet, cujus figuram Eva geſſit, ſed illa propter peccatum, iſta propter pœnam peccati. Demerito quidem illius primi delicti tot agonibus angimur, tot tentationibus agitamur, ut vix puſſillimus palmam virtutis attingere, aut pertin-
Geneſ. 25. gere, quo vocamur. Rebecca in triſtitia peperit, cùm ante partum geminos bellantes agnoſceret, ex quo ſtupens præ triſtitia, dixit: Si ſic futurum erat, quid fuit neceſſe concipere? Duos populos geſtat eccleſia in utero fidei bella gerentes, diſſimilitudine morum & differentia ſentiendi: Quamobrem triſtatur neſciens quid fu-
Geneſ. 38. turum, triſtatur ex bellis adverſis quæ patitur. Thamar triſtis in triſtitia geminos parturivit, ut ex paſſione conſtigentis doloris & præſagii ad futura lamentaretur, quod propter eam diviſa eſſet materia. Talia præſagia in veritate in eccleſia inceſſanter aguntur, unde velut pariens mulier ſæ-
Apoc. 12. pe triſtatur. Cujus triſtitiam & cauſam, proceſſum & pugnam Joannes in Apocalypſi deſcripſit de muliere, quæ cruciabatur, ut pareret, & draco partui parabat inſidias, & ex emiſſo tribulationum & hæreſium, & omnium adverſitatum flumine ab ore ſuo, ut partus & pariens ambo necarentur, niſi terra juviſſet abſorptu fluminis, triſtandi & timendi materia data erat. Sed perfunctoria eſt omnis humana conditio, etiamſi utranque partem ipſa contineat, & alternantur vices hominum, ut nunc triſtandi, nunc gaudendi habeatur occaſio. Proinde non triſtitiam, ſed cauſam oportet inſpicere, & cujus intuitu toleratur adverſum, non quod patitur contemplationem inducat. Sæpe quidem mundi triſtitia in æternam trajecit habentem, ſæpe quidem tranſivit in gaudium. Quod triſtitia triſtitiam nanciſcitur, & triſtitia in gaudium terminetur, non hæc triſtitia ſeu illata tentatio, aut adverſitas tolerata facit, ſed cauſa. Suppoſitivas omnium cauſas oportet inſpicere, ſicque de fine dare judicium. Si rerum labentium conditio triſtitiam fecit in Sæculo, faciet illam æternè ſuccedere: Si verò Chriſtus eſt cauſa, terminabit ad gaudium. Et hoc ipſe diſcipulis loquitur: Triſtitia veſtra, qui propter me affligemini, non omnium vertetur in gaudium. Quia, cùm eccle- Joan. 16.
ſia orthodoxa ſeu fidelis anima, longo tentationum & tribulationum cruciata partu, cùm emiſerit bonorum operum partum in omnibus ſervata conſtantia, cùm fructum virilem, non effœminatum fecerit, ut non ſit filia mollis & tenera, fragilis & caduca, ſed Filius accreſcens virtutibus, ſapiens in moribus, lætificans patrem, non ſtultus inferens matri triſtitiam, ſit Filius de numero Filiorum, qui in eccleſia benedicuntur, ſit Filius dextræ, ſcilicet operans aptum beatitudini regni Dei, nun recordabitur triſtitiæ atque preſſuræ illa æterna, & ſupra auditum & viſum & intellectum inventa lætitia. Verè non omnium triſtitia verteturin gaudium, ſed illorum duntaxat, qui propter Chriſtum patiuntur. Unde triſtentur? Sive quia dolent abſentiam & prolongationem, ex hoc iſtius incolatus deplorant dicentes, ut Propheta: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. Pſalm. 119.
Seu, qui ob confeſſionem ſui nominis illa tolerant mala, quæ ſuadet inferre primo ad ſe crudelis hoſtilitas, & hominum excogitat depravata crudelitas, aut quia illum offendere in lege ſua, & ſentiunt eum in pœna ſua purgatoria, non æterna. Purgativam etiam habet virtutem triſtitia poſt peccatum, & ipſum ſolum in hac vita dignè ſortitur triſtitiam: Quæ ſi prævenit ut ſit ex culpa potius, quam ex pœna, nil decentius reperitur ad diluenda peccata. Oportet veram & ſalutiferam oriri triſtitiam ex diſplicentia culpæ, non ex diſplicentia pœnæ. Illa diſplicentia exoritur, quia diſplicuiſti Deo ex vitio interdicto: Iſta, quia diſplices tibi ex pœna quam pateris. Diſplicere ſibi patienti ex pœna, proprium eſt omnium ſenſibilium, etiam ratione carentium. Diſplicere ſibi ex culpa, tantùm eſt verè ratione utentium, maximè autem omnium verorum fidelium, ac per hæc incunctanter triſtitia de peccato, non de ſupplicio vertetur in gaudium. Et parabola parientis mulieris elucidat. Parit in triſtitia mulier, quia venit hora

partus,

partus, qui ex multatione divina in doloribus agitur, peperit puerum, non meminit preſſuræ propter gaudium. Non dicit, non meminit triſtitiæ, ſed preſſuræ. Preſſura cauſa eſt triſtitiæ, non triſtitia cauſa preſſuræ. Quoniam, dum dolor cum corporis natura conſligit, adeſt triſtitia parienti: Cùm verò dolor tanquam à potentiori bono victus abſceſſerit, & triſtitia defluit. Ubi ad memoriam dolor corporis & animi triſtitia revocantur, non tenet memoria quanta fuerit ipſa preſſura, ſed tenet quanta triſtitia ipſa confoderit. Facilius recordatur ejus, quod paſſus eſt animus, quam ejus, quod ſuſtinuit corpus. Quamvis enim unúm conſiſtit in altero, & unum præter alterum habet exiſtere poſterius, ſed non prius. Non exiſtit anima priusquam tradatur corpus, ſed creatur, cùm traditur, & traditur, cùm creatur. Habet autem poſt exiſtere, vivere & intelligere præter corpus. Sic quidem anima ſolum ſentit triſtitiam ſive dolorem, cùm pœna infligitur, corpus verò pœnam neſciens, quid, & quæ, & quales ſunt animi paſſiones. Recordabitur igitur animus paſſionis ſuæ naturæ potius, quam alterius cujus eſt corpus. Diverſa quidem natura per omnem modum eſt animorum ſeu Spirituum & corruptibilium corporum, triſtitia in anima, preſſura in corpore agitur. Non meminit ergo anima preſſuræ actæ in corpore, recordabitur tamen triſtitiæ quam ipſa perpeſſa eſt. Non tamen memoria triſtitiæ triſtitiam dabit his, quibus verum ſucceſſit gaudium, ſicut memoria ſe fuiſſe aliquando lætatum, non dabit lætitiam his, qui in æternum ſupplicium incurrerunt. Nam ex magna infirmitate redditus ſanitati, illius recordabitur non triſtatus, & ex magna ſanitate redditus infirmitati, tenebit illam memoriter non lætatus. Unde non meminit mulier pariens preſſuræ propter gaudium. Quare? Quia natus eſt homo in mundum. Sic eſt exemplificans. In exemplificatum igitur veniamus. ***Et vos igitur nunc triſtitiam habetis.*** Acſi diceret Chriſtus, quia nunc recedo à vobis corpore actu peregrinandi, non officio diligendi atque ſubveniendi: Sed id, quod eſt cauſa triſtitiæ, ſit & veræ lætitiæ. ***Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.*** Temporalis abſentia temporalem triſtitiam generabit, & præſentia viſionis æternæ inauferibile gaudium præſtabit æternùm.

Liber VII.

De ſimilitudinibus à Salvatore poſitis & aſſumptis.

Cap. I.

De ſimilitudine ſalis, ſecundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

Differentiam ſimilitudinum & parabolarum in libro prædiximus de parabolis, hìc ſilentio tradentes. Sed cùm in prima & generali prædicatione Chriſtus in monte turbis & diſcipulis loqueretur, ad diſcipulos ſolùm ſermonem intorſit, præoſtendens quantum primatus, quantumve fructus ſuper alios & in alios acceperant, non ſolùm eos, ſed futuros ſimiles in ſuis ſimilitudinibus præmonens, inſtruens & exhortans. Et primò omnium exstit ſimilitudo ſalis, ſub qua præſagiebat Apoſtolos cæterosque in illa ſorte futuros, dicens:

Matth. 5. ***Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*** Vigilans eſt ſimilitudo ex natura introductæ rei, ex Chriſto clareſcit amplius. Nec immerito in omnibus tenet iſta primatum, ut velut in rebus eſibilibus ſal: Sic inter eos qui reguntur, aut opportunè docentur & diriguntur, debeant eſſe, qui præſunt, inſtruunt, ſive ducunt. Nihil protinus operatur in his, quæ uſu capiuntur, ſal, quod ſimilitudine ſumpta non conveniat his, quí ſumpſerunt ducatum. Et in omni quod deficit aut evaneſcit in his, quibus uſu apponitur, aut applicatur, inſulſitas aut putredo exortitur. Sic in his quæ aguntur in hominibus ſecundúm rationem Fidei, moresque & ſpirituales doctores, duces, ſi evaneſcunt, ſive deficiunt, damna ſimilia provenire credantur. Sed quis comedere poteſt inſulſum, ſi debuit ſale penitus eſſe conditum? Aut quis tanget putridum, aut ſumet in eſum, ſeu tenebit ad uſum, ſi appoſitione

ne ſalis debuit præſervari ? Proprietates ſiquidem ſalis ſolertibus indagatoribus relinquimus, ne plus debito ſermo trahatur in longum. Quod, cùm fecerint, nihil invenient inapplicabile in profectibus, nisi in defectibus ad Doctores ſpirituales, ſi aderit eis in ſimilitudine bonitas ſalis, aut ſi aberit eis proprietas opportuna. Sed ſi ſacram ſcripturam volumus percontari, clarius apparebit cur Doctoribus Chriſtiani exercitus ſalis fuerit à Chriſto ſimilitudo tributa. Sale quippe ipſam charitatem in agendis opportunam meritò intelligimus, ſine qua nemo aliquid Deo acceptum fecit, quæ in fœdus ſempiternum poſita eſt inter nos & Deum. Ac per hoc Dominus in veteri teſtamento omne ſacrificium condire ſale mandavit, dicens:

Levit. 2. Quicquid obtuleris ſacrificii ſale condies, nec auferas ſal fœderis DEI tui de ſacrificio tuo, in oblatione offeres ſal. Sacrificia fidelium Chriſtianorum porro illa noſcuntur, quæ in corporibus hominum reſpectu ſupernæ patriæ per carnis macerationem, vilitatem & abjectionem aguntur, in quibus nulla utilitas, ſi defuerit charitas. Nec tale ſacrificium erit acceptum, ſi omnino fuerit inſulſum. Sunt enim ſacrificia noſtra excitationes in orationibus & indagationibus ſcripturarum ſanctarum, & in intimis meditationibus cordis, ac etiam in illis doctrinis, quando ſupra ſcipſum, & ſupra cuncta ſenſibilia noſter animus conatur extolli. Sunt & ſiqua peragimus in ſubventionibus proximorum, quæ omnia inepta reddentur, niſi ſale charitatis condiantur. Hinc enim eſt, quod Apoſtolus ad Corinthios ſcribit nihil eſſe, nihil prodeſſe, ſi ſine charitate, dicens:

1. Cor. 13. Si linguis hominum loquar, & angelorum, & cætera, quæ annectuntur. Eſt protinus ipſa charitas fœdus inter nos & Deum. ut ſi diligimus, diligemur, ſicut ſapientia clamat. Ego diligentes me diligo.

Proverb. 8. Eſt & fœdus, quod ſi diligimus Deum, diligamus & proximum, ſicut

Joan. 1, 4. Joannes in ſua Canonica commemorat. Eſt & fœdus ad mandata ſervanda, ut ſi diligimus præceptorem ejus præcepta opere compleamus. Etenim Chriſtus dicit. Si quis habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt, qui me diligit. Ille habet mandata mea, qui novit, qui tenet ea memoriter, ſed tunc ſervat, cùm deducit in actum. Eſt & fœdus ad beatitudinem obtinendam. Sola enim charitas facit patere cœlum, ipſa ſola introducit in regnum. Proinde auferri de ſacrificio prohibetur. Nec auferes ſal fœderis DEI tui de ſacrificio tuo, imo in omni oblatione tua offeres ſal Tunc enim in omni oblatione ſal offertur, cùm omne quod agimus, ipſa charitate fulcitur. Necnon & ordinem tenendum in moribus apertè conſpicimus, ſi præceptum de ſale factum ſubtiliter indagamus. Præceptum factum, ut omne ſacrificium ſale condiatur. Ex quo protinus indicitur,

2. Cor. 14. ut in omnibus ordo ſervetur, ſicut Apoſtolus ait: Omnia quidem honeſte & ſecundùm ordinem fiant in vobis. Nam ubicunque ordo deſeritur, in poſitum finem non erit acceſſus. Nihil fiet impertiens, aut fruſtra, ſi in rebus diligendis ordo ſervatur. Omnia enim DEUS legibus ordinis alligavit, ut etiam in his quæ tradita ſunt, ut perveniamus ad Deum, ſervatus ordo perducat. Et nullum ſacrificium gratius, quàm illa diligere, atque peragere, quæ tendunt in Deum, ubi ſal ordinis penitus eſt ponendum tanquam fœdus ad Deum. Ipſam porro ſcientiam nomine ſalis arbitror æſtimari. Fit enim ſal ex coctis aquis à ſole aut ab igne. Et aqua ſapientiæ potavit Dominus ſanctos ſuos. Et in omni ſacrificio noſtro neceſſaria eſt ſcientia, maximè in zelo, quo in Deum accendamur ad evitandam illam ſententiam, quam dixit Apoſtolus: Habent

Rom. 10. zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam. Nam ſicut ſal ſapidum reddit, ubi apponitur, ſic charitas, ordo & ſcientia cuncta, quæ viſibiliter & inviſibiliter aguntur, grata faciunt Deo, ut non ſint inſulſa, ſed ſapida, quæ fiunt mandato cœleſtis ſive teneni agonum poſitoris. Ipſi ſiquidem agenti aliquid in utraque ſubſtantia ſua facta non inſulſa ſed ſapida erunt, ſi ſale charitatis & ordinis atque ſcientiæ condientur. In his pactum nobis cum Deo conſtituitur ſempiternum, de quo Dominus ſacerdotem veteris teſtamenti diligenter commonuit. Pactum ſalis eſt ſempiternum coram Domino tibi, ac filiis tuis. Pactum hu-

Num. 18. juscemodi ſalis ideo ſempiternum, ut nullo tempore violetur. Pactum ſempiternum, ut ex ipſo inviolabiliter cuſtodito æterna gaudia capiamus. Hoc ſalis pactum re-

2. Paral 13. memoravit Abia rex Juda Jeroboam regi Iſrael, cùm in prælium convenirent. Stans Abia ſuper montem Semeron, qui erat in Ephraim, ait: Audi Jeroboam, & omnis Iſrael. Num ignoratis quod Dominus Deus Iſrael dederit regnum David ſuper Iſrael in ſempiternum, ipſi & filiis ejus in pactum ſalis? Quid eſt pactum ſalis, in quo regnum David datum commemorat, niſi pactum illarum virtutum, quæ potiſſimè in agendis omnibus exiguntur, quæ ſalis ſimilitudine deſignantur. In pactum ſalis regnum dicitur datum David, in condimento

dimento ſacrificii, quod tunc temporis agebatur, quando ipſe rex fuerat à domino conſtitutus in manu Samuelis tunc ſacerdotis, atque videntis, qui ſacrificium ſub cenſura ſalis ante conſtituta offerebat. Ex quo typico myſterio inſinuatum eſt ſub pacto ſaliti ſacrificii vera regna conſtitui, & jura regalia hominum ſine præſato ſale ad perfectum non poſſe deduci. Arguit Abia rex Juda Jeroboam regem Iſrael, qui ad impugnandum ipſum & regnum ejus arma commuverat, quod unjuſtè hujuſcemodi rem feciſſet, quod in ſempiternum conceſſum ſit regnum occcaſione ſalis in pactum. Ex hoc ad dæmones removendos magna jurisdictio nobis efficitur, ſi ſtabit intactum protinus ſalis pactum. Necnon ipſam juſtitiam in ſimilitudinem ſalis accipimus, ſine qua nihil rectum agitur, cùm ipſa univerſitate præfulgeat, & condire habeat præ cæteris moralem hominum vitam, & dum ſub ſua cenſura omnia diſponuntur, nihil eſt quod de obliquitate cauſetur. Ipſe ſiquidem David, qui regnum acceperat in ſalis pactum, juſtitiam operabatur, regum ſcriptura dicente: Et regnavit ſuper omnem Iſrael. Faciebat quoque David judicium & juſtitiam omni populo. Et de juſtitia plenè confidens in Pſalmo dicebat: Et retribuet mihi dominus ſecundum juſtitiam meam. Nempe ſicut ſine ſale inſulſa ſunt eſibilia plurima, præter panem parum delectantia guſtum & ſicut ſine ſale vermibus carnes ſcaturiunt, ſic ſine juſtitia nihil in moribus hominum delectabile, necnon & humana vita corrumpitur inſolertia peſſimorum. Circa quam David magna diligentia intendebat, ne prætermiſſa juſtitia ſubjecta ſibi res populi turbaretur, cùm, prout Pſalmus eloquitur, faciebat: In matutinò interficiebam omnes peccatores terræ, ut diſperderem de civitate domini omnes, qui operantur iniquitatem. Quamobrem pro ſeipſo interpellabat ad dominum: Feci judicium & juſtitiam, non tradas me calumniantibus me. Ipſam etiam ſapientiam evangelicam ſalis nomine non immeritò dicimus eſſe cenſendam, quæ omnium condivit hominum vitam, & ſanavit ſteriles hominum nationes. Et humani mores & leges vivendi per ipſam condiuntur. Et ne putreſcant ſua virtute ſervantur, & ſanantur ſaucii populi defluentes. Quod in libro regum multis ante temporibus legimus figuratum. Nam viri civitatis Jericho dixerunt ad Eliſæum: Ecce hujus civitatis habitatio optima eſt, ſicut tuipſe domine proſpicis, ſed aquæ peſſimæ & terra ſterilis. At ille ait: Afferte mihi vas novum, & mittite in illud ſal. Qui, cum attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum, miſit in eum ſal, & ait: Hæc dicit dominus, Sanavi aquas has, & non erit in eis ultra mors neque ſterilitas. Sanatæ ſunt aquæ uſque in hanc diem, juxta verbum Eliſæi, quod locutus eſt. Eliſæus interpretatione nominis, quæ Deus meus Salvator eſt, ſive re geſta Deum ſignificat, cui humana natura defectum quaſi lunarem patiens loquitur ſuu ſenſu, dicens, quod mundi hujus habitatio bona eſt, quia omne, quod eſt bonum, eſt natura, & in ordine ſuo defectu omnimode caret, ſicut Deus plenè cognovit. Nam vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Sed hujus mundi ſenſu quodammodo carentis aquæ peſſimæ ſunt. Quid nomine aquarum intelligitur, niſi numeroſitas populorum, juxta Joannis in Apocalypſi ſententiam: Aquæ multæ, populi multi. Populi quidem hominum non natura, ſed voluntate peſſimi facti erant, dum dediti cultibus idolorum, Deum verum & ipſius ſapientiam ignorabant, & vivebant inſulſi, ſale divinæ ſapientiæ non conditi, & corrumpebantur velut putridæ carnes fœtentis luxuriæ, aliarumque iniquitatum vermibus bullientes. Et terra ſterilis erat, quia terra humanorum corpororum uſum bonorum operum non habebat. Sed Deus omnipotens in plenitudine temporis vas novum juſſit aſſerri, cùm alman virginem juſſit mundo præparari, quæ verè dicitur vas novum, ab antiquitate paterna diſcrepans, diſciplina cœleſtium innovata virtutum, in quo vaſe poſuit ſal æternam ſapientiam, ſcilicet unigenitum filium ejus. Aut vas novum ipſum Verbum incarnatum ſentiamus, qui novus dicitur novitate incarnandi, novitate naſcendi & converſandi, qui novam doctrinam attulit, noviter mundo vixit, ſicque mortuus & ſepultus, & regreſſus ab inferis ad cœleſtia penetravit. In quo poſuit ſapientiam ſuam nomine ſalis ſignatam, ſicut ipſe prædicandu ſæpe dicebat: Doctrina mea non eſt mea, ſed ejus qui miſit me patris. Et alibi: Sermonem, quem audiſtis non eſt meus, ſed ejus qui miſit me patris. Et iterum: Quæ loquor vobis à meipſo non loquor. Penitus prout novus homo erat, ſapientiam, à patre accepiſſe teſtabatur. Quod ſal, ſcilicet incarnatum Verbum, effudit in Apoſtolos per virginis partum, ſed ſapientiam per prædicantem filium, & filius per Apoſtolos poſt miſſum Spiritum Sanctum ſanavit, qui recipere voluerunt populos nationum. Ut virtute ſalis, ſcilicet evangelicæ ſapientiæ non eſſet ſterilitas, ſed ſanitas, niſi adhuc libens hominum repugnaret iniquitas. Sanavit aquas evangeli-

4. Reg. 2.

Pſal. 17.

Pſalm. 100.

Pſal. 29.

Joan. 7.

Marc. 14.

4. Reg. 2.

ca, & ſuperna doctrina, quia populos recipientes illam condivit & erudivit, & docuit, quæ neſciebat mundus, non habebat uſus, ignorabat hominum intellectus. Saporis hujus effectum refugiebat carneus ſenſus. Et inter initia eorum, quæ vitæ hominum neceſſaria dignoſcuntur, Eccleſiaſticus ſalem eſſe commemorat. Et ramen ex mandato Domini Ezechiel Jeruſalem inter cætera objicit; quod in die nativitatis ejus non eſſet ſale ſalita, ſcilicet illam diſcretionem non habuit, qua bene omnia diſponuntur. Nam, cùm renaſcimur Sacramentis, diſcretione Chriſtiana opus eſt inter ea, quæ cogimur eligere, atque inter illa, quæ agere obligamur. Optima inter virtutes noſcitur eſſe diſcretio, quæ gradiens inter bonum, & malùm, inter bonum & bonum, inter malum & malum, inter opinionem & verum, inter voluptatem & neceſſitatem, inter virtutem & famam, inter competentia corpori & ſpiritui ſemper ad tutiora declinat, deviatque peiora. Et ſermonem noſtrum tali ſale condiri decrevit Paulus Apoſtolus Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus. Igitur, cùm ſupra memoratas virtutes habere, atque docere oporteat eos, qui authoritate atque doctrina populis præferuntur, meritò Chriſtus dixit Apoſtolis: Vos eſtis ſal terræ. Quibus pro ſeipſis & pro ſucceſſoribus dictum eſt: Sed ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? Si virtus deficit in doctore, ſi doctor deficit ipſi virtuti, quid boni perficiet? Cùm ad nihilum valeat, dignum fit, ut his fiat in ridiculum, atque deriſum, quos erudire debuit per doctrinam, monefacere per exemplum, & fiat utilitate conculcatus inferior, qui vita & doctrina debuit præeſſe.

Eccleſ. 39.
Ezech. 29.
Matth. 5.
Ibidem

Cap. II.

De ſimilitudine lucis ſecundùm Matthæum.

QUoniam Chriſtus unigenitus DEI Filius erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, voluit quos elegerat hujus lucis eſſe participes, per quam illuminaretur orbis terrarum, qui tenebris peccatorum ubique in hominibus jacebat obſcurus. Et quia quadam novæ intelligentiæ luce illos perfuderat, & amplius perfuſurus erat, ut lucis ſequeretur affectus, ſine interpoſitione Verborum ſuos Apoſtolos & ſimiles poſteros luci comparavit, dicens: *Vos eſtis lux mundi.* Juſſu Dei facta eſt lux, nec aliquid pulchrius in corporibus diaphanis, & ejus virtute cognoſcuntur objecta omnia oculorum, & fertur inobliquè in receptacula ſua. Et per ipſam fit acceſſus atque receſſus, & contrariorum declinatio. Secundùm hanc proprietatem Apoſtolos & ipſis ſimiles Salvator per ſimilitudinem mundo præfecit, non viſibili atque ſenſibili, ſed ei, qui capax eſt divinorum & ſuſceptivus doctrinam ſupernarum. Et ſermo dignus eſt, quod ſibi Salvator in hac ſimilitudine homines hujuſcemodi aſcivit, cùm de ſeipſo dixiſſet: *Ego ſum lux mundi.* Illuminaverat exteriorem mundum ope creatæ lucis, illuminat interiorem luce veritatis. Et humanarum mentium ſe cum Apoſtolis & ipſis ſimilibus lucem facit. Et nihil in ſpiritualibus rebus pulchrius veritate, cujus ſplendore, ſi quæ objici poſſunt humanis intellectibus, cognoſcuntur: Et inobliquè irradiat ſuper humanas mentes, & receptui coaptantes, ut poſſit eſſe acceſſus ad incommutabile bonum. Hanc lucem petebat David, ut ad finem poſitum certus poſſit eſſe acceſſus: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipſa me deduxerunt, & adduxerunt in montem ſanctum tuum, & in tabernacula tua. Et receſſus fit per eam ab eo, quo culpabiliter & noxiè tenebris involuimur. Unde Apoſtolus: Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Per lucem ſiquidem veritatis receſſus fit à tenebris peccatorum. Declinatio contrariorum ad deſtinatum finem iſtius lucis veritate peragitur. Propterea Salvator ait: *Qui ambulat in die non offendit, quia lucem hujus mundi videt.* Hanc lucem Dominus Apoſtolos eſſe voluit per exemplum, atque doctrinam, quam intuentes in ipſis Apoſtolis & Apoſtolicis viris non exorbitent, per agones ſuperna captantes. Lux viva eſt exemplum rationis animalis, ex virtute conſurgens, ab oriente Fidei ortum habens. Suffragatur ſana doctrina in ordine ſuo lucens, & exemplari luci præſtat augmentum. Et dum præſtat, ipſa etiam ſuſcipit incrementum, & adinvicem incrementa ſuſcipientes ſplendidiſſimam lucem faciunt. Suum proprium lucere oportet prætendere, alioquin à tenebris non differret. Primum ſiquidem ſui officii eſt inſiſtentes tenebras effugare, deinde oſtendere, quomodo leventur oculi ad directum. Sicque cùm Apoſtolis dicitur per ſimilitudinem quid ſunt, quid ſint facturi, ex tacito mandato ſuſcipiunt, ne ſit otioſa lucis appellatio, quæ tanto dictatore indicitur.

Matth. 5.
Joan. 8.
Pſalm. 42.
Epheſ. 5.

Cap.

Cap. III.

De ſimilitudine civitatis, ſecundùm Matthæum tantùm.

QUi terrenam civitatem ordinavit ad exercitum & agones hominum, ſupernam verò condidit ad gloriam angelorum, & hominum rectè agentium in terrena, ut ad ſupernam à terrena eſſet aſcenſus ab eo, qui in iſta eſſet virtute probatus. Proinde per ſimilitudinem civitatis docuit, quid mundo Apoſtoli, & conformes utilitatis conferre teneantur, cùm ſine interpoſitione dicit:

Matth. 5. *Non poteſt abſcondi civitas ſupra montem poſita.* In veteri teſtamento legimus mandato Domini, ordinatione Moyſis complemento Joſue, civitates plures factas fuiſſe refugii, ne ad eas confugiens malefactor ſubitò judicaretur ſine magna examinatione judicii. Etenim Apoſtoli, & eorum loca tenentes, penitus ſunt refugium peccatorum, eſſeque debent in patulo, non abſcondi, quoniam poſiti ſunt ſupra montem. Mons verò ſummus ſuper omnes

Daniel 2. Chriſtus eſt Dei Filius, quem Daniel prævidit velut lapidem præſcidi de monte ſine manibus, & in montem magnum erigi, ſuper quo Apoſtoli, & viri Apoſtolici ſunt fundati. Non ergo debent abſcondi, quin ad eos poſſit eſſe refugium, cùm hoſtile ingruerit bellum. Civitas ſiquidem primo conventione localis ſitus conſtruitur, deinde firmatur lege vivendi, & ne incurſantibus non retunſis damna patiatur, circuncingitur muro vel vallo. Apoſtolica civitas conventio eſt Fidelium. Fundatur autem in monte, qui eſt Chriſtus, quoniam,

1. Cor. 3. ut ait Apoſtolus, fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JEſus. Lex, qua vivendum Evangelica, de ſuperis declarata doctrina, cincta muro inexpugnabili virtutum, & vallo timoris Domini. Hæc civitas abſcondi non poteſt, magis verò non debet, quia ſicut Chriſtus, quod non debet, non poteſt: Et quod non poteſt, non debetur. Sic civitas Apoſtolica & Fidelium ſupra ipſum montem poſita, non debet abſcondi. Nam impoſſibile factum erat fidem tegi aliquo diabolico aut hominum velamento. Nec impoſſibilitas abſconſionis erat ex civitate, quæ fundabatur, ſed virtute montis, ex quo civitas ipſa ſurgebat. Etenim Petrus fundabatur in petra, non petra in Petro, petra autem

1. Cor. 10. erat Chriſtus. Sed in ipſis Apoſtolis civitas militans conſurgebat, ipſique in monte altiſſimo, atque immobili fundati erant, qui Verbo prædicationis Evangelicæ per ſigna Verba ſequentia, per ſanguinem & mortem, per univerſum orbem illam fundaturi à Domino parabantur. Hanc etiam civitatem, quæ non debet abſcondi de cœlo deſcendiſſe cognovimus, út & ipſa in cœli monte conſiſtat, quamvis deſcendiſſe dicatur. Non enim terrenum aut humanum, ſed cœleſte atque divinum habet iſta civitas fundamentum. Hinc Joannes

Apoc. 13. ait: Vidi civitatem Sanctam Jeruſalem novam, deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Deſcendit civitas de cœlo, terrenum non quærens, neque cœleſte relinquens fundamentum. Nam ſicut Chriſtus in terra carne degebat, in cœlo deitate: Sic civitas Sancta in terra militat, in cœlo virtute conſiſtit. Quæ tunc abſconderetur, ſi non prædicaretur: Tunc occultaretur, ſi rectè in illa non viveretur. Abſconſa ſiquidem diceretur, quanquam in Chriſto monte fundata, niſi prædicationis altitudine, vita, miraculis per orbem univerſum propenſius reboaſſet. Proinde in omnem terram exi-

Pſalm. 18. vit ſonus eorum, & in fines orbis terræ Verba eorum. Sonus videlicet, quo in ore dicentium & in cordibus audientium miro modo reſonabat, ſicque inoccultabilis erat civitas in divino monte conſtituta. De hoc monte dixerat Iſaias: Venite, aſcen-

Iſaiæ 2. damus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob. Erat quædam mutua invitatio, ut ad Chriſtum, qui eſt mons Domini, veniretur. Et civitas nuntiabatur ſub nomine domus Dei, & glorioſa dicta ſunt de civitate Dei. Sed nunquam glorioſa niſi ex fama, nunquam vera fama, niſi ex his, ex quibus vera fama conſurgit. Sed altiori & perſpicatiori ſenſu hanc ſimilitudinem pertractantes. Chriſtus in hoc ſuos Apoſtolos & diſcipulos commonebat, ut tales in virtutibus eſſent, ut civitatem inabſconſibilem & ſupernam digni fierent nuntiare, ut intelligatur, quantæ debeant eſſe virtutis, qui conſtituti ſunt, ut civitatem in ſuperno monte conſtitutam, non abſcondendam, ſed manifeſtandam ſub juſtis judiciis debeant propalare. Ac per hoc, cùm Salvator dicit: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, in id verus hujus ſcripturæ intellectus trajicitur, ut, ſi eccleſia orthodoxa nunc fundanda, ſi ſupernæ patriæ civitas non poteſt abſcondi, congruè factum eſt, ut per vos, quos elegi inclareſcant. Igitur tales eſtote, ut illas apertè prædicare poſſitis, & inveniamini digni myſterio hujus civitatis.

Cap.

Cap. IV.

De ſimilitudine lucernæ, ſecundùm Matthæum & Lucam.

IMmenſa bonitas & omnibus pro captu recipientium æque liberaliterque ſe præſtans ſupernamque promerentibus datura mercedem, noluit Evangelii gratiam mercede conduci, quamobrem futuris mundi doctoribus non occultandæ lucernæ ſimilitudinem appoſuit, dicens: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Lucerna ſiquidem ſub modio non ponenda, prima inſinuatione ſenſum inoccultationis habet, ſed diſcuſſa ſimilitudo propenſius terrenam mercedem in Evangelica prædicatione condemnat. Similitudo hujus propemodum infimi actus ad divinas actiones attollitur, ut non perſonalis, ſed actionalis ſimilatio ipſa eſſe monſtretur. Lucerna, quæ accenſa ſub modium ponenda negatur, eſt ipſa Evangelica lex. Nam fuit ab æterno lex iſta, quia æternum eſt Evangelium, quamvis in tempore promulgatum, ſed tunc accenſa eſt iſta lucerna, cùm Salvator mundo prædicaturus apparuit, cùm exemplo vivendi, authoritate docendi, ſignis ſupra naturam ſequentibus clareſcere fecit. Hæc lucerna lumen habet inextinguibile in eccleſia Sancta Dei. Nam præceptum erat
Exod. 27. in veteri teſtamento: Ardeat lucerna ſemper in tabernaculo. Quæ Figura in veritate nunc terminata eſt in eccleſia, quoniam non extinguitur, nec extingui poteſt
Job, 21. lumen ejus. Et Job ſuam proſperitatem in tribulatione commemorans, ænigmatice lumen iſtud ſe habuiſſe dicebat. Quando ſplendebat lucerna ſuper caput meum, & ad lumen ejus ambulabam. Nullus ſplendor clarior hujus lucernæ lumine. Nullus inceſſus rectior, quam ad lumen ejus ambulare: Non enim ambulat in tenebris, quoniam lumen eſt vitæ. Hæc lucerna divina eſt ſapientia, cui Salomon adhæſit propenſius, quoniam inextinguibile eſt lumen ejus. Et protinus ipſa ſola introlucet affectibus & intellectibus noſtris, & ſine of-
Pſalm. 118. fendiculo greſſuum noſtrorum ſemitas dirigit. Etenim David dicebat: Lucerna pedibus meis Verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Quid Verbum Dei, niſi Evangelium eructuatum à Verbo Dei? Quid pedes, niſi intellectus & affectus, quibus anima inviſè movetur? Quid ſemitæ, niſi
Proverb. 6. compendia, quæ captamus ad aliam vitam? Mandatum Dei lucernam animarum ſcripturæ ſacræ diffiniunt, ut inoffenſo pede in valle iſta miſeriæ ambulemus. Inquit enim Salomon in moralibus inſtructionibus: Mandatum lucerna eſt, & lex & lux, & via vitæ & interpretatio diſciplinæ. Quod mandatum ſplendidius, quàm mandatum
1. Reg. 3. novum, quod dedit, ut diligamus invicem? Hæc lucerna innocuè lucet, & ardet, quouſque In ſuperna fuerit aſcenſus, ubi lumen ejus erit ſplendidius. Hanc lucernam Evangelicam videre non poſſunt interiores oculi, qui caligant, & homines, qui cum mundo ſeneſcente ſeneſcunt. Nam in libro Regum legitur: Factum eſt in die quadam, Heli jacebat in loco ſuo, & oculi ejus caligaverant, & non poterat videre lucernam Dei antequam extingueretur. Si allegorias reſpicimus, defectum ſynagogæ in iſto homine cognoſcimus, ſi mores, alius offertur ordo loquendi. Senex erat Heli, & præ ſenectute oculi ejus caligaverant. Qui ſunt, qui ſeneſcunt, niſi qui mundum diligunt invereratum? Qui quantalibet florida ætate vernantes, ſi mundo ſeneſcente delectantur, ſi ejus amplexibus amplectuntur, eo ipſo ſeneſcunt, & caligant interiores oculi, ut lucernam Evangelii diſſuadentem hominibus mundi delectationem, & prohibentem amplexum, videre non poſſint, niſi prius extinguatur. Cujus lumen, quamvis in ſua natura inextinguibile maneat, tunc tamen apud unumquemque hominem extinguitur, cùm in ejus non tranſitur affectum, & cùm ad ejus lumen juſtis morum paſſibus non ambulatur. Naturam alteſtonicam habet iſta lucerna, quæ ſemel accenſa nequit extingui. Sed nec ponenda ſub modio, aut vaſe, aut lecto. Modius ad menſuram, vas ad uſum, lectus ad quietem refertur. Hæc Verba tres Evangeliſtæ poſuerunt, ut nec propter avaritiam eorum, quæ menſurari poſſunt, nec propter eorum uſum, quæ tranſeunt, aut propter quietem aliquam perfunctoriam Evangelium prædicetur. Ut à Chriſto ſuſcepimus, omnibus eſt eadem liberalitate donandum, & cujus Finis eſt tota vita, rebus mortalibus non ſubdatur. Procul dubio ſub modio ponitur, ſi præconis cor avaritiam ſequitur, & per eam ejus molimina fulcit, aut quomodolibet ejus nomine augentur opes hominum. Multa in pontificibus, & eccleſiis Chriſto pauperi novimus eſſe data, & monarcha elephanticus Chriſtum induit in Sylveſtro. Si per avaritiam poſſidentur, quæ ſunt largitate

gitate collata, malus uſus inclamitat. Et qui terrena tenebant, & abundabant temporalibus bonis, ad hujuſmodi lumen lucernæ commoti, lucernam hanc in ore moribusque geſtantibus bona innumerabilia contulerunt. Subtus quibus poſitum nunc in pluribus cognoſcitur Evangelium, quod antea ſuperferebatur. Poſita eſt ſub vaſe lucerna, quoniam contra Evangelii veritatem atque charitatem nomine ſuo multiplicata ſunt vaſa, quæ à veſcendo ſortita ſunt nomina, ut velut philargyria multiplicatur in rebus ad recondendum vaſa compoſuit, & prout exarſit in placitum malum, ad funeſtum uſum eorporis innumera procuravit Sed charitas Evangelica theſaurizare non novit, diſpergere autem magis ipſa conſentit, nec convertit aliquid in proprium uſum, quod tamen indigentibus poteſt eſſe commune. Stat interdum abdita ſub lecto lucerna, cùm quies appetitur ex his, quæ ſunt Chriſti Evangelio conſecrata. Et magnam delicioſis quietem appoſitam novimus temporalem, ut nec labor in Verbo, nec ſolicitudo ad prævcavendum periculum animarum, nec exhortatio vel exemplum ad meliora eommonens. Quieſcunt corpora dilatata deliciis, & bonis innumeris vallata tabeſcunt, & tranquillantur ſuper Evangelium, ſub quo laborare debuerunt. Ad effectum verò divinorum lucerna candelabro ſuperponenda eſt, commodis ullis temporalibus non ſubdenda. Injuria fit legi ſimiliter & latori, ſi ea, quæ ad æterna ordinata noſcuntur, ad temporalia referantur. Attollitur ſiquidem candelabrum à terra ſtylo quodam diſpoſito ſuper baſim, ſuper quod poſita lucerna pluribus lucet, quia nec ipſe qui accendit aliter quam ſuper candelabrum poni voluit, quam tunc accendit, quando prædicavit, tunc ſuper candelabrum poſuit, quando mentes ad ſuperna ſubvexit, tunc detexit à modio & à vaſe, quando ſine ſaculo, pera & fulcimine ſtatuto vitæ temperalis ſuos prædicatores expoſuit, in ſe primo perficiens, quæ alios facere docuit. Quod doctor gentium non accepit in vanum, cùm penitus ſine ſumptu poſuerit Evangelium, qui cùm poteſtatem haberet de Evangelio vivere, illa uſus non eſt, nedum quod aliam vellet de Evangelio captare mercedem. Ad Corinthios inquit enim: Sed non uſi ſumus hac poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti. Neſcitis, quod qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt? Qui altari ſerviunt, cùm altari participant. Ità & Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Ego autem nullo horum uſus ſum. Bonum eſt mihi mori magis, quam ut gloriam meam quis evacuet. Quæ eſt ergo merees mea? Ut Evangelium prædicans ſine ſumptu ponam Evangelium, ut non abutar poteſtate mea in Evangelio. Caſſa porro fuiſſet prædicatio Evangelii, ſi in corde aut in moribus prædicantium temporalis commoditas inſediſſet. Plus veritas Evangelii claruit in paupertate prædicantium, & magis ad illam converſi ſunt audientes, quàm in virtute miraculorum. Eo enim ipſo cognitum fuit Evangelium eſſe divinum, quod à divinis hominibus nuneiabatur, quo temporalia commoda non quærebant, nec ex ipſo vanæ ſunt quæſitæ mercedes. Removit à lecto quietis, eùm fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem. Et Apoſtoli juſſu ejus euntes ibant & flebant, mittentes ſemina ſua. Et in laboribus plurimis ſe fuiſſe Paulus teſtabatur Apoſtolus. Super candelabrum lucerna tunc ponitur, eùm Evangelium in ſua libertate prædicatur. Porro candelabrum eſt ipſa libertas, ſuper quam lucerna Evangelii ponenda eſt. Aut ipſam catholicam eccleſiam per candelabrum intelligere poſſumus ſuper quam eſt Evangelium. Nulla enim ſecta vel eoncio præterquam eccleſia lucernam Evangelii pro veritate habet, nec ejus lumen hujus claritatis infulſit. Nam & candelabrum pro tanto myſterio, ſimiliter & magiſterio, mandato Domini diſpoſitum eſt in veteri teſtamento cum haſtili, calamis, ſphærulis, nucibus & ſcyphis infuſoriis, emunctoriis, catholicam eccleſiam ſua ordinatione figurat, ubi Evangelii lucerna plene refulget his, qui ſunt in domo, & his, qui venire decernunt.

1. Cor. 9.

Exod. 25.

Cap. V.

De ſimilitudine dextri oculi, dextræque manus ad ea, quibus magis homines afficiuntur, ſecundùm Matthæum.

SCriptum eſt, quoniam vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, non ſolùm ſeparatæ ſubſtantiæ, ut angeli, ſed inviſibiles & unitæ, ut animæ, ac etiam ſi qua ſunt in re corporea ordinata, ut ab hac bonitate naturarum nulla eorpora excludantur, quanquam multa differentia corpora ipſa diſtinxerit. Et ut alias differentias prætermittam, nulla præterquam humana fecit inſtrumenta virtutis, quibus animas creando infudit, & infundendo creavit, quæ capaces ſunt virtutis & vitii, ſicut

esse possunt pœnæ vel præmii & beatitudinis atque miseriæ. Igitur humana membra bona sunt bonitate naturarum, seu bonitate, qua sunt in ordine entium. Possunt autem esse meliura, prout facta sunt instrumenta virtutum, ut cujusque vita tanto sit criminosior, quanto ipsa fecerit instrumenta vitiorum, & tanto majoribus suppliciis anima fodiatur, quanto majoribus criminibus statuerit illa servire. Proinde Salvator omnium membra quæ bona fecerat, ad meliora ordinaverat, & extollere super cœlos decreverat, à malo usu avertit, ne gehen nam, quam pro hominibus non fecerat patiantur, dicens: *Quod si oculus tuus dexter* Matth. 5. *scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Et de dextra manu similiter dixit. Veruntamen nec credendum, quod cuiquam mandaverit aut voluerit à seipso vindicario jure membrum ob actum crimen abscidi, aut interfici, quamvis hoc permittat judici decernenti, & de morte inspiraverit ipsi Samsoni. Nam judici permittit in criminosos decernere, ne conturbent Rempublicam, vitamque moralem, aut ne lædant quempiam singularem. In figura verò futuri mysterii Samsoni cæco inspiravit & mortem. Non autem concedit hominibus, ut sibi membra detruncent, etiam si malè ipsis utantur, nec ut aliquid à seipsis faciant, ut moriantur, sed ut devitent, & abscidant ipsorum perperam usum, & ne subdant vitiis instrumenta Ibidem. virtutum. Hoc siquidem ex superioribus pender. Prædixerat enim, quia, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Idcirco à malo visu oculum comminando divertit, ut abscidatur impudicitia visus, non ut eruatur, qui bonus creatus est oculus. Similiter tollatur manus opus malum, non abscidatur ipsa, quæ naturæ est bonum. Quòd verò dexter oculus & dextera manus dixit, ad id, quod magis in concupiscentia & in operibus diligimus plene refertur, ut in oculo concupiscentia, in manu opera nostra signentur, eo, quod incomparabiliter magis expediat amaris concupiscentiis, & dilectis operibus malis in hac vita carere, quæ pars est vitæ, quàm sine remedio in gehennam in tota futura detrudi. Scandalum verò, nisi devitetur proveniens, est omne quod Deo displicet, & animam lædit. Sed nec immerito Salvatori placuit illa, quibus magis afficimur assimilari dextro lumini, dextræque actioni, quoniam in his etiam corporalis secundùm suum proprium fortior noscitur virtus, ut si dextri & sinistri altero penitus carere contingeret, eligere potius nobis remanere, quod dextrum, etiam recipientes in donum, si inevitabilis alterius deberet esse abscisiu, relicto dextro, quod sinistrum est, tolleretur. Proinde quicquid illud esse contingat, quod magis allicit, quo magis afficimur, quod præ cæteris nos delectat, omnino privari velimus potius, quam tradi ardoribus sempiternis, dummodo scandalum parit, quoniam indeclinabilis optio est hominibus prærogata, ut aut vitæ præsentis dulcedine scandalizante, aut gaudiis æternis priventur, privatos detinente gehenna.

Cap. VI.

De similitudine oculi ad lucernam, secundùm Matthæum, Marcum & Lucam.

LUmen æternum de æterno lumine natum suum contrarium nun finit incognitum, & quoniam inobliquè procedit in eos, quos æternè illustrat, rectitudinem in eis infusi luminis in his, quæ animo concupiscente operibus agunt, ut non sit anfractuosus processus creati luminis, similiter & per gratiam jam infusi, omnino in hominibus quærit, fatagens & præmonens ne præter rationem dati luminis contrarium fiat, per similitudinem lucernæ, ad cujus lumen de nocte ambulamus, oculum corporis intelligere voluit, quem retulit ad oculum cordis, dicens: *Lucerna corporis tui est oculus tuus.* Matth. 6. *Si fuerit oculus tuus simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus* Luca. 11. *nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Quæcunque lucerna sit, lucet & non videt. Lucerna quæ est oculus, videt, & non lucet. Lucerna fugat tenebras, oculus verò non fugat. Lucerna quæ illuminat, omnino non novit, oculus verò illuminata cognoscit. Lucerna monstrat quid cogno-

cognoſcatur, & quo pergatur. oculus verò cognoſcit, & peragit. Quid igitur eſt, quod oculus corporis aſſimilatur lucernæ alicujus liquoris virtute lucentis: cùm oculus videat, & non luceat, lucerna luceat & non videat, niſi quia introrſum iſta ſimilitudo trajicitur, ubi eſt lucerna inviſibilis, quæ videt & lucet, inſita ſcilicet hominibus ratio, quæ corporis lucerna nomine oculi à Domino appellatur, quæ lucet in corpore dirigendo corporis actiones, & videt, atque cognoſcit, quæ objiciuntur in utroque hominum ſenſu, unde prout ad lumen lucernæ nocturnæ ubi lucet, fugantur tenebræ, ſic ad lumen rationis ignorantiæ depelluntur. Optimum autem rationis lumen eſt fides, quæ inter potentias animæ ſolùm in ratione ſtatuit ſibi ſedem, quæ redivivam facit, velut cum ad aliquod ſuſceptivum luminis ignis apponitur. Si qua enim fuit ab initio quorumcunque hominum ratio præter fidem, ambulavit in tenebris. Et vani facti ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex. Scientiam Dei propriè intelligimus fidem, quam philoſophi non habentes rerum non intellexerunt artificem, quem omnino eſſe negaverunt, mundum abſque lumine fidei diffinientes æternum. Quantalibet enim perſpicuitate ad inveſtiganda ſecreta naturæ, atque ipſius oſtenſibiles actiones hominum ratio vigeat, tenebroſa eſt, cæca eſt, & quo vadat ignorat, niſi fidei lumine illuſtretur, cùm quodam alio lumine naturali, differenter tamen ratio hominum ſoleat illuſtrari, quod eſſe ſuo modo lumen negare non poſſumus, quod oppoſitum fidei tenebras appellamus. Proinde Salvator adjecit: *Si lumen quod in te eſt, tenebræ ſunt, ipſæ verò tenebræ quantæ erunt?* Qua ſententia duo accepimus eſſe genera tenebrarum. Unum quo ratio non illuſtratur lumine fidei, etiam ſi aliter ipſa refulgeat, aliud quo peccatis homines involvuntur, ſpreto, quod natura lex & virtutis judicium dictat. Inter quæ genera tenebrarum hanc cooperationem Salvator appoſuit. Si lumen quod in te eſt, quodcunque videlicet rationis acumen, ſive ſplendor ſpreta fide tenebræ ſunt, ipſæ peccatorum tenebræ quantæ erunt? Quod ſi comparative accipimus, pejor eſt peccatorum actio, quàm lumen fidei non habere. Si verò cauſativè hanc inveſtigamus ſententiam, alium ſenſum parit, ut carere lumine fidei multorum ſit cauſa malorum, & illæ tenebræ innumeras & magnas generent tenebras peccatorum. Porro non trahatur in dubium, quod carentia fidei aut fides ſuſcepta & nutans, criminum & ſcelerum & peccatorum tenebroſam noctem inducit. Nam ſine fide impoſſibile eſt Deo placere. Et fides nutans non operatur, quæ tenebras mortis habet, quia fides ſine operibus mortua eſt. Non placere Deo, & in fide non operari, magnas tenebroſitates habent, quibus malorum actuum adjicientur profectò majores. Ad clariorem verò intellectum de oculo ſimplici & nequam, unde talis comparatio, ſeu malorum cauſatio ſumpta eſt, intentionem & actionem oportet inducere, ut intentio ſit oculus, actio verò corpus. Proinde ſi intentio hominis fuerit ſimplex, puta videlicet duplicitate carens, ſimplex ſimplicem duntaxat incompoſitum diligens & quærens, & ſibi ſoli ſerviens, totum corpus, omnis ſcilicet actio lucida erit, & clara, & grata honorum omnium, non perſonarum huminum acceptori. Si verò intentio nequam fuerit, quod ſequitur eſt manifeſtum, quoniam arbor mala malos fructus facit, & tenebroſa intentio tenebras operum peperit, quam ſummopere oportet inquirere quid inquirat, quid velit, quove tendat, quoniam ipſa eſt lucerna & oculus actionum. Quæ ſi velut nequam peccatorum verſatur in tenebris, multas & graves eorum efficiet tenebrarum oculus horriditates. Ac per hoc oportet habere intentionem ſimplicem, ut ſolùm ab æterno ſimplicem quærat, quia nemo poteſt duobus Dominis ſervire, quæ ſententia ſtatim ad iſtam ſequitur. Necnon & fidem ſimplicem, quia ipſa non habet ex rebus & cauſis, aut ex accidentibus compoſitas rationes, quoniam qui compoſitas rationes quærit in ſimplici fide, cùm non inveniat, non venit ad fidem. Si autem venit, velut imo hæreticus receſſit ab eadem, aut hæſitans non faciet bonum, aut in tenebris verſabitur peccatorum. Quàm verò utilis & accepta ſit DEO ſimplicitas intentionis & fidei, quàm verò in illa ſervientes Domino jure lætati ſunt ad animandum DEI ſervos, ſcripturarum ſanctarum teſtimonia perquiramus. Simplici intentione Abel munera Deo obtulit, Genes. 4. ad quem reſpexit Dominus & ad munera ejus. Cain autem intentione nequam, qui & reprobatus eſt. Et Jacob vir ſimplex in Genes. 27. tabernaculis habitans, aſſecutus eſt hæreditatem & primam benedictionem paternam, quam Eſau in ſylvis venatione vagus amiſit. Et David, cum ad ædificationem plurima congregaſſet, Deum benedicens aſſeruit ipſum ſimplicitatem diligere, ſibique omnia 1. Par. 29.

grata, quæ in ſimplicitate offeruntur. Unde Paralipomenon legitur: Scio Domine Deus, quod probes corda, & ſimplicitatem diligas. Unde ego in ſimplicitate cordis mei lætus obtuli munera hæc. Simplex, incompoſitus & benignus & largus eſt Deus, & tales ſervos quærit & diligit. Et tunc in ſimplicitate cordis munera offeruntur, cùm in omnibus actionibus nil aliud, quàm Dei honor & placitum quæritur. Et Paulus admonet, quod quæ tribuuntur Deo vel proximo, in ſimplicitate tribuantur. Ac etiam carnalibus Dominis ſervis jubet in ſimplicitate cordis ſervire. Ad Epheſios enim inquit: Obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in ſimplicitate cordis. Altè cogitavit Apoſtolus ſimplicis interioris oculi fructum, cùm mandavit ſervis carnalibus dominis in cordis ſimplicitate ſervire. Porro ſimplicitas interioris oculi eſt, non variata intentio ad diverſos fines, nec præterquam unum ſimplicem Deum in his, quæ agit, & diligit, in præmio quærit, Et ab omnibus abſoluta commodis, à judiciis hominum libera, laudes & opprobria hominum æquè pendens, ſolum Deum quærit in teſtem, & judicem & remueratorem bonorum. In qua ſapientia Deum quærere jubet: In ſimplicitate cordis veſtri quærite illum. Neſcit Deum tentare ſancta ſimplicitas, idcirco ejus conſpectibus DEUS quæſitus offertur. Propterea ſequitur: Quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum, & apparet, qui fidem ſimplicem habent in illum. Et hoc eſt, quod Apoſtolus præcavet, timendo, ne à ſimplicitate fidei excidant ſervi Chriſti. Timeo enim, inquit, ne ſicut ſerpens Evam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate fidei, quæ eſt in Chriſto. A ſimplicitate fidei homines excidunt, cùm rationes eorum, quæ per fidem ſolam tenentur, inquirunt. Solùm quidem hoc eſt de ratione fidei, humana & compoſita ratione carere. Necnon à ſimplicitate fidei exciditur, cùm infima, quæ DEUS in carne geſſit, à curioſis & ſuperbis animis dedentur, aut cùm actiones Evangelicæ, quæ noſtris ſenſibus adverſantur, in gratum mentis non veniunt, ſed potius apud multos in diſplicentiam & odium transeunt. Optima eſt in virtutibus Chriſtiana ſimplicitas. Nam qui ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter, qui autem depravat vias ſuas, manifeſtus erit. Et alibi ſcriptum eſt, quod ſimplicitas juſtorum diriget eos, quia non eſt ſecurior & directior via juſtis, quàm in ſimplicitate ambulare. Et beatus Job ſimplex & rectus appellatus eſt. Ideo ſimplex, quia rectus: ideo rectus, quia in ſimplicitate cordis coram Domino ambulavit, quia DEUS ſimplicem non projicit, magis verò eum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Et ad ornatum charitatis etiam ſimplicitatem oportet aſſumere, ut Petrus ait: Simplici corde invicem diligite. Simplicitas vera ſine reprehenſione conſtituit poſſeſſorem, & tales habere ſpirituales filios DEUS quærit. Et hoc eſt, quod Apoſtolus ad Philippenſes admonet, dicens: Omnia autem facite ſine murmurationibus & hæſitationibus, ut ſitis ſine querela, & ſimplices filii Dei ſine reprehenſione in medio nationis pravæ & perverſæ. Oculus verò nequam malus eſt. Quod Jeſus Jeroſolymita non tacuit, dicens: Memento quoniam malus eſt oculus nequam. Nequius oculo quid creatum eſt? Intentio nequam mala penitus eſt, qua nihil nequius invenitur, quia ſæpe ad ea conatur, quæ nequit efficere, à qua cuncta mala procedunt velut à virulenta radice. Propterea idem experiri, atque cognoſcere animam jubet. In vita tua tenta animam tuam, & ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem. Animam tentare intentionem eſt experiri, quæ ſi nequam fuerit, nunquam poteſtatis ei præſtetur effectus. Nam prius in omnibus perquiratur intentio, antequam in effectum operum veniamus, quoniam bona & mala magis per intentionem rectam vel nequam, quam per id, quod exterius agitur, à domino judicabuntur. Et per Iſaiam maledictio datur ſemini nequam. Semen nanque intentio nequam, quia velut à ſemine fructus, ſic ab intentione actus malus vel juſtus. Et contra ſimplicitatem duplicitas è regione conſiſtit, quam ſcriptura prohibet & condemnat: Ne acceſſeris ad Deum duplici corde. Et iterum: Væ duplici corde. Et: Væ peccaturi terram ingredienti duabus viis. Et: Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus operibus ſuis. Duplex corde aut animo eſt, & terram duabus viis ingreditur, qui de his, quæ agit, temporalem & æternam vult captare mercedem, & Deum quærit, & homines hujus ſæculi pariter oblectare. Duplex corde, aut animo eſt, qui agit verſutè cùm quibus loquitur, & obſervatur. Nam unum eſt in corde, aliud in ore, cùm ore blandirur, corde decipere tentat. Simplicitas eſt libertas ab omni verſutia & aſtutia, quæ, quod corde gerit, ore profert: quæ decipi non vult, decipere nunquam novit. Ad quam ſuos ſervos Salvator hortatur; Eſtote ſimplices ſicut columbæ.

Ephes. 6.
Sapient. 1.
2. Cor. 11.
Proverb. 10.
Proverb. 28.
Job. 1.
1. Pet. 1.
Philip. 2.
Eccluſ. 31.
Eccleſ. 37.
Iſaiæ 2.
Eccleſi. 3.
Ibidem 2.
Ibidem.
Jacobi 1.
Matth. 10.

Cap.

Cap. VII.

De ſimilitudine volatilium cœli, ſecundùm Matthæum & Lucam.

QUem ad ſuam imaginem & ſimilitudinem omnipotens fecerat, & ad ſeipſum per internam conſiderationem erexerat, nolebat implicari à diſtrahente animum ſolicitudine terrenorum, ne fieret illis per terrenorum occupationem inferior, quibus per dignitatem ſuperior factus eſt. Idcirco ad removendam ſolicitudinem ſuperfluam atque damnoſam, ſimilitudinem volatilium cœli, & liliorum agri ſuo Verbo Salvator induxit. Volatilia pro victu, lilia pro ornatu connexit. Victum volatia quæſtuoſè inveniunt, & ſuſcipiunt, abſque quod impendant ſolicitudinem ad futura. Et ſentiunt ſenſu carnis, quo de loco ad locum, & ad ſuas naturales actiones moventur. Lilia verò ſenſu carent, & quæſtu non moventur, niſi ab alio muta, & ornantur & veſtiuntur decore naturali, ultra quàm ars humana poſſit efficere aut imitari. Quod autem eſt victum quærere ad conſervationem ſui à natura ſumpſit judicium, ſed nec ipſa paſcit ſenſibilia, niſi ad paſtum ipſa moveantur. Quod eſt ornatum eſſe, ipſa natura fecit, abſque quod ipſa ornanda per ſeipſa moveantur. Unum ad eſſe pertinet, alterum ad ornatum eſſe refertur, ut eſſe, & bene eſſe, bene eſſe, & melius eſſe in his duabus ſimilitudinibus intelligatur. Sed hæc ſimilitudo diſcuſſa propenſius, intellectum in altius provehit. Quinto die à creatione mundi volatilia eſſe creata, ex ſcriptura ſacra didicimus, & hominem eſſe productum legimus ſexto die, quo in ſpecie nulla creatura poſteriur. Invenit ipſe ſiquidem alia univerſa creata, cùm educeretur in eſſe, quibus omnibus ſenſibilibus ipſe erat ſuperior, ut referret conditori gratias, quod in tam magnam ædem eum induxerat, rebus innumeris & variis opulentam, ut haberet quid ſumeret ad valetudinem corporis, & quid conſideraret in actu ſpeculationis, & in aliquibus ſumeret vitæ compendium, in aliquibus verò vivendi captaret exemplum, ut etiam creatura irrationalis atque inſenſibilis creaturæ rationali modeſtè vivendi tacendo magiſterium daret. Quod nunc Salvator mundo novus apparens aperuit, cùm volatilia ad rectè vivendum produceret in exemplum, cùm ſuperfluam ſolicitudinem à cordibus & ab operibus hominum vellet arcere. *Reſpicite, inquit, volatilia cœli, quoniam non ſerunt neque metunt, neque congregant in horrea, & pater veſter cœleſtis paſcit illa. Nonne vos magis pluris eſtis illis?* Omnia quæ poſſunt in iſta ſenſibili mundo in uſum utriusque hominis pervenire, Deus propter hominem, non hominem propter illa creavit. Unde ſi Deus rebus minoribus relatis ad aliud ſine ſolicitudine providet, multo amplius ei, cui referuntur. Volatilia non ſeruut neque metunt, neque in vaſis quidpiam congregant, tam illa, quibus communis eſt paſtus, quàm illa, quibus eſt omnino diverſus. Gregatim ſiquidem vadunt ad eſcam, quæ paſcuntur ſeminibus aut fructibus arborum ſeu terræ naſcentiis. Quæ verò cadaverum carnibus, aut in mari vel lacubus piſcibus intendentes, vivendi ſimiliter eſt una proportio. Tantum hoc eſt ab omnibus à natura remotum, quod artibus vivere non conrendunr, ut ſerant ſemina terris, maturas ſegetes metant, & excuſſa paleis grana congregare velint in communem ſeu propnum dominatum. Nihil amplius quærunt, quàm quod eis natura conſtituit. Nec variant paſtum, niſi quod eis eſt inſitum à natura. Nec in aliam horam, aut in craſtinum aliquid providere noverunt. Tempus præſens eſt in cura, quando eſt hora paſcendi. De futuro non norunt etiam cogitare. Nihil ſibi in rebus appropriant, nec quærunt in re aliqua velut in propria ſingularem dominatum. Ad horam noverunt paſcere pullos ſuos, nec quicquam pro eis reſervaverunt in tempus Fovent illos in nidis, quouſque ab eis poſſint avolare, deinde relinquunt, cùm noverunt quærere paſtum. Non eis vivendi anxia cura, cùm plus quàm expediat, non requirant. Et in hoc ſunt divites aves cœli, cùm nil ſuperfluum velint, cùm regiones & terras, arbores & ſemina non diviſerint ad paſcendum, cùm nulli ſit aſſignata proprietas, & cum propna non vendicant, in communi divitias habent. Exemplo quorum ſuos ſequaces Salvator ad vivendum inſtruit, & arguit eos, qui aliter vivunt, forma volatilium derelicta. Quid igitur eſt, quod ſolicitudo tam mordax cruciat nos mortales, quibus eſt tam vita modica ſuper terram, ut providentes craſtinum, in hebdomadam, in menſem & annum, ut nulla ſit animæ in cogitando quies, & corpus non niſi laſſitudine requieſcat. Et multi providentes ſibi per hebdomadam in futurum, diem craſtinam non viderunt, & per menſem, non impleverunt hebdomadam, & in annum plurimi ante noviſſimum deceſſerunt. Quid enim eſt, quod in hoc mundo propnum homines quærunt, ubi ſolum mori ſive peccare hominibus

Matth. 6. Lucæ 16.

bus factum eſt proprium ? Nunquam vel nemini præterquam peccare poteſt eſſe proprium, ubi mortis ſuper omnes regnat imperium. Quid tanta proviſio in futurum, cùm ſæpe mors homines ex hoc mundo ante proviſum tempus eripiat ? In vanum & ad crimen acuta ſolicitudo pro futuris inſtat hominibus, ſi munera & vivendi alimoniam in omni tempore Dominus præparat, quod omnibus fieri per pſalmodiam David enunciat, dicens : Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione. Quid enim aliud quæritur, quàm vitæ habere fulcimen in tempore opportuno ? In non opportuno criminoſa eſt ſolicitudo quærentis. Verecundiores ſunt hominibus aves cœli, quæ opportunitatis & naturæ contentæ limitibus, irreprehenſibiliter operantur, atque quieſcunt. Non enim aliunde homines in juſtam reprehenſionem deveniunt, niſi cùm opportunitatem atque naturam improbiter conantur excedere. Sed nonne Joſeph in Ægypto ſepteno annorum numero providit in tempora ? Unque dixerim, ſed in ſacramento magni & futuri myſterii, & quia infallibilis ſeptena futura erat oſtenſa ſterilitas, quam Deus ideo præoſtendit Domino Pharaoni, ut Joſeph interpretaretur, & per eum opportunè provideretur. Et multi Sanctorum patrum habuerunt divitias reſervantes in craſtinum, & ad hæredes derivantes in poſterum, adverſùs quos non poſſumus de jure cauſari. Sed nec condemnamus divitias, & res reſervatas pro Filiis, pro conjugandis puellis, pro defenſione Reipublicæ, quorum intereſt opportunè atque modeſtè providere in craſtinum, ſed ſuperfluam ſolicitudinem, criminoſum quæſtum, & retentionem improbam, præter id, quod modeſtiæ atque opportunitatis & ordinatæ naturæ regulam habet, Chriſtus improbat, cujus authoritate ſuffulti, & nos penitus improbamus. Et quod ad Adam à Domino dictum eſt : In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, laborem & ſolicitudinem ſibi creator omnium poſuit, ſed temperavit cùm dixit, veſceris pane tuo, non ſolicitudinem damnans, qua modeſtè conquiruntur compendia vitæ, ſed illam, quæ neceſſitatis & naturæ jura tranſgreditur. Proinde ſi Dominus auibus cœli ſine ſolicitudine ipſarum providet, quæ coram eo pro modico ſunt, quanto magis nobis, qui coram ipſo tanta dignitate conſtamus, ut ad ſimilitudinem illius noſtra ſit facta creatio, & in temporis plenitudine reaſſumpta, & in ſanguine Verbi & morte facta redemptio, & cum ipſo æterna gloria expectetur. Quo ſenſu Salvator adjecit : Nonne vos pluris eſtis illis.

Pſalm. 144.

In Geneſ. 3.

Cap. VIII.

De ſimilitudine liliorum agri, ſecundùm Matthæum & Lucam.

REcolimus ex ſcriptura Deum primos homines nudos in paradiſo ſtatuiſſe, nec ante peccatum neceſſitatem ſtatuiſſe veſtitus, ne ſic homo implicitus à divina contemplatione vacaret. Nec poſtquam eſt appoſita neceſſitas veſtimenti, voluit homines involvi ſolicitudine nimia, quos rectè agentes erat æterna gloria veſtiturus. Et pluris eſt victus diſſuaſiſſe ſolicitudinem, quàm veſtitus, cùm victus ſit conceſſus homini etiam honeſta nuditate regente. Quod autem minus confert ad neceſſitatem inquirere, ſit majus ad crimen. Excepto Chriſto Adam in hominibus nemo ex creatione nobilior, cui & ſociæ Dominus poſt peccatum tunicas pelliceas fecit : etenim ante illam lethalem inobedientiam veſtire non erat indignum. Sed quales veſtes dedit in remedium poſt peccatum, talium ſolicitudinem non removit. Et cùm Ipſe amplius ſic non eſſet daturus, prærogata forma veſtitus, ut ſe veſtiant, reliquit hominibus. Nunc verò veſtimentorum impertinentem ſolicitudinem removet, agri lilia proferens in exemplum, ut in rebus inſenſibilibus & terrænaſcentiis formam veris moribus capiamus, dicens : ***Et de veſtimento quid ſoliciti eſtis ? Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, non laborant neque nent. Dico enim vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex illis. Si autem fœnum agri, quod hodie eſt, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos modicæ Fidei !*** Quæſtione animos hominum pulſat ſimilitudo appoſita, & ſententia ſeu diſſuaſio Salvatoris, cùm poſt initiale hominis malum, veſtiri quædam ſit introducta ab hominibus neceſſitas, tum propter aeris intemperiem, tum propter honeſtatem. Nam honeſtas quædam eſt humani corporis veſtimentum, poſtquam corpus fuit funeſtis moribus dehoneſtatum, & honeſta membra obteguntur veſtimento, in quibus excitata eſt rebellionis & inobedientiæ turpitudo. Et quan-

quam Deus, unde possint fieri vestimenta, producat instrumento & ordinatione naturæ, non tamen fiunt, nisi solicitudo apponatur ex arte. Quid igitur est, quod dicit: de vestimento, quid soliciti estis, in considerationem insensibilium nos inducens, ac si vestimentorum nulla opportunitate premeremur, vel sic largiturus esset posteris, sicut dedit parentibus primis, aut si peccatum esset ex arte vestiri, cùm ex natura vestita in exemplum proferat lilia campi. Sed nonne ministerio artis, solicitudine quærentis potius aut indigentis, etiam à Sanctis viris sunt vestimenta quæsita? Et ut de his non fileam, quæ sacra scriptura commemorat, filios patriarchæ Isaac legimus non solum vestimenta, sed
Genes. 27. duplicia habuisse. Nam Esau venatum ad
imperium patris vadens, vestimenta domi
Genes. 27. reliquit, cum quibus à Jacob est in pater-
Genes. 37. na benedictione præventus. Et ipse patriarcha Jacob, Joseph fecit tunicam polymitam & talarem. Et Joseph suis fratribus stolas in Ægypto dedit. Et de vestimentis adhibita est non modica cura, maximè in Levitis. Et reges Juda & Israel induti sunt regio cultu. Et sacerdotes & propheræ non solum vestes, sed etiam ab aliis distinctas habebant. Et Christum legimus pharisaico more vestitum, & Sanctos novi testamenti suo more vestitos, quanquam aliquos reperiamus ob vitæ austeritatem ad tempus nudos mansisse, quod nec potuerunt vestimenta ex his, quæ natura produxit, sine artis solicitudine atque mentis studio corporibus hominum coaptari. Sed aliud est ex necessitate aut status appositione, aliud ad ornatum & ex curiositate vestiri. Primum Salvator nullo pacto condemnat, cùm incumbit tempus algoris, aut cùm homo vestitur ratione pudoris, seu cùm status hominum est in causa, cùm consuetudo antiqua hæc habeat reges & principes à subjectis populis distincto vestimento secerni, & sacerdotes & quomodolibet insulatos, à cæteris quadam amplioritate vestium insigniri. Sed hoc quippe protinus damnat, & solicitudinem culpat, quod ad perperam pertinet, quoniam omne vestimentum supergrediens naturæ necessitatem, conservandumque pudorem, propter quod appositum statum in hominibus habet ostendere, accusationem justam iniquitatis nanciscitur. Et inexcusabile factum est Christiano, quod necessitati, & pudori, aut ex multitudine, aut ex pretio, aut ex vanitate in vestimentis superfluum quæritur. Proinde Salvator dicit: *Considerate lilia agri, quomodo crescunt, non laborant neque nent.* Crescunt lilia sine solicitudine, incrementum illis præstante natura, sed nec laborant, ut crescant, nec ut cibum ad augmentum inquirant. Nere non norunt, ut vestiantur, aut varient nendo colores, ut nec Salomon in sua pentia illa potuisset excedere varietate colorum. Illatus est solus rex Salomon in exemplum, cùm multi reges ornati, sapientes & purpurati jam in omni populo præcessissent, quia, quibus ipse loquebatur, Salomon notior erat, & creditum ab Hebræis, quod omnes in sapientia excessisset. Idcirco ipse in comparatione liliorum submittitur, cæteris prætermissis. Ac per hoc Salvator rationabili argumento concludit in mentibus hominum: *Si autem fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit illud, quantò magis vos modicæ Fidei?* Juxta hominis sensum loquens, multicoloria sunt lilia, & omne fœnum agri, ut plus natura, quàm arte colorata refulgeant, quæ Deus sic variis coloribus vestit, quantò magis rationabiles homines, ad quorum utilitatem hujusmodi sunt creata. Et irrefragabilis ratio dictat majori diligentia esse curandum, cui est promissa æternitas, quam quod naturam habet ephimeram, seu subito quod augmentum suscipit, evellitur, & ad usum sæpe adjicitur, pro quo fuit in esse productum. Et modicæ seu nullius Fidei crimen incurrunt, qui accuratè multis coloribus vestiuntur. Et per prophetam Jerusalem im- Isaiæ 9.
probatur, quod vestimenta multicoloria sumpserit, & vestita sit eis. Et vestimentum mixtum sanguine erit in combustione, & cibus ignis. Tunc vestimentum mixtum est sanguine, cùm peccato conjungitur, opportunitatem justam prægrediens. Adjicitur verò igni, cùm de illo solicitus justa pœna plecteretur. Ubicunque autem in sacra scriptura diffusio solicitudinis invenitur, non omnis solicitudinis intelligendum est diffusionem fieri, sed anxiæ, timidæ, philargyricæ, confusivæ, infirmæ, adducentis mœrorem superfluæ, noxiæque curæ, prævenientis tempus in tempore non completo, prægnosticantis & conjecturantis illa, quorum solus Deus est cognitior.

Cap. IX.

De similitudine festucæ & trabis, ad devitanda judicia, secundum Matthæum & Lucam.

VOlens etiam Salvator temeraria hominum removere judicia, similitudinem festucæ apposuit ad parvas culpas judicati, trabis autem ad magna crimina judicantis. *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non consideras? Aut quomodo dices fratri tuo, frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est in oculo tuo. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Homo alti cordis & sublimium oculorum protendit in proximum, & ad se non reciprocat visum, & acutè considerationem nequam defigit in illum, à sui perquisitione deficiens. Arguit aliorum inspector à semetipso recedens ipsorum crimina, & parua magna, & magna maxima facit. Et quod in aliis ad similitudinem festucæ leve est, velut trabem ponderat. Et pondus suorum criminum prægravans velut trabem, sicut insensibilis festucæ levitatem putat, quod est iniquitas pessima, & peccatum maximum apud Deum. Omnis autem sanæ investigationis & dijudicationis author incognitam & incertam culpam nemini debet judicando imponere, veram & certam non amplius quàm fuerit aggravare, imo gravem credere levem, & ubi possit fieri sine crimine, scutum excusationis apponere. Suam autem, quam investigare certius potest, parvam magnam, & magnam per excessum enuntiet. Quoniam unicuique notior sit sua quæcunque minor iniquitas, quam cujuscunque alterius iniquitatis qualiscunque majoritas. Ac ex hoc magis unusquisque non solum in magnis, sed etiam in minimis debet arguere semetipsum, quàm in magnis criminibus etiam per indicium impingat in proximum. Non enim potest justè pronuntiare de aliis, qui in propriis deviat. Et cùm iniquitas gravat propria judicium rationis non sinit rectè judicare de cæteris. Purgatum esse oculum decet, qui clarè vult alios intueri. Et purgata ratio debet esse à tenebris, quæ fugare aliorum nebulas cupit. Munda sit manus, quæ alios studet abstergere. Hinc Salvator dicit: *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non consideras?* Quid armaris ad judicandum in minimis proximum, & temetipsum non prospicis magnis sceleribus obvolutum? Non est hic charitas, te despecto in criminibus alios velle curare. Charitas porro esset, si corpore patiens, temporalibus minoratus fratri auxilium ferres. Non hic veritas fructuosa, si te relicto severitate judicii tendis in alium. Nulla honestas, cùm ab eo, quod quis in alio arguit, æquè vel amplius in seipso prius arguitur. Detestanda est audacia, quæ modicam culpam per censuram in alio reprehendit, & magnam in seipso non sentit. Quid verò agendum culpando monet ipse Salvator, cùm hoc malum ad hypocritam asseruit pertinere, dicens: *Hypocrita, ejice primum trabem, quæ est in oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Ille quem propria iniquitas gravat, videre non debet, aut rectè non videt, quid in alio reprehendat. Sed nec impingimus in illos malos, quibus vera inest authoritas, quam supprimere non potest omnis iniquitas, sed illa duntaxat absque fide, seu quæ inficitur hæretica pravitate. Habent in potestate aliqua juris constituti, etiamsi mali sint non exorbitantes à fide, reprehendendi authoritatem, sed nisi corrigantur per certam damnationem. Quod hypocritam Salvator induxit in causam, adversus illos intendebat, qui optimi apparere volunt, sed boni existere nolunt. Et ut appareant sicut appetunt, alios judicando confundunt, & reprehendunt plurimos, in publico velut malos, cùm ipsi multo sint in occulto pejores. Quibus dicitur, ut primum ejiciant oculorum propriorum trabem, imo nubem rationis oculos obregentem, quam superinduxerant ex propria malitia, qua remota videbunt ejicere festucam fraternam, quam fortè adduxit humana fragilitas seu ignorantia non devicta. Nec incongruè festucam dixerim subitam iram, trabem autam odium antiquatum, aut noviter pernicioſe ab ira progressum. Proinde qui ab oculo fraterno festucam noviter supervenientis iræ satagit removere, pernicioſi odii trabem prius ex se submoveat. Brevi temporis spatio fit in germinationibus terræ festuca, & subitò coalescit atque crescit. Trabs verò multi temporis spatio humorem terræ trahens perficitur, atque in soliditatem & gravedinem augustatur. Ac per hoc omnis qualiscunque iniquitas subita, & improvisa tempestas, quæ actionem perversam, atque reprehensibilem firmato proposito

Matth. 7. Luca 6.

positò non susceperit, levis festucæ imaginem portat, trabis quodlibet provisum vitium, aut peccatum pervicaciter antiquatum.

Cap. X.

De similitudine reproborum ad canes, secundùm Matthæum.

Docebat altissimam doctrinam atque supernam cautè proferri, & præsentibus doctoribus atque futuris cautelam justis apposuit, & impios & iniquos *in* canum similitudinem designavit, dicens: ***Nolite Sanctum dare canibus.*** Sanctum est omne sacræ scripturæ Verbum instruens ad æternum regnum, maximè Evangelium, Sanctum est sacramentum, à Domino Christo institutum. Sed est Sanctum, quod dari non potest, nisi ab eo, qui cuncta bona infallibiliter potest. Hoc siquidem dicimus esse virtutem, & gratiam, & beatitudinem sempiternam. Est Sanctum, quod dari penitus potest, videlicet sacra doctrina, cujus tunc fit plena largitio, cùm dans & recipiens opportunè in doctrina & disciplina conveniunt, ut ille velit docere, ille discipulus fieri. Cassa erit autem, si alter, aut uterque horum defuerit. Et sacramentalis Sancta donatio fiet, si authoritatem habens præsto erit, & si non defuerit catechizandus, aut si refoveri aliter indigebit jam catechizatus, ille fultus humili fide, iste ad imposita virtute obedientiæ. Non autem erit, si alter cesserit, aut neuter astiterit. Proinde Salvator coaptans & præstruens talium donatores canibus conferre prohibuit, ne divinorum charismatum derogatio adderetur. Sed quanquam aliquid boni naturalis reperiatur in canibus, unde possunt etiam exempla bona captari, habent tamen aliquid, quod humanus sensus abhorret, in quo aliquorum reproborum genus simile factum est. Revertuntur canes ad vomitum, & reprobi ad ea mala, quæ aliquando reliquerunt. Et depravati sæpe repetunt illa, quæ ratione sententiaque Verborum ante damnaverunt. Unde in Proverbiis dicitur. Sicut canis qui revertitur ad vomitum suum: Sic impudens, qui iterat stultitiam suam. Nulla major stultitia, quàm eum offendere, sine quo nulla natura subsistit, & esse non potest, & præter quem boni nihil esse potest. Detestanda est stultitia ei displicere, à quo necessarium est devinci. Proinde impudens est hanc stultitiam iterans, & solidum faciens, quod in suum periculum vergit, cani factus est similis redeunti ad vomitum, qui repetit nomine stultitiæ condemnatum. Nec bonum & justum Salvator sanxivit, panem Filiorum sumere, & canibus erogare. Panis Filiorum delicatus est cibus, scilicet ille panis vivus, qui de cœlo descendit, non mittendus canibus, hominibus scilicet depravatis, qui turpiter redeunt ad ea, quæ prius vomuerunt. Ecce Sanctum, ecce panis, neutrum donandum canibus, impudentibus hominibus absque rubore peccantibus. Impudentes porro penitus sunt canes, & quo expelluntur, amplius nisi verberentur, redeunt ocyus. Importunè sæpe latrant, & furiunt, quibus assimilatur quorundam hominum procax & inhonesta conditio, qui meritò privantur participatione Sancti, & communione panis cœlestis, & vini, ut non sit in voluntate dantium dare, quanquam largiri contingat ex eventu & permixtione bonorum & malorum, quos secernere non possumus, & interdum nec debemus, sicut Judæ proditori fecisse credimus Salvatorem, quem non secrevit à cæteris, cùm esset voluntate secretus, quoniam infamem & cognitum publicè notare non expedit. Sed quod interdum agitur hujuscemodi more, voluntate determinata non fiat, propterea Verbo reprehensibili loquitur ipse Salvator cum dicit, nolite. Hanc eandem exprobrationem intulit Cananææ, ut gentiles canes etiam appellaret dicens: Non est bonum sumere panem Filiorum, & dare canibus. Hoc typo loquendi omnes infideles & impudicos sua scelera iterantes designans.

Matth. 15.

Prover. 26.

Cap. XI.

De similitudine divinorum ad margaritas, & porcorum ad immundos, secundùm Matthæum.

Sicut Salvator detestatur recidivos ad malum, & malos impudentes importunè contendentes atque furentes, sic abhorret, qui sectantur immunditiam, & ab impudicitia non recedunt, quibus prohibet etiam ea, quæ preciosa sunt elargiri, ubi duplex similitudo datur, ut divina mysteria margaritis, porcis

Matth. 7.

cis verò immundi homines comparentur. Inquit enim: *Et nolite projicere margaritas ante porcos.* Margaritæ appellati sunt illi vivi albissimi relucentesque lapides, qui in conchis marinis velut in quibusdam vasculis seu ventriculis reperiuntur, qui sæpe ad ornatum sumuntur, magis verò contra cordiale malum redacti in pulverem valere feruntur, quibus assimilantur divina mysteria, quorum ornatu plus crescit anima, quæ sit supra naturam, usum & sensum, illorum splendore fulgentior. Sed quoniam de margaritis alibi sermo est, ad id, quod de porcis dicitur, transeamus. Immundos homines porci signant, illos maximè, qui more ipsorum in cœno rerum terrenarum animo & corpore volutantur, de quibus & superioribus per Petrum dicitur: Canis reversus ad vomitum, & sus lota in volutabro luti. 2. Pet. 2.

Sed ut clarius pateat, ante quales porcos Salvator inhibuit projicere margaritas, adversùs quos Petrus tale proverbium protulit, prius oportet intendere. Multam enim hominum perversitatem atque malitiam numeravit, antequam talem similitudinem contra eos ediceret. Quoniam ante dixerat: Fuerunt verò & pseudo prophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum qui emit eos, Dominum negant, superinducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphemabitur, & in avaritia fictis Verbis de vobis negotiabuntur. Et cùm interponeret punitionem, resumpsit eorum multiplicem iniquitatem. Hi sunt velut irrationabilia pecora naturaliter in captionem & in perniciem, in his, quæ ignorant, blasphemantes, in corruptione sua peribunt, percipientes mercedem injustitiæ voluptatem omnem existimantes diei delicias, coinquinationes & maculæ deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum, oculos plenos habentes adulterii, & incessabilis delicti, pellicientes animas instabiles, cor exercitatum in avaritia habentes. Maledictionis filii: derelinquentes rectam viam erraverunt. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ quibus caligo tenebrarum reservatur. Superbiam enim vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore conversantur, libertatem illis promittentes, cùm ipsi servi sint corruptionis. His rursus impliciti superantur, facta sunt eis posteriora prioribus deteriora. Melius enim erat illis, non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum reverti ab eo, Ibidem.

quod illis traditum est sancto mandato. Et cùm omnia hæc mala imo plura velut improborum opera Petrus Apostolus numerasset, ad ipsorum exaggerationem sigillum turpissimæ similitudinis adversùs eos apposuit, quòd hi canes & porci, quibus Sanctum negari expedit, nec margaritas projicere, meritò vocarentur, dicens: Contingit enim illis illud veri proverbii: Canis reversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti. Videte canes, videte porcos, quibus divina exhiberi negantur, qui melius per hujusmodi Petri Apostoli insinuationes innoteſcunt, quàm si quæque alia Verborum superfluitas adderetur. Et quod posset, si secus fieret, evenire periculum, illico Salvator annexit: *Ne forte conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos.* Terrenis voluptatibus & deceptionibus involuti, ea quæ sunt Sancta & divina despiciunt, & nihilipendunt sacra mysteria, nisi ab erroribus exuantur. Et insipientibus divulgare secreta, eorum est minuere dignitatem, cùm apud indignos digna indigna reputentur, & sæpe reprobi fuerunt, quo magis audiunt veritatem & cœlestium novitatem, & animo & opere sæviunt in docentes. Sed nunquid timore periculi futuri non prædicabitur peccatoribus regnum Dei? Nunquid coram ipsis non arguetur iniquitatis via? Nunquid non reprehendentur in eis ea, quæ mancipata sunt vitio? Nunquid quia digna indignè tractabant, veritas relinquetur? Nunquid argutio quam opportunè similiter & importunè oportet inferre, in taciturnitatis domibus habitabit? Inquit enim Apostolus: Peccantes coram omnibus argue. Et alibi: Argue, obsecra, increpa, insta opportunè, importunè. Et ad Titum: Argue cum imperio. Eadem dixerim, quia magistri & discipuli dicta nec invicem adversantur. Hoc enim dicit Apostolus, quod & Christus, hoc præco quod judex. Sed est in scriptura sacra unde ostendatur consonum, quod in voce sæpe sonat adversùm, nam formam discipuli oportet assumere, magis autem humilem discipulum fieri, ingredi volentem scholas Domini Salvatoris. Et accedentem ad ipsum fieri sine contradictione credentem, & cupidum fieri participem sacramentorum Christi, totum sine exceptione dare fidei ratio Christiana deposcit. Quot & quot verò in hoc profundum non veniunt, derisores & impii sunt. Propterea per Salomonem dicitur: Qui erudit derisorem ipse sibi injuriam facit, & qui arguit impium, sibi maculam generat. Derisores sunt divi- 1. Tim. 5. 2. Tim. 4. Titum 1. Proverb. 19.

divinorum, qui pseudo unt, terrena & corruptibilia semper quærunt. Et semper homo diridet, quod jure sibi non placet, aut quod in ejus displicentiam venit. Impii verò sunt, qui simplici fidei non subduntur. Et alia scriptura dicit: Ubi non est auditus, non effundas sermonem. Verè sermo divinus, ubi non est auditus humilis & fidelis, non est effundendus. Eccle. 32

Cap. XII.

De similitudine falsorum prophetarum, ad lupos, secundum Matthæum.

NOn desistit unigenitus Dei Filius nostra natura in veritate vestitus, eos, qui falsè virtutibus vestiuntur, ad præcavendum edicere, ne velut improvidus doctor à posteris caularetur, quòd necessariæ cautionis doctrinam non dederit, & quàm mali sint peccatores, ut caveantur ocyùs, lupis assimilavit, dicens: *Attendite à falsis* Matth. 7. *prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Prophetæ falsi non solum illi appellati sunt, qui in veteri testamento dicti sunt videntes, sed omnes qui authoritate docendi atque regendi præsident, aut sunt in ecclesia sancta Dei. Quoniam si non prophetant à Spiritu Sancto afflati ea, quæ futura sunt, illa tamen populis differere habent, quæ sancti prophetæ prædixerunt. Sed multi authoritatem sanctam non habentes veniunt, seu vadunt non missi, simulantes mores honestos, effigiantes virtutum speciem, ipsarum veritate carentes, veniunt in vestimentis ovium. Multi vestimenta ovium habent, ipsi tamen oves non sunt. Sed vestimenta ovium portare, ovemque non esse, speciem est habere virtutis, veritatem verò ejus abjecisse post tergum. Ideoque talibus se vestibus obnuunt, ideo conantur simulare virtutem, ut incautius decipiant indoctos & subvertant ex animo imperitos. Non enim potest inferri deceptio, nisi palliatione honesti, aut cùm non panditur malum, quod in insidiis latet. Sed unde falsi? Quia locuti sunt falsa. Contra quos intendebat David, dicens: Alienati sunt peccatores à vulva, erraverunt ab utero, locuti sunt falsa, Psalm. 75. Vulva, id est valva janua est regni cœlestis, à qua facti sunt alieni homines peccatores, & ipsa est justitia, quæ nisi super scribas, & pharisæos abundet in nobis, non intrabimus in regnum cœlorum. Uterus verò lex est veritatis, à qua causatur error, cùm ab ipsa receditur. Non enim errare quis potest, nisi cùm abscedit ab utero veritatis. Proinde alieni à justitia, devii à veritate incunctanter falsa loquuntur, à quibus fucatis colore virtutum cautos nos ipsa veritas facit. De quibus per Jeremiam deplorantem Ierosolymæ civitatis excidium dicitur: Prophetæ tui viderunt tibi falsa, & stulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent. Nulla damnosior doctorum, & præsidentium in populo falsitas, quàm non aperire, aut ostendere peccata populi delinquentis, quoniam prægnosticium fit, ut in hominibus non appropinquet regnum cœlorum, pro quo humana contendit intentio. Sunt prophetæ falsi, qui à Domino non mittuntur aut ab habente mittendi potestatem, qui loquuntur in nomine illius, à quo nihil acceperunt, nec in cordibus hominum timorem futuri mali incutiunt, unde mala vitentur, sed securitatem incertam, tanquam certam populo repromittunt, ut cessetur ab actione, quam virtus indicit, & fiat omnino, quod iniquitas præcipit. Contra quos Jeremias accepisse à Domino fatebatur dicens: Et dixit Dominus ad me: Falsa prophetæ vaticinantur in nomine meo, & non misi eos, & non præcepi eis, & non sum locutus ad eos. Visionem mendacem & divinationem fraudulentam, & seductionem cordis sui prophetant vobis. Et quæ præcedunt, atque sequuntur hanc scripturam, qui Jeremiam in hoc loco legit, intelligat. Mores nostri temporis cudimus, non tantùm pristinos rememoramus. Quæ falsitas evidentior, quàm se legatum dicere non mittentis, & illius proferre verba, quæ penitus non accepit, & in virtute illius edicere, qui dicendi non tradidit potestatem? Hi mores pestiferi hactenus fuerunt in populis, prævidit etiam Christus affuturos, multipticati sunt hodie super numerum. Palliant se indumento virtutum, specie humilium, quorum intentio est perversa, quia intrinsecus sunt lupi rapaces, rapientes prædam commodi temporalis, Thren. 2. Jerem. 14.

ralis, & cum damnatis dæmonibus deceptorum animas partientes, ſed qui cavere admonuit, agnoſcere docuit. Difficile vitatur malus, niſi apertè, aut per indicia cognoſcatur, quamobrem dicit: *A fructibus eorum cognoſcetis eos; quia nemo de ſpinis colligit uvas, neque de tribulis ficus.* Cujus naturæ ſunt arbores, tales fructus ex ſe producunt, neque aliud poteſt ex eis colligi, niſi quod in eis ipſa rerum natura produxit, quorum intelligentiam annexa ſimilitudo amplius manifeſtat. Matth. 7.

Cap. XIII.

De ſimilitudine arboris ad bonos, & malos homines, ſecundùm Matthæum tantum.

ARbor eſt Chriſtus, quia ipſe eſt vitis vera, quæ fructum mundo attulit, bona omnia excedentem & ſuper mel & favum dulcior eſt fructus ejus. Eſt enim æterna beatitudo fructus, qui de hac vita colligitur, & tales palmites quærit, facientes ſaltem dignos pœnitentiæ fructus. Quos verò prævidet in hanc non venire concordiam cognoſci voluit, ne decipiant innocentes. Et ne credatur ſimulata virtus nanciſci poſſe cœleſtia, nec introire, niſi reſipiſcat, viam, qua graditur ad regnum Dei, ſimilitudinem arboris poſuit: *Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit. Non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Qualis eſt arbor, talis eſt fructus, qualis unusquisque, talia opera ejus. Fructus arboris ex humore radicis, opus hominis ex qualitate voluntatis. Radix arboris abſconſa manet, voluntas hominis omnino inviſa. Quo profundior radix, arbor ſolidior, atque fœcundior. Quo voluntas hominum humilior erit, eo magis ipſi firmantur & uberiores fiunt ad boni operis fructum. Sed bona arbor fructus bonos facit, bonus homo in rectitudinem operis intendit, ſic quod dicitur reconvertitur. Sed cùm bonæ arbori ſeu malæ agendi contraria videatur adempta poteſtas, convenit perſpicacius hunc inveſtigare ſermonem. Certum eſt hominibus adeſſe liberum arbitrium, quo nulla illata violentia liberè moventur in placita, nec cuiquam in hac vitâ ex communi punitione ipſum adimitur, quanquam in veſanis, atque obſeſſis à ſpiritibus immundis ſecreto Dei judicio liberi arbitrii videatur adempta libertas. Quid eſt, quod dicitur, non poteſt arbor bona ſeu non poteſt arbor mala, ſi voluntas liberi arbitrii in hominibus regnat, quod omnibus deficientibus argumentis, rationibus & ſcripturis, ex his quæ agimus, monſtratur eſſe conſpicuum. Sed nemo bonus absque Spiritûs Sancti gratia, qua cum homine ſtante, bona dicitur arbor, & malos fructus geminare non poteſt. Non quia homo bonus eſt bonitate naturarum, ſed quia gratiam habet annexam, quæ ad meliora, & ad opera juſtitiæ ſemper hominem, cui aſſiſtit, provehit, quæ, ſi deſereretur ab homine, ipſa eum omnino deſereret, & tunc non bona; ſed arbor mala eſſet, & fructus malos produceret. Nam ſicut bona eſt arbor humana Dei gratia perſiſtente, ſic efficitur mala Dei gratia deſerente. Sic è regione accipitur, quod ſi voluntas hominis ab iniquitate detinetur, quod malum eſt, operabitur, qua iniquitate in homine voluntatem regente, bonum meritorium non poterit operari, qua depulſa ope divinæ gratiæ per liberum voluntatis imperium arbor bona fiet, & efficiet gratum fructum. Exemplum verò patens ad utrumque ſatis inducitur. Ferrum ex natura frigidum eſt, ignitum verò calet, igne depulſo iterum revertitur in naturam, quo durante in ferro contra naturam ignis agere non poteſt, & quod proprium eſt, ignis efficiet, quanquam poſſit ignis ab illo depelli. Quem ignem, ſi per ſimilitudinem dabimus gratiæ, vel iniquitati, quod de arbore bona & mala differitur, demonſtrabit. Morali autem experimento hoc fidelibus magis claret. Nam ſæpe vidimus homines ab iniquitate permotos ſcelèratiſſimè operari, qui cùm perveniſſent ad gratiam, contraria perfecerunt. Et interdum vidimus in charitate gratiaque degentes operari decentia, & deſerentes gratiam turpitudini deſerviſſe. Legimus Saulem in regem à Deo electum, & poſtmodum reprobatum. Legimus David ſanctum, legimus eundem factum iniquum, dum ferè ſimul tria mala committeret, & iterum eundem legimus ad ſanctitatem reductum. Legimus Salomonem arborem bonam, & fructus

1. Reg. 9.
1. Reg. 16.
2. Reg. 11.
3. Reg. 3.
3. Reg. 11.
4. Reg. 21.

ctus bonos utique produxiſſe, quem depravatum ex ſcriptura conſpicimus velut arborem malam, fructus malos impudicitiæ atque idololatriæ produxiſſe. Legimus peſſimum Manaſſen regem, arborem utique malam, & tandem velut bonam fructos bonos pœnitentiæ perfeciſſe. Legimus Magdalenam arborem impudicam, & tales feciſſe fructus, quam converſam ad bonitatem ſcimus partem optimam elegiſſe. Quid de multis, qui facientes ſimilia præceſſerunt? Sed unde in hominibus boni & mali operis tanta varietas, niſi quia gratia ineſt, aut deſerta deſerit, aut quia ſuſcepta iniquitas ſuſcipientem voluntatem exagitat, aut dimiſſa recedit? Sed cùm ſit omnino neceſſarium quod bonum eſt operari, ad quod nos invitat & exemplificat arbor vitæ: non ſolùm fructum nequam facientem, ſed etiam bonum non producentem decrevit Salvator abſcidi, & tradi æternis ignibus combuendam. Nam omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, non ſolùm illa, quæ malum, excidetur à congregatione juſtorum, & mittetur cum dæmonibus comburenda, quorum opera dum vixit, voluit imitari. Concluſionem cognitionis malorum hominum, ut devitentur, ex fructibus Salvator appoſuit: Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Luca. 7.

Clara conſuevit eſſe cauſarum cognitio per effectus. Ne autem à ſciolis crederetur: quod ſufficeret extrinſecus oſtenſa forma virtutum per fictos mores, aut per verba ſonantia, bonus magiſter aperuit, dicens, *Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine introibit in regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe intrabit in regnum cœlorum.* Profiteri Dominum verbis, & ſibi opere non ſervire, aut ab eo reſilire, quod præcepit, verius negatio poteſt dici, quod ad Titum ſcribens Apoſtolus omnino non tacuit: Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant, cùm ſint abominati & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi. Sed perfeciſſe divinam voluntatem atque paternam, hoc eſt totum humanæ arboris bonum, & totus & nullus alius fructus melior, cùm hoc ſolùm ſuæ bonæ placentiæ ad noſtram utilitatem in hac vita, Salvator exquirat à nobis. Cui effectui aperitur regnum cœlorum, quod iniquitas cœpit claudere in Adam univerſo humano generi, quod etiam in ſingulis nunc ipſa claudit. Quod verò ſequitur, multi dicent mihi in illa die, Domine Domine & cætera, affirmatio eſt dictorum. Matth. 7. Titum 1.

Cap. XIV.

De ſimilitudine facientium & non facientium verba Chriſti, ſecundum Matthæum & Lucam.

HOc exquirit doctrina moralis, ut ſit activa legentibus. Et doctor, qui non docet in vanum, quærit auditores in actionibus efficaces. Evangelica ſanè doctrina non effundebatur à Chriſto, ut tantùm memoriter, ſed & opere teneretur, nec erat contemnenda in directionibus ſuis, quæ à tali doctore tradebatur. Non enim venerat Dei ſapientia de altiſſimis in carne verſatura in terram, & in carne hominibus locutura, dans præcepta ſuavia, commonefaciens ad ſuperna, ut ejus doctrina de moribus neglectui traderetur, quam negligere nihil aliud eſt, quàm perire. Et coaptans verba verbis ſententiasque ſententiis, ut ſequentia cum præcedentibus ſæpe dependeant. Nam prædixerat ultricem reprobationem eorum, qui dicunt & non faciunt. Nunc verò facientibus & non facientibus quid futurum ſit juſtis ſimilitudinibus pandit, dicens: *Omnis igitur qui audit verba mea, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificavit domum ſuam ſupra petram.* Potius iſta ſimilitudo, quæ inter actiones ſumitur rationabilium hominum inter parabolas tractanda fuit, ſed ut hic diſſererem, me ſimilitudinis vocabulum traxit. Fidem & factionem verborum Chriſti præcedit auditus: quia fides ex auditu, auditus autem per Verbum Dei. Unde Salvator incipit ab auditu: Omnis igitur, qui audit verba mea. Non omnes, ſed multi audiunt verba Chriſti, ſed ſive omnes, ſive multi aut pauci audiant, initium eſt virtutis, ſed feciſſe juſtitia, quia non auditores legis, ſed factores juſtificabuntur. Et auditor verbi, & non factor, ſpeculanti in vitro faciem factus eſt ſimilis, qui nec tenere memoriter potuit, quod aſpexit. Proinde verba, quæ in anima inviſibilem, & in corpore indicant viſibilem actionem, Matth. 7.

expe-

ex pluvia domos audivimus ruere, nisi, cùm fecit illa torrentes, quibus, sive ex multiplicibus tentationibus, aut ex malis & pravis doctrinis proveniant, cùm irruunt, fundamenti virtute spiritualis constructio immota consistit. Quos commemorat David: Et torrentes iniquitatis con-
Psalm 26. turbaverunt me. A quibus petra CHRISTUS defendit, si in ipsius foraminibus conversamur, ad quæ fidelium concionem, velut sponsam invitat. Foramina sunt plagæ, quarum authoritate defendimur, aut investigatæ intelligentiæ scripturarum, quibus malè loquentibus respondemus. Terrent sæpe flumina, scilicet tormenta crudelia tyrannorum, sive quæcunque pœnalia & confligentia mala, quæ velut defluentia flumina protinus ab initio sæculi usque ad finem non defuerunt, neque deficiunt, ut ab eo die, quo primus homo conditus fuit, usque ad consummationem sæculi malorum intercapedo non fuerit. Inter quæ confugitur ad petram, sicut filii Benjamin in bellis persecutorum omnino deficientes ad petram Remmon in solicitudine confugerunt, ubi pene sexcenti viri salvi facti sunt. Petra Christus, Remmon ecclesia interpretatur. Christus petra est ecclesiæ, eo quòd ipsa in ipso, velut in suo fundamento consistat, ad quem quicunque confugerit, salvus erit, si non in transitoria vita, saltem in illa, quæ vocatur æterna. Fiant sævissimi dæmones sævas tentationes, & nihil est vitii, nihil est divinæ displicentiæ, nihil vanitatis terrenæ, quod ipsi vento pestifero super homines, quantum eis permittitur, non inducant, ubi cum cor agonistici hominis angustiatur, exaltatur in pe-
Psalm. 60. tra, quod sibi proveniſſe David in suis carminibus asserebat dicens: Dum anxiaretur
Isaiæ 32. cor meum, in petra exaltasti me. Nec non Isaias insusurrationem venti & protectionem petræ simul disserit. Et erit vir, sicut qui absconditur à vento, & celat se à tempestate, & umbra petræ prominentis in terra deserta. Mystica & moralia sunt hæc, studiosis scrutatoribus
Rom. 8. patent. Proinde si omnia mundi mala supra Christum petram fundatis eveniant, non valebunt inferre jacturam. Hac fundatione securus exclamat Apostolus: Quis nos separabit à charitate CHRISTI? Tribulatio an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus enim sum, quia neque mors, neque vita, neque angelus, neque principatus, neque potestates, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu domino nostro quia fundata est hominum consistentia spiritualis supra firmam petram. Sed *qui audit & non facit, similis est viro stulto, qui ædificavit domum super arenam. Et descendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina ejus magna.* Ex hac similitudine apertè cognoscimus sapientiam & stultitiam à contrario sensu impacatè distingui, & sapientem & stultum habere oppositas qualitates. Unde divinorum auditor & non factor ædificatori stulto comparatus est, cùm uno fundamento soliditatis relicto, super arenam multiplicem fundans domum, multiplicatus est. Porro unum est necessarium, una scilicet petra, unumque regendorum & diligendomur stabile fundamentum. Et fundamentum aliud poni non potest, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Stultus igitur est, qui super id, quod soliditatem non habet, innititur. Et ei quod adversariis iucursationibus patet, adhærere dementia est. Multitudo temporalium propter sterilitatem arena nuncupatur, quæ ab uno Deo mente multiplicando divertunt. Cùm res multiplicatis rebus ex opere respondebit, & erit aversio ab uno per multa. Et qui unus est verus Deus, ab uno se aversum, in multis fundatum deferet propter multa desertus. Ad cujus domum, cùm omnia illa pervenerint, scilicet pluvia, flumina, venti valide ab omni parte concussam dabunt penitus in ruinam. Nec erit misero quies, cùm subito sibi, quod non sperabat adveniet, fietque magna ruina. Protinus ruinam magnam non dixerim, ubi mœnia ruunt. Ruit magna Troja, ruit Babylon latissima, ruit aurea Roma, ruerunt magnæ in orbe utique civitates, cecidit sublimitas ædificiorum, prostrata est interdum altitudo turrium. Et quod præsentes oculis sæpe videmus, ruunt incessanter in mortem corpora viventia, sed non in ruina magna. Sed illam duntaxat appellaverim magnam, qua ruunt hominum mores caduntque virtutes, qua hominum affectus inclinatur ad infima regenda, qua homines delectati seipsis & corruptibilibus bonis, à Deo cadendo recedunt. Hanc siquidem ruinam magnam Salvator dominus appellavit.

Cap. XV.

De ſimilitudine ſponſi & ſponſæ ad Chriſtum & Eccleſiam, & filiatione ſpirituali, ſecundum Marcum.

QUi de ſponſa virgine noviter atque ineffabiliter natus eſt, qui per ſanguinem & mortem & fidem & juſtitiam ſibi deſponſavit eccleſiam, quam non vult habere maculam neque rugam, atque ipſam velut ſponſam inclyta corona decoravit, ſponſus eſt. Et inde dicitur ſponſus, quia promiſſus eſt
Matth. 2. ab æterno patre catholicæ ortodoxæ. Inde ſponſa, quia adhæſit ſibi in voto. Sibi cohærentes filios appellavit, dum à diſcipulis Joannis de illorum jejunio tentaretur. Unde ſcriptum eſt, quod
Marc. 4. *acceſſerunt ad eum diſcipuli Joannis, dicentes : Quare nos & Phariſæi jejunamus frequenter, diſcipuli autem tui non jejunant? Et ait illis Jeſus : Nunquid poſſunt filii ſponſi jejunare quam diu eſt cum illis ſponſus? Venient autem dies in quibus auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.* Nondum Chriſto adhæſerant, nec plene credebant in eum, qui cum adverſariis phariſæis jejunii cenſuram tenentes, ſe Chriſti diſcipulis in jejunio præferebant. Necnon & Chriſto videbantur irrogare calumniam, tanquam diſcipulis ſuis vitæ laxioris licentiam indulſiſſet, nec eos arctaret in via, quæ arcta ducit in patriam. Et velut reſolutæ vitæ magiſter, ſuſtinet ab eis ſtultæ quæſtionis inſultum. Conſuetum erat Judæis jejunare, talique abſtinentia non ſolùm ipſi, ſed & gentiles ſæpe dominum placaverunt. Et per prophetas legimus, indictum ſæpe jejunium, quod duræ cervicis populo non erat impertinens, ſed tanto aptius, quanto ab eorum protervia amplius domandi erant, & minus noverant, quid exiſteret de perfectione virtutis, & corporalibus moleſtiis abſolui, Deum interius precibus plerique rogare non noverant. Bonum eſt jejunium, ſed non omnibus æquè. Bonum eſt jejunium, ſed non omnibus una forma. Bonum eſt jejunium; ſed eis melius, qui per id poſſunt, & expedit, carnis illecebras mitigare. Bonum eſt jejunium, ſed intermittitur & agitur, intenditur & remittitur decreto & judicio ſtatuentis. Bonum eſt jejunium, ſed illius, qui indidit frui præſentia, ſuperfertur. Superbia eſt ſe præferendo de alio inquirere, atque velut inexpertum infallibilem interrogare magiſtrum. Et ſe ſimilem in juſtitia dicere illi, qui ſummæ juſtitiæ adverſatur, non eſt recta prudentia. Idcirco Joannis diſcipuli merito arguentur, dicentes: Quare nos & phariſæi jejunamus, & cætera. Omnibus ferè patebat, quod juſtitiæ ſummæ Chriſti phariſæi verbis & animo contradicebant, quos iſti aſciverant ad jejunandum ſimiles in cenſura. Sed Chriſti reſponſio refellit opinionem, & ſtatuit veritatem, dicens: Nunquid filii ſponſi poſſunt jejunare, quam diu eſt cum eis ſponſus? Sed vigilantori verbo Marcus diſſeruit, cùm dixit : Nunquid poſſunt filii nuptiarum, quàmdiu cum illis eſt ſponſus jejunare? quanto tempore habent ſecum ſponſum jejunare non poſſunt, ut prupriè nova filiatio ad Chriſtum & eccleſiam referatur, inter quos ſunt nuptiæ ineffabiles celebratæ, ex quibus filii ex ſponſi præſentia oriuntur, cujus aſtante præſentia opportunitas de jejunio non inſiſtit. Celebrabantur tunc in terra nuptiæ magni agni, cùm per unionem ſibi copulaverat humanam naturam, per doctrinam & paſſionem, & ſanguinem & mortem feſtinabat copulare eccleſiam, ex qua oriundi erant filii ſpirituales, & excludebatur penitus ſynagoga, quæ filios carnales aluerat. Ecce ſponſus, ecce ſponſa, ecce filii qui naſcuntur. Sponſus ab æterno prædordinatus in tempore, nova conceptione generatus, mundo ineffabiliter natus. Sponſa nova, quæ noviter de cœlo virtutibus ornata deſcendit. Ad quem ſponſum, ſuamque ſponſam ex voluntate per fidem integram venientibus data eſt poteſtas filios ſponſi fieri, qui non ex ſanguinibus peccatorum, neque ex voluntate corruptæ delectationis & infectæ carnis, neque ex voluntate virilis intellectus ſeu rationis naſci potuerunt, ut cœleſtis ſponſi cœleſtes eſſe filii mererentur. Sed per ineffabilem Dei miſericordiam ex Deo per Spiritus ſancti gratiam concipiuntur, & ſine materiæ corruptione naſcuntur, ſicut ipſe ſponſus exiſtens æterne Deus, in tempore in carne Spiritus Sancti virtute conceptus, atque mundo ex virgine natus apparuit. Sed quoniam hæc ſimilitudo ſponſum & ſponſam non reſpicit, ſed tantum filios, qui in præſentia ſponſi nec jejunare coguntur, quo circa duntaxat filiorum ſponſi ſimilitudinem pertractemus, quæ in hanc ſententiam tendit,

ut

ut diſcipuli Chriſti typum gerant filiorum ſponſi, aut ut ipſe Chriſtus dicatur per ſimilitudinem ſponſus. Iſta ſimilitudo me dubiis angit, ſi qua ratione in præſentia ſponſi fas ſit abrogare jejunium, in abſentia verò illius moleſtia cruciari. Ponſi filii ex præterita & præmortua ſunt uxore. Nam ſponſus duntaxat dicitur, dum eſt in ſponſione, aut dum in nuptiis occupatur, cùm vero matrimonium conſummatum fuerit, vocatur ipſe maritus. Cujus filii, cùm in ſecundis paternis nuptiis occupantur, à jejunii moleſtiis non arcentur. Cùm verò ſponſus deſierit à conviviis nuptiarum, filii ad jejunia relabuntur, ut illa non ſit accuratio alimentorum, ſed parcitas ſit in potibus & in cibo, & tunc dicatur ſponſus auferri, cùm ceſſaverit accuratè. Quamobrem meritò Chriſtus diſcipulos, ſub hac ſimilitudine ipſe perſtrixerat, & ſponſo ſe ſimilem dedit. Habebat Chriſtus filios, ſcilicet diſcipulos ex uxore præterita, videlicet præmortua ſynagoga, & eccleſiæ novæ ſponſæ nuptiæ celebrantur, quibus diſcipuli aſſiſtebant, & talibus ſacramentorum conjuviis lætabantur, maximè, quia filiatio mutabatur, ut qui fuerant ſynagogæ carnaliter filii, per gratiam ſponſi novi & ſponſæ novæ filii vocarentur, non ut hic noverca in aliquo vocaretur, velut ex uxore filiis ſuperinducta præmortuæ, ſed ut tranſitus fieret ad gratiam de natura, ubi tanquam novitiis non erat imponenda inedia jejunandi, maximè quia novæ filiationis virtus vivifica in talibus ceremoniis & auſterietatibus non conſiſtit. Boni quidem actus ſunt jejunium & quælibet auſteritas corporis à virtute procedentes, virtutes autem non exiſtunt. Virtutes verò, quibus nova filiatio conſtituitur, & conſtituta convaleſcit, & exercetur fides, ſpes, charitas, humilitas & abjectio, patientia, pax & gaudium, & in eis, & ex eis ſunt. Proinde, dum in novis nuptiis in talibus tranſlationibus filiorum virtutes hujucemodi apponuntur, non eſt tanquam de re perfecta & initiante hominem ad optimum, de jejunio diſputare, nec quempiam actum corporis levem ſeu aſperum præferre virtutibus. Protinus carnales erant Joannis diſcipuli, & adhuc carnaliter ſapiebant, & circumciſioni carnali & carnalibus legalibus ſubjacebant, à quibus filii ſponſi novi & ſponſæ novæ penitus ſolvebantur. Sed tempus, quo ſponſus poſſit aufferri, ut jejunium omnino reſumatur, carnaliter intelligere aut fieri poſſibile, ut poſſit auferri poſt reſurrectionem, à Chriſto prolata ſententia contradicit: Ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi, ex qua nunquam creditur auferendus. Utraque tamen ſunt verba Salvatoris, & quod auferetur, & quod nobiſcum uſque ad conſummationem erit. Utraque verà, quia mentiri neſcit. Adinvicem adverſari videntur, niſi intellectus alius capiatur, quia, quod nobiſcum erit, & quod auferetur, omnino diſſonantiam faciunt. Sed eſt in moribus, unde iſta contradictio ſopiatur. Verum eſt, quod uſque ad conſummationem ſæculi nobiſcum erit, ſed tunc auferetur, cùm malis moribus vivitur. Peccata enim ſunt, quæ diviſerunt inter nos & Deum. In illis porro diſcipulis ſponſique filiis tota futura fidelium congregatio tangebatur, quæ ipſum erat uſque ad finem ſæculi habitura, & ipſi quaſi auferendus, cùm eſſent homines peccaturi, & iterum reddendus ad pœnitentiam vocatis, ut illi omnino configantur acerbitate corporalis jejunii, qui ſumpſerunt prohibita pabula vitiorum, & arcendi ſunt penitus à conceſſis, qui prohibita commiſere: ut non ſolùm jejunent, quod ablatus eſt ſponſus, ſed ut redeat jejunio & mœroribus jam placatus. Veruntamen præſertim hoc Salvator videtur aſſerere, ut novi ad novitatem vitæ vocati, ad dura & vitæ aſpera non cogantur, ne nequam cogitatio ſurrepat, quod æquis actionibus ſynagoga & eccleſia deputentur: & ne involvantur tali errore caliginis, quòd filiatio ſponſi potius in exterioribus, quàm in interioribus pro veritate conſiſtat. Aut ne deterreantur ad fidem ſponſi venire decernentes, quod eſſent premendi tali onere ſervitutis, qui vocantur in ſanctam libertatem & in adoptionem filiorum Dei. Non tamen ex hoc credamus improbari, magis verò approbari jejunium, cùm hac ratione in diſcipulis Chriſti ab ipſo minus diſtinguitur, ne interior interlucens mentibus hominum virtus ſuis actibus in aliquo poſtponatur. Novitas enim vitæ non in corporeis actibus, ſed in mentis renovatione conſiſtit. Propterea dicebat Apoſtulus: Renovamini ſpiritu mentis veſtræ. Cui renovationi compenſata hominum qualitate, confeſtim adjicitur ordinatio debita moris noſtri. Hoc enim amplius ſubſequentes ſimilitudines manifeſtant.

Matth. 28.

Epheſ. 4.

Cap. XVI.

De ſimilitudine panni rudis, & veteris, pro Synagoga Filiis & Eccleſiæ, ſecundum Matthæum & Marcum.

QUoniam æternus Dei Filius de novo humanam naturam, quam creavit, induerat, & de carne noſtra ſibi quoddàm fecerat veſtimentum, cum quo degens inter homines, volebat ſibi corpus taliter coaptare fidelium, ne ullo modo ſciſſura irreparabilis ſequeretur. Et quos allexit ſacra doctrina ſtuduit præſervare, ne impoſitione moleſti oneris frangerentur & relaberentur in illa, quæ pro novo diſcipulatu reliquerant. Idcirco, cùm ab ipſo, cur diſcipuli ſui non tenerent cenſuram jejunii, à Joannis diſcipulis quæreretur, ſimilitudinem panni rudis & veteris reſpondens prudenter appoſuit: *Nemo autem mittit commiſſuram panni* Matth. 9. *rudis in veſtimentum vetus, tollit enim plenitudinem ejus à veſtimento, & peior ſciſſura fit.* Pannus rudis diſpoſitionem habet & aptitudinem ad veſtimentum. Omne autem veſtimentum ex rudi panno proceſſit. Omnis autem pannus ad veſtimentum uſque non pervenit, ad quod ſemper eſt rudis, & ſe habet ad veſtimenti novitatem. Cùm verò factum fuerit veſtimentum, tendit in vetuſtatem. Non igitur conjungendus eſt rudis & novus pannus, atque, ſuendus veteri veſtimento: Ne vetus veſtimentum perdat quod eſt, cùm ſibi conſuitur, quod non decet, nam quod eſt, confunditur, ſi rei ſibi non competenti ſociatur. Veteris vitæ Chriſti erant diſcipuli, & novus & rudis pannus inſinuabat vitam initiandam, imo initiatam per Chriſtum. Nova igitur non ſunt jungenda veteribus, niſi prius vetera renoventur. Ac per hoc Salvator aſſerit rem novam eſſe jejunium veteribus non eſſe imponendum, ne quomodolibet ſub ipſo frangantur, cùm de novo ad eccleſiam veniunt. Habet autem aliter ſimilitudo hujuſcemodi planum ſenſum. Nam omne veſtimentum vetus habuit novitatem, ſed pannus novus nondum venit in vetuſtatem, quod verò noſcitur vetuſtati vicinum, in omni aut fere à vetuſtate conſumptum vitæ novæ moribus nequit aſciſci.

Cap. XVII.

De ſimilitudine appoſita per vinum novum, & utres veteres, ſecundum Matthæum & Marcum.

SUæ deitatis capaces Deùs animas hominum fecerat, ſimiliter & virtutum, quas ſic replendas prævideràt, ne talium fervore rumperentur, & & fieret damnoſa effuſio fracti vaſis, quanquam effuſorum remaneret integritas, quia non diſpergitur Deus, aut virtus, cùm Matth. 9. anima ipſis ſuo damno vacuatur. Ne autem fiat incauta repletio vini novi, veterum utrium & novorum aptam ſimilitudinem Chriſtus induxit, dicens: *Neque mittunt vinum novum in utres veteres, alioquin rumpuntur utres, & vinum effunditur, & utres pereunt. Sed vinum novum in utres novos mittunt, & ambo conſervantur.* Nova lætitia, novaque juſtitia erat ditanda humana conditio, & novis erat moribus reparanda. Sed niſi per Spiritum Sanctum animæ à vetuſtate renovarentur, & purgatæ ſolverentur ab antiquis contagiis, novitas juſtitiæ ſimiliter & lætitiæ atque morum adeſſe non poterat. Et cùm jejunium inter lamentationes pœnitentiæ ab orthodoxis meritò deputetur, & per ſponſi præſentiam omnis lamentatio auferatur, per vinum quoque cenſura juſtitiæ atque cordis lætitia cenſeatur, cùm exquireretur de jejunio, quod pars eſt lamentationis, etiam aſſeruit de alia parte, quæ dicitur juſtitia & lætitia cordis. Juſtitia ſiquidem notatur in vino, cùm Samaritanus illud ſimul cum oleo ſuper malè vulnerati plagas infunderet. Lætitia verò, in pſalmo, Pſalm. 103. atteſtante David: Vinum lætificat cor hominis. Nunc per ſubjectas ſimilitudines lamentationem novam, recentemque lætitiam aſſerit hominibus veteribus, velut antiquis veſtibus non conſui, atque ſicut vinum novum utribus vetuſtis non infundi, ne vetera veſtimenta novi panni aſſuitione rumpantur, & utres vetetes novi infuſione vini frangantur, & effundatur vinum gratiæ novum, antiquis non competens hominibus commiſceri. Sed quæ hominum novitas eſſe poterit, ut nova tradatur gratia, ſeu noviter acto virtuoſa,

niſi

niſi prius per gratiam in hominibus ſit innovata natura ? Præcedet ne novitas novitatem ? Nonne ideo novus homo dicitur, quia in vitæ ambulat novitate, in qua niſi animo & opere gradiatur, novus eſſe non dicitur ? Sed clarius inveniemus, quod quærimus, ſi hanc ſimilitudinem in altiora ſubvehamus, planum omnibus rationalibus factum eſt, utres veteres atque novos non niſi ex pellibus mortuorum animalium fieri. Ac per hoc diſſuadet ratio Chriſtiana ut nova juſtitia, novaque lætitia non imponatur jam peccatis mortuis ſub lege occidua conſtitutis, ſed in gratia & pro gratia, & cum Chriſto & in Chriſto & propter Chriſtum propriis voluntatibus & in corpore morituris. Sed quoniam in his duabus ſimilitudinibus novi panni, novi vini, & novorum utrium, novam vitam, vitæ antiquæ, vitam gratiæ, vitæ legali, vitam virtutis, vitæ iniquitatis, vitam Spiritus, intelligentiæ literali, vitam ſpiritualem, occupationi corporali ſuperponere videtur, atque tenere cautelam, ne impertinens & damnoſa permixtio fiat, in pleriſque locis apertè & abſolutè ſacra ſcriptura denuntiat. Nam per prophetam Dominus dicit : Cùm ſanctificatus fuero in vobis coram eis, tollam quippe vos de gentibus, & congregabo de univerſis terris, & inducam vos in terram veſtram. Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis, & ab univerſis idolis veſtris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri. Hic ſiquidem velocioribus intellectibus myſticè ſeu moraliter novitatem vitæ agendæ demonſtrat, cui veſtimentum novum abſque commixtione cum veteri congruit, & vinum novum velut utres novi ſine fractione recipit & refundit. Propterea conſona veritate renovatus jam Apoſtolus dicit : Expurgate vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio. Et nova novis uſquequaque conveniunt, & qui novas actiones per gratiam innovati ſuſcipiunt, non deficiunt, neque tabeſcunt.

Ezech. 36.

1. Cor. 5.

Cap. XVIII.

De quadrivaria ſimilitudine animalium ad tolerantiam & cautelam, ſecundùm Matthæum & Lucam.

MAnſuetè, pacificè, humiliter mundum Chriſtum ingreſſus, cùm in id vellet ſuos transformare ſequaces, ut non ope magnæ potentiæ, ſed paſſionis teſtimonio, & in virtutibus Evangelica doctrina clareſceret. Hinc ſuos deſignans quales velit eſſe Salvator, inimicos etiam per ſimilitudinem annotavit, dicens : *Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum, eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Sæpe per oves Salvator ſuos ſubſequos deſignavit, inſinuans manſuetudinem, quæ converſationem tolerabilem & amœnam cum omnibus habet, & pacem, qua homo Deo, ſibi, & proximo eſt quietus, & rabiem contradictionis ignorat, nec novit vacare litigiis aut contentionibus deſervire. Præoſtendit humilitatem, qua quiſque ſibi qualis exiſtit, apparet. Nec aliorum opinione ſupra ſe rapitur, & laudibus humanis confunditur, non levatur, forinſecum judicium omne devitans, ſolo conſcientiæ teſtimonio triſtitiam patitur vel lætatur, prout vitiorum atque virtutum adeſſe conſpexerit alteram partem. In hac ovina ſimilitudine Salvator ab Iſaia prophetatus eſt pati. Sicut ovis ad occiſionem ductus eſt. Quaſi ſolùm hoc ſit animal, quod neſciat vocem malè querulam ſuæ perditionis emittere, neſcia reluctari ducenti. Etiam Salvator, cùm de furo oviumque proprio paſtore vellet pro rei veritate diſſerere, illico de proprietatibus ovium intulit : *Et oves vocem ejus* (ſcilicet proprii paſtoris) *audiunt.* Et quod oves illum ſequantur, *quia ſciunt vocem ejus. Alienum autem non ſequuntur, ſed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem ejus. Hoc proverbium dixit eis Jeſus.* Proverbium erat, quia quod proprium eſt irrationabilium animalium, hominibus dicebatur. Sed verum eſt, quod Chriſtus dixit : Aliàs ſi hæc proprietas non eſſet in ovibus, ipſe protinus non dixiſſet. Sufficit ergo abſque alia experientia credere, quod creator omnium dixit. Sed omittentes proprietates ovium, ad aſſumptam ſimilitudinem pro hominibus veniamus. Sequuntur rationales oves cœleſtem in terra paſtorem. Sequuntur ſi veræ oves ſunt, ad agendam vitam pro vita ſperanda, quia ſciunt vocem ejus, quia fide noverunt quid verus paſtor inclamitat, quid velit à nobis, quid interpellat pro nobis, quibus alimentis nos paſcere velit. Qui ſciunt theoria & actu

Matth. 10. Luc. 10.

vocem ejus, ſunt de ovibus ejus. Et qui ſunt de ovibus ejus, theoria & actu perficiunt vocem ejus. Et ſcire vocem eſt diligere Verbum, facereque ſermones. Sed ſicut ovium eſt proprietas ſequi paſtorem proprium, ſic & fugere alienum. Proinde, qui verè ſunt Chriſti, alienum non ſequuntur. Quiſnam alienus? Qui diſcrepat à vita, qui eſt diſſimilis à doctrina. Qui animam avertit à recto, qui ducit per devia, qui deteſtabiles & ſingulares graditur vias. Qui humanè docuit, qui ſuaſit pro corpore. Alienus eſt omnis infidelis, alienus eſt omnis hæreticus. Alienus eſt, qui ſuo tempore magis timendus eſt, ipſe, quem mundus expectat, Antichriſtus. Alienus eſt, qui ex omni ſuo non ſtudet profectibus animarum. Alienus eſt ab ovibus paſtor, qui ad ſeipſum ex ovibus, non ad oves ex ſeipſo refertur. Sed fugiunt ab eo electæ Domini oves, non ab authoritate, ſi canonicè præſidet, ſed à doctrina, ſi malè loquitur, à vita, ſi nequiter operatur, à converſatione, ſi maculat. Si verò non præſidet, per omnia devitare cupiunt fugientes. Et ſi corpore interdum fugere nequeunt, ſaltem ex corde ab eis alieno recedunt. Non minus fugere ſaltem corde ab impropriis paſtoribus expedit, quàm ab his, qui nos inviſibiliter perſequuntur. Quare autem oves electæ fugiunt? Quia non noverunt vocem ejus. Aſſuefactæ oves unius voce paſtoris, aliorum voces velut non intelligentes non audiunt. Nam omnes electi qui Chriſtianis vocibus aſſuefacti ſunt, evangeliumque noverunt, incœperunt æterna, & ea, quæ non videntur diligere, amoremque à viſibilibus retraxerunt, alienorum vocem penitus non cognoſcunt. Propterea ipſum non ſequuntur, ſed fugiunt. Et cùm Salvator bonum ſe aſſereret paſtorem, ſtatim de ovibus intulit, in quibus ſuum gregem per ſimilitudinem deſignavit, quas æquavit ad vitam, ut tantùm diligeret, ut pro eis animam eſſet impenſurus. Altiſſima res eſt intantùm infimum fieri, ut velit quis ovibus comparari: Quoniam Chriſti vita ovis eſt pretium. Ait enim: *Ego ſum paſtor bonus. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Hoc de Chriſto per proprietatem dicitur, non per ſimilitudinem, ſed de hominibus, quod ſint per ſimilitudinem, non per proprietatem. Et paſtor adhuc bonus cognoſcere ſeſe dicit oves. *Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ.* Nimiò ſibi arroget, ſi bonæ ſit vitæ, quoniam ſolus bonus paſtor agnoſcit. Et nemo ſe jactet eſſe de grege dominico, ſi paſtorem bonum cognitione bonitatis ignorat. Cognitio paſtoris approbatio eſt ovium ſuarum. Cognitio autem ovium de paſtore, virtus eſt fidei, & operis imitatio. Et cùm animam ponere pro ovibus dicit, ovium amorem inſinuat. Et quandam ovium proprietatem negativè pro reprobis, affirmando pro electis explicat in auditu, cùm Judæis incredulis loqueretur, dicens: *Sed vos non creditis mihi, quia non eſtis ex ovibus meis. Oves meæ vocem meam audiunt.* Omnis vox Chriſti, quæ mundo tam altè reboavit revocationis eſt ab errore, revocationis à crimine, pro lupis cavendis, ne oves intrudantur in inferis, vocationis ad juſtitiam fidei cunctæque virtutis, interceſſionis ad patrem, invitationis ad vitam. Hanc ſiquidem vocem obedienter audiunt oves ejus, quas agnoſcit paſtor & Dominus. Paſtor, ut paſcat, Dominus, ut defendat. *Et ſequuntur me.* Proprium eſt ovium ſuum ſequi paſtorem. Aperta diſſertione Salvator prædixit, quid ſit ſuis ovibus donaturus, *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, nec rapiet eas quiſquam de manu mea.* Ecce æterna vita, imoque beata. Ecce præſervatio æterna. Ecce ovium dominicarum cuſtodia, ne in luporum raptu aliquando deveniant. Evangelicum animal ovis eſt, cui aſſimilatus eſt, & ſuum etiam gregem ovibus comparavit. Nam veſtitæ duplicibus tradunt alterum auferenti, ſi qua in eis ſunt, utilia ſunt. Nihil in exterioribus, nihil in interioribus eſt in eis, quin ad uſum hominum poſſit inflecti. Non ſunt animalia vanitatis, ſed neceſſariæ utilitatis, modicæ ſunt impenſæ, fructuſque magni. Nullius contentionis ſunt, ad ſeinvicem non eliduntur. Affectu vigent præter alterutram impugnationem, & in commune paſcuntur, nullum eis animal mitius invenitur. Proinde imitemur oves, ut fiamus de grege dominico. Ezechiel etiam dominicum gregem in paſcendis ovibus longè ante prævideratˌ quibus lupi præ cæteris animalibus ſunt infeſti, quibus ſimiles ſunt ſine cauſa in alios ſævientes iniqui, quorum hæc eſt depravata conditio, ut nullo intuitu innocentibus parcant, & nunquam quieſcant, niſi diripiant. Sed quales ſe habent oves ad lupos, & ad ſua vellera divillentes, tales ſuos ſervos vult eſſe Salvator ad eos, qui ſua diripiunt, & præter cauſam improbè perſequuntur. Proinde dicit, ſicut oves in medio luporum. Ut quia in medio oves ſtatuuntur, numerus bonorum ſignetur eſſe abjectior, iniquorum præcellere multitudo; quan-

Joan. 10.

quanquam illorum virtus ſuperferatur multitudini perverſorum. Quibus armanda ſit armis plebs, quæ videtur abjecta fidelium, ſub ſequentibus ſimilitudinibus declaratur, ut utantur videlicet prudentia ſerpentina, & in columbina ſimplicitate malorum poteſtatem devincant. Sed nec mirum, ſi ſerpentem proponit Salvator ſuis Fidelibus in exemplem, quem diabolus ad deceptionem primorum parentum propter ſuam calliditatem commovit. Erat enim callidior cunctis animantibus terræ. Quod eſſet callidior, non diabolus fecit, ſed quia ſic erat, in inſtrumentum fraudis ſuæ aſſumpſit. Quod ſerpens ſic erat, Deus fecerat. Et quod Deus fecerat, bonum erat, quod bonum diabolus permiſſa poteſtate, ad humani generis fraudem intorſit. Nunc verò Dominus JEſus poſteriore gratia bonum quod creaverat, ad uſum bonum ſuis fidelibus transfert. Nam illa ſerpentina calliditas bona erat, nihil enim reprehenſibile ipſis etiam animalibus dedit. Et honeſtius bonum à Deo factum proponitur in exemplum, quàm malum, quod diabolus de ipſo fecerat, timeatur, nec propter ipſum, quod à creatura quacunque adjunctum eſt malum, bonum quod à Deo eſt inditum deſeratur. Et ſiquidem ſerpentis bona calliditas, ut pro capite corpus exponat, ut veterem exuat pellem, prout nobis Apoſtolus innuit, ut exuamus veterem hominem cum omnibus actibus ſuis. Protinus quicquid eſt corporis & corporeæ facultans pro ſalute Spiritus exponendum eſt, qui caput regens, corpoream molem & corporeas actiones eſt in nobis conſtitutis à Deo. Et ſi quid eſt Spiritus, ſimiliter & corporis, pro Chriſto ſummo & ſano capite fiat abjectum, in pœnam abſque exceptione tradatur, ſi affuerit inevitanda neceſſitas, aut ſi decreverit à Deo regulata voluntas. Non enim ad prudentiam ſerpentinam diſcipulos Salvator induceret, niſi illam profectò creans omnia creaſſet. Expoliandæ eſt pellis antiqua, & ab antiquis contagiis noſtra eſt purganda conditio, ut novaculati à vitiis, in virtutibus renovati, cum homine bono per eundem hominem novum novo Sæculo præparemur. Columbina ſimplicitas Chriſti diſcipulis maximè ſit in voto, ut omnis mos per ipſam refulgeat, in ipſaque conſiſtat, ut nulli dolos etiam laceſſiti injuriis machinentur, nemini velint inferre moleſtiam, incedentes gementer in valle miſeriæ, quærentes ſemper atque tenentes in charitate conſortium, reſidentes in contemplatione conſpicua ſuper fluenta gratiarum. Et ex omnibus totam eccleſiam columbam in Canticis Salomon appellavit, adjecto deſuper altiſſimo intellectu, quòd Spiritus Sanctus ſit in illa ſignatus, qui omnis virtutis genimen præſtat, qui ſimplex eſt, unicus eſt, qui nulla qualitate variatur. Et in illam ſimilitudinem Chriſtus volens diſcipulos trahere, ſimplicitatem indicit columbinam, ut in mundo degentes, nullis mundi varietatibus agitentur, quam prolixe hic tractare omittimus, illam ſuperius differentes, unum ſingulariter conſiderandum tradentes cordibus hominum, quod in magno pretio tempore obſidionis ſtercus fuiſſe legimus columbarum, ut interno ſenſu aſpiciamus, quantum ſit ſimplicitatis pretium, quantaque nobilitas, qualisque utilitas, cùm venumdari conſpicimus, quod eſt ejus deſpicabile & abjectum.

Genes. 3.

Cap. XIX.

De ſimilitudine paſſerum & hominum in arcendo timorem, ſecundùm Matthæum & Lucam.

QUi velut paſſer ſolitarius ante prophetatus eſt, in tempore revelatus, & inter homines converſatus, per ſimilitudinem paſſerum ſuos diſcipulos ſolidare conatus eſt, ut ſi illi noſcuntur experimento ſenſibili vivere in providentia Dei, curaque paterna, quorum tanta noſcitur in commercio utilitas, quanto magis, quibus ſanguinis divini commercio ſuperexcedens & ſupernaturalis donata eſt dignitas. Inde factum eſt, cùm Salvator timorem hominum à diſcipulorum & cæterorum ſuorum cordibus vellet abigere, paſſerum ſimilitudinem induxit, dicens: *Nonne duo paſſeres aſſe venennt? Et unus ex illis non cadit in terram abſque patre veſtro.* Non aliter, quam per comparationem ſimilitudo iſta deducitur, ut ſi omnipotens de avibus abjectiſſimis gerit omnino providentiam, atque tutelam, amplius ſiquidem de his, quibus ſuam dedit imaginem, pro quibus in tempore fudit & ſanguinem, & daturus eſt beatitudinem ſempiternam. Similem com-

Matth. 10.

comparationem ſupra poſuit, cùm vellet diſſuadere ſolicitudinem, quam modo addidit, cum vellet à ſuis arcere timorem. Lucas numerum poſuit ampliorem, & ſub aliis Verbis ſimilitudinem tradidit, dicens: Luc. 12. *Nonne quinque paſſeres veneunt dipondio? Et unus ex illis non eſt in oblivione coram Deo.* Genus monetæ aſſis, cujus duas & ſemis valebat dipondius, qui erat ſimiliter moneta vel pondus. In hac enim parte patrio nomine temporaneoque uſu Evangeliſtæ ſunt locuti. Veruntamen ex omnibus intentio Salvatoris eſt, ut non timeamus, ubi non eſt timor, neque formidemus, cùm aſſerit ſuper nos curam adeſſe paternam, nec noſtrum obliviſci paternum affectum enuntiat. Proinde ſi unus paſſer non moritur abſque providentia patris, ſi unus non eſt in ejus oblivione, dum volat & vivit, quibus nulla vivendi ratio, nulla rationis cognitio, poſt occaſum nulla reſurrectio expectatur, quanto magis noſtrûm recordatur Deus, qui protegit inter pericula, qui inter adverſa tuetur, qui inter mundi perſecutiones ſuos agoniſtas præſervat, qui cuſtodit in morte, ut etiam reſuſcitet poſt occaſum. Quid igitur timemus, quare ſic pueriliter formidamus, quid horremus, cùm aſpicimus contra nos bella inſurgere, cùm mortem imminere videmus, cùm ipſe pro nobis deſuper pugnet, cùm ipſa ſæpe divertat mala ſuis fidelibus præparata, cùm temperet calorem malorum, cùm neminem ſupra datam virtutem ad agones exponat, cùm, ſi derelinquat ad tempus, omnia reformet in melius, cùm nihil depereat, apud quem eſt omnium vita, & quod nobis perire videtur in ipſo ſalutis & vitæ habet integritatem. Sed ne quis malefidus atque neſcius, cùm malè ſentientibus philoſophis ſeu aliis perperam judicantibus poneret partem ſuam autumativè dicens, quod Deus memoriam, & ſuæ altitudinis providentiam in hæc ima & vilia non inflectit, & ne ipſe vileſcat, hæc abjecta & vilia non conſiderat, annexa ſententia refellit & improbat. *Unde capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos.* Ecce, quod Deus paſſerum, imo unius paſſeris recordatur. Ecce, quod capilli humanorum capitum numerantur. Sed ubi talis calculatio capiliorum? Non in mentibus hominum, non in arte arithmetica, ubi omnes digiti numerantur, non exarari in tabulis, aut in membranis poſſent tot characteres numerabiles. Igitur ubi numerati ſunt? Protinus in iſtius mente, à quo creati ſunt, ubi ab æterno fuerunt, antequam crearentur. Ergo nolite timere, multis paſſeribus meliores eſtis vos. Procul pellatur à vobis timor, qui deviat à ſtudio veritatis, à via ſalutis, à teſtimonio Salvatoris, ubi deſuper pater opem ſuæ providentiæ repromittit, qui tanta dignitate conſtamus, qui ſuperferimur aſtris, qui avibus omnibus, quibus Deus alimoniam præſtat, curat, fovet atque gubernat, ſumus penitus meliores. De paſſeribus maximè ſimilitudinem dedit, quoniam ipſe ſolitarius appellatus eſt paſſer. Et in veteri teſtamento purificandus Levi. 13. duos paſſeres offerebat, & ipſorum nobis inter aviculas eſt natura pernicior.

Cap. XX.

De ſimilitudine arundinis ad inconſtantes, ſecundùm Matthæum & Lucam.

CONſtans & invariabilis Chriſti voluntas, & ad bonum omnium ſimpla & firma exiſtens, abhorret ab hominibus inconſtantiam, & permutationes deteſtatur varias ſtudiorum, quæ nec vellet homines humano timore flexibiles, nec animos flexuoſos, qui velut calami non agerentur à vento. Et arundinem eſſe, deflecti eſt in alteram ſortem, in qua eſt hominum plena calamitas, quod cùm Joannem Baptiſtam ab hac exemptum calamitate turbis vellet oſtendere, per arundinis ſimilitudinem vacuos Dei gratia declaravit, dicens: *Quid exiſtis in deſerto videre? Arundinem* Matth. 11. *vento agitatam?* Præintendens à Joanne quid erat, aperuit, quod non erat, quales Luc. 7. ſuos omnino eſſe nolebat. Interius vacua eſt arundo, quanquam exterius pulchrum haſtile oſtendat, facilèque movetur agitatione ventorum. Et hypocritarum atque malè mundo placentium hæc eſt mali moris firmata proprietas, ut ab intra virtutum veritate vacuentur, exterius fucati decipiendo refulgeant, & ad malam partem ante vel retro, ſiniſtrorſum atque dextrorſum facilè inclinentur, prout ventus vacuæ laudis & gloriæ complacentiæque

que humanæ agitando perflaverit, cujus contrarium Chriſtus habet atque requirit. Nam omnis gloria filiæ regis ab intus in fimbriis aureis, ut nullus præter interiorem exterior ſit ornatus, nihilque pretio fiat corde vacuum eſſe, ſi ſit ab extra compactio. Nihil probiter exterius inve- nimus ab homine actum, ſi exinanitio intranea fuerit. Plenum & ſolidum extra fieri, eſt corporalem molem habentium, intus verò exiſtere ſine agitatione ventorum, eſt virtutis almifici. Differunt plurimùm magnanimitas & fortitudo, ut illa duntaxat ad animam, hæc ad utrunque referatur, ut interdum ſit magna in corpore valetudo, ex qua corporalibus impulſionibus & arietantibus ictibus reſiſtitur, & magnanimitas in animo deficit. Extollit ore proprio ſuum agoniſtam Salvator, & inagitatum à vento denuntiat. Eſt ſiquidem ventus ſæpe hominum timor, quem quidam habentes prædicare deſiſtunt, nec ſeminant argutiones in improbos nec auditotibus verba vitæ, de quibus per ſapientiam dicitur: Qui obſervat ventum, non ſeminat. Qui humano terrore con- Eccl. 11. cutitur, non ſeminat Verbum, ut recolligat vitæ fructum. Quo vento non agitabatur, qui arguebat Herodem, & ad Jordanem poſitus, doctrinam regni promulgabat ad plebem. Carebat illa calamitate, qua omnis homo eſt miſer, ſcilicet non promptum fieri ad divina mandata, nec paratum eſſe pro Chriſto ad illata tormenta. Milera conditio calamitoſorum, cùm eo in illam deveniunt, cùm pro Deo in hoc Sæculo à mundanis calamitoſi non fiunt, ut ab ipſo cœleſtibus repleantur. Conſiderandum eſt igitur quanta ſit hypocritarum & vanorum hominum, atque malè timentium abjecta dignatio, qui arundini commendatione Joannis à Domino comparantur, ut quibus in hac vita vacuitas eſt gratiæ, in illa plenitudo gloriæ non ſuccedat, & qui in hoc Sæculo quomodolibet agitantur à vento, niſi prius reſtabiliti gratia, in illa patria non firmentur.

Cap. XXI.

De ſimilitudine fulguris ad cadentes, ſecundùm Matthæum & Lucam.

QUi angelorum & hominum noverat ab æterno ruinam futuram, juſtè permiſit factam. Aſpexit irrevocabilem in angelis, ſed in hominibus pro parte revocabilem conſideravit. Illos, quos elegarat, ab illa volens avertere, ſatanicam ante factam ruinam, & hominum futuram, niſi caveatur, præſignavit in fulgure. Nam cùm diſcipuli accepta ſuper dæmones poteſtate, exercitataque gaudentes reverterentur ad Chriſtum, quod etiam eis fuerant ſubjecta dæmonia, præcavens futurum caſum, ait illis: *Videbam ſatanam ſicut fulgur de cœlo cadentem.* Apta eſt ſimilitudo ad declarandam illam ſpeciem ſuperbiæ, quæ procedit de virtute in ruinam. Nam irretentibilis eſt omnino impetus fulguris, cùm delabitur, ſic & ſuperbiæ caſus, cùm ex virtute fuerit in alta ſubvecta. Et quanquam abſonum videatur dicere, cùm ſi virtus eſt, quomodo ſuperbit? Si ſuperbit, quomodo virtus? Tamen audacter dixerim, mutata aliquorum virtute fulgentium voluntate, necnon ex actibus ejus, etiam ipſa non inhærente proceſſiſſe ſuperbiam, quæ, cùm exaltata fuerit, omnino devenit in ruinam. Nam Salomon dicit: Ante ruinam exaltatur cor. Prov. 18. Ubi exaltatur, in quo exaltatur, & ad quid exaltatur? Exaltatur in ſe. Non enim extra poſitum habet locum cor omnino ſuperbiens. Exaltatur in bono naturæ, acuto ſibi collato ingenio, aut alta perſpicacitare reſplendens, non inde ſacrificans aut gratias agens bonorum omnium largitori, qua ſibi pluribus præire videtur. Et in his ſæpe attollitur, quæ ad uſum corporis collata cognoſcimus, non utens talibus bonis utriuſque hominis eo fine, illisque regulis communibus, ſicut divina providentia largitur hominibus. Ad id verò extollitur, ut ſi fieri poſſet, ſine ſuperiore, aut abſque conſorte gauderet, cui multiformi exaltatione ſtatim eſt annexa ruina, quæ nunquam ſequeretur, niſi exaltatio proceſſiſſet. Præcavebat ſanè in ſuis diſcipulis Dominus & Salvator, ne ſuperbirent ex collatione chariſmatum, & ex eo quod acceperant virtutem operandi miracula, & ſuper dæmones dominatum, quoniam ipſe vidit ab æterno, & quomodo factus eſt ſatanicus caſus, nec aliter factus, quàm ipſe præviderit, nec aliter ipſe prævidit, niſi prout diabolus fecit. Sed nec hoc eſt noſtræ diſſertionis, niſi

Luc. 10.

* *B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.*

tantùm ſimilitudinem caſus edicere, qui factus eſt ſimilis fulguri de cœlo cadenti. Non revertitur fulgur in ſuperiora, cùm ad iſta inferiora cadendo devenerit: Sic non revertitur apoſtata virtutis cùm in ipſa ſuperbit. Et malè fungens authoritate deſuper divinitus conceſſa, non regreditur ubi fuit, quanquam omnia ſint poſſibilia de altiſſimis revocanti. Fulgur (ut experimento videmus) labitur coruſcando, & luminoſi fuiſſe videntur, qui irrevocabiliter cadunt, ſimiliter & angeli, qui irreparabiliter ceciderunt. Nullorum ruina profundior, quàm qui videbantur fulgere cœleſtibus & divinis charismatibus coruſcare. Fulgur cadendo infert quandoque læſuram. Quoniam altæ virtutis exiſtentes dum ruerunt, exemplo malo plurimos infecerunt. Rarò juſti caſus fuit ſine læſione videntis. Nam quicquid de cœlo cecidiſſe Joannes in Apocalypſi aſpexit, tertiam partem læſiſſe deſcribit. Sed hoc potiſſimè humanis mentibus præfigendum, quòd nunquam diu alicujus potuit regnare ſuperbia, quamvis ad tempus florere videatur, & reconvaleſcere, dum ſuccumbit. Sed illa punitur atrocius, quæ de rebus ſpiritualibus mundanam auram captando reſurgit. Nam de his humanè ſuperbire, cùm ſint ad divina, ſceleratius agitur, quàm de humanis exrolli.

Cap. XXII.

De ſimilitudine jugi & oneris ad ea, quæ Chriſtus imponit, ſecundùm Matthæum.

CReator omnium DEUS quouſque creavit hominem, ſicut ex ſcriptura ſacra didicimus, quanquam eſſet; non eſt Dominus appellatus, cui ex creatione nihil novitatis acceſſit, cùm verò creaſſet hominem Dominus dictus eſt, ut hoc intelligentibus præſtaretur, quod ſub cœlo duntaxat ab homine obedientiam rationabilem in ſuperna homines inferentem exigeret, quam, cùm collo impoſitam parentes primi fregiſſent, incurrerunt dæmonum mobedientiam, & ſuper terram miſeram ſervitutem, ad quam excutiendam de cervicibus hominum, in carne degens ad ſuam obedientiam omnes malè perditos revocavit, quam ſub jugi & oneris ſimilitudine deſignavit, dicens diſcipulis ſimiliter & aſtantibus turbis: *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Malè premebat homines hoſtis antiquus, & jugo peſſimæ ſervitutis oppreſſerat, nec præſtabat requiem laſſis, ut in luto ſeu cœno terrenarum rerum & palea vanitatis, & igne omnium concupiſcentiarum acriter decoquente, in Ægypto mundi tenebroſi Pharaoni dominanti miſerabiliter ſerviremus, quibus non requies poſt laborem, nec ex obſequiis turpibus præmium præſtabatur, potius adjiciebatur perpetua & mortalis pœna mortalibus, omni ſpe firmiter evaſionis adempta, & deſuper colla premente jugo, quod protoplaſtus ſponte à ſeductore ſuſceperat, etiam multi ad pœnam trahebantur inviti. Sed nec voluntariè tetra juga portantes, aut ultro ſervientes nequiter decernenti, liberos eſſe homines per arbitrium decebat. Abſque jugo creatoris incedere mortale periculum erat, quod qui fecit aut faciet, dictus eſt Belial, quod dicitur abſque jugo. Et qui jugum ſuaviſſimæ imo beatiſſimæ ſervitutis à ſuis cervicibus excuſſit in cœlo, conatus eſt aſperrimæ atque turpiſſimæ obedientiæ imponere hominibus ſuper terram. Verumtamen per libertatem arbitrii unum excuſſum, alterum verò damnoſè ſuſceptum eſt. Ut igitur auferatur mortale periculum, etiam per libertatem arbitrii, clamante Chriſto, revocantur homines ad ſuaviſſimum jugum. Tollite, inquit, Salvator, non impono, non gravo, non cogo, non invitè veſtris cervicibus ligo, ſed præparo & offerro. Libertatem habetis, liberi creati fuiſtis. Ineſt vobis ratio diſcernendi, ſub quo Domino laboratis, agnoſcitis, fortè videtis & prænia, nec fortè ignoratis, quid à vobis exactor improbus exegit, qualia ſunt præmia, quæ ſperatis. Si jam aſperum jugum diſplicet, ſi diſſuavitas jam internè jure moleſtat, ſi adhuc exire vultis à jugo Pharaonicæ oppreſſionis, cum voluntate libera tollite jugum meum, ſi jam factum eſt vobis odio contra meum, ſuper vos, ne ſuperferamini directionibus meis, incedentes voluntatibus veſtris, ſed deſuper ſuaviter premat

Matth. 11.

Exod. 5.

mat jugum, si superna captare contenditis. Non humana obedientia, neque terrena regulatio, sed superno jugo agi, fecit ad superna conscendere. Compellit nos tollere jugum, non Christus, sed ipsa necessitas evadendi, quoniam jugum iniquitatum nostrarum vigilat in manu ejus. Vigilat jugum iniquitatum hominum in manu Dei, cùm ipse memoriter tenet, quod jugum suum confringentes, jugo iniquitatis paruimus, ut ulciscens potenti manu tradat in pœnam, nisi suum jugum voluntate susceptum ab illo ante sejungat. Et bonum est viro, cùm portaverit jugum ab adolescentia sua. Non solùm bonum, sed nihil melius in virtutibus reperitur, quàm divino jugo jugari, imo nil aliud virtutem esse dixerim, quàm tollere jugum Christi, & omnis esse virtutis suo jugo colla submittere. Jugo Christi annectitur disciplina, quæ caret errore, quæ forma est portandi jugi, cùm fuerit sponte susceptum. *Discite* (inquit Salvator) *à me, quia mitis sum & humilis corde.* Harum virtutum solùm ipse voluit esse doctor, illas nobis exemplificans in semetipso, ut fit mansuetudo secundùm formam ejus exterior, & humilitas interior quantum capi potest, adhæreat. Nemini molestus, nemini onerosus, nemini gravis, nemini importunus, amabilis omnibus, quamvis non ab omnibus amaretur, omnibus omnia factus, ut omnes lucrifaceret, suiipsius impensor omnibus erat Christus. In nullo amara conversatio ejus, nihil ostentans, sine querela ut agnus incedens. Non amans, non quærens unde invisibilis amor scinderetur. Sic protinus mitis erat, & hæc est vera mititas, humilitas cordis, quanquam corporis gesta componat, ipsa tamen invisibilis est. In illam intendere paucorum luminum est. Hoc protinus habet in abditis, supra se non rapi, nullis opinionibus agitari, sua pace fruitur, se noscens, sibi soli vacans, assistens in profundo coram altissimo, recusat omnino in cordibus hominum per complacentiam, vel amorem vivere. Metas mensuræ propriæ non excedit, magis verò remittitur infra illas. Contradictionibus & exceptionibus caret. si qua sunt pericula etiam ipsam mortem habet in voto. Hæ siquidem virtutes remunerationem habent vitæ præsentis, similiter & futuræ. Proinde sequitur: *Et invenietis requiem animabus vestris.* Requiescunt multorum corpora sæpissimè post labores, capiunt dulces somnos, cubant in lectis, & quiescunt in his, quæ ad quietem habent corpora humana suscipere. Animæ verò nunquam, nisi sub jugo Christi in mititate atque humilitate requiescunt. Scriptum est enim: Migravit Juda propter afflictionem & multitudinem servitutis, habitavit inter gentes, nec invenit requiem. Juda carnalis homo serviens temporalibus, migrat corpore de loco ad locum, migrat mente, eùm in varia concupiscibilia ejus transit affectus, & in omnibus est afflictio ejus Spiritus. Opprimitur multitudine servitutis, cùm sua non sibi, sed propter sua subjecte pluribus serviat, & angariam patiatur, & in genitura qua natus, non in gratia qua regeneratus nunquam possidet requiem. Quomodo requiem habebit, qui servit laudibus & complacentiis hominum? Quomodo requiem habebit, qui sibi nequam, & aliis est factus infestus? Et ut perstringam, adsit nobis Salvatoris patrona sententia, qui animarum requiem virtutibus his adjecit, similiter & futuram verè requiescentibus tepromisit. Ne autem jugum hujusce modi hominibus importabile videatur, ejus conditionem exposuit, dicens: *Jugum enim meum suave est, & onus meum leve.* Suave jugum præceptum amoris. Nihil enim suavius cordibus, quàm amare. Leve onus, quoniam juxta naturam conditam est, quod imponitur, & secundùm onerandorum probabilem qualitatem. Cùm æquantur viribus, onera levia sunt, magis autem subjiciuntur. Minus enim onerator noster imponit, quàm portare possumus. Supra vires neminem præceptis aut consiliis oneravit, alioquin ipse diceretur injustus, & homo excusabilis haberetur. Suave jugum, quo linitur subjecti collum, quo erigitur, non curvatur. Leve onus, quod exonerat à peccatis, quo portans est factus agilior, quo expeditior ad sequelam, quo à terrenis ad superna provehitur. His similitudinibus jugi & oneris ad se omnes Deus Salvator invitavit, ut nemini serviamus jugo iniquæ servitutis astricti, nec dorsa subjiciamus ad onera, quæ mergendo ad inferos gravant, de quibus Psalmista dicebat: Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me. Qui nos condidit, nos requirit, ut sui servi simus. Nam ait Apostolus: An nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis, sive peccati in mortem, sive obeditionis ad justitiam? Animalia jugata incedunt pariter, & jugatæ animæ charitatem & unionem Christianam non scindunt. Gravat onus super dorsa portantium, & solidius pedes figent

Threno. 1. Threno. 3. Threno. 1. Psalm. 37. Rom. 6.

onerati à Chriſto. Non divaricant pedes ſuos, neque laſciviunt jumenta, dum pergunt, at fœnum viride cùm aſpiciuunt, etenim à ponderibus retrahuntur, ſic & qui divinis oneribus onerantur. Qui in veteri teſtamento legis jugo noluerunt ſubjici multis perturbantibus principibus atque regibus, factæ ſunt invitè ſubjecti, & tandem crudeliter jugum regis Babylonici ſunt experti. Et qui noluerunt onera divina portare, pœnarum & exiliorum & exitiorum onera pertulerunt, quod qui legit veteres codices maximè propheticos, non ignorat. Et quoniam omnia in figura contingebant illis, nobis verò in veritate, contumacibus æterna mala provenient, igitur non recuſemus jugum Spiritus Sancti unctione linitum, quo collum noſtræ Fidei, noſtrique roboris confortatur ad ſumma, nec devitemus onus virtutum, quo pervenientes onerati, exponemus noſtras merces in ſuperna.

Cap. XXIII.

De ſimilitudine arundinis & lini, ad eos quos Salvator ſervare diſpoſuit, ſecundùm Matthæum.

Matth. 12. INterpoſuit Evangeliſta duas ſimilitudines, non de ſuo, ſed de propheria Iſaiæ, ad confirmationem eorum, quæ à Chriſto fiebant, atque dicebantur, in quibus duas generationes expreſſit, ſed tamen à Chriſto non conteruntur, cùm ad ipſum voluerint toto corde converti. Non enim vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat. Cumque illam propheriam de Chriſto loquentem Matthæus induceret, hoc quoque ſubjecit:

Iſaiæ 42. *Arundinem quaſſatam non confringes, & linum fumigans non extinguet.* Aliquid ſupra de arundine diſſeruimus, virtutum & gratiæ vacuitatem prætendente, quæ quatitur, & quaſſatur, à vehementia vitiorum, ſed cùm hinc indè flectatur, non tamen evellitur, & vento ceſſante in ſua erectione fundatur. Plerique homines ultra velle impelluntur, ſecundùm quam ſententiam loquebatur Apoſtolus: Non enim quod volo bonum, hoc ago, ſed

Rom. 7. quod odi malum, illud facio. Ille malum quod odit operatur, qui à malo, quod in carne habitat ex corrupta natura vincitur, nec bonum illud perficit, quod anima humana rationabiliter diligit, hoc ſcilicet quod ex natura condita nollet homo peccare. Si vacuitas adeſt à gratia, impellentibus vitiis cedit, quibus per gratiam ceſſantibus ipſa in natura bona conſiſtit. Repleri tamen omne vacuum poteſt, imo (ut audacius dicam) vacuum in anima omnino non eſt, quia aut virtutibus aut vitiis ipſa repletur, veruntamen repletio vitiorum vacuitas eſt gratiæ, cujus præſentia vitia propelluntur. Sed nec Chriſtus hos confringet, per pœnitentiam firmam redire volentes. Linum fumigans generationem magis criminoſam inſinuat, illorum videlicet, qui ſemper ſuperbiunt, & velut fumus in alta tolluntur, & hos non extinguet, ſi humilitas ex adverſo proveniet. Omnia profectò peccata ſive per fragilitantem & ignorantiam proveniunt, aut ex fumigante ſuperbia, prima in arundine, ſecunda ſignatur in lino fumigante. Aliter me horum ſenſus differere commovet, ut ſcilicet propter gratiam non confringat, aut extinguat ipſa naturam. Necnon cùm illa ſententia Salvatoris aſciſcitur, qua ſe ſalvare quod perierat, veniſſe dicebat. Arundo & linum diſtinctum habent naturæ decorem, ſed ad artificium utile unum plus altero aptum eſt, ut plus utilitatis lino, minus verò arundini conferamus. Sive qui plus apti mundo, aut minus apti, ſive qui plus apti cœlo, aut minus apti reperiantur, Chriſtus non confringet, nec extinguet. Affabilior magis indagantibus ſenſus aſtat: Ut Chriſtus in carne apparens, neminem ad ſe per illatam violentiam trahat. Si ulterius hoc exprimimus, timeo ne ſanguis eliciatur, veruntamen arundo ſapientia naturalis atque humana eſt. Dicitur enim in pſalmo: Increpa feras arundinis. Alia verò litera di- Pſalm 67.
cit: Increpa feras calami. Calamo ſcribuntur, ſcilicet quæ mandantur memoriæ poſterorum. Feræ verò arundinis ſive calami, ſunt humana & naturalia ſapientes. Sed quaſſatam arundinem Chriſtus non confringet. Humiliatam ſapientiam hominum DEUS non abhorret, ut illi ſupponatur, quæ cœleſtem ethicum facit.

cit. Linum verò, quod multa violentia perducitur ad candorem, & collo fuſoque ſubtilis redditur, ad indumentum contexitur, corporalis eſt munditia. Pro quo adultera mulier relicto viro, amatores alios ſequebatur, quam ſi fumigare viderit non extinguet. Fumus enim ſignum eſt ignis. Et ipſe Salvator dicit: Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat? Hic enim ignis eſt charitas, cujus ſignum actualis eſt pietas. Merito igitur ſuæ bonitatis non confringet hujuscemodi quaſſatum calamum & fumigans linum. Luca 12.

Cap. XXIV.

De ſimilitudine arborum & viperarum ad malos, ſecundùm Matthæum.

CUm Dominus creaſſet primum hominem cognitione plenum, poſteros ſiquidem cognitione capaces, qua recta ſtante homines præterquam angelis creatis omnibus præferuntur, qua deflexa in beſtias rediguntur. Igitur, ut ipſi ſe cognoſcant, per ſimilitudinem arborum remittit introrſum, Matth. 12. dicens: *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Siquidem ex fructu arbor cognoſcitur.* Arbores facere non eſt hominis, ſed quales ſint, humanæ profecto eſt cognitionis. Unde conſiderare arborem bonam, quia faciet fructum bonum. Et cognoſcite arborem malam, quia faciet fructum malum. Has ſimilitudines ſupra & alias diſeruimus, unde brevitatis cauſa hic reticemus, quas ſimilitudines per viperarum ſimilitudinem ad reprobos approbavit. *Progenies viperarum, quomodo poteſtis loqui bona, cùm ſitis mali?* Viperarum progeniei aſſimilantur mali, dum paterna veſtigia improbata ſequuntur, quorum inſiſtente malitia non eſt loqui rectum, Eccleſ. 34. juxta illam Eccleſiaſtici ſententiam: Ab immundo quis mundabitur? Et à mendace quid verum dicetur? Viperei homines venena iniquitatis geſtant introrſus, ſed nec bonum enunciare poſſunt exterius, cùm omnis geſtus corporis, præter illum, qui habetur in ſomnis, & etiam à majori potentia exactis, procedit ab imperio voluntatis, quæ mala exiſtens, non bona, imo mala loquendo diffundet. Sed ſæpe videmus eos, qui mali ſunt bona loqui, & acutiſſimas & improbabiles veritates, necnon & ceſſiſſe aliis in profectum. Sed ne me, quod ſe ad dicendum offert, trahat in longum, utrumque dictum ſe veritate tuetur, ut verum ſit, quod mali bona loqui non poſſunt, & verum, quod ſæpe bona & vera loquuntur. Sed quomodo? Non à ſeipſis, Quomodo? Ut nec eis mentum bona loquendo proveniat, cùm ſint mali. Non capit ex bonis verbis aut ex bonis actibus fructum, qui malus in ſeipſo conſiſtit. Et prodeſſe ſiquidem aliis poteſt, in ſeipſo jam reprobus, & fortè ultima ultione damnandus. Sæpe namque DEUS utitur malis in commoditatem bonorum. Nam & aſina bonum locuta eſt, quæ ratione carebat, & Saul propheravit, qui reprobandus erat, & philoſophi plerique ſunt vera & bona locuti, & Caiphas & Pilatus bona locuti ſunt, & quàm plures reprobi, ut quotidiana experientia manifeſtat, bona & vera loquuntur, ſed in modo, de quo Salvator interrogat, omnino deficiunt. Sed contra illos Chriſtus intendit, qui habent ſimili- Matth. 12. tudinem viperinam, ut velut viperæ venenum ex earum natura in lingua geſtantes, non poſſunt cum ipſa niſi venena diffundere, ſic voluntatem depravatam habentes, non poſſunt bona loqui, cùm iſta ſit probata veritas, atque ſententia. Ex abundantia cordis os loquitur. Progenies viperarum facti ſunt plurimi, ſcilicet malorum imitatores, qui ad itiniquitatem propriam, ut mala perficiant, etiam addidere exempla bonorum. Verùm proprium factum eſt iniquis, malorum imagines in argumentum pravæ actionis inquirere, ut in eo ſecurius perperam agant, quo ſunt iniqua multitudine fulti, & decepti credunt ex aliorum actionibus pravis ſibi excuſationis facere velamentum, ſed in hoc uniuscujusque ſua ſibi mentitur iniquitas. Quoniam ſicut nemo aliena iniquitate damnatur, ſic nec ſuſcipit excuſationis ſuffugium. Luca 26.

Cap. XXV.

De ſimilitudine molæ aſinariæ ad malè agentes, ſecundùm Matthæum.

CAutior in omnibus ambulat, qui prænovit & præmeditatur dignas eriminibus pœnas, ad quas, cùm DEUS neminem ex creatione ordinaſſet, Chriſtus doctrina & actu conabatur eripere, cùm eas ſub ſimilitudine
Matth. 18. molæ aſinariæ deſignavit. *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt,*
Marci 9. *expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in*
Luca 17. *collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Offenſionem puſillis inferre pœnam meretur æternam, niſi pœnitentia diluat. Sed ex hoc magis ultio ſæva proveniet, ſi credentes in Chriſto lædantur. Quoniam in ſe infinitè magnùs inter nos exinaniens ſemetipſum, factus usquequaque puſillus, ſibi ſimiles magno zelo cuſtodit, ut etiam interminetur ſub acerba imagine pœnam. Aſinaria mola peccatis hominum correſpondet. Volvuntur enim peccatores more aſini circa molam lapideam & duritiam cordis ſignatam in lapide ſemper volvunt, gyrantur ad damnabile centrum à duritia malæ voluntatis, & malam voluntatem damno proximorum, & proprio ſemper gyrant, & in id redeunt, unde recedunt, & in id recedunt, unde redeunt. Collo aſinus ligatur ad molam, & totum corpus eſt in officio devolvendi, ſic pravi in magna fortitudine vinculantur ad duritiæ neſas, & omnia diſponuntur ad impiam actionem. Et eorum mens ſemper volvitur circa idem, aut meditatione peccandi, aut inviſibili delectatione, ſeu prava operis actione. Non progrediuntur in amplius ſpatium aſini circa molam, ſed revolventes revolvuntur quotidie circa ipſam. Sic anima pravis delectationibus occupata, id ſemper repetit unde delectari conſuevit, & efficitur abjecta & vilis, cùm nimis iterat, quod deliquit. Unde per
Jerem. 2. Jeremiam ad Jeruſalem dicitur: Quàm vilis facta eſt nimis iterans vias tuas. Vilis absque dignatione anima efficitur, quæ ſemper easdem iterat vias, & ſemitas peccatorum. Sed aſinaria mola ſuſpendetur ad collum, & ſubmergetur in maris profundum: ut qui aſininè vixit, aſininè puniatur. Et eo crudelius, quo pœna ſit æterna. Et quo malo aſſiduo delectatus eſt, circa cujus centrum revolutus eſt, in profundum inferni perpetuo demergatur, & quod ligatum tenuit in culpa, non diſſolvatur in pœna.

Cap. XXVI.

De ſimilitudine manus, pedis, oculi, ad tria bona in quibus conſtitutus eſt homo, ſecundùm Matthæum.

IN tribus conſtituit hominem creator omnium DEUS, ut operaretur, ut afficeretur, ut meditaretur ſeu contemplaretur. Quæ voluit rectè agi, in his juſtè mandavit hominibus converſari, contrarium verò ſub interminatione diſſuaſit, & ſub imagine membrorum demonſtravit diſcipulis, offenſionem ab ho-
Matth. 18. minibus verbo arcens. *Si autem manus tua vel pes tuus ſcandalizaverit te, abſcide eum, & projice abs te. Bonum eſt tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum & projice abs te. Bonum eſt tibi cum uno oculo ad vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Hinc effectus in manu, affectus in pede, contemplatio ſeu intellectus in oculo deſignatur. Quòd ſi ex eis ſcandalum, id eſt offenſio divina ſeu proximi oriatur, carere melius erit, quàm in ſua paratione conſtantibus, cum illis æterna damnatione puniri. In omni homine duplex eſt manus, duplex pes, duplex oculus, niſi natura deficiat, aut infirmitas tollat, ſeu juſtitia crimine ſuadente præcidat. Sic exi magine ſumpta duplex hominis actio eſſe poteſt, bona qua placemus, mala qua ſcandalum facimus; Si actio ſcandalum præſtat, utique mala erit. Igitur melius eſt ſimplam eſſe actionem, quàm duplicem, ut ſit illa, quæ placeat, non illa, quæ ſcandalum præſtat. Affectu ad agenda movemur, ſicut pedibus loca mutamus. Simplo affectu, ſcilicet qui virtute veſtitur, melius eſt diligere, quàm addere compoſitionem in his, quæ naturam offendere habent, ſic de intellectu, qui ſignatur in oculo, eſt proferre ſententiam. Poſuimus hic iſtam rationem ſervandi ordinis

dinis in ſimilitudinibus differendis, ſed alibi aliter ſunt dicta. Veruntamen pro hoc argumento magno timentes, quod dextralia, ſi vertuntur in ſcandalum, dimitti ſeu abſcidi jubentur, multo magis, quæ ſiniſtra cenſentur, ut hoc nobis fiat probitatis exemplum, quod in ultima diſceptatione ſiniſtrici reportabunt, dextralibus primo ad æterna regna vocatis.

Cap. XXVII.

De ſimilitudine parvulorum ad ſalvandos, ſecundùm Matthæum.

PArvulus qui natus eſt nobis, cœleſte regnum parvulis repromiſit, parvulis ſtatuit. Parvulos non ſenſu, ſed malitia quærit, propterea ſalvandos omnes parvulis comparavit. Nam, cùm offerentur ei parvuli, ut manus eis imponeret & oraret, & diſcipuli increpabant eos, Jeſus vero ait eis: *Sinite parvulos venire ad me nolite eos prohibere, talium eſt enim regnum cœlorum* ſcilicet ſimilium. Aliàs damnati eſſent homines provectæ ætatis, niſi parvulorum ſimilitudo pro puritate decurreret. Et paulo ſupra, ut aliam cum iſta connectam, æquam ſimilitudinem poſuit, cùm à diſcipulis interrogaretur: *Quis putas major eſt in regno cœlorum? Et advocans Jeſus parvulum, ſtatuit in medio eorum, & dixit: Amen omen dico vobis niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque enim humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic major eſt in regno cœlorum. Et quicunque ſuſcipit talem parvulum in nomine meo, me ſuſcipit.* Puritas & humilitas & innocentia in parvulis deſignatur, quibus virtutibus ſuos vult Chriſtus coruſcare credentes. Nam puritas in parvulis, quia non adeſt doli capacitas, innocentia, quia neminem lædentes cognoverunt: humilitas, liberi enim ſunt à faſtu ſuperbiæ. Satagendum eſt ad iſtas virtutes, ſine quibus non eſt ingreſſus ad regnum, & quibus ad intrandum nulla ſera obſiſtit. Nam reprobatis propter murmurationem factam in deſerto cunctis à viceſimo anno & ſupra exceptis Joſue & Caleph, ſolùm parvulis ad terram promiſſionis eſt repromiſſus ingreſſus, ut & nos virtutum harum ſuſcepta veritate in illis proficiamus, quoniam omnia in figura contingebant illis. Quibus confertur in regno majoritas, ut in regno eccleſiæ atque ſuperno ille ſit major, qui purior & innocentior atque humilior fuerit. Necnon & in ipſis ipſe Salvator ſe recipi demonſtravit. Hoſpitia ſunt Chriſti virtutes in parvulis conſignatæ, ut per puritatem introeat, quieſcat in innocentia, & humilitas eum foveat gremio molliori. Et ipſe non altis corde, ſed ſuam ſapientiam præſtat parvulis. Et alia ſcriptura dicit, quod intellectum dat parvulis. Et pater cœli & terræ arcana & ſecreta ſapientiæ ſuæ abſcondit à ſapientibus & prudentibus, & revelat ea parvulis. Magna hominibus eſt appoſita retributio præmiorum, dum in parvulorum ſenſum ire conentur.

Matth. 19. Marci 10. Lucæ 19. Matth. 18. Pſal. 8.

Cap. XXVIII.

De ſimilitudine divitis ad camelum & januæ paradiſi ad portam acus, ſecundùm Matthæum.

ABundanter derogatum eſt homini, non ab alio, quàm à ſe ipſo, cùm in ſuis actionibus, animalibus irrationalibus comparatur, & ad ipſorum conſideranda opera pro inſtructione ſæpe remittitur. Et magna eſt benignitas Salvatoris, cùm bonos nos eſſe atque vitare pericula per ſimilitudines horum prænonuit. Unde, cùm vellet divites commonere, divitem camelo, divitas oneneribus, portam æterni regni acus foramini comparavit: *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum.* Hæc ſimilitudo ex ſuperioribus pendet, ab eo ſcilicet, quod dives nolebat, relinquens pecunias, Chriſtum ſequi. Ecce porta regni cœlorum, ecce foramen acus, ecce dives, ecce camelus. Sicut igitur camelus ad foramen acus, ſic dives ad portam regni cœlorum,

Matth. 19. Marci 10. Lucæ 18.

ut si possibile reperietur camelum acus foramen ingredi, si divitem in portam regni cœlorum. Prætermittimus allegoriam, quæ duos populos claudit, Judaicum atque gentilem, nonbus duntaxat insistimus. Sed acus, cùm introducat filium, erit ne introductura camelum? Utique si posset immitti, fortè magno tempuris tractu in partes subtilissimas dissectus sic delicatus dives posset salvari conversus adhibita multi temporis extensione pœnarum. Camelus, scilicet rudis homo, facilius se passioni coaptat, quàm dives relinquat divitias propter regna cœlorum. Et si porta acus Christo venit in mentem, cùm similitudinem poneret, exoneratus camelus, aut proniter inclinatus ingreditur, sic dives abjectis divitiis aut usquequaque humilitatus in illis, portam fortè ingreditur æternam.

Cap. XXIX.

De similitudine salutiferæ passionis ad calicem secundùm Matthæum.

PAssurus pro omnibus pœnas & injurias, necnon & ignominiosissimam mortem, in id nitebatur provocare sequaces, ut passionibus intentatis nullatenus detractarent, & tormentum fecerat januam summæ vitæ, necnon velut medicinale poculum statuerat ad consequendam illam superam sanitatem. Proinde discipulis quærentibus in superna conscendere, ac per dextrum & sinistrum in superno regno à domino situari, responsum est, si ad passionem parati erant, quam per similitudinem desi-
Matth. 20. gnavit in calice, dicens: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Cito bibitur, quod infunditur calici, sic passio velociter transit. Et quod liquidum est, dilabitur, & passio tota fluit. Quod mensuram habet, perpetuum esse non potest, calix autem mensurata est potio. Quod homo infert, momentanei temporis est, non enim perdurabilis est hominum actio. Et si vulnera inferunt, si mortem irrogant, non est ex eis facere duratura, etenim ipsa corrupta natura hoc stipendium habet in pœna. Sed nec credatur passio in calice designari, bibides continente liquores, sed in illo loquore, qui tam facile absorbetur. Et nomen accepit calix à calida potione, quæ archiatraco judicio ægrotantibus bibenda proponitur, & quamvis sit amara bibentibus illam, sæpe illis attulit sanitatem. Multos invenimus calices in sacra scriptura, sed ille factus similis salutiferæ passionis, in quo suam Salvator dominus præostendit, quem David longè ante prævidcrat, dicens: Calicem salutaris accipiam, Psalm. 115.
& nomen domini invocabo. Quem Salvator pro omnibus bibit, qui mortui erant: & pro omnibus, qui lucem nondum hujusmodi viderant: & pro omnibus, qui usque ad finem sæculi nasciturі erant, ut participes esse possent, prædestinati erant. Ipsum enim omnibus obtulit ad bibendum differenter, & variè, aliquibus re, aliquibus fide, atque dilectione. Ac per hoc passionem designavit in calice, ut nemo timeret Christo consecrari proposita passione.

Cap. XXX.

De similitudine hypocritarum ad sepulchra, secundùm Matthæum.

AD vitam, & ut viveret, Deum hominem fecisse scriptura commemorat, & in esum tradidit lignum vitæ, homo verò de illo edebat, unde lethum incurrit. Et volebat Deus sui præcepti custodem in cœlo reponere, non in terra infra lapides sepelire. Cùm verò fuit morte propter peccatum multatus, est infra lapides in terra sepultus. Proinde Christus dealbatis sepulchris comparavit odibiles peccatores, væ perpetuæ pœnalitatis apponens: *Væ vobis scribæ* Matth. 23.
& Pharisæi hypocritæ, qui similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò sunt plena ossibus mortuorum & omni spurcitia: Sic vos à foris quidem apparetis hominibus justi, intus autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. Claret ista similitudo amplius de scripta; quàm possit lingua differere. Sed quia, qui hypocritæ sunt, foris speciem virtutis ostendunt, sed intus omnino mortui, ideo mor-

mortuorum ſepulchris meritò compantur, ex quibus apertis exhalat fœtor horrendus. Ex hypocritis, cùm in verba prorumpunt, offenditur proximus. Etiam in alio dicendi ordine iſta ſimilitudo diſſerta eſt.

Cap. XXXI.

De ſimilitudine hypocritarum ad ſerpentes ſecundùm Matthæum.

SAna ratio, ſed melius fides novit Deum nihil creaſſe iniquum in operibus naturarum, veruntamen in naturis rerum aliquid reperitur, unde homo agendæ vitæ ſumat exemplum, & unde arguatur per ſimilitudinem peccantium vita. Quamobrem ſcribas & phariſæos, hypocritas dominus ſerpentibus
Matth. 23. configuravit: *Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?* Nunquam niſi anfractuoſè ſerpentes incedunt; ſic & in hypocritis non eſt rectitudinem reperire, & maculoſa pelle teguntur, & ipſi humano placito exteriores variant ſæpe mores. Graduntur ſuper pectus toto prætenſo corpore ſuper terram, & animo & moribus ſuper terrena reprobi ſemper repunt. Diviſa eſt lingua ſerpentum, & iniqui ſæpe ſatagunt unitos dividere. In cibo terram accipiunt, & ipſi nihil aliud, quàm terrena ſapiunt, quorum gloria in confuſione erit. Inſinuatione Domini cum muliere inimicitias habent; omnes reprobi adverſantur eccleſiæ, inſidiantur calcaneo mulieris, tota intentio hypocritarum atque malorum, ut in fine decipiant. Geſtant in utentione, ſerpentis antiqui, qui eſt diabolus, imaginem omnes ſimulatores & callidi, & cujus ſunt membra, perficiunt voluntatem. Sed cùm dicuntur genimina viperarum, aut dæmonum, aut malorum hominum exiſtunt vita, & moribus ſectatores. Illius radicis unumquodque eſt genimen, cujus ſapit omnino naturam: ſic & homines illorum genimina comprobantur, quorum voluntatem perficiunt, moresque ſequuntur. Hujuſcemodi profectò erant ſcribæ & phariſæi hypocritæ, contra quos Salvator hanc ſimilitudinem protulit, ut quod dictum eſt illis, cautela fiat ſequentibus cæteris, & audientibus cunctis, remedium ſit ſalutis.

Cap. XXXII.

De ſimilitudine gallinæ vel avis, quam in ſe Chriſtus aſſumpſit, ſecundùm Matthæum & Lucam.

FOns & origo pietatis, hominumque redemptio, & diſperſorum revocatio CHRISTUS, profunda humilitas, eximia & ineffabilis charitas, ut hominem perditum revocaret, contumacem argueret, non dedignatus eſt in ſe gallinæ ornicis imaginem demonſtrare, quam aſſumpſit, ferè per omnia exercuit indefeſſè pro omnibus, cùm Jeruſalem argueret, oſtendit, quod fecerat per prophetas, quod in ſe faciebat, quod per futuros etiam factura erat: *Quoties inquit volui congregare filios*
Matth. 23. Luæ 13. *tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Non congregatur, niſi diſperſum, non diſpergitur, niſi quod receſſit à DEO, & à quo recedens diſpergitur, revertens congregatur: ſed qui voluntate propria diſperguntur, in congregationem tardè veniunt, niſi revocentur. Salvator verò noſter congregaturus omnes venit, qui prophetas ante præmiſit, & ſeipſum in ſimilitudinem viſcerosarum avium transformavit. Quoties volui prophetas præmittens, congregare filios tuos in fidei unitatem, & in illam veritatem, quæ poſſeſſores ſuos aberrare non ſinit, ac in illam dilectionem, qua duo, ſcilicet creator & rationalis creatura taliter connectuntur, ut neutrum ab altero diſſolvatur. Unus eſt omnium conditor, & in unum quærit homines convenire, ne non congregati à juſtis ultionibus feriantur. Nam in Exodo legimus, quod ſi qua non fuerant de agris
Exod. 9. congregata, à grandine perierunt: quæ autem congregata fuerant, reſervata ſunt. Erant homines diſperſi in agris, & animalia ſimiliter vagabantur, & cùm Deus percuſſit Ægyptum grandine, conſumpta ſunt. Diſperguntur ſiquidem homines in actionibus ſuis, nec divinis regulis congregantur: ſed cùm Deus excandeſcit in acerbam vindictam, feriuntur, ſed con-

gregata reſervantur. Sed qui non congregantur ad domini diſciplinam, congregabuntur ad pœnam. Hinc Iſaias dicit:
Iſaiæ 24. Congregabuntur congregatione unius faſcis in lacum, & claudentur in carcere. Et
Matth. 13. Salvator ſic ſanxit: Colligite zizania, & alligate in faſciculos ad comburendum. Lacus & carcer atque combuſtio ad pœnam referuntur æternam, ſed ſi ſub alis Domini congregantur, à Domino protegentur. Hinc Pſalmiſta ait: Sub umbra
Pſalm. 20. alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt. Sed hic quid de multiplici vice, quid de nomine filiorum, quid de congregatione, quid de alis, quid de contumacia renitentium? Ad ſimilitudinem non ſpectant, nec eſt præſentis intenti. Sed cur gallinæ ſimilitudinem ipſe aſſumpſit, ſuſceptum perſtringit ordinem. Gallina, cùm filios initiare voluerit incubat ovis, paſtus prætermittit continuum quæſtum. Cùm ad paſcendum communiter exierit, ſingulariter & ocius ipſa recedit, velut ſeſtina incubare ovis, dimittitur plumis, rauca voce, cibo invento non comedit, donec advocaverit pullos, quos alit. Protegit pullos alis nocte atque die, ſi expedit, incubat eis, & nullo habitaculo conventa pro pullis, de corpore ſuo eis habitaculum facit. Exponit ſe ad milvum, roſtro, pedibus, alis ſuis, alumnullis inimicum, & tanto amore ad eos profunditur, ut nec pro eis vereatur quempiam notum. Etſi unum pullorum clamantem & ſegregatum audierit, velut ſi omnes deficerent queruletur. Unica uni, unica omnibus, unica ſingulis, una profectò in omnibus eſt. Propter eos quos habet, aberrantes quærit, propter aberrantes habitos non reliquit. Incubat ovis ſuppoſitis ſui generis, etiamſi alterius ſupponantur, non ſpernit. Et ſæpe ducit ſuper quibus incubavit, & fovet ſub alis ab aliena relictos, dum eos ſuis in quantitate ſimiles aſpicit. Igitur Salvator propter omnia iſta ſimilitudinem gallinæ ſuſcepit. Quis per ſingula hæc omnia Chriſto coaptabit? Etſi facerem, fortè non eſſem inſipiens, quamvis in omnibus invenire nequeam teſtimonia ſcripturarum, ſed rei effectus teſtimonium præſtat. Quid indigentia teſtium, cùm evidentia clamat? Sed ne omnia indiſcuſſa prætereant, declaremus ſermones, ut præſtetur parvulis intellectus. Gallinam infirmari pro pullis longa experientia docet, & exinaniri pro eis uſus inclamitat: nec iſta de Salvatore ſcriptura
Iſaiæ 25. reticuit, nam Iſaias eum ſic ante prævidit, novitſimum virorum, virum dolorum & ſcientem infirmitatem. Et Paulus poſt factum inſonuit: Semetipſum exinanivit
Phil. 2. formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus. Raucedinem voeis expreſſit in ſeipſo, de Chriſto prophetando David: Clamavi, raucæ factæ ſunt fau-
Pſalm. 17. ces meæ. Sed cætera prætermittentes, in id comicè intendamus, quod de ſeipſo Salvator aperuit, more gallinæ quærens filios hominum ſub alis protegere. Alæ Chriſti bina ſunt, miſericordia & veritas, juſtitia & pax, ſcientia & amor, actio & intentio, lectio & meditatio, oratio & contemplatio, potentia ſua & ſapientia ſua, gratia & gloria. Et in ſeraphica ſpecie oſten-
Iſaiæ 6. ſus eſt Iſaiæ ſenas habens alas. Hanc figuram, qui legit, intelligat. Ac per hoc magna nobis Salvatoris innoteſcit humilitas dignationis, & ineffabilis dignatio humilitatis, ut gallinæ imaginem pro nobis aſſumeret, ſub cujus alis firmiter ſperaremus, de quibus Pſalmiſta ait: Filii autem hominum in tegmine alarum tuarum ſperabunt. Filii hominum ſunt omnes filii Adæ, ut habet Hebraicus ſermo, quibus eſt omnis ſpes libertatis adempta, niſi ſperent in tegumento alarum Domini, qui eas expandit, ut nos aſſumeret, eas extendit, ut nos ſub alis colligeret, atque velut unanimes congregaret. Væ? pullis non recurrentibus ſub alis gallinæ, deſuper milvo volante: porro in prædam devenient. Væ! inferni erit æternum non refugientibus ſub alas dominicæ crucis earumque, virturis, undique ſpiritibus malignis volitantibus, ut filios hominum rapiant, & in æternam prædam cruciando deducant. Sed Lucas non ſpeciem, imo genus expreſſit dicens: Quemadmodum avis nidum ſuum ſub pennis, & noluiſti, Avis erat Chriſtus, & in arduis poſuerat nidum ſuum, ubi tempore præfinito reponeret pullos ſuos. Nam & paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos ſuos. Sed multi refugiunt eſſe pulli hujus ſolitariæ avis, quia verè factus erat ſicut paſſer ſolitarius in tecto, neque nidus conſtitutus ſub pennis eſſe fatagunt, ad protectionem & defenſionem à rapacitate milvi aut accipitris, circa nos nviſe atque inſidioſe volantis, ut in nido ſuperæ patriæ reponantur. Nam nidus eſt ipſe locus, ubi pulli otiuntur, de quo Salvator non loquitur. Nidus eſt ipſa congregatio ſeu multitudo pullorum, ab una ornice vel ave deſuper incubante ovis exorta. Juxta quem ſenſum Lucas nidum expreſſit, Matthæus pullos dixit. Nidus eſt ſuperna patria, quam paſſer ſolitarius Chriſtus

pro

pro ſuis pullis reponendis invenit. Et intentius conſiderare nos angit ſimilitudo pullorum, quia non coitu aut geſtatione uterina ſeu more hominum aut quadrupedum oriuntur, ſed per incubationem naſcuntur ex ovis, quibus Salvator quos ſalvare quærit, aſſimilat equidem nec immeritò. Porro in ovis gallinarum ſive aliarum avium nihil videmus de carnibus, nihil de ſanguine, nihil de oſſibus, nihil de penis, nihil de his, quæ futura ſunt, ut ex eis pulli avibus incubantibus fiant, ſed quadam ſpe uſitato curſu naturæ pulli exoriri ſperantur: hoc idem in jactis terra ſeminibus accidit, & ſperatur. Sic enim in his, quia ſalvandi ſunt, nihil apparet beatitudinis, quam poſſidebunt, ſed totum agitur in ſpe, qua ſalvi facti ſumus, quæ cùm videtur, non eſt ſpes. Filii ergo Dei ſunt in ſpe in hac vita degentes, donec reveletur in eis revelatio filiorum Dei, quam expectat expectatio rationalis creaturæ, quæ vanitati ſubjecta eſt non volens, ſed propter eum, qui eum ſubjecit in ſpe. Hi iidem filii ſpei congregati in hac vita ſub alis divinæ protectionis, erunt beatitudinis, cùm revelabitur in eis gloria veris filiis conferenda. Nam quod videt quis, quid ſperat? Si autem quod non videmus, per patientiam expectamus, velut pulli nondum viſi ſperantur ex ovis futuri. Libuit autem iſtam ſimilitudinem primam ponere in ordine illarum ſimilitudinum, quas in ſe Chriſtus aſſumpſit, proſeque differuit, quamvis prima non ſit in ordine à ſcriptoribus tradito evangelicæ diſſertionis, pro eo præ cæteris humilitatem Chriſti, & exinantionem filii Dei ſignificat, à quibus Salvator incœpit.

Cap. XXXIII.

De ſimilitudine Chriſti ad templum, ſecundùm Joannem tantùm.

SIcut ex ſcriptura didicimus, quod ſpiritus Dei omnium eſt artifex, ut præter altiores intellectus, qui poſſunt attribui, etiam hoc intelligatur quia per eum ars in naturæ remedium ſit hominibus contributa. Nec enim artis peritia opus erat, ſi in ſuis baſibus condita natura manſiſſet, ſed merito delinquentis infirmiter inclinatæ, Spiritus Sanctus ſua bonitate in arte ſubvenit, quæ imitaretur naturam, & per illam juvaretur, quæ defeciſſet ocius, nec fulte vivere potuiſſet, niſi ſibi patim à Domino fuiſſet proviſum, quia multa facta ſunt materia ſuppleta, nec omnia propter corpus aut corpoream vitam, ſed etiam, ut in his exhiberetur cultus omnium conditori. Inter ea verò, quæ arte ad honorem Domini ſurrexerunt, Salomonis templum magnum ac mirabile opificium fuit, cujus ſimilitudinem ad indaginem futurorum in ſe Salvator voluit ſuſcipere, cùm expetereretur ab eo potentiæ ſignum, ſi quare templum à negociatione turpante tanto zelo mundaſſet, ut etiam pro flagello funiculis uteretur. Qui reſpondens ait: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Quod quanquam potuiſſet de illo templo ſic facere, tamen de ſuo corpore per illam ſimilitudinem dixit, quod ſic dixiſſe poſt reſurrectionem apoſtoli ad memoriam reduxerunt. Nam quoto numero annorum, ut Judæi reſponderunt, factum erat templum, tanto dierum numero uno ſuperaddito, fœtus in utero materno formatur, ut animam poſſit ſuſcipere, quanquam verò in Chriſto fuerit accelerata conditio, ut in inſtanti eſſet conceptio & animatio, & omnis compago membrorum, moles tamen corporis communi more proceſſit. Magis autem ipſe templum allegoricum erat cum corpore ſuo eccleſia, etenim, ſi qua erant in illo templo ipſum figurabant. Quod ſi quis opus velit aperte cognoſcere, in volumine Regum ejus conditionis legat hiſtoriam. Morale templum ſimiliter erat, ut præterquam in ipſo nulla ſit morum actio approbata, nullaque Deo grata moralitas, nulla ductrina inſtruens ad cœleſtia capeſſenda, niſi quæ de porta hujus templi prodierit. Et ipſe templum docebat in templo, & ſimilitudinem expreſſu ſtans in illo. Et anagogicum & noſtræ beatitudinis templum etiam penitus erat, quoniam in ipſo, velut in templo omnes dicent gloriam. Ipſe enim eſt templum æternæ gloriæ, ipſe templum beatitudinis ſupernæ, ipſe templum cœleſtis patriæ, in quo adorabimus unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate venerabimur, in quo ſuper omnia ſpiritualia & corporalia videbimus reſplen-

Joan. 2.

dere & exiſtere deitatem. Et ut familiori ſermone, quod dicimus pateat, evangeliſta apertius manifeſtat, cùm dicit : *Hoc autem dicebat de templo corporis ſui.* Ut non anima ſive deitas imaginem gerant ad templum, ſed corpus ſive caro duntaxat, quoniam velut in ſancto templo illo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter : & à contemplando templum nomen accepit. In ipſo nempe omnis contemplatio perſpicua per fidem planè conſiſtit, ut etiam quicunque corpus illud naſcens & converſans, paſſum & moriens, ſepultum & reſuſcitatum, palpatum & in alta ſubvectum per fidei contemplationem agnoverit, nil reſtat, quid poſſit amplius cognoſcere ſuper terram. Sed hoc templum ſolutum fuit in morte, quoniam non anima, nec Deitas ſolutionem ab invicem aut per internecionem aeceperunt. Solùm corpus ab anima fuit, non tamen à Deitate ſolutum, triduo requieſcens, & inſolubiliter reconjunctum, & poſt triduum excitatum, ut omnes ad novitatem reſurrectionis, ad novitatem vitæ, ad capeſſenda cœleſtia, ad conſiderandum in periculis & in morte humanam à DEO poſſe conſervari naturam, pariter & excitari. Quod templum toties ab hominibus ſolvitur, quoties in aliquo peccatum exitiale committitur, ſed toties in nobis hujusmodi templum reficimus, quoties agimus virtutum vivificans triduanum.

Cap. XXXIV.

De ſimilitudine ſerpentis, quam Dominus Salvator aſſumpſit, ſecundùm Joannem tantùm.

QUi ſempiternos abhorret anfractus in hominibus malis, non in natura ſerpentis, quem ipſe creavit, dedignatus nec eſt ſerpentis ſimilitudinem ſumere, non repentis naturaliter ſuper terram, ſed artificialiter facti, & in ligno ſuſpenſi, ad auferendum ex ſerpentinis morſibus plagam. Nam, cùm conaretur inſtruere, atque ad fidem trahere Nicodemum, ſimilitudinem ſerpentis
Joan. 3. induxit. *Sicut Moyſes exaltavit ſerpentem*
Num. 21. *in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſo non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Super murmurantem populum ignitos ſerpentes Dominus miſit, ut culpæ pœna reſpondeat, quia ſerpentes linguas biſurcant. Et qui moleſtiam in corpore patiuntur, conqueruntur de ipſa juſtitia, & divinam juſtitiam arguunt. Et murmuratio hujuſcemodi ſimilitudinem habebat prævaricationis Adæ, omneque malum ab illa ſumpſit exordium. Et ſerpens operante diabolo
Gen. 3. decepit. Et diabolus in ſerpente ipſam Evam ſeduxit, ſcilicet ut laberetur in culpam. Et nunc ſerpentes mordent murmurantes in pœnam, à qua liberantur à viſione ſerpentis in alto ſuſpenſi, non naturalis, ſed artificialis, non ſe moventis, ſed moti, non ſuper pectus repentis, ſed in ligno pendentis, non carnei, ſed ærei, non terram comedentis, ſed appetendi & edendi poteſtate carentis. Cujus, non primi illius, ſimilitudinem Salvator accepit, ſignificans, quòd altè ſuſpendendus erat in cruce, cujus aſpectu humana infirmitas ſanabatur, & homo curabatur à ſerpente antiquo percuſſus. Nec per naturam facta eſt ſalus, ſed arte divina, qua ſine ſemine humano in aluo virgineo factus eſt filius DEI homo. Nec ſe movebat, ſed omnia ſua referebat in patrem, qui eum miſerat, ſemper inſinuans, quod à ſeipſo non erat. Non inclinaverat pectus, cor ſive corpus ad vilia & terrena, ſed ſuſpendebatur corpore in ligno, mente autem in cœlo. Non erat carneus, quia DEUS, ſed ut homo, non ex humano ſemine factus homo, ſed Spiritus Sancti myſterio. Æreus ſonoritate facti. Nihil enim à ſæculo tam altè reboavit, quàm quod filius DEI ſuſpenderetur in cruce. Nihil tam ſublime intonuit, quàm quod morte unius mors omnium vinceretur, & ligno affixus in inferno affixos defigeret. Sonuit ipſe voce ſeptena ligno pendens, & in lachrymis & clamore valido exauditus eſt pro ſua reverentia. Terram non comedit, nullo enim pacto terrena, ſed cœleſtia ſapiebat, & omnes prohibuit theſaurizare in terris, ſed ſuaſit theſaurizare in cœlis. Non comedit terram, quia ſibi non incorporat eos, qui ſunt terrenis affixi, niſi mente ſaltem ſint ab ipſa diviſi.

Non

Non eos assumit, quorum gloria in confusione facta est, quia terrena sapiunt. Non sibi adest talium appetitus. Hujus serpentis ipsum figurantis similitudinem Salvator expressit sic exaltatus in ligno, cujus fideli aspectu omnes sanantur, qui, nisi aspicerent, damnarentur. Proinde adjunctum est: Ut omnis, qui credit in ipso, non pereat, sed habeat vitam æternam. Igitur exaltatus in cruce corpore siquidem, nam deitate vel anima exaltari non poterat, & mortuus est exaltatus. Ergo in eum fidei dirigatur aspectus, quia qui credit in ipso, præsertim incarnato vel nato, & non in cruce mortuo exaltato, non erit liber à perditione, nec salutem consequetur æternam. Qui verò credit in ipso exaltato in ligno, in ipsoque mortuo, habebit beatam vitam. Expedit omnem interiorem aspectum in illum exaltatum dirigere, si non perire decrevimus. Etsi exaltatum in ligno pœnali credendo diligimus, & diligendo fideliter credimus, exaltabimur in supernis, quoniam exaltatio pœnalis erecti ligni nostram exaltationem in superno regno promeruit, ut non solùm non pereamus, sed vitam habeamus æternam. Non potuisset genus humanum ab antiqui serpentis fraudibus, & sibi similium morsibus liberari, nisi in forma eremitici & insensibilis serpentis ipse fuisset exaltatus in cruce, quamvis ipse aliter potuisset. Utrumque profecto verum est, & quòd aliter genus humanum liberari nequivit, & quòd Deus aliter potuit. Quòd autem serpens æreus insensibilis erat, non refertur ad infirmitatem naturæ, pro eo quod insensibile à sensibili minoratur, sed ad impassibilitatem divinæ naturæ, quam nec in cruce nec alibi attigerunt inflictæ corpori horridæ atque sævissimæ passiones. In eremo celebrata est illa suspensio ad medelam, quoniam illic populum serpentina tabes infecerat. Et homo quidem non peccavit existens in cœlo, sed angelus, sed sub cœlo velut in squalenti eremo deliquit in terra, in qua sibi Christus sua ope subvenit moriturus morte, ab impiis exaltatus in cruce, ut in forma serpentis serpentinos morsus excluderet, ne exhiberetur divina dictante justitia diabolo ad repugnandum forma hominis, quem decepit, & forma serpentis, in qua sibi male suasit, ut in utraque confusus per Dei justitiam multaretur, & homo liberaretur. Igitur unigenitus Dei Filius in forma hominis, quam diabolus in serpente decipiens, sibi ascivit ad culpam, deinde asciturus in pœnam, moritur pro liberandis omnibus exaltatus in cruce, accipiens illam in eremo similitudinem serpentinam.

Cap. XXXV.

De similitudine Christi ad sponsum & ecclesiæ ad sponsam, secundùm Matthæum, Joannem & Marcum.

SPondens rectè agentibus hæreditatem æternam, qui se patriarchis & prophetis venturum & humanam naturam assumpturum infallibili pollicitatione spopondit, nec violentia cujuspiam coactus, sed sponte illam assumpsit, mortemque suscepit. Sponsi non corrupturi sponsam, sed castificaturi similitudinem accepit, quam Baptista Joannes primo edixit, deinde Christus asseruit. Nam cum Joannes suos discipulos vellet de Christo perfectè instruere, ac etiam seipsum ab illo minorare perfectè decerneret, Christum appellavit sponsum, seipsum ejus amicum, dicens. *Qui habet sponsam sponsus est. Amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.* Locutio ista relatione perstringitur, ut ille sit sponsus, qui sponsam habere convincitur, ita & quæ sponsum habet sponsa dicatur. Sponsus est Christus scilicet ecclesiæ, & ipsa sponsa nemini nisi Christo. Christus sponsus promissus atque optatus maximè per sanguinem ecclesiæ factus est sponsus, ut dixit Sephora Moysi: Sponsus sanguinum tu mihi. Quod illa dixit ob circuncisionem filii, hoc ecclesia melius dicit in virtute sanguinis pro nobis effusi, ex quo ipsa nata est velut Eva de latere Adæ, in quo lota & munda nitescit. Lavit enim nos à peccatis nostris in sanguine suo, ex quo redempta: Tenebat enim eum diabolus in humana natura in Adam corrupta captivam. Hinc Apostolus ad Ephesios scribit: In quo, scilicet Christo, habemus redemptionem per sanguinem ejus, & remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ ejus. Et Petrus in Canonica sua dicit: Scientes quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni incontaminati & immaculati Christi JEsu. Quam sic natam,

Joan. 3.

Exod. 4.

Epist. 1.

1. Pet. 1.

tam, totam atque redemptam mysticè atque pro moribus desponsavit, ut unus ab altero respectivo mysterio nomen accipiat.

Osee 2. Dixit namque Dominus per Osee in figura futuram ecclesiam præintendens : Sponsabo te mihi in sempiternum, ut non sit separabilis copula hic & in futuro, qua Christus suæ ecclesiæ copulatur, nec possit celebrari divortium à natura humana, quam assumpsit, nec ab ecclesia, quam sanguine consecravit. Sed cùm sempiterna sit desponsatio primitus celebrata per alios morum anulos ipsam desponsat, ut non solum unus digitus solito more anulo decoretur, sed etiam quinque digiti anu-

Osee 2. lorum pulchritudine fulgeant. Proinde subsequitur : Sponsabo te mihi in judicio. Aptus anulus, quo sponsus æternus sponsam adornat, quam non vult judicare, sed potius à judicio liberare, judicium est.

1. Cor. 11. Inquit enim Apostolus. Si nosmetipsos judicaremus, non utique judicaremur. Cùm autem judicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Sed quoniam nihil bene fit, quod justitia caret, anulum etiam justitiæ sponsæ dedit. Sponsabo te mihi in justitia. In qua oportet unumquemque vivere, atque hic & in futuro in conspectu Domini apparere.

Psalm. 16. Unde David dicebat : Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo. Ille porro in justitia conspectui Domini apparet, qui semper se coram Deo astare cogitat, & quod desuper eum Deus semper aspiciat, & nil agit, vel amat, quod justitia reprehendat. Et qui operatur justitiam exaltabitur. Et exaltationem sponsæ quærit, qui sempiternus est sponsus, & justitia liberabit à morte, scilicet æterna, in quam neminem vult Christus Dominus introire. Perornat misericordia possessorem, & qui illa est fultus misericordiam consequetur à Domino. Hinc sponsator subsequitur: Sponsabo te mihi in misericordia. Tali pacto sponsa sponso jungitur, ut sicut ille misericors est, & illa misereatur. Ad quod

Luca 6. Salvator in Evangelio nos hortatur : Estote misericordes sicut pater vester misericors est. Anulo misericordiæ ornatus existit, qui omnibus animo miseretur, sive spiritualem egestatem sive corporalem inediam patiantur, etiamsi ope subvenire non possit. Et quoniam, si fieri potest, multis est operibus impendendum, idcirco alio anulo sponsam investit dicens : Sponsabo te mihi in miserationibus, ut diversis operibus diversis indigentibus multiplex sit miseratio. Et quoniam inter cætera, quæ inter sponsum & sponsam delectabilem copulam servant, dicitur esse fides, ne violatio promissorum obveniat, ne plus sponso alius placeat, & ne adulterium prius in animo, quam in corpore meditetur: Nam si alius à sponso amor in animo sedem tenet, qui jura sponsalis amoris immutet, distorqueat aut minuat, etiamsi opus non sequatur illicitum, jam in animo jura sponsalia violantur, proinde, qui fidelis sponsusque verax, sub decreto fidelis anuli sponsam sibi subarrat, dicens : Sponsabo te mihi in fide, & scies, quia ego Dominus. Sponsario in fide sponsi duntaxat plenam præstat scientiam. Non enim in hac vita hominibus alia cognitio verior prærogatur, quàm cùm ad ipsum vera fide vigilamus. Præsertim, si hunc anulum non abjicimus per idololatriæ specimen, aut per aliud infidelitatis crimen; si fidei circulum in nostris digitis irremotè servamus, longè stabit omnis iniquitas, nec erit unde sponsus de sponsa possit justè causari, si ejus promissa inconcussa servantur, ut non solùm fides in animo; sed anulus fidei sit in manu : Quoniam fides sine operibus mortua est. Et sicut sponsus temporalis sponsam suam, ut valet, pro suo placito ornat, sic & qui sponsus est sempiternus, cui nihil deest, quin sponsæ suæ ecclesiæ seu cujuslibet animæ possit porrigere ad ornatum: Dedit virtutes quibus ornaretur, sacramenta ubi lavaretur, præcepta in quibus erudiretur, beatudinem, qua cum ipso in perpetuum frueretur. Similiter & cùm interrogaretur de jejunio suorum discipulorum, in responsione se sponsum appellavit, cujus amicus, scilicet Joannes Baptista, in quo signatur omnis Joan. 3. multitudo præconum, qui stat & audit eum. Stat in gradu vocationis, & in quo præordinatus est non præsumens plus appetere, aut in pluribus se ingerere, quàm quod sibi positum est, nec opinione attollitur plus, quam sibi à veritate conceditur. Sic stabat, in quo positus erat Joannes, ut nec opinione populorum existimantium eum esse Christum, nec quæstione discipulorum supra id, quod erat ferebatur in aliquo : Exemplo cujus, si vita fidelium ageretur, de superbia nulla vel modica querela consisteret. Nam proprium est superborum supra se culpabiliter tolli, quos justa pœna consequitur, ut & ipsi mereantur ad ima demergi. Et audit eum docentem, comminantem & promittentem, & præcipientem ad obediendum jussioni, sicut ille decernit, non sicut ipse voluerit, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Nulla suavior vox, quam vox Christi, nulla delectabilior ad audiendum, nulla facilior ad agendum, cùm

nil

nil fieri fanciat, quin primo ad perficiendum gratiam conferat, nulla utilior noſcitur eſſe poſt factum. Ideo gaudio gaudet amicus propter vocem ejus. Omnis vox ſponſi ad ornatum ſponſæ profertur, & dearticulatur in his, quæ ipſam præpediunt, & differta omnino eſt in his, quæ ad vitam expediunt. Gaudio protinus gaudet ad vocem ſponſi, qui ſe noverit legitimum membrum ſponſæ, ad cujus ornatum æternumque profectum ſempiternus ſponſus intendit. Amicus ſponſi Chriſti, membrum eſt ſponſæ Chriſti: Nam ſi amicus non eſt, membrum ſponſæ non eſt: Et ſi membrum ſponſæ non eſt, amicus ſponſi eſſe non poteſt: Et ſi amicus eſt, gaudet, ſi gaudet, amicus eſt. Verior amicitia Chriſti prout in nobis eſt, ad vocem ejus ſine exceptione gaudet, ſive terreat, ſive minetur, ſive conſulat, ſive præcipiat, ſive prohibeat, ſive diſſuadeat delectabile, ſive ſuadeat, ſive promittat vitam æternam, ſive auferat terrenam ſubſtantiam. Væ quibus vox iſta conturbat auditum, væ qui non audiunt, crudelius væ qui audiunt & contemnunt. Euge autem his, qui ad ipſam reſonantem gaudio mentis exultant, etiamſi ob eam corpore contremiſcant.

Cap. XXXVI.

De ſimilitudine lucis, quam ſe eſſe Salvator dixit, ipſeque aſſeruit, ſecundum Joannem tantùm.

1. Tim. 6. LUcem habitare Deum inacceſſibilem Apoſtolus ſcribit, quam aliam intelligere præter ipſum Catholicus intellectus abhorret. Non enim æterna lux aliam, quam ſeipſam inhabitat. Et nihil inacceſſibile ſaltem intellectu dixerim, niſi eum, qui Evangelicum intellectum tranſcendit, ſimiliter & humanum. Lux ſeipſam videns, & nihil extra ſeipſam cognoſcens. Lux nihil ab extra participans, in ſeipſa tota & ſimpla manens, creavit corpoream lucem ad
Job 38. illuminationem eorum, quæ infra iſta cœli concava ſunt recluſa. Et produxit luciferum inobſcurabilem in tempore ſuo, qui poſſet illuminare hominum mentes, quas Lucifer teter tenebris horrendis obduxerat, qui ſeminario Spiritus Sancti, non hominis ex aluo virginali eductus, ætate more hominum coalescens, cùm vellet doctrina & actu illuminare tetros, in ſimilitudine lucis numinatus eſt, & ipſe ſic prædicando differuit. Nam Evangeliſta
Joan. 1. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Et alibi *Lux venit in*
Joan. 3. *mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem.* Et aperta locutione dixit:
Joan. 8. *Ego ſum lux mundi.* Et alibi hoc idem reiteravit: *Quamdiu ſum in mundo lux ſum*
Joan. 9. *mundi.* Et ad credulitatem lucis animavit
Joan. 12. audientes. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis ſitis.* Et paulo poſt *Ego lux veni in mundum.* Omnia iſta in id redeunt, ut Chriſtus lux vera ſit atque dicatur. Qui ſi vera lux eſt, non debet dici lux per ſimilitudinem, ſed per proprietatem. Quod ſi ſic, fruſtra inter ſimilitudines aſſumptas à Chriſto lucem poſuimus. Sed hoc me in ſimilitudine tractare præmonuit, quoniam in Chriſto fuerunt quædam, quæ nullo modo ſimilitudinem in rebus, exemplum in angelis, aut hominibus habuerunt. Quædam vero, quæ quamvis ſibi ſumma excellentia convenirent, nihilominus tamen per ſimilitudinem repertam in rebus clarius ſunt differta. Et ex hoc quod eſt, nullam habet ſimilitudinem exprimentem quod Deus eſt, nec exemplum explicans, quod ex ipſo geſtum eſt, & agnominationem omnino non recipit. Proinde ſi quid de illo per quorumcunque nomina dicitur, per ſimilitudinem differitur omnino, cùm infinitè plus ſit, quàm per quod dici poteſt. Sunt utique res in ordine ſuo ſibi à Deo inſito, quid altæ, atque miræ operationis habentes, quarum ſuſcepta ſimilitudine ipſe nobis amplius innoteſcit. Ac per hoc, quia homo factus eſt, & hominibus loquebatur, quos erudire volebat, pro ſalute ipſorum, ut lux abſque nubilo ſe prætulit, ut eum ſequeretur, qui nollet remanere in tenebris. Quoniam nihil quæritur ante lucem; nec qui quæreret, quidpiam in tenebris inveniret, cùm omnia cognoſcantur in illa, quanquam corporaliter poſſet homo in tenebris aliquid quærere, ſic & invenire, ſed non, niſi ante in luce cognoverit. Quæſitum igitur hominum, quod erat beatitudinem conſequi, ante lucem, qui Chriſtus eſt, non potetat invenire. Hinc Pſalmiſta dicit: Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. Qui ſurgunt ante lucem ſæpe cadendo læduntur, & ſi quærunt invenire non poſſunt. Vanum igitur fuit omnibus ante lucem ſurgere, cùm nequi-
Pſalm 126. rent

rent invenire quæsita. Surrexerunt patriarchæ, surrexerunt omnes Sancti veteris testamenti ad actiones bonorum operum, sed ante lucem exortam, surrexerunt in vanum suorum bonorum operum beatitudinis non capientes effectum, magis autem vacuè surrexissent, nisi futura lux Christus scilicet JEsus in carne venturus, prius per fidem eorum surrexisset in cordibus. Omnes vanissimè surrexerunt in potentiis & sapientiis hujus Sæculi ante Christum, lucem morum & invisibilis mundi. Pro beatitudine regni venturi lucis similitudinem meritò Christus accepit, ante cujus ortum nemo bene aliquid fecit, nec utiliter, sed vanè surrexit. Caret anfractibus lux, nec sua directione declinat in alteram partem. Offert se objectis corporibus, & suis radiis omnia æquè perfundit. Non accipit hoc curpus plus, quàm aliud corpus: Recipitur autem magis à corporibus diaphanis, ut ab aere, qui ab ipsa & extra repletur. Et corpora crystallina, quamquam solida, intus & exterius subitò, cùm lux affuerit, perfunduntur. Sic lux vestra, quæ Christus est, personam hominum non accipit, sed illas, quæ ipsum amplius ex virtute recipiunt, ut si non personarum acceptor, tamen est ipse virtutum: Nam diaphanitas ipsarum homines aptat ad lucis hujus susceptionem. Contrarium suum lux incognitum esse non sinit. Ostendit hominibus Christus, quæ sibi non suo, sed damno mortalium adversantur. Tenebras non illuminat, sed depellit, ideo tenebræ eum non comprehenderunt. Splendor cujus, ut lux erit fugans tenebras, non præservans. Non enim illuminat peccatores, ut sint peccatores, sed ab ab eis peccatorum tenebras procul pellit, cùm voluerint filii esse lucis, & effugatis tenebris lux subsequitur. Et de utraque resurrectione intelligitur Verbum Job, cùm dicebat: Et rursus post tenebras spero lucem. Obtenebrantur homines tenebris peccatorum, à quibus lux vera recedit, & rursus sperari potest omnino ipsis depulsis. Obscurantur homines in morte, cùm in primo parente humana natura mutatur, & post mortis tenebras concio fidelium rursus lucem resurrectionis expectat. Inquit enim ipse: Ego sum resurrectio & vita. Et sedentibus in tenebris in regione umbræ mortis, lux orta est eis. Christus lux non sibi ortus est, sed his, qui sedebant in tenebris, & in tetralibus peccatorum ædibus habitabant. Non indiget lux seipsa, nec in suam valetudinem aliquid facit. Nulla indigentia Dei Filius premebatur, pro nobis ostensus est ut lux, exsistens in se inaccessibilis lux. Corporea lux corporales tenebras fugat. Et Christus spiritualis lux tetras mentes illuminat. Nec eo sensu dictus est lux, quo facies ejus resplenduit sicut sol, aut quia corpus ejus posset glorificationis splendore universa, quæ cœli ambitu continentur, melius quam sol antiquis fulgoribus illustrare, sed pro eo, quod spirituales mentes illuminat. Proinde lux veritatis est, in qua nihil novit corporalis intuitus, etenim nec aspicere illam potest. In illa luce amplissima veritatis omnia locum judicationis, differentionis, necnon & discretionis habent. Omnes videntur non aliter, quàm sint. Non præstat lux rebus id, quod non habent, sed, quod habent, ostendit, neque colorat, quæ confusa in tenebrositate non discernuntur, sed cujus sint coloris innotescere facit. Efficit autem in oculis videntium, ut videant, visa cognoscant, ut discernantur ab interiore judice, relato ad ipsum ministerio intuentium oculorum, inde nascatur cognitio intima eorum, quæ absque luce credebantur esse confusa. Hac imagine lucis non mutat Christus naturam virtutum & vitiorum, beatitudinum sive pœnarum, angelorum & hominum, salvatorum & damnatorum, sed videri facit eorum esse, quod est, & quid habiturus sit talibus sociandus, & quid fugiendum, quidve sit appetendum humanorum intellectibus aperit. Non violentat lux res aliter esse, neque oculos hominum intueri, sic neque Christus aliquid mutat, nisi quia lux est, magis sibi coaptantibus se coaptat, & non tenebras, sed tenebrosum, scilicet sibi subterpositum in occulto sensu illuminat. Præsens est omnibus lux super quibus irradiat, sed multa insensibilia ejus præsentiam non noverunt, & homines sive bestiæ, quibus natura visum non præstitit, aut macula qualicunque infecit. Ita lux Christus, lux veritatis frustra perstringit insensibillum oculos, atque illorum, qui malitia propria mentis oculos cæcaverunt, nec, ut illuminentur, illuminatrici luci subduntur. Ac per hoc, quia lux est, sequamur illam, imo includamur in illa, removeantur obices, præcedet nos, subsequetur pergentes, illuminabit ad dexteram & ad sinistram, à summis cœlorum usque ad inferna deorsum. Intendamus in illam, vitæ directiva est investigantis intellectus, totum docebit, quo plus velle scire superfluum est. Illico irradiabit in coætaneum suum, ut non hoc vel illud, sed quod optimam animam facit, affectet & diligat. In operibus verò non exorbitabit agonista legitimus, lucem illam irretroverse secutus,

Matth. 17.

Joan. 1.

Job. 19.

Joan. 11.

Isaiæ 9.

non

non ambulabit in tenebris ignorantiæ atque iniquitatum retrarum, quæ hujuſce modi lucis præſentia fugabuntur, ſed aderit profectò poſſeſſio vitalis luminis, quo vita noſtra clarebit, & ſplendebit æternè.

Cap. XXXVII.

De ſimilitudine Chriſti ad oſtium, ſecundùm Joannem ſolum.

CLauſum fuit oſtium paradiſi, & proroplaſtis culpa exigente inde pulſis appoſita cherubica illa cuſtodia, gladioque flammante, ne tam exulantium, quàm cæterorum potuiſſet eſſe acceſſus, niſi Domino decernente. Quæ ſic firmata ſeratio ſuperuæ vitæ repagulatum oſtium irremotè ſignabat, niſi novum oſtium adderetur, quod ex ſanctiſſimis radicibus leſſe productum, ad fugandam deſperationem, ſpemque prærogandam clamat, dicens: *Ego ſum oſtium ovium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur.* In omnibus ædificiis conſtruendis, & in comptis domibus ad habitandum conſtructis, de oſtii diſpoſitione prius contenditur. Duo nempe domicilia omnipotens ipſe conſtruxerat. Unum in labore, alterum in requie, unum ad agonem, alterum ad honorem, unum in virtute, alterum in beatitudine, unum In gratia, alterum in gloria, unum in via, alterum in patria, unum eſt eccleſia, alterum eſt ſuperna patria, hoc in mundo ſub cœlo, alterum in empyreo cœlo. Et his duobus domiciliis duntaxat unum oſtium fecit, ut neque in eccleſiam, niſi per eum, poſſit eſſe ingreſſus, & ad ſupernam patriam nemini pateret acceſſus. Nam nemo Chriſtianus, niſi per Chriſtum, nemo ſalvus, niſi per JEſum. Nullum ſalvat, quia JEſus, niſi quia Chriſtus, antequam aliquis fuerit Chriſtianus, quia Chriſtus oſtium eſt ad eccleſiam, quia JEſus oſtium eſt ad gloriam ſempiternam. In Chriſtum credendo, homo Chriſtianus efficitur, per JEſum credens, ad gloriam introducitur. Proinde ſi Chriſtus eſt oſtium, ingreſſus, & aditus alii ſunt latronum ad perditionem ſimplicium ovium. Qui etiam, ſi poſſint aliunde falſè credendo in eccleſiam ingredi, nullis tamen machinationibus in dominicum ſupernum poterunt introduci, nam quamvis videatur ingreſſus in ovile domicilium, non eſt Chriſtianus ſive ſalvandus, ſi non intrat per oſtium Chriſtum. Hanc oſtii ſimilitudinem Salvator aſſumpſit contra ſcribas & phariſæos, ne ovilis dominici ſe crederent eſſe paſtores, cùm oſtium ad intrandum verè ſit Chriſtus, per quem credendo ipſi protinus intrare nolebant. Intendebat autem contra futuros hæreticos Chriſtianos, de Chriſto minus debita ſeu impia credituros, qui præter Chriſtum, ut eſt piè creditum, æſtimarent ſe poſſe aliunde in ovile dominicum introire, quod Arius fecit, qui divinitatem ſibi abſtulit, & quam plures alii, qui de ejus divinitate non vera ſenſerunt, & habuerunt interdum non ſine cauſa Deo permittente paſtoris officium, ſed fures fuerunt atque latrones, non ingreſſi per oſtium Chriſtum: Mactaverunt & perdiderunt, quia Chriſtum non cognoverunt, nec ejus oviculas dilexerunt. Salvi facti non ſunt, quia qui oſtium non inveniunt ad eccleſiam, eis claudetur ad vitam. Nam ſicut per oſtium intratur in domum, ab eo, qui perperam agere non intendit, ſed per Chriſtum intratur in eccleſiam ab eo, qui rectè agere cupit. Et ſicut qui manifeſtè intrat, non habet ſpecimen furis, nec unde furti crimine condemnetur, ſic qui in eccleſiam per oſtium Chriſtum intrat, non habens unde damnetur, ſalvabitur. Ac per hoc non ſolum contra illos, qui aliunde ingredi eccleſiam tentant, Chriſtus dicatur oſtium, ſed etiam pro omnibus qui domum militantis eccleſiæ militaturi ſtrenuè intrare contendunt, ut ingrediantur in illam patriam, ubi beati eſſe poſſunt. Et ut facilior ſit introitus, optima figura præceſſit. Nam dum de fabricatione primæ ratis cum Noe Dominus loqueretur, dixit: Oſtium ponens in latere deorſum. Arca ſiquidem illa per omnia figurabat, ſi quis allegorias ſanè cognoverit, in cujus latere deorſum poſitum eſt oſtium. Nullus in eccleſia humilior eſt Chriſto. Nemo ſe tantùm abjecit, nemo ſe tantùm hominibus coaptavit, ut omnino eſſet deorſum, ut fides, qua fideles ſalvi ſiunt, ſit de his, quæ fecit omnino deorſum. Deorſum incarnatus eſt, deorſum hominibus natus eſt, deorſum cum hominibus converſatus eſt, deorſum degens ſuperna docuit, & de agendis deorſum pro ſupernis inſtruxit, deorſum miracula fecit, deorſum humiliatus eſt, uſque ad Apoſtolicos pedes, deorſum paſſus & mortuus & ſepultus eſt, deorſum ad inferna deſcendit. Protinus oſtium fidei, oſtium eccleſiæ poſitum eſt deorſum in latere, ſcilicet ut latus & ſpacioſus omnibus venientibus ſit ingreſſus. Et dominus apparuit Abrahæ ſedenti in oſtio tabernaculi. Prima Domini appartio ex

Gen. 3.

Joan. 10.

Gen. 6.

fide Chriſti eſt. Sedentibus in oſtio taber-
Gene. 18. naculi Deus apparet. Quieſcentibus in Chriſto per fidem, qui oſtium eſt eccleſiæ ſempiternæque vitæ, ſe omnipotens manifeſtat in ea fide, quæ per veram viſionem revelanda eſt. Et poſt oſtium Sara riſit, quia poſt Chriſtum in fide ſuſceptum ſequetur riſus, qui nunquam dolore miſcebitur. Et ad oſtium tabernaculi teſtimonii ad placandum Deum oblatio jubebatur offerri. Ut ſupra fati ſumus, oſtium eccleſiæ Chriſtus eſt, in quo & per quem omnis oblatio in eccleſia fiat, ſi placare cupimus,
Ibidem quem horrendis peccatis offendimus. Nunquam melius, imo nunquam aliter, quàm in Chriſto placatur omnipotens Deus. Et cùm in illâ peregrinatione deſerti, Iſraelitici populi eſſent caſtra movenda, prius antè oſtium tabernaculi fœderis omnis multitudo populi tubis argenteis vocabatur. Tabernaculum fœderis etiam ipſa eccleſia eſt, in qua fœdera ſunt virtutum, præceptorum, & ſacramentorum, quibus nos cum Deo, deusque nobiſcum fœderati ſumus. Ante cujus oſtium, ſcilicet Chriſtum tubis argenteis, id eſt, Apoſtolicis prædicantibus viris, omnis fidelium multitudo congregata eſt, ut non moveantur ad alibi caſtrametandum, non bellent, non aliquid fiat, niſi prout ante Chriſtum eccleſiæ oſtium fuerit ante præviſum. Non autem immerito Chriſtus oſtium dicitur, ſi oſtium ab eo, quod aliquid oſtendat, eſſe cenſeatur. Per eum quidem ſupra ſenſum hominis multa oſtenſa ſunt nobis, ea videlicet, quæ ſunt vitæ agendæ, ſimilitet & ſperandæ.

Cap. XXXVIII.

De ſimilitudine Chriſti ad paſtorem, ſecundùm Joannem, Matthæum & Marcum.

CUjus ovilis ſe oſtium dixit, & ovium ſe pronuntiavit in veritate & bonitate perfecta eſſe paſtorem, qui ſecundùm proprietatem, propemodum melius, quàm per ſimilitudinem dici poſſet. Sed quoniam rationales animas paſcit in ſimilitudine ovium, meritò imaginem aſſumpſit ipſe paſtoris, dicens
Joan. 10. his, qui aderant phariſæis & aliis: *Ego ſum paſtor bonus.* Hujus bonitatis veritatem ipſe aperuit. *Bonus autem paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Hoc ſolùm ſibi proprium primo fuit, nec ſimile in paſtore aliquo unquam fuit, ut pro ovibus vitam exponeret, quamvis ad eas tuendas ſe committat ſæpe periculis præter intentionem mortis. Salvator autem pro ovibus ſuis morte ſe ſcienter objecit, prompteque ſuſcepit. Et ſi aliqui paſtores ſpirituales pro eis commiſſis gregibus ſe morti expoſuerunt, quando hoc Chriſtus geſſit, non præceſſerat eum exemplum, paſtorum autem ovium irrationabilium pro eis voluntariè mortem ſubiiſſe neminem reperimus. Sed Chriſtus non bonus paſtor, quia animam pro ovibus dedit, ſed quia bonus pro eis mortem ſuſtinuit, & expoſuit ſe lupis rapacibus, ut rationales oves ab ipſorum erueret faucibus. *Mercenarius autem* (ſcilicet qui mercede conductus eſt & paſtor verus non eſt, quia nec ejus ſunt oves propriæ) *videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit & diſpergit eas.* Sibi timet, ſibi cavet, ſibi luctatur, qui fugit veniente lupo. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius eſt, & non pertinet ad eum de ovibus. Multifarie paſtor mercenarius dicitur, honore, fama, re, quæ cùm diligit, rationales oviculas deſpicit. Et ad quem pertinet honor, fama, & quæcunque temporalis commoditas, non pertinet de ovibus curare, ne pereant. Adveniens lupus eſt quodcunque periculum poſſibile perhiberi, quod poteſt rationales oves offendere, quod ſignatur in lupo, qui ovibus maximè ſit infeſtus, à quo rapiuntur oves ad vitia ſeu in prædam æternam, aut diſperguntur, ne teneant unitatem catholicam & charitatem fraternam. Etiam paſtor bonus cognoſcit oves ſuas, cognoſciturque ab eis, utrunque agitur bonitate paſtoris, ut cognoſcat, & cognoſcatur. Hunc eundem, quem legimus bonum, alibi audivimus eſſe percuſſum, velut alii evangeliſtæ commemorant: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis. In Zachariæ prophetia hoc præceſſerat, & ſimilitudo in veritate decurrit, & quamobrem Chriſtus dixerit, rei effectu patuit. Nam ſicut paſtore percuſſo grex diſpergitur, quia non eſt qui revocet, non eſt qui ſciat incitare canes, non reſonat cithara paſtoralis: ſic percuſſo Chriſto, apoſtoli ſunt diſperſi, ſicque veritate facti per umbram futuri myſterii; primus omnium paſtor Abel juſtus occiſus eſt, non ſolum damno ſui corporis, ſed etiam in diſperſionem ſui gregis, cui non erat hæres, qui diſperſas oves iterum congregaret? Sic

Matth. 26. Zach. 13.

Gen. 4.

Sic nisi Christus surrexisset à mortuis, discipulorum discursio in pejora cessisset, Quoniam bonus, adeamus eum, cognoscamus eum, amemus eum, sequamur eum. Nec illa bonitate bonus est, qua perfecit unum bonum, aut plura bona, sed illa, qua omnia bona potest, novit, diligit, aut agit. Pastor bonus non habens ab æterno quos pasceret, cum voluit, creavit ipse, quos pascendo reficeret, intellectuales substantias, quas pascit solum intellectualibus alimentis, inexhaustibili copia sui, qua ineffabiliter replentur & delectantur, semper eodem modo manente desiderio se pascendi, quo pastu intollerabili superbia plurimi caruerunt, plures verò æternè illo delectati sine intercisione fruuntur. Ineffabilis est omnino illa pastura, quam præterire silentio dignius judicavi, ad quam conveniunt, qui carne viventes, virtute proficientes sequuntur in valle mundi hujus æternæ vitæ pastorem. Concessit pastor bonus nondum
Gen. 2. homo factus, primis parentibus in deliciarum loco pastum vitæ in ligno uno, in cæteris verò dedit licentiam comedendi, sed dissuasit pastum illius arboris, in qua bonum subjectionis & objectionis & obedientiæ commendavit. Qui verò reprobi sunt, avidius delectantur vetito, quàm concesso. Pavit cœlesti manna quadraginta annis populum in deserto. Pavit super naturam quadraginta diebus cibo invisibili, nullo corruptibili refectis corporibus Moysen & Eliam, unum acceptum legem Dei, alterum pergentem
Daniel. 14. ad montem Dei. Pavit Danielem servum suum in lacu leonum, mittens Habacuc prophetam de terra Judæorum in terram Chaldæorum. Pascit naturalibus alimoniis cuncta reptilia, volatilia pennata, bestias deserti, pecora campi, homines & mulieres, & omnia in quibus est spiritus vitæ. Pascit infideles, subjectos atque rebelles, & neminem excludit ab alimento alimoniæ naturalis. Pascit secretiori alimento eos, qui fide sibi, & dilectione copulantur. Et supernaturalem eis tradidit pastum, ipsosque sibi gratificavit in pastu, scilicet sui corporis, quod summendum suis fidelibus dereliquit, & pastum Verbi sui statuit his duntaxat, qui hominem in-
Gen. ult. teriorem nutrire cutaverunt. Præcessit hunc pastorem in benignitate Joseph, qui fratribus timentibus suorum scelerum ultionem post paternam mortem dixit: Nolite timere, ego pascam vos & parvulos vestros. Certo præsagio ad Christum illa benignitas ferebatur, qui etiam offensas nostras indulget, & post ipsas pœnitentibus nobis annonam utriusque hominis ministrare non desinit, pascens virtute provectos similiter, & in virtutibus parvulos. Longe ante de hoc pastore orando ad dominum Moyses prophetavit. Inquit Num. 27.
enim: Provideat dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere illos, vel introducere, ne sit populus domini sicut oves absque pastore. Cui statim de Josue substituendo à domino dictum est, quod propheticè tendebat in Christum, in cujus figura Josue mandato domini substitutus Moysi re, & nominis interpretatione præcessit. Sub quo lupus & agnus pascuntur simul, cùm in mundo mali & boni, nocentes & innocentes ab ipso nutriuntur, & in ecclesia utrique sub pastu spiritualis alimoniæ tolerantur. De quo post 1. Pet. 2.
omnia gesta ejus Petrus edocuit: Nunc conversi estis ad pastorem & episcopum animarum vestrarum. Verè pastor, qui nisi fastiditos pascere non desistit, & episcopus superintendens negotiis vestris, ut consummato mundi mysterio pascat suos electos in sublimissimis locis. Sed pastorem & episcopum animarum non corporum esse Petrus ostendit. Nam quamvis omnipotens corpora omnium viventium pascat, tam volatilium quàm terrestrium, similiter & natatilium, tam hominum, quàm bestiarum, quamquam etiam sit resciturus corpora omnium hominum, alia siquidem ad supernam beatitudinem perfruendam, alia in locis gehennalibus mancipanda, attamen in hac vita mortali solùm animabus superintendit, ut alat in gratia, ut pascat in cœlesti doctrina, ut præservet à peccatis, etiam sæpe corporibus in pœnis & cruciatibus derelictis. Parum est, quid in corporibus eveniat, aut in his, quæ corruptibilia sunt, quoniam corpora quoquo modo procedant, ad tempus ab anima sunt solvenda. Necessitas facta est, ut omnino moriantur, sed quid curæ quomodo solvantur? Nihil Deo de corporibus deperit, animabus oportet intendere, ne peccatis labantur, quæ nunquam eximuntur, si ad tartarea loca sub satanica potestate descendunt, sic enim de animabus immutabilis Dei justitia diffinivit. Ac per hoc Christus potius pastor & episcopus dicitur animarum, quàm corporum, quoniam ad similitudinem Dei atque imaginem in anima, non in corpore factus est. Non poterat esse similitudo in corpore substantiæ omnino incorporeæ. Hoc enim exemplo studeant, qui volunt esse pastores, ut curam animarum,

marum, non corporum in ſuis ovibus prius intendant, quomodo curentur à vitiis, qualiter caveant à peccatis, qualiter intendant virtutibus, qualiter bonis moribus aſſueſcant.

Cap. XXXIX.

De ſimilitudine Chriſti ad granum, ſecundùm Joannem tantùm.

UT homines allicerentur ad ea, quæ ſupra naturam, ut exercerent illa moribus, quæ vitæ agendæ ſunt, ut ſperarent indubitanter, quæ in beatifica promittuntur, & velut per gradus ſtatuerentur acceſſus, exempla multa in natura ſunt poſita, ipſeque Salvator eorum, quæ naturaliter aguntur, ſimilitudinem in ſeipſo ſuſcepit, cùm reſponderet gentibus in templo ipſum videre cupientibus. *Niſi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet. Si autem mortuum fuerit, fructum multum affert.* De ſeipſo Chriſtus dominus loquebatur, grano mortificando ſe comparans, quod in terra ſatum, non præſtat fructum, niſi moriatur. Rei experientia in his, qui agriculturam noverunt, plus ſcientiæ miniſtrat, quam verborum diſſertio. Nam granum in terra ſatum, niſi humore terræ molleſcat, & quodammodo à ſua ſpiſſitudine reſolvatur, & à ſua ſoliditate omnino diſtemperetur, ſolum manet, nulla facta in ipſo alteratione aut corruptione, ut aliud generetur. Et quamvis corrumpi, aut generari quodammodo per media fieri videantur, tamen in omnibus cauſis corruptio ipſa præcedit, ut & unum non poſſit, niſi altero præcedente, alterum verò poſſit eſſe ſine reliquo ſubſequente. Nam ordine ſolito naturæ ſervato, nil generatur, niſi præcedat corruptio, corrumpuntur verò multa, nec ſequitur generatio, ſic granum non generat, niſi corrumpatur, interdum non generat, & corrumpitur. Eadem imagine Chriſtus ſatus erat in terra, ſcilicet in utero virginali, non ſemine hominis, ſed ſemine Spiritus Sancti. Et inde virginaliter eductus terram incolebat, atque calcabat, qui, niſi fuiſſet morte interemptus, fructum multiplicationis fidelium, & redemptionis eorum non attuliſſet in ſe, ut natus erat exiſtens, quamvis potuiſſet abſque morte omnem fructum multiplicationis & redemptionis afferre, ſed ideo aliter noluit, quoniam ſic afferre ab æterno prævidit. Quid igitur, ſi ſic præviſum erat fructum multum provenire per mortem, ſi ſolus ipſe manſiſſet? Protinus fructus non ſuiſſet ſecutus, qui erat advenire præviſus. Potior autem omnino eſt in omnibus his declarandis ipſius ſententia Salvatoris, qui ſic apertè aſſeruit: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum affert. Granum creſcendo grandeſcit, & inde nomen accepit. Et quamvis conveniat omni ſemini, diſtinxit tamen à cæteris, cùm dixit, granum frumenti. Pro eo autem dicitur frumentum, quod præcipuum ſit ad fruendum, & inter cætera ſemina amplioré ſapore dulceſcat. Granum frumenti duntaxat antiqua electione cibus factus eſt hominum, alia verò ſemina hominum & jumentorum. Granum frumenti, & non aliud granum Chriſtus elegit, unde panis eſſet, ex quo ſuum corpus ipſe conficeret, ut quod cibus erat corporum, etiam cibus fieret animarum, ut rebus in uſu hominum ſolitis, divinitate conjuncta homines ſacramentaliter fruerentur, nec eſſet horrendum, ſi corpus ſumeretur in pane, ſeu panis transſubſtantiatus in corpore. Longa igitur quadam convenientia uſus, ne fieret horror, panem grani frumenti ad ſuum coaptavit corpus, ut eſſet apta decentia. Qui velut in terra ſatus, & creſcens converſatus, per omnia humiliatus, in cruce mortuus, ac deinceps & poſt multum fructum attulit. Nam mortuus attulit vitæ fructum, & exemit ab inferis, qui granum hoc figuraverant, & perdixerant naſciturum. Reſurgens ex mortuis, fructum numeroſiorem fecit. Nam cœlum ſine mora in inferis aperuit. Judæorum in parte fuit celebrata converſio, & gentium plurima fidei adhæſio ſubſecuta. De quorum numero erant, quibus ſic reſponſum eſt, quando JEſum videre tentabant, ut non ſit cognitio vera JEſu, niſi per meritum mortis ejus, nec plena viſio ipſius duntaxat, niſi credere, quod potuit, & voluit mori, potuit, atque voluit cum integritate reſurgere. Retorquetur etiam hoc ad agendam vitam, ut niſi voluntas hominis mundo moriatur, fructum pro æternis afferre non poteſt. Sibi quiſque vivens, mortuus Chriſto eſt, ſibi mortuus, Chriſto vivit, in quo omnia poteſt, ſine quo nihil agere bene poteſt. Quomodo quis poteſt fructum producere ſine Chriſto, cùm ipſe ſit vita? Quomodo poteſt eſſe cum Chriſto vita, niſi ſibi & mundo

Joan. 12.

mundo moriatur in hac vita? Veruntamen non corporis mors hic hominibus indicitur, quamvis de morte corporis Chriſtus in ſeipſo loqueretur, ſed de morte infidelitatis ac voluntatis, quæ ſervit deſideriis carnis. Hinc pro ſeipſo dicebat Apoſtolus: Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Et qui CHRISTI, ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cùm vitiis & concupiſcentiis. Omnis homo granum eſt in terra cadens, in qua, niſi moriatur, fructum germinare non poteſt. Si autem morimur legi carnis, ſi à nobis iſta mortalia abdicamus, ſi nolumus cum mundo defloratо aut caduco florere, fructum plurimum afferimus, ut eo plus quiſque afferat, quo à ſe plura recidit, quo ſe magis legi Chriſti humiliter ſubdidit, quo ſe magis deſpexit, quo ſe vita indignum amplius æſtimavit.

Cap. XL.

De ſimilitudine ſecundi adventus Chriſti ad fulgur, ſecundùm Matthæum & Lucam.

NOn eſt deliteſcere claritatis, neque lux diffuſibilis quærit occultum. In luce tenebræ non decipiunt, etenim fugantur ab illa. Quod non ſperatæ dicitur actionis, quod ſubito agit, quod ſuperna virtute fit, quanquam, ut multi aſtruunt, in æthere ordine naturali, adverſus quod inferiorum deficit omnis obex. Difficile, imo impoſſibile impeditur, quod expedit in omnium venire notitiam, eſt etiam à latebris alienum. Quam ob cauſam ne de Chriſti adventu ſecundo ſub electis poſſit provenire deceptio, ipſe iterum venturus ſemetipſum fulguri comparavit, dicens: *Sicut enim fulgur exit ab oriente & paret uſque in occidentem, ita erit adventus filii hominis.* Nec impropriè Chriſtus, qui nunquam aliquid impertinens dixit, aut fecit, fulguris ſimilitudinem ſumpſit exeuntis ab oriente, unde aurora, deinde ſolare lumen in iſto hemiſphærio naſcitur, quoniam ipſe per fidem venit in nos, quæ lumen eſt animarum. Subito irradiat fulgur, ſed ocius Chriſtus illuminat. Improviſò fulgurat, & cùm Chriſtus adveniet, nemo præſentiet. Modicum durat actio fulguris, & illico expediet judicantis adventus, qui quamvis ſit improviſus, tamen ejus actio innoteſcit, ſic & Chriſti actiones pie ſcrutantibus & credentibus notæ fiunt, modi autem à notitia mortalium ſunt remoti. Nemo prohibere poſſet impetum fulguris, & ad Chriſti manifeſtum adventum nullus eſt obex, præterquam ad inviſibilem in animas hominum, cui ſæpe obſtat depravata voluntas, non poteſtate ſua, ſed illam reprobante divina juſtitia, ut nec ad eam Chriſti per gratiam fiat adventus. Fulgur exit ab oriente, Chriſtus exit à patre Verbum, & paret in occidente, quia in occiduo mundo converſatus eſt. Exit ab oriente, quia oriens eſt nomen ejus, paret in occidente ad judicium peccatorum. Exit ab oriente luce ſplendidiſſima fulgens, paret in occidente, ut omnibus mundi plagis ejus adventus refulgeat. Etenim partes collaterales lucem ejus præſentient, ut ipſum adveniſſe ubique clareſcat, ne invaleat illa deceptio, qua diceretur, hic eſt, aut illic, in penetralibus, aut in deſerto. Proinde ſecundùm Lucam dicitur: *Nam ſicut fulgur coruſcans de ſub cœlo, in ea, quæ ſub cœlo ſunt, fulget, ita erit filius hominis in die ſua.* Venit iterum de ſub cœlo juſtè judicaturus, qui ſub cœlo perperam extitit judicatus. Fulgur coruſcans ſub cœlo, fulget in his, quæ ſubſtant cœlo. Igitur ejus adventus quamquam improviſus, tamen adeſſe erit omnibus notus, ut qui in primo adventu quodammodo venit obſcurus, in ſecundo veniat ex omni parte coruſcus. Sed quoniam in fulgure ſplendor & terror, ſic in Chriſti ſecundo adventu erit ſplendor pro notitia, & terror pro contumacia: ſplendor ad electos, terror ad reprobos ſit ex eo.

Matth. 24.

Luca 17.

Cap. XLI.

De reaſſumpta ſimilitudine ſuiipſius ad cadaver, & electorum ad aquilas, ſecundùm Marcum & Lucam.

QUoniam unigenitus DEI Filius voluntariè corpus aſſumpſit, & omnia, quæ ad noſtram ſpectant ſalutem, geſſit in corpore, in quo duntaxat mortuus eſt, & reſurrexit, & in corpore cœlos ad patrem, à quo diviſione non diſceſſerat, regrediens penetravit, & in corpore viſibili mundum judicaturus adveniet, idcirco cadaveris ſimilitudinem de ſeipſo poſuit, quia cadendo per mortem, per vitam nos ſtare fecit. Et quia ſic nequiter judicatus eſt usquequo moriendo caderet, ſic cadaveris illius memoria juſtæ judicationis in omnibus ratio erit. Et per illud cadaver, quòd in cruce ſic cecidit, in ſepulchro ſic latuit, erit juſta reproborum damnatio, pia ſalvatio electorum. Reproborum ſiquidem, quia cadaver Chriſti tanquam pecoris reprobaverunt, unde reprobi dicti ſunt, meritóque damnandi. Electorum autem, quia cadaver dilexerunt, & de altitudine intellectus ad hunc caſum, ut impiè factus eſt ab impiis, piéque toleratus à juſto, velut aves altè volantes credendo humiliter deſcenderunt. Quod quia ſicut eſt, ita crediderunt, ſicut crediderunt, ita dilexerunt atque imitati ſunt, in judicio non cadaver, ſed quaſi ad cadaver ad ipſum Chriſtum glorificatum divina majeſtate fulgentem congregabuntur electi. Inde protinus dicitur: Matth. 24. Luc. 17. *Ubicunque fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ.* Fulguris ſimilitudo pro reprobis & electis eſt poſita, corporis & aquilæ tantummmodo pro electis fidelibus eſt adjecta. Quoniam qui non fuerunt congregati per unitatem fidei ad cadaver ſic pro hominibus paſſum, in judicio non congregabuntur ad Chriſtum in ſua potentia gloriosum. Sed congregabuntur aquilæ illi fideles, duntaxat qui viventes in ſæculo in propria vel in aliorum fide altitudinem mentis dimiſerunt usque in terram, qua jacebat cadaver, ſe animo transferentes, & odorati ſunt hanc carnem, ad illam venientes ad eſcam, quoniam caro ſua verè eſt cibus & lambuerunt ſanguinem ejus, qui verus eſt potus. Porrò electi, cujus ſunt carne paſti, ſanguine ſpiritualiter ſatiati, corpus in judicio recognoſcent, ad ipſum quoque congregabuntur, quod in terris poſiti dilexerunt, per quod ſalvati ſibi gratias referunt. Sed nec tantùm ad eum congregabuntur ſub cœlo, ubi velut ſulgur irradiat, ſed in ſuperna patria, ubi in perpetuum regnat. Ultima ſimilitudo de cadavere fuit & de aquilis pro electis, non parabola, quoniam corpus Chriſti ob hoc voluit eſſe cadaver, ut aquilæ videlicet electi ad eum in hac vita congregati per fidem, congregarentur in patria per infallibilem viſionem, & hic eſt finis Chriſti omnium corporalium actionum, qui nec eſſet, niſi corpus ejus cecidiſſet in cruce. Congregemur itaque ad cadaver, & de illius carne paſſa contemplativè paſcamur, aſpicientes aquilino viſu in authorem fidei, conſummatorem JESUM, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem omni confuſione contempta. Si aquilæ intellectuales cœli ſumus, ſi renovari ut aquilæ volumus, accedamus ad hujus cadaveris eſcam. Ecce altè pendet in ligno, ſub cœlo paſſus eſt, in terra defixus eſt ſtipes, ubi eſca divini cadaveris pendet. Non alta ſapiamus, ſed conſentiamus humilitati cadaveris. Non decerpamus carnem ejus dentibus, quia nec ad rem hujuscemodi invitamur, ſed ad communionem paſſionum ejus, & hoc fiat gaudium ſpiritualium aquilarum. Inquit enim ſcriptura: Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete. Proinde qui congregantur ad corpus fide & imitatione, quod in cruce cecidit, congregabuntur ad corpus quod à morte ſurrexit, Chriſti videlicet, ad quem in judicio electis omnibus congregatis, ipſe reprobos detrudet in pœnas.

Hebr. 11.

Romans. 12.

1. Pet. 4.

Cap. XLII.

De ſimilitudine tentationis ad cribrationem, & electorum ad triticum, ſecundùm Lucam tantùm.

NOtum Chriſto erat antiqui hoſtis deſiderium malum & inſatiabile ad tentationes, perſecutiones, deceptiones, atque moleſtias fidelibus inferendas, & in quas velit intrudere anguſtias, ipſe cognovit. Proinde Apoſtolorum vericem, quem præfecerat, providum facit, erudiens illum & omnes in illo,

illo, ponens ſimilitudinem ſecundùm
Luc. 22. quam improbus prædo cupit inferre jacturam, dicens Simoni Petro. *Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum, ego autem pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Hujuscemodi ſimilitudo perſtringenda eſt, quod ſatanas ſicut triticum velit cribrare fideles. Triticum recolligitur, ut in horreum congregetur, quod ubi de tritico & zizaniis agitur, quid inſinuet clarè diſſeritur. Per cribrationem verò diſpergitur, non per unum foramen, ſed per plura cribri foramina, & per quandam violentiam cribri crebrius agitantis ſæpe, triticum elevatur in aëra. Unionem habet fides in fidelibus Chriſti, ad quorum diſperſionem ſatanas operatur, ut avellat à fide, ut non velut triticum congregentur in horreum, ſed velut diſperſi & à CHRISTO diviſi detrudantur perpetuo in infernum. Nulla perſecutio damnoſior, quàm cùm quis excidit à fide. Nihil enim remanet operis, ubi fides in hominibus deficit, propterea ſatanicam intentionem Salvator Petro denuntiat, qui à CHRISTO eccleſiæ ſuæ præpoſitus factus erat, & hac intentione diabolus ſedulò & prima bella, ſuasque actiones contra fidem orditur, ſed nec de ipſo laudabilis poſſet eſſe victoria, niſi Chriſtus pro nobis ex adverſo conſurgeret. Chriſtus eſt, qui tuetur fidem in hominibus, quam plantavit, ipſe decertat pro nobis adverſùs ſuggeſtiones ſatanicas, ipſe facit ebullire diabolum de cordibus hominum, cùm acutè impugnare nititur fidem credentium. Nam, cùm & inter filios DEI aſſuiſſet Satan, qui Job ſuis ſucceſſibus invidebat, deſiderans in eum manum probationis extendere, non fuit compos, quamquam auſus, & anxius in eum quidquam inferre moleſtiæ. Sub protectione quippe Dei omnis creatura conſtituta eſt, quæ à potentiori vexari nequit, niſi quan-
Job. 1. tùm ipſe permiſerit. Veruntamen cùm ſatanas explendi in Job ſuum deſiderium licentiam accepiſſet, ſemper ita moderationem ſuæ poteſtatis accepit, ne tantùm læderet, quantum vellet. Et cum Dei permittente licentia Job expoliaſſet omnibus bonis, orbaſſet filiis, carnem ejus ex ulceribus fœtere feciſſet, & ſaniem ex omnibus membris ſcaturire, ut etiam teſta raderet, tandem, ut animam ejus ſervaret, in præceptum accipit. Sedes quippe fidei firmior præterquam in anima hominis ad meritum reperiri non poteſt. Neque virtus, quæ à contagiis purgat, quæ tuetur à vitiis, quæ in anteriora progreditur, alibi, quàm in anima locum habet. Et anima juſti ſedes eſt ſapientiæ. Et ſapientia nobis expediens Chriſtus eſt, qui nobis & pro nobis à Deo ſapientia factus eſt. Quamobrem animam in manu poteſtatis adverſariæ non concedit, quanquam & temporalia & corpus permittat ſæpe deperdi, & moleſtiis agitari, niſi ſemetipſam velit jurisdictioni ſatanicæ mancipare. Juſtus erat Job, propterea Dominus ejus animam ſatanicis voluntatibus non tradebat. Nec quempiam in ejus manibus in anima derelinquit, juxta illam in Pſalmo ſententiam: Conſiderat peccator juſtum, & quærit mortificare eum Dominus autem non derelinquet eum in manibus ſuis. Pſalm. 63. Porro peccator juſtum conſiderans eſt hoſtis antiquus, qui omnes ſcrutatur rimulas, unde poſſit ipſum invadere, quærens mortificare eum, & morte corporis, ubi neceſſitate inevitabili domus eſt conſtituta omni viventi, ſed illam quam homo pro mala voluntate incurrit, pro bono devitat. Hæc ſiquidem illa eſt, quæ fidei veræ abſentia omnes involvit. Nemini ſalus niſi ex fide, nullus damnatur in fidei veritate. Igitur id, hac ſatanas expetit à Chriſto ſuos apoſtolos cunctosque credentes cribrare, ut id, quod habet ex mala voluntate, poteſtate permiſſa liceat exercere. Cui nunquam deeſt mala voluntas, ſed niſi permittitur, non adeſt iniqua poteſtas. Juſte tamen ſibi permittitur & ad probationem noſtram ſæpè conceditur, & Dei miſericordia denegatur. Pluris autem eſt, quod ipſe Salvator noſtræ fidei tutelam aſſumpſit. Proinde ſubjungitur: *Et ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua.* Luce clarius patet, quod illa cribratio, quam ſatanas facere depoſcebat, erat de fide, quam vellet de omnibus deperire, æquè verò nemini vellet adeſſe. Noverat enim hoſtis antiquus, quòd ad ſuam accuſationem diſtrictior efficiebatur quilibet Chriſtianus, ſi fidei ſacramenta ſervaret. Quia poſtquam decepit humani generis genearcham, nullus hominum apud Deum prævaluit, qui non ad ima deſcenderet, qui non intrudereturin carcerem. Aliqui tamen in tempore liberandi, aliqui in æternum ſub lege tartarea detinenti. Chriſtianus ſiquidem meritò fidei poterat evolare, & ſi non illico, ſaltem ſuum fugere dominatum. Quamobrem adverſus fidem inviſibilia bella & ſæva movet. Videt amplius juſtam damnationem ſuam, cùm ſit ſpiritus exiſtens à corpore liber, ſeparata ſubſtantia, cognitio ſine diſcurſu, neque ſuum tenuit principatum, dereliquit ſuæ altitudinis gradum,

dum à Deo averſus, ad ſemetipſum converſus in infinitam calamitatem deſcendit, cognoſcens corporeum & luteum ponderibus aggravatum, ex omni utique imbecillem virtute fidei in ſuperna poſſe conſcendere, à quibus à ſeipſo maleſuaſus utique dejectus eſt. Acper hoc implacabiliter adversùs fideles ſpiritus ſatanici furiunt, quærunt ſemper invadere, à Chriſto expetunt poſſe cribrare. Non enim quempiam de fide tentare poſſunt, niſi permittantur ab authore fidei, omnium bonorum conſummatore JEſu. Et hoc eſt, quod ſatanas expetit à JESU, concutere fidem credentium, obſcurare mentes fidelium. Sed quid Chriſtus permiſerit, ſitque permiſſurus in fidei & fidelium cribratione penitùs ignoramus. Unusquisque tamen inteſtinum prælium ſentit, quantum ſatanæ ſit conceſſum, cùm aliquem expetit in fide cribrare. Sed rogat Chriſtus patrem, ne Simonis fides deficiat, quoniam, cùm interrogarentur omnes Apoſtoli, quem homines dicerent eſſe Filium Hominis, & quid ipſi de ipſo ſentirent, ſolus inter cæteros ipſe reſpondit. Tu es Chriſtus Filius DEI vivi. Unde fides Petri eſt credere, quod CHRISTUS eſt Filius DEI. Concuti fides ſæpius poteſt, deficere verè nunquam poteſt, quoniam Filius DEI eſt, quod credimus. Ipſe hanc fidem plantavit in cordibus, ipſe rogat ne deficiat in fidelibus. Oratio ejus exaudibilis eſt, nubes penetrat, ſemper ingreditur in aures Domini Sabbaoth. Et idem eſt, qui rogat, atque rogatur. Rogat ut homo, rogatur ut Deus. Et ipſe Homo DEUS. Non ſtat fides cujusque virtute credentis, ſed ſtat virtute Domini fundatoris. Non deficit fides, ſed fide ſæpe, qui fuerunt fideles, deficiunt, aut ad ipſam non veniunt. Nemo ſibi arroget fuiſſe fidei ſtabilimentum, ne fides deficeret, aut eccleſia deperiret. Nemo alicui ſanctorum tribuat fuiſſe fidei ſuſtentatorem, neque ſua virtute, neque ſcientia, ſolus ejus ſuſtentator eſt CHRISTUS. Stat ædificium omne in alta ſubvectum fundamenti virtute, non erecto pariete. De omnibus Apoſtolis dicebat JESUS: Ecce ſatanas expetivit vos, ut cribraret. Sed ſoli Petro dictum eſt: Ego autem pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. Quid eſt, quod omnes expetuntur, & pro ſolo Petro rogatur? Omnes vellet diabolus ſubvertere, ſed una eſt fides à qua vellet avertere. Illa ſiquidem eſt confeſſio Petri, pro qua rogatur, non ſolùm, ne in Petro, verum etiam, ne in omnibus fides & confeſſio Petri aliquando deficiat. Ei quoque dicitur, ut converſus aliquando fratres in illa confirmet, quod omnibus dicitur, ut confirment, quotquot noverint omnino imbecilles. Attamen defecit protinus fides Petri, cùm interrogatus ter eum etiam cum juramento negavit. Non tamen Chriſti oratio fuit inefficax, ne ſua fides deficeret, quoniam non fides Petro, ſed Petrus fidei præ timore defecit, cui tenacius poſt Chriſti reſurrectionem adhæſit. Nequit deficere, quod eſt tam alta radice fundatum. Nam etſi multi rami præcidantur ab arbore indefectibilis tamen virtus remanet in viva radice.

Cap. XLIII.

De ſimilitudine temporalium ad tunicam, & Verbi Dei ad gladium.

OStendit DEUS hominibus unde, aut propter quid ipſa temporalia deſpicerentur, ſeu commutarentur, & niſi oſtendiſſet, ſupervacua eſſet derelictio terrenorum, & omnibus nationibus eſſet miſerior Chriſtiana conditio. Et non ſolùm comparatione ſupernorum, ſed etiam reſpectu eorum, quæ dirigunt in ſuperna, dignum factum eſt ipſa terrena deſpicere, atque temporalia pro ſpiritualibus commutare. Hinc Salvator Apoſtolis tradidit in præceptum per ſimilitudinem, dicens: *Qui verò habet tunicam, vendat, & emat gladium.* Per tunicam temporalia deſignantur, quæ jubemur diſtrahere, ut emamus Verbum Dei, quoniam gladius emptus eſt Verbum DEI. Venditur ſiquidem tunica non commutatione pecuniæ, ſed amore cœleſtis patriæ. Temporalia ſæpe ab animo interdum à Domino excluduntur, & intenditur, atque impenditur ſtudium Verbo Dei, quod ſolùm dirigit in ſuperna. Nempe in Deum dirigit Dei Verbum, & ex ipſo ad æternum regnum iter inquiritur, cujus eruditionem non capit animus terrenis curis implicatus. Expeditum & expediens eſt DEI Verbum, Liberum eſt, nec alligatur, & in hoc trajicit, quos perfudit. Et merito gladius appellatus eſt, quia dividit, quia ſecat, & perforat & pungit. Sed tunicati temporalibus jubentur exui, emereque verbum, ut expeditiores fiant ad ſuperna conſcendere, ad quæ nullus ſic tunicatus aſcendit. Nec viventes in carne poſſunt divinis intendere, nec in terrenis animo implicati. Amplius autem indicebatur Apoſtolis, ut omnino terrena non ſaperent, nec haberent, per quo-

rum

rum præconium, & per fidem in cordibus hominum debebant cœlestia de novo clarescere. Dubiè atque incredibiliter prædicassent aliam vitam istius copias deferentes. Pulchrè Salvator venditoris nomine, non donatoris tunicam justit distrahi, ut retorqueretur pretium in vendentem ne gratis donans pretio justo simul fraudaretur, & tunica, neque fieri potuisset emptio melioris, scilicet gladii spiritualis, qui temporalium rerum tunicam omnino præcellit. Sed quis vendens, quis emens, quod & quale pretium, quid inde reemitur, oportet intendere. Quale hujuscemodi sit commercium, liber etiam intueri. Vendens est omnis parvipendens temporalia pro æternis. Emptor est CHRISTUS, qui in omnibus indigentibus velut egenus emit. Pretium ipsa spes, quæ cordibus fidelium infunditur, nam nihil aliud quàm spes futurorum præsenter temporalia distrahendo percipitur, aut ipsa libertas prima naturæ, qua caruit, qui studuit perfunctoria aggregare, ac divitiis in cunctis inhiat; Quo pretio non defosso, sed illico emitur gladius spiritus, Verbum scilicet DEI, quo Apostoli germanè gladiatores effecti, audientium corda gladiaturi erant, aliquorum leviter & innocuè scilicet convertendorum ad fidem, aliquorum sæve, detrudendorum in pœnam. In hoc gladio relinquitur peccatori vivere posse post lapsum. Etenim Esau post surreptam benedictionem pro fratre à patre, ut viveret gladio in residuum benedictionis accepit. Refugium omnium est ad Verbum, & in ipso reviviscit mortuus in peccatis, quoniam ex Verbo fides, sicut Apostolus ad Romanos dictum Isaiæ commemorat, dicens: Domine quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autem per Verbum DEI. Porro ex fide infidelis, & omnis malefidus homo reviviscit, quæ aliter, quàm per Verbum DEI gladium nec silenter aut declamatoriè hominibus innotescit, quanquam ipse DEUS aliter atque disparitèr ipsum possit infundere. Omnes virtutes per Verbum creduntur, licet potestativè à Domino infundantur, in quibus animarum vita constitit. Igitur meritò dictum est Esau, vives gladio. Etiamsi intelligatur, quod vir bellicosus extitisset inspecto more vivendi, sed tropico sensu Verbum DEI est, in quo potest vivere, qui terrenam hæreditatem amisit. Animarum vita Verbum DEI est. Quoniam non in solo pane vivit homo, sed in omni Verbo, quod præcedit ex ore DEI. Non enim spirituali vita vivitur ad meritum, nisi per Verbum DEI, quod gladii similitudinem habet, ut animam dividat à terrenis, ut etiam confodiat inimicos veritatis atque virtutis, qui adversus bene agentes impostoras deponunt, & gladiet dæmones, qui invisibiliter molestare non cessant. Hinc Joannes se vidisse testatur, quod ex ore CHRISTI gladius ex utraque parte acutus exibat, qui præstatur fidelibus rei perfunctoriæ distractione peracta.

Cap. XLIV.

De similitudine Christi ad viam, secundùm Joannem solùm.

TErminum & finem DEUS omnibus rebus posuit, sed varium & non unum prout in usum deveniunt, quamquam omnia, quæ ipse condidit, à fine quousque perveniant, ad ultimum finem omnia ordinentur, prout omnia visa & non visa, sensa & non sensa, quodammodo sunt ordinata in usum rationis & corporis. Ipse autem homo utens ad finem & terminum, ut perveniens ad CHRISTUM, beatus sit, etiam in illa, quæ ordinata videntur ad interpositum finem constituta sunt ad DEUM, qui est terminus & finis omnibus rebus ab æterno dispositus, maximè autem rationabilibus creaturis, quibus ne aberrarent, ut rectius pervenirent ad finem beatificum & terminum constitutum, descendens de cœlis, degens in terris, se inobliquabilem viam fecit, dicens: *Ego sum via.* Quæ autem duo sequuntur, scilicet veritas & vita, per proprietatem melius quam per similitudinem differuntur. Nam proprium est ejus veritas infallibilis & vita indefectibilis. Via verò non proprium ejus, sed per similitudinem ejus accomodato vocabulo in directione morum atque beatitudinum ex his, quæ imperagrabili à corpore via fiunt. Proinde quia via est morum, ostendens exemplo, docens Verbo quid agendum, ante nos pandens iter, quo perveniendum, ambulantem sequelam exigit, ne frustra in terris se viam ad cœlestia fecerit. Nullus deinceps potest suffugium excusationis inquirere de obliquitate viarum, si Christus est via. Si æternum patrem cognoscere volumus, si ad illum pervenire latagimus, Joan. 14.

Chriſtus eſt via. Nunquam enim pervenitur ad notitiam patris, niſi prius filius notus fiat. Nam nec pater eſſet ſine filio, nec extaret filius ſine patre. Mutua relatione unus ad alterum factus eſt via. Igitur æternum patrem inquirens, Chriſtum quærat filium æternum. Via protinus directiſſima eſt ad patrem. Quis enim novit patrem niſi filius aut cui voluerit filius revelare? Quis rectius ad patrem ducit, quàm ille, qui ab ipſo æternè proceſſit? Sed plus eſſet pœnalis quàm delectabilis cognitionis ad patrem ex fide per viam, quæ filius eſt, pervenire, niſi per eundem pro beatitudine veniremus. Sed qui via eſt per fidem ad patrem, idem eſt & iter ad ejus beatitudinem. Etenim propter nos deſcendit de cœlis homo factus, ut ad cœleſtia revocaretur per rectam viam homo factus erroneus. Et mores tenuit, & docuit ipſe cœleſtes, in quibus eſt via, qua hominibus oſtendatur viſio ipſa divina. Igitur ambulemus, ne deficiamus in via, nutrimentum ſpiritualis alimoniæ aſſumentes, neque pede retrogrado gradiamur, in ampliora nos continuè protendentes. Omnis alia via in interitum tendit, hæc ſola dirigit ad ſalutem. Ac per hoc omnis alia via declinanda eſt, ſola iſta tenenda non derelinquenda. Nam in omnium cautelam contra filius Iſrael qui à via declinaverant, dictum eſt: Dereliquiſti dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam. Et nunc quid vis tibi in via Ægypti, ut bibas aquam fluminis? Si omnipotens nos per viam filii ſui ducere diſpoſuit, in via tenebrarum & ignorantiæ ne pergamus, ne cogamur tibere aquam turbidam illam ſcilicet fluxibilitatem guſtare, quæ tandem corpus turbabit & animam. Nec aliquid poſſidet mundus Ægyptiacus, quod claritate reſplendeat. Conſpicuum omnibus eſt turbidas eſſe aquas Nili, qui Gihon in Geneſi appellatur, & interpretatur arena vadens. In via Ægyptica cùm ſitiet, has aquas potare cogetur, ut velut arena peccata multiplicentur. Ad tenebras enim ſpectat Ægyptiacum nomen. Tenebræ verò nullæ majores, quàm ignorantia Chriſti, & in ſuis non ambulare veſtigiis, unde oritur arenoſa ponderoſè gravans multiplicatio peccatorum. Nec ſi Chriſtum nobis viam factum cognovimus, Aſſyriorum viam moribus gradiamur, ne ſitientes aquam fluminis ſcilicet Euphraten bibere compellamur. Aſſyrii ſunt Chaldæi, qui dæmones interpretantur. Quid igitur nobis in via dæmonum, qui per viam ſuperbiæ de cœlo cadentes adhuc ſemper ſuperbiunt, & nos impedire à via regni Dei non deſiſtunt, unde ipſi ceciderunt? Quid nobis imitatio dæmonum ſuperborum? Si ad viam vitæ ſuſcipere volumus humilem Chriſtum, deſideria noſtra ſatiabimus. Bibemus aquam Euphraten. Pulverulentus quippe dicitur, & in pulvere dicente domino, ſunt noſtra corpora reſolvenda, necnon peccati merito præcedentis illa ſcilicet committimus, quibus à domino morte multamur. Et ex pulvere ortæ ſunt cyniphes in univerſa terra Ægypti. Cyniphes muſcæ minutæ ſunt, & oculis hominum ſatis infeſtæ, ut quieſcere non ſinant, quousque perſeverant, quæ jubente Moyſe natæ ſunt ex pulvere. Igitur qui in via dæmonum gradiens pulverulentam aquam hauſerit ad bibendum, ut ſatiari ſe credat pulvere terrenorum, inquietabitur à parvulis muſcis, à cogitationibus ſcilicet importunis, ut etiam dormiens non quieſcat à ſomniorum occupatione vexatus. Via veræ ſapientiæ nobis factus eſt CHRISTUS, quoniam in ipſo ſunt omnes theſauri ſapientiæ abſconditi. De hac Salomon ante prædixerat: Viam ſapientiæ monſtrabo tibi, & ducam te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non actabuntur greſſus tui, & currens non habebis offendiculum. Et Apoſtolus ad Corinthios dicit: Ipſe factus eſt nobis ſapientia à Deo. Proinde ſi via ſapientiæ factus eſt CHRISTUS, ſcire omnia, ſi qua ſunt, & ipſum ignorare inſipientia eſt. Ipſumque ſanè ſcire cæteraque neſcire ſumma ſapientia eſt. Via eſt veritatis, à qua aberrans lugebit æternè, quod in libro ſapientiæ apertè differitur, quanta mala proveniant his, qui à via hujuſcemodi erraverunt. Inquit enim prophetico ſpiritu: Erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non illuxit nobis, & cætera, quæ ibi ponuntur, quæ hic differere prodiret in longum. Pro omnibus ergo per ſapientiam dicitur: Eſto firmus in via Domini. Si quis fidem, ſi quis Chriſtum viam directionis, viam ſapientiæ, viam veritatis accepit, firmus in illa permaneat. Etenim non qui incœperit, ſed qui perſeveraverit, ſalvus erit. Ad hanc diſcendam, ſimiliter & perambulandam, ex parte Domini Dei populum prænonet Jeremias: Hæc dicit Dominus Deus: State ſuper vias veſtras, & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris. Vias veſtras dicebat populi proprias & voluntarias directiones, in quibus unusquisque declinando erravit, ſicut etiam dicit

Exod. 5.

Proverb. 4.

1. Cor. 1.

Sapien. 5.

Eccl. 2.

Jerem. 6.

dicit Isaias : Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit. Super quas stare admonet ad considerandum, non ad manendum, ut de semitis justorum antiquorum interrogetur, ut bona via discatur, sed nulla melior nisi Christus, qui in superioribus vita, in inferioribus via vitæ. In qua omnino expedit ambulare, si refrigerium animabus nostris inquirimus. Nusquam præterquam Matth. 11. in Christo refrigerium est. Ipse de seipso Salvator jam dixerat, cùm leve jugum suum nobis vellet imponere, & invenietis requiem animabus vestris.

Cap. XLV.

De similitudine Christi ad vitem, Dei Patris ad agricolam, discipulorum & fidelium ad palmites. secundùm Joannem tantùm.

CHRISTUS ex carne operatione Spiritus Sancti propagatus, omnes quærens ab ipso alia serie quàm naturæ ordine propagari, propagabilis arboris fructum lætificum educentis similitudinem in se suscepit, & palmitum ex se pendentium transtulit in apostolis suis, & patrem suum æternum imagine quadam appellavit agricolam, ut in nova vinea ecclesia videlicet, quam plantaverat, esset vitis, quæ palmites faceret, esset agricola, qui excoleret, atque purgaret, & infructuosos palmites tolleret, atque damJoan. 15. naret, dicens: *Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Et omnem qui fert fructu, purgabit eum, ut plus fructum afferat.* Prætermisit alias arbores vitis duntaxat imaginem sumens, pro eo, quòd ex illa lætificans & calefaciens fructus exit, ex quo jam sanguinem suum fecerat, & propinaverat ipse discipulis. Et nullius arboris fructus aptior potui, quàm qui procedit ex vite. Et nullius potus sublimior, quàm sanguis, qui processit ex latere, quem sumimus in fructu procedente de vite. Necnon in fructu vitis habemus significationem unitatis ecclesiæ. Nam sicut ex multis racemis atque acinis efficitur unum vinum, sic ex multis hominibus unum corpus fidelium. Quamobrem Christus videtur aptius illam similitudinem assumpsisse. Ac etiam magno præsagio prophetatum erat, cùm Patriarcha Jacob suos filios benediceret, qui multa mysteria digna expressit in vite, cùm Judam inter cæteros benedixit. Lavabit in Genes. 49. vino stolam suam, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem fili mi asinam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores oculi ejus vino. Animadvertendum, quot & qualiter quæ sunt ex vite commemorat. Judas Christum signare videtur in figura, qui est etiam vitis ex similitudine. Et vinum ex vite, vinea non sine vite. Vitis verò in terra, quæ multiplicata dicitur & vinea, sanguis uvæ de vite, & itaque vinum de vite. Stola CHRISTI est humanitas assumpta, quam lavit in vino expresso de seipso vite, cùm ipsa caro proprio rigata est sanguine pendens in cruce. Stola CHRISTI ipsa est ecclesia, quam sibi velut indumentum adjunxit, quam & suo sanguine velut in quodam vino lætitiæ atque justitiæ ab omnibus peccatis absterst. Quod & Joannes jam velut factum in sua revelatione commemorat præferens dilectionem, annuntians lotionem. Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Magni est pretii abluitivum nostrum, Apocal. 1. quoniam divinus est sanguis. Et ista stola etiam vinea est vocata, in qua ipse prior est vitis, à qua omnes palmites processerunt, ut essent in seipsis omnes fideles, velut in quadam vinea singulæ vites, & in eo quòd processerunt ex prima Christo vite, vocarentur & palmites. Sicque ipsa ecclesia quasi vinea facta est, ad quam ligavit pullum, scilicet gentilem populum, super quem nemo hominum sedit, ut ipse in hujuscemodi equitatu à monte oliveti Jerusalem veniens designavit. Neminem sedisse dixerim, quia nullius patriarcharum aut prophetarum fuerat gentilis populus ductus exemplo, neque instructus & directus alloquio. Hinc ligavit ad vineam, hunc ad suam introduxit ecclesiam, cùm prædicantibus Apostolis Christum credidit, doctrinam ejus atque mandata suscepit. Et ad vitem ligavit asinam suam, scilicet synagogam, in illis paucis hominibus, qui de Judæis CHRISTO Domino crediderunt. Sed quoniam pullo asina in ligatione postponitur, futurum velut jam factum sanctus patriarcha prædixit, quoniam in fine sæculorum asina synagogoga se deceptam agnoscens, ligabitur fide atque amore ad vitem CHRISTUM,

quem ignorans aut invidia velut latronem occidit in cruce. Mirum quippe ligatus ab asina synagoga, ipsam ad semetipsum ligat. Illa enim ligavit odio, iste amore. Et dissolutum populum cultui deditum idolorum, etiam ad se vinculis aureis nectit: quoniam omnes ad se trahit in funiculis charitatis. Pallium verò suum tinxit in sanguine, ut expressior repetitio sit, quod stolam lavit in vino. Sed si ampliora penetrat hujuscemodi sensus, quòd pallium, quo nos operire decernit, in sanguine uvæ lavit, pallium suum est charitas sua, qua operit nostra facinora. In sanguine uvæ lavit, in illo scilicet suso monstravit quantùm humanam dilexit creaturam. Sed breve est illud pallium, dicente Isaia, ut alterum operire non possit, quia præterquam populum Christianum aliorum populorum peccata remittendo non tegit. Et beati quorum remissæ sunt iniquitates, & hoc pallio in sanguine ostenso tecta sunt peccata. Ecce Christus vitis, Christus uva, Christus sanguis uvæ, Christus pallium intinctum, magis verò ostensus in sanguine uvæ, CHRISTUS vitis fructificans, CHRISTUS fructus ex vite, CHRISTUS peccata hominum pallians, qui amorem effuso monstravit in sanguine. Vera vitis CHRISTUS, quam magno longè præsagio pincerna Pharaonis cernens ante se crescere, ut illius visionis declarant intellecta mysteria, per interpretationem somni à Joseph, in gradum pristinum se restitutum agnovit. Et duodecim exploratores missi ad explorandam terram permissionis, dum perveniissent ad torrentem botri, abscinderunt vitem cum uva, quam portaverunt in vecte duo viri. Vitis cum uva, CHRISTUS cum gratia, qui tunc ab exploratoribus abscinditur, cùm creditur ab his, qui explorando meliora vitæ agendæ atque sacrificandæ conquirunt, qui fertur in vecte, videlicet in activa credulitate à duobus viris, quorum præcedens vitem habet á tergo, subsequens verò ante oculos spectat, ut præter significationem præcedentium Christum, qui credebant venturum, & subsequentium, qui jam credebant per omnia in carne celebratum adventum, & ejus vitæ mysterium consummatum, præcedentem timorem, qui quasi Christum habet à tergo, & subsequentem amorem, qui ipsum benè agendo subsequitur, meritò intelligamus. Præcedit enim timor amorem, ille initiat, hic perficit, ille non videt, quod portat, hic intuetur, quem amat. Pater hujus vitis agricola est, ergo vitis in agro est. Pater DEUS, vitis CHRISTUS, ager quem colit, ecclesia est. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum.* Omnis infructuosus credens tolletur, ne regnet cum CHRISTO. Non enim decet eum, quo æternè frui speramus, secum infructuosos habere regnantes. *Et omnem qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Sicut hominibus proprio demerito & DEI occulto judicio deest gratia, ut steriles fiant, sicut fulminat super eos divina justitia, ut tollantur de terra viventium, ne regnum æternum cum CHRISTO percipiant, sic quibusdam oculto judicio divinæ misericordiæ adest gratia: ut credendo fructificent, & ut purgentur, & ut fructus ampliores ingermininent. Proinde qui fert fructum, amplius purgatur ad uberiorem fructum. Sed quomodo palmes fructum ferret, nisi purgatus? Si purgatus, ad quid ergo purgandus? Siquidem non ad aliud, nisi ut pleniores fructus afferat; Magnus agricola DEUS Pater, sed non alterius agri, nisi ejus, quem condidit. Non magnus agri cultus, sed agricola magnus. Non magnus cultus ex palmitibus, sed magnus ex vite, qui dicitur Christus. Non definit Pater Filium æternum sibique coæqualem excolere, quem minoratum ut vitem plantavit in carne, sed nec ipsum excolit in seipso, & propter ipsum, cui nihil perfectionis potest abesse, sed excolit palmites credentes in vite, ne frustra Christus videatur missus, ne videatur velle regnare solus, sed excolit credentes, ut sibi coaptetur & corpus, & ut sit corpori abundantior fructus. Sed remisse ista similitudo decurrit, quia nec tum, quod est Christi vitis ostendit, nec totum quod in excolendo fideles est DEI Patris insinuat. Veruntamen in eo, quòd infructuosos tollit, fructuososque purgat, ut fructum plus afferant, Joannis in Apocalypsi concordat sententia: Qui in sordibus est, sordescat adhuc, & qui justus, justus sit adhuc. Occulta ista sunt apud homines, demerita vel merita propria, DEI verò irreprehensibilis justitia. Sola tamen iniquitas est in culpa, & bona voluntas in gratia. Quòd verò Salvator ait: *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Ad id refertur, quòd jam ita purgati erant, ipsius adhærendo per veram fidem & dilectionem sermonibus, quòd fructum ferre potuissent, sed erant ab agricola patre iterum

Psalm. 31.

Num. 32.

Apocal. 22.

rum mundandi, ut fructum penitus plus afferent, quæ mundatio declarato myſterio, per Spiritum Sanctum mittendum à patre futura parabatur. Neque putandum, quod mundet ſermo auditus, ſed creditus, ſed nec duntaxat creditus, niſi ſecundùm poſitam fidei menſuram ſequatur effectus. Poteſtativus tamen eſt ſermo Chriſti ad omnem munditiam animæ conferendam, ſed incredulos ipſum aſpernantes, quamvis audiant, & credulos negligentes non mundat. Præſtat munditiam Chriſti ſermo, cùm capit, cùm ſibi audiens hæret. Etenim quia ab immundo mundum recidit, mundat, cùm animas trajicit in virtutes, in quibus nullæ ſunt ſordes, in quibus viget plena munditia. Mundat, cùm elementa ſanctificat, in quibus credens immergitur, mundus efficitur à contagio primæ ſeductionis. Mundat, cùm manere docet in eo, quem nullum maculare potuit peccatum, qui eſt vera munditia. Proinde Salvator adjecit. *Manete in me, & ego in vobis.* Non enim niſi virtutibus vivificis manſio fit in Chriſto, nec ipſe per alia manet in nobis. Nam ſicut palmes manet in vite, & vitis in palmite, ſic fideles in Chriſto, Chriſtusque in nobis, ſed diſpar eſt virtus, diſparque actus. Quoniam palmes manens in vite, nihil in illam refundit, vitis verò manens in palmite, ipſum ſua virtúte perfundit. Nec palmes manet ſine vite, manet autem vitis etiam reciſo palmite. Non manent fideles præterquam in Chriſto, maneret autem Chriſtus, ſi nullus fidelium adeſſet. Reciſus palmes areſcit etiam in vite vigore manente, reciſi à Chriſto æternis ſunt ardoribus deputati, ſemper Chriſto ut eſt in ſeipſo manente. Quamobrem dicit. *Sicut palmes non poteſt facere fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi manſeritis in me.* Hujus rei experientia firmata notitia plus eſt, quàm Verborum diſſertio, quòd palmes ſine vite fructum ferre non poteſt. Sic aſſumpta ſimilitudine luce clarius patet neminem à ſemetipſo juſtitiæ fructum poſſe producere, niſi manſerit in Chriſto. Hinc Salvator apertius addit: *Ego ſum vitis, & vos palmites. Qui manet in me & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere.* Vitem ſe dicit Chriſtus, & palmites Apoſtolos, ac etiam omnes, qui prædicatione ipſorum Chriſto inſerendi erant. Igitur qui manet in illo, & ipſe in eo, hic fert fructum multum. Protinus fructum gentium creditarum Apoſtoli ferre non potuiſſent, niſi in Chriſto manſiſſent. Quem fructum ſuorum ſequentium attulerunt philoſophi mundique ſapientes? Quem fructum mundi principes, qui non manſerunt in Chriſto? Deceperunt ſequaces, mortibus corporalibus & æternis ſuos complices expoſuerunt. Et ubi major copia hujuſcemodi ſubſequorum, eo uberior eſt ſecuta damnatio. Apoſtoli autem cæterique conſimiles, cùm magnas copias fidelium fecerunt, in fructum ſupernæ patriæ contulerunt, etiamſi in hac vita corpore etiam fæviter perierunt. Verum eſt in omnibus verbum hoc, quia fructum multum affert extra ſeipſum & in ſeipſo, qui manet in Chriſto, quia ſine ipſo nihil poteſt quiſpiam buni facere. Magna eſt igitur à vera vite, quæ Chriſtus eſt, averſio perverſorum, cùm ſine ipſo eſſe hene non poſſimus, ſine ipſo aliquid boni agere non valeamus. Quis unquam bonum poteſt facere abſque bonitate? Sine ſapientia quis effectus eſt ſapiens? Quis juſtus ſine juſtitia? Quis verax abſque veritate? Quis aggreſſus eſt ardua ſine virtute? Quis caſtus ſine caſtitate, quis fortis ſine fortitudine? Quis ſubrius ſine temperantia, quis vidit ſine luce? Quis audivit ſine auditu? Quis olfecit abſque olfactu? Quis guſtavit guſtu carens? Quis ſenſit ſenſum non habens? Et prout eſt ſimilia reperire. Igitur cùm omne bonum Chriſtus ſit, quis unquam abſque ipſo aliquid boni ſecit? In ipſo vivimus, movemur & ſumus. Omnia bona nobis Chriſtus factus eſt à Deo, ſine quo nihil poſſumus, cum quo omnia poſſumus. Nam & Apoſtolus dicebat: Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Attamen ne credat, ſi non meretur impune poſſe conſiſtere, qui in Chriſto non manſerit, tremenda ſententia ſubrogata eſt. *Si quis in me non manſerit, mittetur foras ſicut palmes & areſcet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Mittendus eſt foras, & ſegregandus ab omni congregatione juſtorum, qui cum communitate bonorum in Chriſto non ſtetit. Et mittetur ſicut palmes à vite præciſus, cui nullus humor ab ipſa transfunditur. Neceſſarium eſt, ut areſcat palmes abſciſus, quia humorem non imbibit à vite. Ariditate mala ſiccabitur, cui Chriſtus ſuam gratiam non fundit, quam à ſe reciſis penitus non immittit. Sed nec à ſe recidit quempiam, cùm omnes vellet habere in palmites, ſed plurimi propriæ iniquitatis cultello veniunt in ſciſſuram, reciſi & arefacti palmites ignibus apti ſunt, proinde colliguntur & mittuntur in ignem, & ardent. Hoc ſiquidem infallibili typo infidelibus omnibus non inſertis, & reciſis Chriſtianis adveniet, ut cùm à Chriſto reciſi fuerint, areſcant, arefacti à miniſtris tartareis colligantur, tradantur in ignem, ardeant inconſummatè, ut crucians ignis cum natura concertet perpetuo durante duello.

Phil. 4.

Liber VIII.

De vitiis, & ſermonibus Salvatoris contra vitia.

Cap. I.

De vitiis in generali, quæ ſolumodo in Evangelio reprehenduntur.

PAterna noſtris animis fides panem nobis in menſa ſua multiplicis inquiſitionis apponit, ut tam diu inquiratur, quod devitari præcipitur, donec apprime ſciatur, ut ignorantiæ depulſa caligine in cognitionem veniatur omnium vitandorum, ne nobis objiciatur ignorantia libens, quæ ut pertinax malitia æque nocet. Igitur quoniam nil per apertam juſtitiam debet judicari plectendum niſi peccatum, quamvis per occultam Dei providentiam, atque ſereniſſimam juſtitiam abſque peccato multi feriantur, & nunquam in Evangelio facta ſit comminatio, niſi pro peccatis, nec maledictio, niſi peccatis, nec exprobratio, niſi ad peccata, neque cautio ſit indicta, niſi à peccatis, nec prohibitio, niſi de peccatis, nec divortium, niſi cum peccatis, nec vituperentur, niſi peccata: Quodcirca in Evangelio ex his conſiderationibus velut in ſpeculo mentes noſtras oportet ſuas inſpicere, ſi aſſunt, maculas, quas abſtergant, ſi autem deſunt ſumma diligentia ſe præſervent.

Cap. II.

De incredulitate.

Lucæ 1. IN principio Evangelii multatur Zacharias de Joanne filio ſibi naſcituro incredulus & uſque ad promiſſi evidentiam mutus efficitur: Quia in dubium ſuſcipere non debebat, quod in tanta certitudine ab angelo dicebatur. Nam velut grave peccatum punitur infidelitas, ubi divina claritas indubitanter elucet. Sed hujuſmodi punitio quæſtionem non modicam noſtris animis ingerit, cùm tam ſubito talibus apparitionibus credere nefas ſit propter illuſiones & immiſſiones circa ſenſum, quas malus angelus ſæpe fecit. Sed aliud eſt, cùm de illo, qui loquitur, aut de verbo quod loquitur dubitatur, & aliud eſt, quod non credit diffiſus, aut ex præactis ſignis velit eſſe confiſus. Nam Zacharias non dubitavit de loquente angelo, ſed promiſſo, nec quæſivit ſi angelus aut quis, aut qualis, aut à quo miſſus eſſet, ſed quomodo promiſſum fieri poſſet. Credere igitur debebat promiſſum, qui angelum jam credebat à Deo miſſum. Et ipſe ſignum quærebat diffiſus, qui de angelo jam erat quodammodo certus. Sed verè credendum non omnibus eſſet, ſi de loquentibus & nova talia nuntiantibus dubium eſſet. Sed quoniam non eſt noſtræ intentionis in Evangelio aut in exemplis volumina cudere, ſed ſolum enodare cavenda, & clarefacere facienda, ideo quæſtiones, repugnationes, & ad propoſitum non conferentia dimittamus, intentum primum humiliter proſequentes.

Cap. III.

De ſuperbia.

PRima Evangelii præconiſſa in carne degens, mater conditoris Evangelii Virgo Maria, quæ antequam Evangelium conderetur, ipſa ſervavit. Antequam prædicaretur, in virtutibus tenuit, antequam notum eſſet, ſecundùm Evangelium vixit, nondum per verba perceperat, & ejus moribus ſe munivit, non erant

erant Evangelicæ prædicatæ virtutes, & ipſas ſocias habuit. Nondum conditorem ejus conceperat, & Evangelica erat, nam Evangelii editor ſibi antequam filius factus eſt doctor, in renovatione vitæ factæ per filium, dum ipſum ferebat in ſuo ventre divinè conceptum, contra euangelii adverſarios primo clamat inſinuans peccatores omnes mente ſuperbos, malè ſibi placentes, incedentes in altitudine magni conditoris, divinis voluntatibus in Evangelio parefactis, animi & morum contumacia reluctantes, à potentia ſui filii diſperdendos. *Fecit inquit omnipotens Deus potentiam in brachio ſuo*, filio certè ſuo, *diſperſit ſuperbos mente cordis ſui.* Et potentes Sæculi hujus in ſuis viribus confidentes, non in fortitudine illius, qui pro nobis factus eſt infirmus, deponendos prædixit, quia brevis eſt omnis mundi potentia, & velut tela omnium ſucciditur vita, & velut ſtipula tollentur à vento, qui carnem brachium ſuum & potentiam poſuerunt. Et ſequitur vacuitas gratiæ, atque gloriæ non replenda, quotquod temporales divitias quæſierunt, quos in ſuo dulci cantico duabus ſententiis condemnavit. *Depoſuit potentes de ſede, divites dimiſit inanes.* Tria ſolùm adverſum malos inſeruit, quæ tunc & nunc perſidos tangunt Judæos, atque paganos in vita Evangelica corruptos, & à profeſſione retrogrados Chriſtianos.

Luc. 1.

Cap. IV.

De odio.

ALta mente atque conſideratione tractandum eſt, quod in primordiis Chriſti naſcentis adverſarii deteſtabiles patenter exorti ſunt, imo eorum mala nefanda crudeliter patuerunt, ut vita Chriſti JEſu ex contrariis conclareſcat, & ſua claritas monſtraret in tenebris peccatores. Igitur nato Domino ſtella novæ claritatis apparuit, ex cujus fama turbatus Herodes parem ſeu ſuperiorem in regno, aut ſui regni ereptorem ſuſpicatus expavit. Qui ſtatim in lumine ſtellæ, quod audierat, exarſit in odium, & falſum ſpondens obſequium, mortem minabatur in Chriſtum. Quem non ſingulariter reperiens, in communi reperire ſe credens, à rabie diabolica excitatus, injuſtè interfecit parvulos Iſraelis. Quid in iſto aliud ſignatur Herode, niſi mundi tyranni, qui lumen ſtellæ, veritatis videlicet ubique fulgentis in animo odiunt, deprehendi nolunt. Cùm viderint veritatem manifeſtam fieri, reprimunt, aliud lumen numinis, aut hominis, quàm propriam tyranidem non ſufferunt. Æqualem non patiuntur, ſuperiorem inſidiis comprimunt. Quemlibet ſtudioſum arte, moribus elegantem, à natura dotatum, eorum, quæ poſſidet, ſuſpicantur raptorem, & aliorum bonitatem ſuum æſtimant detrimentum, & per ſuperbiam adverſùs omnem cœleſtem gratiam, lumen atque doctrinam inſurgunt, odiunt & confundunt. Quid per hunc Herodem, niſi mundi ſapientes, qui præter naturæ curſum aliud evenire non credunt, cùm nativitatem novi regis novitati tribuerint ſideris? Reprobant, ſi fuerit jam eventum, qui quandoque credere ſpondent, ut explorent, & ut interimant, ſi explorant, & falſum pollicentur obſequium, ut decipiant, & omnem puritatem, & vitæ munditiam de cœlo venientem occidere quærunt, virtutem odiunt dirigentem in cœlum. Qui cùm Herode terrenum tyrannicè diligunt regnum, nec parcunt innocentibus eorum, vitam pro nihilo æſtimantes, illis ſolùm parcunt, quos ſcinnt poſſe tenere ſubjectos, & quibus nequeunt inferre jacturam. Conſilia omnia ad proprium quærunt arbitrium, ut voluntas omnium ſit in malum.

Matth. 2.

Cap. V.

De vana gloria.

ULterius autem noſtræ mentis intuitum dirigentes, videamus quid in iſto Herode veritas omnia luſtrans intendit, qui adverſùs Chriſtum nondum fantem, imo in cunabulis vagientem in tanta ſeveritate conſurgit, ut propter ipſum cæteros, quos æſtimat ſimiles, deducat in necem. Et mirum, quòd

Matth. 2.

quòd adverſùs mundi Dominum in carne jam natum, initiatorem novæ vitæ, fundatorem eccleſiæ, fabricatorem ſcalæ aſcenſionis in cœlum, fugatorem dæmonum, ſanitatum omnium largitorem, perſecutorem infirmitatum viſibilium & inviſibilium pariter & deſtructorem, reſuſcitatorem mortuorum imperio verbi ſui, operatorem divinorum in carne, & humanorum in deitate, fontalem virtutem & radium omnibus prævalentem, ſolùm ſua voluntate, cùm voluit corporaliter ſuccumbentem, conſurgit. Quòd ſi moraliter & myſticè intelligere cupimus, interpretato ejus nomine cognoſcemus. Herodes interpretatur glorians in pellibus, ſeu pelliceus glorioſus. Vide igitur, quis eſt hic, qui contra Chriſtum in exordio ſuæ nativitatis inſurgit, & qui ſignantur in ipſo cognoſce. Apparente deſuper vita, quæ ignorabatur in terris, & cœlorum gloria emiſſa de ſuperis, mundi gloria conturbatur. Et dimiſſo congreſſu, quem Chriſtus & eccleſia cum reprobis in Herode ſignatis myſticè ſemper habet, qui peccatores in ipſo ſignantur intendimus, pro eo, quòd contra vitia declamamus: Quam ob rem homines mali fiant, ut caveant, enodamus. Proinde in ipſo Herode pelliceo glorioſo ipſi peccatores intelliguntur, qui de pelle atque in pelle proprii corporis gloriantur, enutrientes deliciosè ultra, quàm deceat, & foventes amplius, quàm natura requirat. Et ob ampliorem gloriam per damnatam artem ſupergrediuntur naturam, ut capillos contorqueant, & artificioſè ad flavitatem deducant. Etiam novaculam arte tonſoriam plus debito ſæpe aſcendere faciant ſuper barbam, ut ſæpius viri, niſi corporis habitus diſtinxiſſet, mulieris effigiem præmonſtrarent. Mulieres verò ex variis fucamentis in pelle corporis ſupergrediuntur naturam, & quantum in eis eſt, in facie confundunt gratiam Chriſtianam. Non enim, niſi à diabolo, & conſentaneis ejus fuit inventum, quod in Chriſtiano corpore atque in vultu, præterquam naturalis color alius adderetur. Et ſocietates cum Herode perſequente Chriſtum habent, qui magis gloriantur in humana pelle fucata coloribus, delibuta unguentis, ſuperciliis depilatis, cute protenſa, contortis crinibus, adhibitis variis in capite ornamentis, quam in Chriſtiana gratia, quæ per fidei virtutem atque baptiſmi virtualiter eſt in eis. Sed participium habebunt cum dæmonibus, qui eum Herode gloriantur in pellibus, in quarum gloria Chriſtum perſequuntur in moribus. Ad Herodem autem omnes pertinent, qui matrimonialia jura tenentes, magis gloriantur, quod uxores aut viri habent pulchras facierum pelles, quàm pulchras mentes, & magis exultant, quod pulchræ & pulchri ſunt, quàm quod conjuges ſimul ſunt, & jucundius gaudent de bono pulchritudinis, quàm de bono humanitatis atque virtutis. Et quotquot de aliis neceſſitudine qualicunque conjunctis extolluntur de pulchritudine pellium, Herodem ſequuntur pelliceum glorioſum, deſpiciuntque Chriſtum divinitus glorioſum. Sed quia pellibus propter tuitionem à frigore circundamur, Herodiani ſunt qui gloriam in eis non neceſſitate ſectantur. Scribimus ſæpe pelles ſcripturali artificio aptatas, ex quibus variè naſcitur mala gloria, & plerunque talis exoritur, ut ad infernum demergat hujuſmodi glorioſos. Gloriatur qui naturalem ſcientiam apprehendit in chartis, ut per hujuſmodi gloriam ſæpe contemnat quis & gratiam, & per gloriam ſyllogizandi ſcientiam Sanctam Dei. Et in cœlo habitare ſe credat, & comprehendere ſyderum omnem curſum, qui aſtrorum ſigna & vias, zodiacum & æquinoctialem circulum, & epicyclum aſpexit in chartis, ut dum planetarum naturam & curſum ſcire ac æquare ſe credant, judicia proferunt, unde velut futurorum enunciatores, ſecretorum Dei cognitores inaniter gloriantur. Sed væ hominibus ſemel, & væ iterum, qui ad gloriam in pellibus ſcientiam aliquam dicerunt. Nam Herodis facti amici & ſimiles, ſed Chriſti facti ſunt inimici atque rebelles. Implemus plerunque pelles malè quæſita pecunia, & perfunctoriam cùm Herode captamus gloriam, quando ad zonam burſa plena pendet. Et verè cùm Herode Chriſtum pauperem & egenum perſequuntur, qui de plenis pellibus gloriantur. Cingimus detractas linealiter pelles, & ex eis capita ornantur equorum, & quanto auro atque argento lunulato & ſemilunulato, contorto atque retorto, vermiculato atque diſtento, ductuli atque fuſo, & ſæpe irradiato coloribus figuris & imaginibus inſignito, in clericis & laicis, prælatis & ſubditis, dominis & ſervis, quàm meus ſermo ipſa nequam experientia magis clamat. Et pauperum inopia in valle miſeriæ plorat, qui in pellibus his ornativis manifeſta conſumuntur inedia, quibus ex his tolerabilis eſſet vita. Herodiani ſunt taliter pellicei glorioſi, & Chriſti ſunt contemptores, quoſcunque figurat Herodes. Similiter calceamus ad inanem gloriam pelles, appoſitis ſæpe coloribus, & foraminibus multis factis, ut non ſolum

lum in facie, ſed in pedibus velut calceatus pellibus conſpici, & ad inſpectionem ſuorum pedum ipſemet cogatur inflecti, unde ſe ſentit inaniter gloriari. Herodianus eſt, & ſuo modo atque more perſequitur Chriſtum, qui ad vanam gloriam, non ad neceſſitatem calceamentum hiſtrionicum portat.

Cap. VI.

De choreis.

COaptantur ſæpe pelles ad tympana & cymbala facienda, ut ex tactu vario multiplex & varius fiat ſonus, ad cujus ſonitum chorea ducitur hominum & mulierum, juvenum & puellarum, ut fiant anfractuoſi proceſſus. Et meritò, quoniam ab ipſis Chriſtus derelictus eſt rectus, ſine quo inceſſus omnis eſt tortus. Et ſingulariter ſaltant plerique, torquentes actibus membra. Et cantilenæ variæ declamantur ad ſonum multa conformitate ſonabilis, inſenſibilis, & volubilitate nimia vivæ vocis. Ex quibus tanta & talis naſcitur gloria, ut à pluribus & plerunque divina contemnantur myſteria, & innumera fiant peccata. Dimittuntur ſæpe miſſæ, prædicationes & divinæ voces in eccleſia reſonantes, quando pulſantur taliter tenſæ pelles, & obſervantia dierum feſtorum à tractarum pellium gloria deturpatur. Plerunque caſtris paratis, ad bellum inducitur ſonitus pellium, & ad hujus ſoni gloriam ſit interfectio bellatorum. Non competit Herodiana gloria Chriſtianis, quibus eſt repromiſſa cœleſtis. Non expedit gloria corruptibilis & pellicea, quibus incorruptibilis eſt repromiſſa divina. Non decet pellium gloriam quærere in terris, quibus præſto eſt gloria in excelſis. Vide magnum & malum morale myſterium, quod exortum de gloria pellium, quam ipſius Herodes inſinuat. Pelliceus glorioſus odit ſtellam, lumen veritatis abhorret, perſequitur Chriſtum doctorem veritatis, occidit infantes ut deſtructor puritatis.

Cap. VII.

De fornicatione.

Marc. 6. ALius pelliceus glorioſus fratris accepit uxorem, ut pellis pelle placita carnaliter potiretur, & reprehenſorem iniquitatis tradidit ſaltatrici, nec pellis aufertur à pelle.

Cap. VIII.

De incæſtu.

Ibidem. CONſidera amplius Herodiadem pelliceam glorioſam, quæ filiam præmonuit, ut caput ſui argutoris expeteret à rege ſuæ ſaltationis in præmium, quia incæſtum & luxuriam glorioſarum pellium arguebat.

Cap. IX.

De deriſione.

Luca. 11. VIde alium pelliceum glorioſum, deridentem in alba veſte Chriſtum, amicum factum ferentis mortis ſententiam ſuper ipſum.

Cap. X.

De inani gloria.

Actor. 12. INſpicere ulterius non omittas, quoniam alius pelliceus glorioſus occidit Jacobum, poſuit & in carcere Petrum. Ergo contemplare attentius, quid ſuprafata gloria fecit, & nunc moraliter facit. Et perſequitur Chriſtum & ſervos ejus, deſtruit virtutem Chriſtiferam & appenditias ejus. Nec in his omnibus bona naturæ damnamus atque confundimus, nec artis peritiam improbamus, ſed gloriam abſque Chriſto, & peccatum quod non eſt ex Chriſto, ſed ex tali gloria ſæpe oritur, reprobamus. Et inaniter & taliter gloriantes peccatores dicimus, Chriſti & vitæ ſuæ inimicos animo & doctrina ſentimus, & ab ejus humilibus, caſtis & juſtis moribus diſſonantes aſſerimus, quoniam Chriſtus horum omnium gloriam humanam atque mundanam non quæſivit, oblatam renuit, ſuis ſequacibus & Chriſtianis omnibus, quibus adhuc ex Evangelio loquitur, interdixit & interdicit, & æternam & immarceſſibilem gloriam repromiſit.

Cap. XI.

De ſimilitudine aliorum bonorum operum.

ALtera cœli tuba, ſylveſtre rationale animal Chriſti virtutibus ſubjugale, deſerta incolens, loca mœroribus apta perquirens, indomeſticabile hominibus, ſociabile angelis, immotum niſi ad divinum imperium, Chriſti præco Baptiſtaque Joannes vox divinæ vocis, ad turbas ad eum venientes ut peccata per ſimilitudinem, quibus tenebantur, removeret, ut ab eis peccatis ipſis & poſteris fiat cautum, dicens: *Genimina viperarum, quis vobis oſtendit fugere à ventura ira?* Bonum eſt, quod fugiunt, mali ſunt, qui fugiunt, ut boni fiant, fugiunt. Unde ergo mali ſunt, qui fugiunt? Quia ſunt, genimina viperarum. Vipera enim ſpecies eſt ſerpentum, vi parturiunt viperæ, ac per hoc à vi pariendi ſunt viperæ appellatæ. In teſtamento enim veteri cingulum ſacerdotis erat opere viperino, & in Actibus Apoſtolorum manum Apoſtoli Pauli vipera invaſit. Nam in eo, quod vi pariunt, eos ſignant, qui ſeipſos violentant ad malum aliquod peragendum, atque aliis vim peragendi faciunt. Quoniam autem in veteri teſtamento cingulum fiebat opere viperino, colorem intendere voluit ille, qui dixit, ut nos ſciamus velut vitia præcaventes, quod illis fuerat imperatum ad conſtringendas corporibus veſtes. Et ut fertur, in illo animali venenifero color æthereus ad ſuperbiam, rubeus ad invidiam atque iram, albus ad omnem privationem virtutis, ut charta in qua nihil apparet depictum aut quomodolibet ſcriptum, manum mordens Pauli, omnes, qui aliorum opera bona impediunt, planè monſtrans ad ignem diaboli calefactos, ut Apoſtolica patefiat hiſtoria.

Matth. 3.

Actor. 28.

Cap. XII.

De confidentia mala.

ET peſſimæ deceptionis adjiciuntur peccato, qui confidunt in meritis præcedentium patrum carnalium & ſpiritualium etiam quantumcunque Sanctorum, meritis propriis non adjunctis, his ſolùm exceptis, qui uſque ad capacitatem virtutis & vitii non venerunt. Proinde eiſdem turbis Judæorum in paternis confidentibus meritis, talem confidentiam amputavit dicens: Ne *cœperitis dicere, Patrem habemus Abraham.* Hoc eſt, ut non fidant in merito ejus circumciſionis factæ ſibi tempore ejuſdem promiſſionis. Quoniam nec ipſius, nec ullius puri hominis alterius merita ſufficiunt ad ſalutem, nec ad aliquam aliquorum

Matth. 3.

peccatorum abolitionem, nec ad futurorum præcautionem, nisi studia propria conjungantur. Quid enim profuit Cham, quid Ismael, quid Esau, quid Dinæ, quod patres carnales habuerunt Sanctos? Quid Judæ, quia Sanctum Sanctorum & magistrum habuit Christum? Quid multis subditis, qui Sanctos habuerunt prælatos? Quid successoribus omnibus, qui tot & tales Sanctos fide conspiciunt præcessisse, & sibi vim virtutis & morum studium abstulerunt? Sicut enim per divinam justitiam unius peccatum alterum non obligat, sic prædecessorum justitia posteros à malis non liberat, nec ad beatitudinem salvat. Ideo secutus adjunxit: *Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ* non in aliorum justitia confidatis. Et sterilem à moribus Christianis vitam ad ignem judicavit æternum, velut arbor infructifera igni tradenda temporali succiditur, dicens: *Omnis ar-* Marc. 3. & 7.
bor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ad idem pertinere demonstrans omnem levitatem, à qua est omnis operis boni fructus excussus, prout à paleis fructus ejus adjunxit: ***Paleas autem comburet igne inextinguibili.***

Cap. XIII.

De tentatione.

POst præconiam Evangelicam & præconem, ad operationem & legislationem ipsius judicis veniamus. Sed quoniam liber iste intendit potissimè de vitandis atque agendis moribus Christianis, omittentes ergo, quæ temperaliter & æternè, realiter & mysticè, differenter & variè, singulariter & propheticè, mala eolligi possunt ex testamento veteri, ad claras malorum elucidationes nobis in quos væ! sæculorum obvenit, in novo testamento factas solummodo intendamus, ad ipsa dirigentes odium cordis, actuumque cautelam, à verbis Salvatoris mala dissuadentis sumentes initium, cùm nullum vitium à tempore innovationis ejus factæ per ipsum committi possit, nisi cùm appetitur, quod appeti denegavit, aut cùm committitur, quod prohibuit, neque virtus sui nominis & præmii sortitur effectum, nisi cùm diligitur, quod ipse dilexit, & signo verbi & actus diligendum monstravit. Aut igitur, quod imitabiliter fecit (quia multa fecit, quæ non sunt imitabilia) sub præcepto aut
Matth. 4. fieri sine intermissione mandavit. Nempe ipse Salvator jam in ætate triginta an-
Matth. 4. norum, postquam secundùm altitudinem
Luc. 6. sapientiæ suæ mundo disposuit palam fieri, adversùs diabolum in deserto reluctans, in nullo sibi acutè tentanti præstitit assensum, commonefaciens non relaxari ab aliqua professione virtutis, cùm ex lapidibus panes non fecit, ad cibum jejunia non solururus, nec aliquid per ostentationem fieri, cùm de templi pinnaculo non more penniferæ avis volavit ad terras, servans in se naturæ hominis gravitatem. Et immane peccatum asseruit tentare Deum, cùm recolit non tentandum. Tentat siquidem, qui ex humana sapientia & potentia & viribus à Deo collatis habet quid faciat, & his ligatis Deum invocans, aut tacens, periculis se committit, aut agenda per eum non agit, per alios fieri prætermittens. nec scuto se protegit ad contraria, alteri, aut Deo se protegendum committens. Breviter Deum tentat, qui quod sibi fit, & taliter expedit facere, atque incumbit, alteri & aliter se committit. Nec acquievit sacræ scripturæ, quam sibi falso diabolus fuerat interpretatus, quia nefas est in scriptura sacra sensum habere distortum. Et divitias promissas contempsit, idololatriam increpavit, alicui creaturæ cultum divinum prohibens exhiberi, solum Deum insinuans orandum. Et in his omnibus & in nullo diabolo, dum tentat, præsto fieri declaravit, sed ex contrariis grande generari peccatum.

Cap. XIV.

De curioſitate.

ET in exprobratione quam fecit Nazarætis, item poſt egreſſum de deſerto in Galilæam, arguit peccatum curioſitatis in expetitione miraculorum, quoniam dixerunt : *Quanta audivimus facta in Capharnaum* (in civitate Samaritanorum) *fac & hic in patria tua.* Nam expetere miracula curioſitas eſt, quæ peccatum eſt, quia his intendit, quæ non proſunt, ea quærit, quæ non expediunt, ea meditatur, quæ moribus Chriſtianis & vitæ non conferunt, quæ in novitatum actione animum occupant, & à veritatis contemplatione ſuſpendunt. Et viſibilibus intenta prodigiis, corporalia facta contuita, inviſibilium & ſpiritualium conſolatione privatur, & inutilia magnipendens ab utilibus ſecernit. Et maximè iſti tacite arguuntur, quia non petebant miracula fieri ad credulitatem, ſed ad viſionem, non ad intellectum, ſed ad oculum, ac per hoc eorum infidelitas reprobatur, quia non per verba juſta credebant, ſed miracula curioſa quærebant. Quæ quotiens à Chriſto & ab Apoſtolis facta ſunt, quamvis facientium oſtendant virtutem & virtutis operationem, tamen eorum, ante quorum oculos facta ſunt, fidei oſtendunt infirmitatem, qui aliter non credidiſſent, ſi miracula non vidiſſent. Sed ob hoc faciebant, ut ad fidem inducerent, aut inductos in fide ſolidarent. Sed hi Nazarætæ crediturі per miracula non erant, & Chriſtum in animo velut civem domeſticum deridebant, cujus ſe dicebant parentes agnoſcere, nec credebant ipſum eſſe divinum, quem inter eos agnoverant humano more nutritum. Idcirco Salvator prædixerat : *Quia in patria ſua propheta nemo acceptus erat.* Et in fide viduæ Sareptanæ & Naaman Syriæ obedientium miſſis prophetis, oſtendit quales eſſe vult qui miracula petunt, quales non ſunt Nazarætæ, ac multi, qui quærunt. In his eos inſinuat peccatores, qui ad credendum per verba ſive per miracula ſunt in animo pertinaces. In quibus hominibus adhuc majus peccatum oſtenditur, qui audita veritate amplius depravantur. Accidit ſæpe ac evenit multis, ut qui ab aliqua iniquitate detinentur, audita veritate ad majora pericula moveantur, prout iſti Nazarætæ fecerunt, qui repleti ſunt ira & ſuperbia, ubi ad veritatem & & arguitionem debuerunt colla ſubmittere, adjicientes ad malitiæ cumulum, cùm ipſum extra civitatem ejiciunt, & ſupra montem ad præcipitandum inducunt, eos ex damnatis moribus deſignantes, qui mente depravati ſunt, & veritatem rectumque ſermonem & dulcem reprehenſionem ejiciunt extra mentes, & Chriſtum & omne, quod rectum eſt, de ſeipſis præcipitant per ſuperbiæ montem, imo per mentem tumentem. Igitur qui legis hæc mala devita.

Cap. XV.

Contra divites.

Luce 6. POſt beatitudinum declarationem, quæ nunquam audita fuerat ſuper terram, increpavit divites & hujus mundi quomodolibet dilectores. Quos autem Salvator increpat, incunctanter oportet credere peccatores. Unde ait terrendo & provocando Salvator : *Væ vobis divitibus, qui habetis hic conſolationem veſtram.* Non divinam. Quorum enim conſolatio eſt humana ex electione atque affectu privantur divina : Quorum temporalis, privantur æterna : Quorum corporalis, privantur in anima : Quorum in via, privantur in patria : Quorum in naturalibus ſolùm eſt conſolatio. Et quoniam primum in generali montis prædicatione Salvator ad pauperes beatificum verbum emiſit, ſic è regione ad divites

divites primam increpationem in eadem prædicatione oſtendit. Idcirco quæ in evangelio contra ipſos invenire poterimus, hic absque intermedio annectamus. Nempe frater quidam carne, qui adverſus fratrem interpellavit judicem & diviſorem omnium Salvatorem, qui non venit judicare, ſed ſalvare: nec dividere, ſed unire, increparionem accepit à Domino, ſe judicem & diviſorem in talibus denegantem, adverſus avaritiam verò & ejus inſufficientiam verbum neceſſariæ cautionis emſit. Et ut clarius innoteſcat, petitionem hominis & reſponſionem Salvatoris pariter audiamus: *Ait ad eum quidam de turba: Magiſter dic fratri meo, ut dividat* Luccæ 12. *mecum hæreditatem. At ille dixit: Homo, quis me conſtituit judicem aut diviſorem inter vos? Dixitque illis: Videte & cavete ab omni avaritia, quia non in abundantia cujusquam vita eſt ex his, quæ poſſidet.* Quid igitur per hanc ſententiam nobis iſta ſcriptura inſinuat, niſi quia cum prima increpatione pro parte concordat? Dixerat enim: Væ vobis divitibus, qui habetis conſolationem veſtram voluntariam & privatam, non per voluntatem DEI & charitatem proximi, qua carens, & poteſtate propria & conſolatione delectatus, frater iſte petebat à fratre recidi, ut ſibi eſſet proprius, qui debebat eſſe communis, & qui debebat eſſe unitus, diviſus fieri appetebat. Diviſionis & deciſionis à proximis & propinquis cauſa divitiæ propriè extiterunt. Sed quoniam anima una & coe unum & conſolatio una omnium debet eſſe in Domino, exequi, quod eſt dividere Dominus inficiatur, & vitam corporalem atque ſpiritualem, temporalem atque æternam in divitiis aſſerit non haberi. Sed corporalis in productione naturæ, quæ in paucis aut modicis contentatue, & ſpiritualis verbo vitæ, & temporalis in divina providentia, quantum ſibi placuerit prorogare omnium vitam, & in ſupernis muneribus conſtat æterna. Idcirco parabolam contra divites hic conſolari quærentes, de ſubita vitæ hujus extinctione Ibidem. ſubjecit: *Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos. Et dixit: Hoc faciam, Deſtruam horrea mea & majora faciam, & illic congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima mea habes multa bona repoſita in annos plurimos. Requieſce, comede, bibe,* Luccæ 16. *epulare. Dixit autem illi DEUS: Stulte, hac nocte repetent à te animam tuam, quæ autem paraſti cujus erunt? Sic eſt qui ſibi theſaurizat, & non eſt in DEUM dives.* Igitur clarè væ divitibus hic conſolationem habentibus. Sepultus autem in inferno dives inſinuat, quanta malà divitum conſolatio faciat. Et quia peccatores ſunt, ad æternam maledictionem adjiciuntue, qui in mundo iſto ſatietatem quærunt. *Væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ vobis qui ridetis modo, quia lugebitis & flebitis. Væ cui benedixerint omnes homines.* Ergo vide, quàm ſit grave peccatum conſolatio temporalis, cui pœna æterna ſuccedet. Maximè verò prohibuie divitem fieri per uſuram eum, qui cum divitibus hic renuit conſolari, & perhorreſcit alibi tribulari, ideo Salvator adjecit: *Et mutuum date, nihil inde ſperantes.* Quia eo ipſo uſura conſtituitur, quo ex obſequiis neceſſario impendendis aliquid in corde ſperatur. Quod ſi non datur, peccator eſt, ſi verò datur, atque recipitur, peccator & debitor eſt, ſive per ſpem, ſive pactum additum aliquid ſequatur ad mutuum duntaxat, qui mutuum dedit, quod niſi ſpe additi aut pacto formati aliter non dediſſet. Et eo ipſo liber fit à crimine, qui alicui mutuat, ſi non aliquid ſperat etiam recipiens, ſiad datur gratitudine recipientis, quod non ſperabatur in animo liberè mutuantis. Sed quoniam difficile fit in hominibus atque reperitur, niſi quorum anima eſt perfecta virtutibus, ut aliquali ſpe ſuperhabendi non afficiatur, qui obſequium præſtat, ſed adhuc immunis eſt à peccato ſi ſuperrecipiat, ſi ſpem ſuperhabendi ſic vicit in animo, quòd ſi certus eſſet in ipſo tempore obſequendi, quod nihil ſuperhaberet, nihilominus ſubveniret proximo, dum eum, qui retribuit ad mutuum non ſequatur majus quàm ante periculum. Nam ad gratitudinem adinvicem hominum natura, ars, mos & gratia nos invitat, nec ipſam excludunt, imo, ut foveant, mutuò ſe includunt, nec quod de gratitudine procedit in pace, recipientem obligat ad crimina. Etſi obligat recipientem propter deſiderium plus habendi, ad reſtituendum debitum non conſtringit, dum liberè quis, quod rogatus fuit, impendit. Cavendum eſt tamen omnibus diligenter, ne dum retinetur apud indigentem, quod accepit in mutuum, is qui mutuum dedit, non accipiat ab illo rependium, quia juſta ſuſpicio orietur aut judicium, ut ille faceret propter debitum, ille verò impenderet peopter impenſum obſequium. Et multi ex indigentia recipientes ſubſidia proximorum, timentes ne ab eis reauferatur, quod ſuſceperunt, rependunt ſæpè quod commodè nequeunt. Ac per hoc non cognoſcereturſi, qui præſtitit

pe mercedis devicta in animo ex liberalitate, an ex pietate feciſſet, & qui rependit, an ex neceſſitate hoc faciat, an bona & laudabili gratitudine morus rependat, nempe cognoſceretur, ſi obſequens recipiſſet, quod præſtitit mutuum. Et qui habuit, ſolutus non teneretur ad debita. Iſta enim non ad ſubverſionem animarum, ſed ad devotionem & cautelam & diſcretionem fidelium, ne plus debito faciant aut timeant, enodamus. Sed quoquo modo ſe habeat ordo rei, miſera eſt proculdubio conditio divitum, quibus tanta eſt difficultas ad ſupernum ingredi regnum, ad quorum comparationem, per foramen acus facilius ſit tranſire camelum.

Cap. XVI.

Apoſtoli & prædicatores ſunt ſal terræ, lux mundi, lucerna domus Dei.

ET quia hæc & alia oportebat ſecundùm diſpenſationem ejus, qui cuncta proſpectat, mundo per viros idoneos nota fieri, per hoc ſiquidem ipſe Salvator primum legislatores & evangelii novi futuros ſatores admonuit ad cautelam, ne fierent peccatores in ſeipſis, quos per doctrinam vitalem & novæ legis ſacramenta oportebat in aliis abolere peccata. Et quamvis ad ipſos primos Evangelicos viros Salvatoris ſint verba directa, non tamen ab ejus ſenrentia ſecluduntur evangelizantes & evangelici ſucceſſores. Unde poſt increpationem divitum & mundanorum, ad ipſos apoſtolos atque diſcipulos declamavit: *Vos eſtis ſal terræ.* Habes inſulſi mundi condimentum, habes diſcretionis Chriſtianæ fructum. *Quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur?* Habes infructuoſum actum, habes doctrinæ defectum, habes diſcernendi uſum infectum, *Ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quia qui bonus non eſt, ad quod à Deo prærordinatus eſt, ad alia ſiqua inutilis eſt, ſed mittitur foras divina ſanciente juſtitia, ut ſingulatim malus luat pœnas inevitabiles ſeparatus, & vilipenſione conculcetur ab aliis, qui ſeipſum conſtitutus in ordine ſibi congruo vilipendit, ac per hoc grave peccatum eſſe aſſeritur, ſi vita doctrinam ſuam operibus non confirmet. Amplius autem cautos reddit ſatores evangelii ſui Dominus & Salvator, lucem inviſibilem per doctrinam inviſibilis mundi atque viſibilis hominis per naturam eos appellans, atque conſtituens. *Vos eſtis lux mundi.* Diffuſiva ſui lux ſine ſui minoratione conſiſtit. Argueretur ergo iſta corporalis, ſi argutionem poſſet ſuſcipere, ſi radios ſuos abſconderet, quos indemnis poſſet emittere. Igitur fuiſſent illi primi, ſi feciſſent, fiunt pecatores poſteri, ſi abſcondant lumen doctrinæ indefectibile, quod à Domino ſuſceperunt. Non enim lux utraque ad ſeipſam, ſed ad alios eſt creata. Et in publicis moribus argueretur, ſi civitas ſita in montibus ad refugium ordinata, neceſſitatis tempore à calamitate fugientibus clauderetur. Propter quod Salvator adjecit: *Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita.* Civitas refugii ſunt apoſtolici viri, poſiti atque fundati ſupra montem Domini, qui eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Quibus adſcribitur ad peccatum, ſi ſe abſcondunt in illo tempore, quo fugientes mundi, atque peccatorum calamitatem ipſorum refugium quærunt. Nam ut lucerna in domo pro utilitate conſtituta communi, & ſine mercede ad indigentes, peccatores offenderet eos, à quibus ſub aliquo vaſculo poneretur, Inde Salvator ait: *Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Hoc eſt non abſcondatur doctrina ſalvificans, neque ponatur ſub modio, commodi videlicet temporalis. Ferè inexpiabile malum eſt, lucernam ardentem doctrinam Chriſti ſotam oleo Spiritus Sancti abſcondere, ad cujus lumen indeficiens infinitæ poſſunt candelæ accendi. Magis autem libertatem à muneribus appetit iſta lucernalis doctrina, quæ ad libertatem vitæ ſupernæ æqualiter omnes clamat. Et ſcandalizat, non vocat merces expetita pro doctrina, quæ non de humanis atque terrenis auditores reddit peritos, ſed de divinis atque cœleſtibus facit ipſa ſcholaſticos: quorum enim doctrina non eſt de corruptibilibus, pro mercede corruptibilia non quærant. Nam ſi ſecus eſſet, lucerna ſub mercedis modio poneretur, & proximus offenderetur in doctrina. Et doctor doctrinam moribus contrariis ſolvens, inſinuatam legem virtutum operibus turpans, ſic docens, ut agit, peccato damnationis adſtringitur, ut etiam in iſta, qua vivimus eccleſia velut ſibi contradicens, aut hiſtrio habeatur. Propter quod ſequitur: *Et qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur*

Matth. 5.

Marci 9.

Luc. 14.

in

in regno cœlorum. Quia qui secundùm quod relaxatus est, aliis propinat doctrinam, pœnam meretur æternam. Et vocatur in ista ecclesia, quod est regnum cœlorum, velut histrio minimus. Neque credendum est, quod in superno regno eum recipiat, nisi pœniteat, qui justus est Dominus. Igitur qui legis hæc, mala devita.

Cap. XVII.

De non irascendo & non jurando, & de thesaurizando in cœlis.

SAnè majoris excellentiæ, ac præmi, evangelium esse prænonstrans, quàm veterem legem, quæ in illa factione, in isto sunt affectione prohibita, ex quibus vilipensis fiunt nostra peccata. Unde nostram justitiam ad præcedentem abundantiorem præmittens, ubi disuadebatur in testamento veteri homicidium cum pœna, hic prohibetur penitus ira, quam sequentur judicia, necnon & condemnatur iræ signum & Verbum

Matth. 5. cùm dixit. *Qui irascitur fratri suo, reus est judicio Qui dixerit racha, reus erit concilio. Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Et Mœchiam fieri judicavit ex aspectu concupiscentia subsequente, quæ solùm ex actu in lege veteri damnabatur. Permittebatur tunc uxor dimitti cum libello repudii propter duritiam cordis Judæorum. Nunc autem nisi causa fornicationis lex evangelica non concedit. Et mœchia constituitur, si aliter dimittatur, & adulterium, si ab alio dimissa conducitur. De juramentis autem ipse Salvator in sua lege proscripsit seorsom à legibus antiquis. Inhibebatur expressum perjurium in antiquis, prohibetur omnis juratio in modernis, illa solòm excepta, quam ecclesiastica regula fieri pro necessitate permittit, & in regimine reipublicæ legum justitia jurare concedit. Unde Salvator

Ibidem inquit: *Audistis quia dictum est antiquis, non perjurabis. Ego autem dico vobis* (ad novam legem, quæ ad novitatem vocat) *non jurare, sed sit sermo vester est, est, non, non.* Sæpe enim juratio perjurii germen fuit. Etsi ex Verbis Salvatoris vivificantem doctrinam adverrimus, prohibemur bonis nostris vitia commiscere, ne bonorum operum justitiam coram hominibus faciamus, cùm dicit: *Attendite ne justitiam ve-*

Matth. 6. *stram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.* Qua sententia purgavit opera nostra ab hominum complacentia. Nam impossibile fit omnino secundùm multitudinem divinæ justitiæ, quod ex nostris operibus bonis duplici merito, scilicet Dei & hominum voluntariè gaudeamus. Væ igitur virtutum cultoribus, si virtus pro divinis assistens, & pro divinis data à bonorum omnium largitore, ex præmio complacentia hominum fit humana Humana profectò efficitur virtus, si gaudet cumplacentiis hominum & humanis laudibus confovetur. Et ne hypocritali malo fœdarentur facta justitiæ, paulo post dissuasit dicens: *Cùm jejunatis, non eritis* Ibidem. *sicut hypocritæ tristes.* De hypocrisi verò alibi tractanda suscepimus. Thesaurizare verò in terra exterminavit suo Verbo de cordibus hominum, cùm dixit: *Nolite thesaurizare thesauros in terra* velut letale mentis malum insinuans moltiplicari opere atque amore in pulvere terrenorum, qui supernorum in creatione accepit similitudinem, & in glorificatione consortium præstolatur. Et cùm in eodem Evangelio servitium mammonæ dissuasit, procul fecit solicitudinem superfluam infirmorum. Et ad pacatiorem habendam mentem, incerta judicia de aliis condemnavit dicens: *Nolite judicare, & non judicabimini* Pœnam talionis annectens, dicit: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Et velut festucas aliorum peccata non gravia condemnare prohibuit eos, qui peccatorum malè prementem trabem aliquando sensibiliter, plerunque insensibiliter supportant. Proinde vesut infructuosam arborem decidendam, peccatorem seipsum considerandum constituit, ut sterilitatem devitet, fructum verò faciat in salutem. Alio autem in loco similem sententiam protulit, cùm ficum per tres annos fructum non ferentem mandavit paterfamilias succidi, nam frustra occupat terram. Sic & Christianus non operans in fide trinitatis, in fructu virtutis cordis, oris & operis, in fide, spe & charitate, inutilis ejus vita persistit, qui merito flammis infernalibus est tradendus. Et in ingressu in Jerusalem *ficum habentem folia, & non fructus maledixit, & illa exaruit.* Sic qui Verbis solùm se nominant Christianos, opera debita non habentes, jam infernales effecti, nisi correcti non possunt sperare salutem, ad quam nec credi voluit posse sufficere sui invocationem & imperiosam confessionem, sua voluntate contempta, propter quod statim intulit: *Non omnis, qui dicit mihi domine, domine, intrabit in regnum cœlorum.*

Cap.

Cap. XVIII.

Faciendum eſt non ſolùm audiendum Verbum Dei.

AUditorem verò Verborum Domini, non factorem, ſtultum vocavit Chriſtus omnipotens in doctrina, & omni ſtabilitate carentem, & impotentem reſiſtere ad cotitraria, cùm dixit: *Et omnis, qui audit Verba mea,* Matth. 7. *& non facit ea, ſimilis eſt viro ſtulto, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam. Et deſcendit pluvia, & venerunt flumina, & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & cecidit, & fuit ruina ejus magna.* Fruſtra docerur, ſi non diſcitur: Fruſtra diſcitur, & audirur, ſi non ob cauſam, qua eſt, quid docetur & diſcitur. Habet enim omnis ſcientia finem. Finis ſcientiæ ſemper eſt idem eodem modo ſe habens, & qualis eſt ſcientia, talis eſt finis ejus. Rhetoricæ finis eſt rhetoricum efficere, ac etiam arithmericæ arithmeticum, & ſimilia eſt de reliquis dicere. Docentis verò & audientis finis, per intentionem & actionem à fine ſcientiæ poteſt eſſe diverſus, ſæpe verò ſcientiæ & addiſcentis finis eſt unus atque idem. Sed dimittamus Platonicas & Ariſtotelicas ſcholas, quamvis plura nobis puſſent conferre bona, nec intentionem ſcienriæ ſeu addiſcentium perſcrutemur. Redeamus ad ſcholas ſupernaturalis, ſuperintelligibilis ſupernaturaliter docentis philoſophi nos Chriſti. Chriſtus eſt doctor in terris inſonans auribus, corda vero de cœlis illuſtrans, qui docet homines ſupernaturalem ſcienriam. Et beatus (inquit David) quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. Et utilia docet, ut Iſaias prophetaverat: Ego Dominus Deus tuus, docens te utilia. Iſaiæ 48. Ob hoc autem docet, ut fiat, quod docetur. Non enim theologia aliquem beatum facit, niſi redacta fuiſſet in actum. Nec enim Paulus ſummus theologus beatus factus eſt, quia ſcivit, ſed quia fecit, quod ſcivit & docuit. Inſtruxit imperitos & indoctos Apoſtolos Spiritus Sanctus, nec propter hoc aſcendiſſent ſuperna, ſi theologiam ignaviter tenuiſſent, nam fuiſſent ſtulti, quod irreprehenſibilis ſententia Salvatoris enunciat: Qui audit, & non facit, ſimilis eſt viro ſtulto. Finis igitur Matth. 7. divinorum Verborum exiſtens ad finem, eſt ſcire per infuſionem, aut per auditum. Omnis enim ſcientiæ finis eſt facere, ſcire propinquior tamen, perceptorum verò divinurum verborum finis iterum expectans alium finem actio eſt, ex qua ornamentum virtutis naſciſcitur faciens, acceptus factus omnium regi regum. Hujus verò finis, poſt quem nullus finis, & ad quem debet eſſe omne inirium, medium, & quivis alius finis, beatitudo eſt, quæ ſolus Deus eſt. Srultus ergo eſt, qui audit non faciens, propter carentiam debiti finis. Cujus ſimilitudinem ſtultitiæ ipſe Salvator inſinuat: Stulritia eſt condemnabilis, ſuper arenam velle domum conſtituere, caret enim fundamento, quo non firmirer jacto, domus non conſurgit in altum. Et ſi fortè conſurgit, ſubdita eſt ruinæ, ut etiam ipſi, & habitatori ejus non poſſet eſſe remedium. Srultum eſt igitur laborare in vanum, expenſas perdere, ſeque mancipare ruinæ. Arena enim ſignificat multitudinem innumerabilem peccatorum, & rerum appetibilium gravanrium leves hominum mentes, in qua abſconditus eſt Ægyptius mortuus à Moſe, peccator tenebroſus damnatus à lege. Domus ædificata eſt voluntas in his quieſcere, habitare, protegi volens. Sed pluvia illuſionum multiplicium & deceprionum, hujus aeris porcſtatum, & flumina mergentia in mari damnationis ſine interciſione defluentium malorum, & venti tentationum, vanitatum & inviſibilium agitationum, irreparabilem fecere ruinam in magnam culpam, ut ab illa ruina major fiat in pœnam, quam reparaſſet divina facta doctrina. Igitur, qui legis hæc, mala devita.

Cap. XIX.

Reprehenduntur non ſuſcipientes prædicatores, nec eorum doctrinam.

AD æterni regni prædicationem & promiſſionem piures miſit, & mittit, immiſericordius damnans ſententia Verbi ſui Dominus non recipientes regni æterni doctrinam, quàm Sodomam & Gomorrham. Ex quo nobis innuitur, quàm ſit grave peccatum ex inflicta pœna, non recipere ſupernam doctrinam

ctrinam in membranulis rationis, & chartulis actionis. Ait etiam tunc discipulis, quos ad superni regni prædicationem mittebat. *Et quicunque non receperint vos, neque audierint sermones vestros, exeuntes foras de domo, vel civitate, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium eorum. Amen dico vobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati.* Recipiendi sunt superni regni doctores, audiendi sunt divini sermones, nam qui non recipiunt, non recipientur, & qui non audiunt, non audientur. Et quod jubentur de pedibus excutere pulverem inhærentem, eorum reprobationem insinuat, ut qui aures & animas non dederunt ad verbum, nihil eorum retineatur ad usum. Sed pulvis in testimonium excussus, eos declarat inexcusabiles, pro quibus sunt tolerati labores. Hærens pedibus lutum, signum est viæ itineris, & laboris eorum, qui annunciaverunt, quòd nec excusari possit, quod non contemptores audierunt. Sed excutitur in testimonium à pedibus, ut ita credantur abjici, excuti & segregari à consortio beatorum, qui pro Deo & proximo laboraverunt, quemadmodum pulverem hujusmodi excusserunt. Et quia excussio pulveris fit post quietem laboris, ita peracto mundi fine, mali separabuntur à bonis in legibus nobilitatem & utilitatem non acquirit. Et maledictionem suscepit terra in Adam ex operibus ejus, quia non obedivit Deo. In signum maledictæ terræ in corporibus illorum excutitur pulvis contra eos, qui non obediunt Christo. Et velut pulveres terrena sectantes & in pulverem reversuros ostendit, similiter & levitatem eorum, qui divinis non gravidantur sermonibus, qui sic rapiuntur à malis cogitationibus, & peccatis, & pœnaliter rapientur à dæmonibus ut pulvis à vento. Necnon in memoriam resolutionis per mortem excussio fit pulveris, ut qui non divino amore ac cœlesti promisso moventur, saltem timore resolutionis in pulverem convertantur, sequanturque Christum, cujus virtute corpora resoluta resurgent, aliqua in communionem cœlestis beatitudinis, aliqua verò ad pœnam æternæ damnationis. Sed hoc trepidè animum pulsat, quod peccatoribus contra naturam remissius sit in die judicii, quàm eis, qui non recipiunt doctores & sermones regni superni, scilicet incarnati Verbi Domini nostri JESU Christi. Sed avellatur breviter quæstio à cordibus hominum. Quoniam omne peccatum contra naturam, aut contra Spiritum Sanctum, ut audeam dicere, negare

Luc. 7.

omnipotentem Deum, & ejus filium incarnatum præponderat, & nolle acquiescere veritati, aut nolle respondere cœlesti, atque ad cœlestia nos vocanti & præroganti veniendi viam, tribuenti perveniendi gratiam, ædificanti per passionem, & cruces, atque virtutes conformes ad cœlum ascensionis scalam. Nam acquiescere veritati & respondere vocanti, nullum admittit vitium, & quantumcunque magnum excludit omne admissum, & correctio sequitur, si obediatur veritati, quæ à Deo in hac vita volenti nemini denegatur. Et cùm argueret turbam, quod neque ad prædicationem Joannis Baptistæ, neque ad suam movebantur, sed Joannem non manducantem neque bibentem dæmonium habere dicebant, non quòd omnino Joannes non comederet, sed divisus ab hominibus, divisus ab epulis hominum, sylvestribus pascebatur escis, ipsum autem JEsum manducantem & bibentem & cum hominibus conversantem, appellabant voratorem & potatorem vini, peccatorum & publicanorum amicum, ex eo, quod ab illo publicano convivium susceperat, quem à telonio vocaverat, & à Zachæo publicanorum principe non invitatus invitari quærebat, ac etiam antequam vocaretur, se apud eum mansurum obtulerat, præter eos, qui tunc taliter senserant nostri temporis malè morales arguit, qui à nullius Sancti solitarii aut domestici prædicatoris eximii, aut boni rustici exemplo, neque doctrina moventur, sed eos lacessunt injuriis, diffamationibus & criminationibus falsis, & omnia recta perverterunt, ac de omnibus necessariis bonis actibus damnata suspicione malum existimant, & sinistra murmuratione loquuntur, quod si quis solitudini studet, quòd deceptus aut hæreticus est, si conversatur in cæteris, quod familiaris est, si vacat humilitati, quod hypocrita est, si silentio & orationi, & paci, & vigiliis, & religioni, quod singularis aut deceptor est, si abstinentiæ, & macerationi carnis, quod indiscretus est, si recreationi, quod gulosus est, si patientiæ, quod timidus est, si justitiæ, impatiens est, si simplicitati, fatuus est, si prudentiæ, malitiosus est, si maturitati, phegmaticus est, si jucunditati, dissolutus est, si societati, sæculatis est, si aliorum correptioni, præsumptuosus est, si prædicationi, appetitor laudis est, si desistit, remissus est, si habet gratiam hominum, adulator est, si adulari renuit, superbus est, observantiam puram temeritatem, quietem relaxationem appellant, si fortitudini, temerarius est, si temperantiæ stultissimus est.

ſtem, & in divina matricula inter angelos fecerunt ſcribi mirabiliter in terra degentem. Oſtendunt miracula exiſtentem in agente virtutem, aut in recipiente præhabitam fidem, aut animaverunt ad credendum, quod non erat creditum, ſeu videbatur impoſſibile ad credendum, ſed ipſa penitus non fecerunt aliquem cœlo dignum, nec meruerunt habere conſortium angelorum, qui nunquam viſibiliter miracula viſibilia operati ſunt, ex quibus ſalvarentur : Non ſuſcitaverunt mortuos, non illuminaverunt cæcos, non mundaverunt leproſos, & ſimilia, quæ & humana mens miratur, & magnipendit. Sed inſeparabilis charitas firma & immutabilis adhæſio ad creatorem eos fecit eſſe beatos, deſuper divina largitione ſupra meritum reſpondente diffuſa. Et ſi legitur in veteri teſtamento multoties angelos apparuiſſe, multaque feciſſe, beati enim erant confirmati. In cœlo ſcripti erant, propterea, quæ divino juſſu faciebant, non amplius in cœlo ſcribebantur. Prædeſtinatio non quærit, ut perficiantur miracula, ſed virtutes. Nulla miracula fecerat Virgo. Quindena Deo per virtutes placuit, & in ſua vita nullum miraculum legimus feciſſe. Joannes Baptiſta vivens nulla fecit miracula ſenſibilia, & baptizavit Dominum, & commendatur à Chriſto inter natos mulierum, & per martyrium iterum magis placuit. Non fecerunt miracula innocentes, & conſtituti ſunt ante thronum Dei. Abluti baptiſmate pueri decedentes cœleſtia regna ſuſcipiunt. Plura miracula legimus poſt Sanctorum mortem, quàm viventes oſtenderant, quæ ſi adſcribent cœlo Sanctos, ſuperſcriberent ſemper, & augerent ipſorum meritum poſt deceſſum, ac etiam præter virtutum opus daretur præmium, & poſt confirmationem liberi arbitrii gloria addereturr. Et ſi expectant glorificata corpora, quæ non habent, expectant & alii, qui miracula non fecerunt, ſed neque in via, neque in patria miracula meritum faciunt. Meritò nempe Salvator non gaudere de miraculis ſuis Apoſtolis & diſcipulis ſuaſit, in Chriſtianis virtutibus eos firmans, quæ potiſſimæ illis duæ principaliter erant, abdicatio penitus omnis mundi, & ipſius ſequela irretroverſibilis firmata in obedientia uſque ad mortem. Et Chriſto cùm Apoſtolis & diſcipulis perſonaliter gerente in eis ducatum, nullæ majores de illis ſcribuntur actæ virtutes, quàm abdicatio & ſequela in obedientia Sancta Chriſti. Et ut de prima taceam, in moribus Chriſtianis nulla major eſt virtus, quàm ſine exceptione obedire Sancto prælato. Hæc enim omnes virtutes includit, caſtitatem, abſtinentiam, orationem, paupertatem, ſilentium, exercitium, etiam ipſam mortem includit. Nam Sanctus Sanctus exiſtens, niſi Sanctum non præcipit, imo ſemper Sanctum præcipit, & qui Sancto obedit, Sanctus eſt. Et hoc eſt unde Apoſtolorum & diſcipulorum, & omnium Salvandorum nomina ſcripta ſunt in cœlis, de quibus per inobedientiam angeli apoſtatæ ſunt dejecti. Ac per hoc in his verbis omnis Spiritualis ſuperbia de divinis chariſmatibus, donis, virtutibus, revelationibus, apparitionibus, viſionibus quantumcunque veris à Chriſto retunditur, ne id, quod eſt divinum, ex noſtro faſtu ſuperbiæ in æternum vertatur ſupplicium. Quæ tanto periculoſior eſt, quàm corporalis, quanto ſpiritibus apoſtaticis magis eſt ſimilis. Qui non de corpore, quod non habent, neque de corporalibus, quæ fortè nondum facta erant, & ſi facta, per eos facta non erant, ſed de ſpiritualibus, quibus vigebant iniquè contra Deum uſquequaque fecerunt. Igitur, qui legis hæc, mala divita.

Cap. XXI.

De morte corporis non timenda, & cruce accipienda, & omnibus renunciandis.

NEmpe cùm duo ſint maximè, quæ cauſa damnationis, ſi pervertantur, aut cauſa ſalvationis, ſi debitè teneantur, exiſtunt, necnon occaſiones ſunt malorum atque bonorum, ex quibus cujuslibet, qualis vita fuerit, judicatur, timor videlicet & amor, ideo Salvator illorum timorem à cordibus excuſſit hominum, quo juſta vita perveteretur ipſorum, aut non caperetur ipſo tonante in cordibus ſuppoſitorum. Ideo dixit diſcipulis ſuis Dominus & magiſter: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed eum timete, qui corpus & animam poteſt perdere in gehennam* : Et Lucas refert : *Dico vobis amicis*

Matth. 10.

Lucæ 12.

B. Sim. de Caſſia Com. in IV. Evang.

amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & post hæc non habent amplius quid faciant: Et alibi: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.* Hoc videlicet innuens propter timorem hominum, nolite peccare, dimittendo justitiam, veritatem, sanctitatem, virtutem, sanctamque in moribus vitam. Sed ne fortè quis diceret, fidem, spem, charitatem, veritatem & sanctitatem in animo servo, sed timore perterritus hominum, ore aut opere intermitto, illico Salvator adjecit: *Omnis ergo, qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cœlis.* Quam negationem non solùm ad eos, qui comprehensi ab infidelibus, timore percussi se negaverint Christianos, sed ad eos, qui moribus & vita ejus Evangelio non consentientibus, atque discordibus non concordant. Hinc ad Titum scribens Apostolus, ait: Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Igitur non immerito æternis adjicitur flammis, qui aliquo timore pavefactus negaverit virtutem, aut virtutis authorem, aut per iniquitatis operationem servum se profitetur diaboli & peccati, quia, qui facit peccatum, servus est peccati. Hoc timore devicti Apostoli negaverunt Christum, Petrus maximè juramento, ac sub anathemate denegavit. Multi sanè timentes prodere partem vitæ, totam negaverunt vitam, pœnam temporalem timore vitantes, incurrerunt æternam: Pecuniam diligentes, timore ne perderent, negaverunt justitiam. A vitiosa ligatione separari nolentes, timore negaverunt vitæ viam, ne displiceant, quibus placere affectant, negando quod justum timore obsequuntur ad placitum, corrigi aut reprehendi timentes, negant verum ad velamentum ipsorum submittendo falsum. Indubitanter in omnibus Deum negat, qui non Dei timorem, sed hominum suum posuit ante conspectum. Quo sua doctrina pulso præ foribus, continuo ad improbationem & divisionem illiciti amoris se contulit, dicens: *Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram: Non enim veni mittere pacem, sed gladium. Veni enim separare filium adversùs patrem suum, & filiam adversùs matrem suam, & nurum contra socrum suam, & inimici hominis domestici ejus.* Amor verus nunquam est sine vera pace, pax autem vera, similiter sine vero amore non est, quorum agunturactus in Deo & propter Deum, & in finem omnium Deum. Est autem quidam amor illegitimus, qui à pace mala sortitur originem. Similiter est reperire pacem, quæ infectum fovet amorem. Ad quam pacem mittendam in terram, ut ejus amore homines copulentur, Salvator denegat se venisse, aliàs autem contra seipsum Salvator verba protulisset contraria, cùm dicit: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Ubi luce clarius patet, esse pacem diversam Dei & mundi. Unam dat, atque jure hæreditario dimittit servis suis: Alteram, velut nequam denegat sequacibus suis. Nam pax, quæ intantum homines copulat, ut à Deo sejungat, discordia est, & perversa justitia, æternaque bella nanciscitur, ut naturæ atque doloris bellum nunquam pace, aut alterius victoria finiatur. Ac per hoc nobis & enuclealiter consulens, ad talem pacem gladium divisionis apposuit, cùm dicit: Non enim veni mittere pacem, sed gladium. Scilicet Verbum Spiritus pertingens ad divisionem talem necessario faciendam, quo emendo tunicam vendere jubentur Apostoli. Gladius Domini etiam judicium veritatis, & cognitionis, atque discretionis inter bonum & malum, & bonum & melius, melius & optimum, ut electio subsequatur. Quo gladio Salomon in duabus mulieribus amorem verum & falsum invenit. Quo gladio post benedictionem sibi à fratre surreptam, vivendi remedium remansit Esau. Quo gladio fit separatio ab imperfectè amatis, imo à passibiliter & vitiosè dilectis. Veni enim separare filium adversùs patrem, &c. Ut pietas in majori pietate vincatur, & amor à valentiori amore superetur. Et inimici hominis domestici ejus. Sed ne quis crederet Salvatorem nostrum Dominum Jesum Christum fontem vivum amoris & dilectionis, odium voluisse immittere, omnemque auferre amorem naturæ, & infusa desuper gratia Christiana naturam amoris suis videretur privare muneribus, continuò velut omnium provisur & modificator adjecit: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus. Et qui amat filium aut filiam plus quam me, non est me dignus.* Igitur non immittit odium ad proximum, ubi aliàs præcepit diligere inimicum, nec condemnat jura naturæ creatæ, quam ex amore creavit, quam legibus adinvicem stringit amoris, sed duos amores constituens, hominis & Dei, amorem Dei creantis, gubernantis, redimentis & beatificantis, amori hominum voluit prævalere, ut unus non extinguatur ab altero, nec alter impediatur ex altero, sed alter alteri præferatur, alter alteri subjiciatur, ut servata lege justitiæ, qui per omnia est præstantior,

Tit. 1.

Matth. 1.

Matth. 10.

Joan. 14.

Ephes. 6.

3. Reg. 3.

Genes. 27.

stantior, in omnibus ex amore sit potior, omnibus creatis quocunque jure diligendis etiam tibiipsi, e una regione constitutis, soli Deo, cui est omnis honor & gloria, constituto in altera, ex aliqua causa quomodolibet suadente oporteret indicere bellum, Deo servare pacem, tenere fidem, offerre placitum, bellum cum creaturis, pax & fides Deo & sibi suum placitum offeratur. Ut si aliter fieri nequit, propter Deum dimittatur proximus, sed propter proximum non dimittatur Deus. Nam omne jus tota creatione in unum conveniens, fœdera Dei & hominis solvere nequit, sed justitia propter Deum creaturæ totius fœdera solvit. Veruntamen divina bonitas tolerat cum suo inculpatè omnes subjectos amores, si sui amoris per eos nequaquam jura fraudentur. Et si sui amoris non impeditur debitum, omnem amorem sustinet in propinquum. Vult etenim Dominus omnes dignos diligi, secum diligi, & propter eum & in eum & ad eum, ut quod sibi debetur, primo reddatur, & dum redditur proximo debitum, ipse non offendatur. Comparativè quippe locutus est de amore non extinctivè. Inquit enim: Plus quam me. Ubicunque verò comparatio est, ibi alicujus qualitatis participatio necessariò noscitur à duobus aut à pluribus, ut ab uno per magis, ab altero participetur per minus. Unde amor noster quædam nostræ mentis est qualitas, cujus participationem ex omni & tota justitia exquirit sibi maximè Deus, ad proximos aut propinquos fieri per minus permittit atque concedit, ut diligamus, quos ipse diligit, quos etiam & creavit, atque redemit, ut conformitas sit nostri & divini amoris. Summè cavendum, ne, quos diligere permittimur per naturam, jubemur, atque juvamur per gratiam, quod in eis non diligamus malitiam. Et si de teipso amoris comparatio fieret, teipsum despice propter Deum, & inferas tibi bellum, si expedit, propter Deum, ut pacem serves ad eum, ut nec ad Deum bellum, & pax sit ad teipsum. Proinde, quia proprius amor omnem bonitatem exterminat, & omne malum committit, Salvator adjecit: *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Hic per crucem ante tribunal divinæ justitiæ proprius condemnatur amor, velut omnium malefactor & corruptor virtutum. Hic unita dividit, divisa uniri non finit, fidem nemini servat, nullum, nisi per reciprocum diligit, hic tyrannos fecit in civitatibus, seditionem excitavit in urbibus, partialitates fecit in provinciis atque regnis. Hic scandala seminavit in Sanctis cœnobiis & monasticis viris, & regulares irregularit. Nescit ferre injuriam, facere novit, denegat parentibus indulgentiam, turbatur si non recipit. Quod est commune, vellet sibi appropriare, & quod est proprium, nunquam in commune deducit. Nunquam nisi propriis utilitatibus gaudet, atque rimatur. Omnes nihilipendit, sibi timens minui, nescit aliis impartiri. In judiciis pervertit justum, in causis honestum, contentionibus defervit, ut appareat singularis, sibi placens non curat aliis displicere. Commune postponit proprio, & communi unum proprium præfert. Omnium depopulationem non curat, si eum non tangat. Proprius amor procul pellit patientiam, orationem & abstinentiam & vigilias execratur. Omnes odit labores, præter illos, qui suum peragunt finem. Decollat obedientiam, subdi nescit, regulari non vult. Voluntate propria delectatus, quærit laudem, agit & loquitur per contentionem cordis, & corporis refugit disciplinam, seipsum vitiosè fovet de rebus non vitiosis. Qui pro eo dicitur proprius, quia omnia sibi appropriat, gratiæ nihil tribuit. Ipse sibi Dominus & servus, prælatus & subditus, magister & discipulus, sibi sessor & equus, sibi prudentia & justitia, fortitudo & temperantia, lex & æquitas, judex & advocatus, motor & motus, bonæ naturæ regulis & gratiæ disciplinis irregularis, ad nil aliud nisi ad seipsum zelatus, cuncta facit & perficit. Et omnia sensualitati & propriæ voluntati adversa, reputat tormentum & crucem. Idcirco per crucem perversè diligentes, imo sine exceptione omnes invitat, dicens: *Qui non accipit crucem suam*, scilicet abnegationem proprii amoris & proprii corporis afflictivam, sicut ego accepi meam, mei patris solum voluntatem perficiens: *Et sequitur me*, non suas concupiscentias, *non est me dignus.* Meritò Salvatore indignus efficitur, qui eum vita & moribus, intentione & animo, prout ab ipso in agonistica virtute contenditur, non sectatur. Ut autem non claudatur, sed aperiatur via notinæ idioris & sciolis, proprium & neqnam amorem à vero amore Christiano atque aliis certis regulis, prout Dominus donaverit ipse distinguam. Post increatum & supernaturaliter existentem amorem & optimum, & DEUM totum & totum bonum extra & intus, supremum & infimum, non localem aut situatum, sed superlatum est quidam

Quid sit amor proprius.

naturæ conditæ universalis amor secundùm minus & plus distributus in rebus, aspiciens primo in conditorem ejus, cui additus est, velut in conservare volentem id, quod est, & id, quod amat, aut amare potest. Et indita natura omnibus à Deo scienter & non scienter, rationabiliter & aliter, suo modulo appetit conversari. Ergo natura fertur per amorem intellectum, & non intellectum, in eum, qui conservare aut ad meliora perducere ipsam potest, qui magis in hominibus, maximè in angelis viget ad DEUM, & ad seipsos, & inter seipsos, & pro seipsis, & in seipsis, velut similitudo naturæ, ac etiam voluntatis. Et ex natura contigit, quod simile appetat simile: amor autem perambulat appetitum. Est amor qui propagationem sequitur, qui ex cursu bonæ naturæ diffunditur à progenitoribus in genitos, & à genitis in genitores refunditur, sed non æquè dilatatur ex eodem cursu in lineas transversales, qui per tantum minuitur, in quantum in primis gradibus elongatur, nisi conversatione refoveatur, quæ sæpe amorem sanguinis vicit. Est & gratiæ, qui amore conditæ naturæ sociatus, ipsum illuminat, dirigit, & exorbitare non sinit, qui præter directionem divinæ voluntatis nihil diligit dilectum, si quid ad ipsum refert, qui turbari nescit, sustinet, & tolerat, nihil nisi rationale amat, aliis utitur prout necessitas postulat. Totus latus in DEUM, cùm mensura fertur ad proximum, & qui supergrediens naturam etiam intenta, morte non relinquit honestum, nec amittit religiosum, & naturæ corruptæ amorem in nullo sibi patitur esse collegam. Postquam est amor naturæ corruptæ, qui vitiosè afficitur ad omnia objecta, qui colligatur plerumque ad unum magis, quam alium maculosè afficere faciat, & objectarum qualitatum forinsecus oculis & in animo unam magis illam istum amplius illum impatienter concupiscere cogat. Necnon & mercede causatus amor ad hanc spectat, finaliter non fuisset amor, qui dissolvitur eradicata mercede, similiter & contracta societas sine respectu omnia legitimè ac justissimè fœderantis diutinè roborata, germinavit amorem peccatorum tenebris obvolutum, qua suspensa ejus sæpe solvitur vinculum. Ac per hoc luce clarius patet, amorem bonorum naturalium esse à natura, sed timet adversa amorem bonorum gratialium esse à gratia, sed sustinet pro suis bonis adversa, & si contingat, mortem suscipit in perfectis, amorem passibiliter vitiosum esse à natura corrupta, de cujus progenie proprii amoris mala soboles oritur, qui nunquam est ad virtutes, sed ad oppositas ipsarum, & bonis naturalibus abutitur, sed neque cum amore naturæ creatæ, atque cum amore gratiæ participium habet, quamvis bona naturæ perversè diligat, utaturque præter legem DEI, sua lege contentus. Qui quanto in aliquo colligatur ardentius, tanto agit perversius. Habes malum timorem, habes & malum amorem. Igitur qui legis hæc, mala devita, quia quotquot damnati sunt, isto prævio perierunt. Tolle ergo crucem, sequere te vocantem.

Cap. XXII.

Quomodo omne peccatum remittitur, blasphemia verò in Spiritum Sanctum non remittitur, neque hic, neque in futuro sæculo.

Matth. 12. Marci 3. Lucæ 12.

AD peccatorum autem numerum subsequenter adjiciuntur, qui virtutem divinam atque Christianam dæmoni tribuunt, nec credunt adesse hominibus potestatem per gratiam, quam non habent utique per naturam. Et quòd magis homines dicunt potestatem habere à diabolo, quàm à Spiritu Sancto, qui per hoc cognoscuntur, quo Salvatorem nostrum dæmonium ejicientem, in potestate diaboli feciſſe dixerunt, pro eo quod purum videbant hominem, quem David secundùm carnem filium asserebant. Quam infelicitatem Salvator noster non solùm anthoritate, sed rationibus improbavit, asseverans in hominibus veraciter sibi subjectis, non per naturam, sed per collatam gratiam virtutes posse resplendere divinas, in ejectione dæmonum, & expulsione languorum. Sed ad peccati accrescit cumulum, quòd dæmoni attribuebant, quod erat divinum. Divinum est propulsare infernales atque aëreas potestates, & ipsas expellere ab obsessis, quia licèt in seipsis sint usquequaque discordes, fugari à seipsis non possunt à corporibus & locis, quæ Deo taliter permittente invaserunt. Et quoniam hæc aliter asserere peccatum est blasphemiæ, ideo ad ejus improbationem &

peri-

periculi eventionem ſe transtolit, dicens: *Ideo dico vobis, quia omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus, ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur. Et quicunque dixerit verbum contra Filium Hominis remittetur ei, qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Latet ſub litera intelligentia diſſerenda verbis non paucis, & primo aſpectu affert difficultatem, quam per differentiam expedit removere, quam ſi applicabimus ad perſonas illius temporis, qui audierunt, & pro quibus dicta ſunt verba, levis enodatio, ſi verò ad noſtra tempora, ſenſus incumbit ſubtilior. Aliud eſt peccatum, & blaſphemia, aliud ſpiritus blaſphemiæ, & aliud eſt peccare in incarnatum Verbum, aliud in Spiritum Sanctum. Nam peccatum refertur ad actum, blasphemia ad verbum, ſpiritus blasphemiæ ad intellectum. Peccatum ex opere, blasphemia offendit ex ore, ſpiritus blasphemiæ offendit ex corde. Remittitur nempe omne actuale peccatum, ſi pœnitentia ſequitur. Remittitur blasphæmia, quæ ex odio, aut ex ira, ſive ab incuria loquendi, aut impetu non rerento defluxerit, ſi tamen cauſa mali effectus fuerit jam remota. Spiritus blasphemiæ, mala intelligentia, mala voluntas, mala ſuſpicio, atque incredulitas, odium, & derogatio in affectu non remittuntur, niſi radicitus evellantur, ut talis ſpiritus blaſphemiæ non dimittatur, ſi peccatum adſit, aut ipſa blasphemia, & verſa vice omne peccatum, & blasphemia dimittatur, ſi ſpiritus blasphemiæ non adſit. Sed de ſeipſo, & pro ſeipſo, contra ipſum loquentes Salvator videbatur verba proferre, propter quod ſecutus adjunxit: *Et quicunque dixerit verbum contra Filium Hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo neque in futuro.* Ut ſi adverſus Chriſtum incarnatum pro ſuis moribus aliquid diceretur incongruum, prout ejus mores fuerunt à pluribus condemnati, quia vorator carnium, amicus publicanorum, dæmonium habet, ſeducit turbas, non eſt hic homo à Deo, quia ſabbatum non cuſtodit, & his ſimilia, correptis levis eſt venia. Et in noſtro tempore plures indebitè Chriſtum laceſſunt, qualiter ſic viliter natus, quare circumciſus. quare præſentatus in templo, quare fugatus regno, quare baptizatus, quare fami expoſitus, quare tentatus, lachrymatus, quare orans poſtratus, quare ligatus. quare paſſus & mortuus. Si verus erat Dei Filius, nonne poterat aliter redimere genus humanum, abſque eo, quod talia operaretur, & tam crudeliter pateretur? Sed omnia hæc veniam leviter ſortiuntur, ſi non peccatur in Spiritum Sanctum. Sed ſi quis contra Spiritum Sanctum dixerit verbum, non remittetur ei hic, neque in futuro. Si quis Chriſtum hominem ex Spiritu Sancto dixerit non conceptum totius noſtræ fidei deſtruit fundamentum. Et ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, atque peccata remitti. Nam Spiritus Sanctus ſupervenit in virginem, & quod in ea inventum eſt, non ex humano ſemine, ſed ex Spiritu Sancto eſt. Qui contra hoc ſentit aut docet, loquitur contra Spiritum Sanctum. Et qui, quod eſt Spiritus Sancti, attribuit dæmoni, ſimiliter facit. Dixerant ipſi non in Spiritu Sancto, ſed in Beelzebub Chriſtum dæmonia ejicere, quod eſt blaſphemiam irrogare. Sed omiſſis intelligentiis plurimis, ad duo, quæ hic videntur gravia revertamur. Dictum eſt ſpiritum blasphemiæ non remitti, & contra Spiritum Sanctum dicere verbum, non remitti in hoc ſæculo, neque in futuro. Blaſphemiam adverſus homines dimittamus, & juxta verborum intentionem ſequamur authorem. Non enim eatenus in Deum quatenus in homines blaſphemia irrogatur, quamvis per ſimilitudinem unius poſſit ad cognitionem alterius ingredi. Blaſphemia nomen eſt græcum, quod una prolatione latinè multiplicia mala ſonat, qua per negationem & affirmationem prout Dominus dabit, ipſam declarabo legentibus, ut ex blaſphemia hominum poſſimus advertere, quid ſit blaſphemare Dominum Deum. Dicere homini, vah! volare non potes, ignem non vales illæſus contingere, ſiccis pedibus ſuper aquam incedere, mobilem facere per contactum ſtabilem terræ molem, nulla blasphemiæ injuria irrogatur. Nam hujusmodi actus & paſſiones impoſſibilitate naturæ ſe dividunt, quamvis plerunque in talibus gratia fuerit ſupergreſſa naturam. Quiſpiam adhuc dicet: Non videbis oculis clauſis, conjunctis labiis loqui neſcis, aure obtuſa non audis, non olfacis emunctis naribus, nec diſcernis ſapores absque guſtu, ſtellas tangere neſcis, nec irretito incedere pede, futura non noſti, hominum cogitatus ignoras, nec habes, quod certum eſt denegaſſe naturam, neque blasphemiæ aut alicujus injuriæ habere fertur indicium. Nam quod natura negat, potentia non concedit, ſuppetit ſcientia nulla, nequit inficere ars inventa, nulla poſſunt blasphemiæ, aut alicujus injuriæ inferre convitia, ſi alter ab altero per impro-

properium proferantur. Sed ſi quæ natura, potentia, ſcientia, ars inventa conceſſit, à quoque improperativo faſtu removes, blaſphemiam non modicam irrogas. Si per improperii viam attribuis homini, quod nullo jure ſibi competere poteſt, nullam dicis blasphemiam. Si removes ab eo, quod ſui eſt juris, blaſphemiæ intuliſti notam, ſi tibi feciſti proprium, quod propriè proprium erat alterius, blasphemaſti. Blaſphemia etenim eſſet ad hominem, ſi ridere vellet equus, qui & blasphemaretur, ſi hinnire vellet capra. Rugitus leonis non competit porco, nec grunnire leoni. Si tuam potentiam, nobilitatem, æquitatem animi tui alteri non concedis, aut quæ tuæ ſunt poſſeſſionis & juris, non blaſphemaſti, ſed ſi quæ tui ſunt dedecoris atque culpæ, alteri tribuiſti, proculdubio feciſti blasphemiam. Multa quidem & alia ſunt, quæ iſtam à Chriſto damnatam declarant, ſed ipſam epimonicè brevi verbo diffiniam. Blasphemia eſt generalis illa injuria, cùm removetur per improperium ab aliquo, quod habet à natura, potentia, ſive ſcientia ſive ab arte quæſita. Blasphemia eſt removere ab homine, quod ſui eſt juris. Blaſphemia eſt tibi appropriare, quod proprium eſt alterius, blasphemia alteri apponere tuam notam. Blaſphemia eſt in contemptum atque deſpectum alterius dicere, aut facere, quod certiſſimum eſt diſplicere, nec ad tuum commodum inflecti poſſe, quod dicitur aut agitur. Blaſphemia eſt, cùm debita quisque ſuo juſto creditori non ſolvit. Blaſphemia eſt, cùm quis regem in ſterquilinio, in tribunali ſervum vellet videre ſedentem. Blaſphemia eſt, velle pervertere ordinem juſtitiæ atque morum. Blaſphemia eſt, cùm alicui dicimus malum placere, quod diſplicet, & bonum diſplicere, quod placet. Blaſphemia eſt injuria, malorum ſuſpicio, & opprobrium. Ex his igitur compilatis quid ſit DEUM blaſphemare cognoſce, ut quotieſcunque in veteri teſtamento, aut novo, blaſphemiæ verbum occurat, ad has diffinitiones recurras, ut quid ſit Deum, & quemquam blaſphemare cognoſcas. Ac per hoc luce clarius intelligenti patebit, ſine blaſphemia nullum poſſe comitti peccatum, cùm blaſphemia ſit importunè facere, quod diſplicet, aut ſine damno non facere opportunè, quod placet. Sed quia blaſphemia eſt malum, quod ore præfertur, & citò meretur veniam, ſpiritus blaſphemiæ eſt, quod corde creditur, atque ſentitur, qui niſi ejiciatur, non recipit indulgentiam, & quanto difficilius eſt cor mutare, quàm corrigere verbum, tanto difficilius ſpiritus blaſphemiæ veniam conſequitur, quàm blaſphemia, quæ ſolo ore profertur, idcirco de blaſphemia & ſpiritu blaſphemiæ in Deum, oportet longiore ſermone diſſere. Blaſphematur Deus, cùm relinquitur in ſuis legibus & mandatis alia copulatione quæſita. Improperat de Dei populo Iſaias: Derelinquerunt Dominum, ſanctum Iſrael blaſphemaverunt, alienati ſunt retrorſum. Et cùm ſua non cuſtodimus eloquia, blaſphemamus. Quod idem ait: Abjicere legem Domini exercitium, & eloquium ſancti Iſrael blaſphemaverunt. Vituperant legem abjicientes, & Deum inſequitur maledictis, qui ejus eloquiis non præſtat aſſenſum. Nam quid aliud eſt blaſphemare ſuum eloquium, niſi reprobare tanquam falſum aut defectuoſum, ipſum non credere verum aut virtúoſum, aut ad ſeipſum exiſtimare adverſum, quod eſt in noſtra utilitate prælatum? Ad ſui blaſphemiam ſibi arrogabat omnipotens, cùm cultus divinus idolis offerebatur, atque adjutorium & conſilium expetebatur ab eis, quod ſolius Dei erat concedere, & ſperebatur ab eis, quod in ſolo Deo decebat ſperare, & omnis placitus rerum eventus ab idolis credebatur, quod, qui Romanas & gentiles hiſtorias recolit, quod dicitur non ignorat, quando idolis omnia tribuebant. Proinde referebant in thurificationibus & ſacrificiis ſimulacris gratiarum ſedulas actiones. Quod per Iſaiam conditor omnium Deus quærulatur. Et jugiter tota die nomen meum blaſphematur. Quod Apoſtolus ad Romanos hoc idem repetens, cum additione clarius verbum fecit. Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes. Quæ blaſphemia hoc inſinuat, quòd dabitur idolis, quod divini fuerat juris. Quod ſi non idololatrico cultu agitur in Chriſtianis, peſtifero tamen ſæpe more peragitur, ut Dominus & nomen ejus culpabiliter blaſphemetur. Quod tunc fit, cùm ſua viſibilia & inviſibilia jura per fidem & credulitatem, per amorem & actionem in aliquem derivamus. Unde cùm Chriſtus ignoraretur, quòd eſſet Deus, cùm aliqua dixit, quæ ſolius erant Dei, fuit appellatus blaſphemos. Dimiſit peccata paralytico, & dictum eſt: Hic blaſphemat. Interrogatus eſt à Caipha, ſi Filius erat Dei, reſponſione accepta, cùm ſciſſione veſtium ipſum appellavit blasphemum, quia ſolùm ab eis exiſtimatus homo, videbatur ſibi jus uſurpare divinum. Quod in quadam congreſſione verborum Judæi expreſſerunt, cùm excuſare ſe vellent, quòd non eum quærebant lapidare de bono opere, ſed de blaſphemiæ ſpiritu, dicentes: De bono opere non lapidamus re, ſed de blaſphemia, quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deum.

Iſaiæ 1. Iſaiæ 5. Iſaiæ 52. Roma. 2. Matth. 9. Matth. 26.

Acſi

Ioan. 10. Acſi dicere velint: Nulla major blaſphemia quàm hominem ex natura humana velle habere divinum. Quo volendi genere peccavit angelus, & peccavit homo primus, & peccavit quicunque ſimilia imitatus. Quæ Iſaiæ & Apoſtoli verba, ſi ad aliam intelligentiam referantur nomen ejus blaſphemari conſpicitur, cùm in vanum nominatur, & pro ſterilibus verbis & promiſſionibus frivolis, & multoties vitioſis adhibetur in teſtem. Magis verò iſta blaſphemandi ſententia colligitur, cùm ſibi ab improbis attribuitur, quod nulla ſibi poteſt lege aſſiſtere, prout qui crudelem, immiſericordem, rerum improviſorem, gubernatorem injuſtum, acceptorem perſonarum, curam non gerere de creatis, judicem bonorum & malorum iniquum, plus inferre pœnæ, quam culpæ conveniat, non tantum tribuere virtuti quantùm expediat ſpiritu blaſphemo cogitant, aut ore blaſphemo loquuntur. Necnon credentes non eſſe, quod erat, inferebant blaſphemias. Nam in cruce pendens, à ſeipſo derelictus in pœnis, à latrone reprobo, à phariſæis, à ſcribis & turbis eſt mordaciter blaſphematus, quia non credebant divinum, quem ſic aſpiciebant confixum. Et damnabilior erat ſpiritus blaſphemiæ, qui erat in corde, quàm verbum blaſphemiæ prolatum ex ore, quod non proferretur, niſi à corde emitteretur. Sententia enim eſt Salvatoris, quod blaſphemia cum aliis vitiis ex corde procedit. Et quoniam caput Chriſtus non eſt præciſum à corpore ſuo, quod eſt eccleſia, proinde, ſi quis eccleſiam Dei, & authoritatem & virtutem, & ſanctos ejus ſpiritu blaſphemo aut ore contigerit, blaſphemiæ culpis, juſtitiæ pœnis pro rata delicti atque peccati libramento æquitatis divinæ obnoxius ſubjacebit. Igitur qui legis hæc mala devita. Matth. 5.

Cap. XXIII.

Qui dixerit verbum in Spiritum Sanctum, non remittetur ei.

AD ſecundum verò, quod timore horrendo noſtrum propulſat auditum, concurit cor, hebetat intellectum, quod inveniatur aliquod non remitti peccatum, quod dicitur in Spiritum Sanctum, multa eſt diligentia pro intelligentia inſudandum, ſed verborum connexionem prius inſpiciamus. Dicit ipſe Salvator. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Quis loquendi modus, quæ loquendi conditio, quæ locutionis neceſſitas, ad quid additio iſta, neque in futuro? Nam ſonare videtur, quod peccatum aliquod ſuſcipere poſſit veniam in futuro? Quod ſi eſt, quod eſt illud? Originale, aut veniale ſive mortale? Si autem quod hic non ſuſcipit veniam, neque in futuro ſuſcipiet, ſuperflua eſt iſta negatio, neque in futuro. Si peccatum aliquod in futuro remiſſionem ſuſcipiet, quam hic primo non ſuſceperit, erunt ergo in futuro ſæculo ſacramenta, ergo iterum militabit, quæ triumphare creditur eccleſia, ergo non unum erit judicium, præſens ſcilicet & futurum, & quòd hìc non ſuſcipit, alibi ſuſcipiet. Ergo erit pœnitentia, erit cordis contritio, erit confeſſio, erit abſolutio, erit ſatisfactio, erit aquæ aſperſio, erit ſacerdotis benedictio, erit oratio, erit chriſma, erit iterum extrema unctio, erit prædicatio, erit miſſarum celebratio, erit communio, erunt opera miſericordiæ, erit tunſio pectoris, erit peregrinatio, erit injuriarum remiſſio, erit pro originali malo baptiſmus, quibus omnibus in hoc ſæculo peccatorum omnium genera relaxantur, & remiſſionem ſecundum religionem Chriſtianam ſuſcipiunt, nec ſecundùm orthodoxam fidem aliter remitti poſſunt. Verum eſt, quod iſta in ſæculo futuro non ſunt, licèt peccata purgantur, ſed purgatio futuri ſæculi non eſt remiſſio, quia nihil ibi purgatur, niſi quod hic remittitur. Et multa hic remiſſa ſunt dolore præeunte ſacramentali myſterio, quæ per interioris doloris abundantiam, corporis actionem, & pœnam purgata non ſunt, nec futuri ſæculi purgantibus addita flammis. Et quod hic non remittitur, ſeu qui remiſſionem in hoc ſæculo ſub iſtius ſanctæ matris eccleſiæ juſto & miſericordi judicio antequam moriatur, non ſuſcipit, in futuro non tradetur flammæ purganti, ſed flammæ crucianti mancipabitur in æternum. Et qui hic ab originali malo flumine benedicto in catholica fide, trinitatis invocato myſterio, aut ſanguine fuſo pro CHRISTO, aut flamine ſuperinfuſo non abluitur, nec in futuro ſæculo abluetur. Etſi non apponetur gehennalibus flammis, neque affligetur in pœnis, viſione tamen carebit Domini Salvatoris. Sed hoc tantùm dico pro parvulis non ablutis. Qui autem attigerunt provectiorem ætatem rationis capacem, offendentes in lege naturæ, in lege originalis juſtitiæ, ſeu in Moſaica & Prophetica lege, in aliqua trium abluitionum in propria fide abluti non fuerint, ſicque deceſſerint, ut pueri non videbunt DEUM, & ut malorum authores ſecundum magis & minus, juſto DEI librante judi-

Matth. 12. Marci 3. Lucæ 12.

judicio habebunt asperum sensum. Iterum se offert quæstio præ foribus non relinquenda. Sunt & venialia peccata, quorum omnium non potest esse memoria, in contritionem dearticulata non veniunt, sacerdotibus non panduntur, quæ si non in hoc sæculo, in futuro remittuntur. Ego autem audacter affirmo, quod omne peccatum delectabiliter cogitatum, & cui voluntas præstitit assensum, prolatum aut factum, veniale sive mortale, de quo ante mortem potest esse contritio, si non dearticulatè, saltem indistinctè, & si potest tractari sacramentale mysterium, & non fit, non ad remissionem aut purgationem in alio sæculo reservatur, sed in æternam authorem detrudit penitus gehennam. Nam impœnitentiam venialis peccati dico esse mortale peccatum ædificans ad gehennam. Sed hoc à cordibus fidelium eximatur, quòd si quis absque mortali existens peccato, quamvis venialibus irretitus, repentè aut subitò nimia celeritate mortis jaculo feriretur, quòd nullum contritionis esset spatium, nec confessionis remedium, quòd nec æternis affligeretur pœnis, & remissionem post mortem, similiter & purgationem DEI misericordia largiente susciperet. Quòd si ad hunc articulum tantùm, illud neque in futuro, quasi sit possibile in futuro peccatum remitti, Salvator noluerit declarare, penitùs ignoramus. Sed largè tenentes peccatorum remissionis veram sententiam, adhuc verbum annexum, scilicet neque in futuro, in pendulo est, & quod Salvator sic dixerit, verè sic est. Nec quod dicitur est contra sententiam Salvatoris, sed ad eliciendam certitudinem veritatis. Sed iterum atque prius ad connexionnem verborum, retrogada consideratione redeamus. Ait enim: *Quicunque dixerit verbum contra Spiritum Sanctum, non remittitur ei.* Igitur solùm verbum dictum non remittetur, igitur nec & factum. Majus est malum facere, quàm dicere, aut majus dicere quàm facere, aut dicere non remittitur & facere remittetur, aut si non remittetur dicere, & multo majus facere. Titubat hic animus, quod ista sententia sonat, quam per occultas venas discutientes introibimus duce ducente in serenum atque planum ejus. Quicunque dixerit verbum contra Spiritum sanctum, diabolus est, aut membrum ejus. Sed habet membra, & membra mala, & pejora, & pessima. Optat diabolus hominem lædere, insidiaturque omnibus. Dux est malorum, complices sequuntur ducem. Dixit in corde diaboli membrum Verbum contra Spiritum sanctum, Verbum scilicet immutabilis propositi ad læsionem inferendam. Dixit enim in corde suo, non movebor à generatione in generationem sine malo. Obstinatus peccator immutabilem se dicit ad malum, nec quiescit donec lædat, quod odit. Aut se de mundo non credit exire, nisi malum perficiat, quod ipse concepit. Rebellat hic sanè gratiæ mutatrici, qui se in corde denegat ab ipsa velle mutari. Et mortis reprobat incertum eventum, qui ante ipsam credit perficere cogitatum. Dixit & alius Verbum in corde contra spiritum sanctum, qui Deum immemorem in corde suo appellavit, & etiam existimavit illius peccata in fine nolle punire, cujus vitam impunitam finit abire. Ait enim scriptura: Dixit enim peccator in corde suo, oblitus est Deus, avertit faciem suam, ne videat in finem. Peccavi, non pertuli pœnam, oblitus est Deus, præceptum præterivi, mansi absque tortura, oblitus est Deus. Belial sum, oblitus est Deus. Ab initio confregi virtutis jugum, DEO servire contempsi, oblitus est Deus. Faciam ampliora, imo deteriora, erunt impunita ut prima posteriora. Quare? Oblitus est Deus, & avertit faciem suam, notitiam sapientiæ suæ, ne videat in finem, ne quod in præsenti non ulciscitur, nec etiam in finem ulciscetur. Sed adhuc non quiesceret dicere Verbum contra Spiritum sanctum. Vide quid secutus adjunxit, ut sub interrogatione ac responsione propheta declarat, propter quid iritavit impius Deum. Respondit & ipse: Dixit enim in corde suo, non requiret. Quid non requiret? Bona ut præmiet, nec mala ut puniat. Negat iste in corde suo præmia justa, negat pœnas atque flagella derisoribus., negat percutientes malleos corporibus injustorum. Contra Spiritum sanctum in corde suo Verbum dixit, qui benignus est justus in judiciis peccatorum. Sed horum vide improbationem per illud quod sequitur: Vides quoniam tu laborem & dolorem consideras, ut tradas eos in manus tuas. Quod & Ecclesiastici sententia ex omni parte confirmat: Non dicas, à Deo abscondar, & ex summo quis memorabitur mei? In populo magno non agnoscar. Quæ est anima mea in tam immensa creatura? Ecce cœlum & cœli cœlorum, abyssus & universa terra, & quæ in eis sunt, in conspectu illius commovebuntur. Montes simul, & colles, & fundamenta terræ, cùm conspexerit illa Deus, tremore concutientur. Et in omnibus his insensatum est cor, & omne cor intelligitur ab illo. Qui etiam

Psalm. 9.

Ibidem

Eccle. 16.

dicit

dicit Verbum contra Spiritum ſanctum, injuſtus eſt, quia Spiritus ſanctus juſtus eſt. Injuſtus loquitur contra juſtum, quia injuſtus eſt, & ex ipſo quod contra juſtum loquitur injuſtus, & ſi ante fuiſſet juſtus. Sed ubi dicit, aut primo loquitur injuſtus, Pſalmiſta docet: Dixit injuſtus, ut delinquat in ſemetipſo. Ubi dixit injuſtus? cui dixit? Non extra per verba ſonantia, non auri audienti. Sed ubi dixit? In ſemetipſo? Quid dixit in ſemetipſo? Ut delinquat, ut Deum deſerat, ut ipſum offendat, ut peccet, ut lædat: ut ſe prohibitis nectat. Et quare? Quia non eſt timor Dei ante oculos ejus. Timor Dei donum eſt Spiritus ſancti, contra quem injuſtus dixit in ſemetipſo, ſcilicet deliberavit in mente. Igitur erit iſtud dicere Verbum contra Spiritum ſanctum irremiſſibiliter, ſcilicet timore carere, deliberatè malum perficere. Quid ni? Dicit enim ſcriptura: Qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari. Qui enim non juſtificatur, non remittitur ei, ſed retinetur peccatum. Suſtine amplius, ut videas clarius, quid eſt Verbum dicere irremiſſibiliter contra Spiritum ſanctum. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Ubi dixit inſipiens? In corde. Cui dixit? Nemini. Cui dixit, qui in corde dixit? Contra quem dixit? Contra Deum, quia dixit, non eſt DEUS. Et nihil majus contra Deum, quam eſſe negare Deum. Quis DEUS? Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Quia ſi non eſt Pater, neque Deus Filius, neque Deus Spiritus Sanctus. Si non Filius, neque Pater & Spiritus Sanctus. Si non Spiritus Sanctus, neque Parer & Filius. Relativa ſunt enim, & unus ſine alio eſſe non poteſt. Et tamen non tres Dii, ſed unus eſt Deus. Quomodo ei remittetur peccatum, dicenti non eſſe Deum Spiritum Sanctum. Sed qui dicit verbum contra Spiritum Sanctum, dicit contra Patrem & Filium, quia ſicut trinitatis opera ſunt indiviſa, ita & factæ offenſiones ad ipſam. Quare igitur magis invehitur contra Verbum in Spiritum Sanctum, quàm contra Verbum in Patrem & Filium? Quæſtio eſt ſubtiliſſima hic penitus non pandenda, ſed intende, quod cœpimus. Quis dixit? Inſipiens. Quis inſipiens; Qui ſapientia caret. Sapientia nobilius donum eſt Spiritus Sancti. Ecce duo dona extrema Spiritus Sancti, ſcilicet timor & ſapientia, quibus carentes injuſtus & inſipiens, non ore, ſed in corde contra Spiritum Sanctum dicunt, quia iniqui in corde, & corde locuti ſunt. Nam proculdubio majus malum eſt in corde de Deo trino & uno, & de incarnato Verbo atque fide malè ſentire, quàm ore proferre, aut opere malum facere. Et alius dixit in corde ſuo verbum contra Spiritum Sanctum, quem Propheta Iſaias commemorat: Quomodo cecidiſti Lucifer qui manè oriebaris. Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſupra cœlum exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo. Vide quomodo iſte per omnia in corde verbum dicebat contra Spiritum Sanctum, vide quomodo in iſto erat ſpiritus blaſphemiæ in Spiritum Sanctum, dicens verbum contra ipſum. Quid dicebat in corde ſuo? In cœlum conſcendam. Cœlum inſinuat celata & alta myſteria Scripturæ Sacræ, ſecretam ſupernaturalium morum ſcientiam, revelatio quorum ſpectat ad Spiritum Sanctum. Nam altiſſimæ ſapientiæ, intelligentiæ, ſcientiæ dona in ipſo ſunt, ab ipſo largiuntur, ab ipſo procedunt, & ubi vult ſpirat, & cui vult, & quomodo vult, & quando vult. Ad hoc cælatum cælum nullus niſi ipſo vocante conſcendit, nullus accepit, niſi cui ipſe dedit, nulli dedit, niſi qui ſe humiliavit. Super humiliatos requieſcit Spiritus Sanctus. Errat, qui ſe credit per ſe ſapere divina myſteria, ſui acuitate intellectus intelligere Sacræ Scripturæ ſecreta, ſupernaturalium morum ſurſum agentem ferentium ſine Spiritu Sancto habere peritiam, ſcientiam atque vitam. Ecce verbum dictum contra Spiritum Sanctum in corde. Sed vide quod ſequitur: Super aſtra cœli exaltabo ſolium meum. Sed qui propria virtute ſe ſublevat, propria defectione dejicitur. Aſtra intelligibilis empyrei aut intellectualis cœli, angeli ſunt, ſupra quos quis aſcendit? Cœlum ſcriptura eſt, cujus aſtra fulgentia ſunt luminoſiſſimæ veritates, quarum doctrinam ſolum Spiritus Sanctus habet inferre. De quo Salvator ait: Cùm autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Aſtra cœli ſunt ſancti fulgentes vita & doctrina præſentis eccleſiæ. Ipſa etenim cœlum dicitur. Super iſta quis aſcendit? Conditor Deus, qui carne velatus deſcendit. Benè igitur contra Spiritum Sanctum in corde ſuo protulit verbum, qui ſuper aſtra iſta exaltare voluit ſolium ſuum. Solium ſedes eſt regum. Reges ſedentes in ſolio, ſolent judicare ſubacta, diſcernendi proferre judicia. Sed quis hominum novit in ſolio ſuæ mentis judicare de ſubſtantiis ſeparatis, de ſpiritibus almis, de veritatibus luminoſis, de ſanctis perfectis, niſi conditor omnium Deus, qui

Pſalm. 35.

Eccl. 6

Pſalm. 13.

Iſaiæ 14.

Joan. 16.

eſt Spiritus Sanctus ? Quis igitur præſumet exaltare judicii ſolium, niſi temerarius, & mente ſuperbus, qui in corde ſuo verbum dicit contra Spiritum Sanctum ? Cujus ſanctificatione ſanctum eſt quicquid eſt ſanctum, clareſcit quicquid eſt verum. Vide ſequentia verba contra Spiritum Sanctum in corde prolata : Sedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis. Sedere actus eſt quietis. In monte teſtamenti. Quis mons teſtamenti, niſi altitudo hæreditaris divinæ, ex paterno teſtamento morte interveniente, qua confirmatur teſtamentum, Filius hæreditatem ſortitur. Quod hic tangitur, magni eſt myſterii, plurimos ramos habet, brevitatis ſecure ſuccidam. Oportet eſſe Filium legitimè natum, aut adoptivum, qui hæreditatem aſſequi concupiſcit. Non eſt Filius proprius neque adoptivus, qui verbum dixerit contra Spiritum Sanctum. Filius unus eſt proprius, cui ſemper fuit eſſe, quod præteritum, & futurum ſedit, atque ſedebit non habet. Boni autem cæteri per Spiritus Sancti gratiam ſunt adoptivi. Sic enim
Roman. 8. dicit Apoſtolus : Accepiſtis ſpiritum adoptionis Filiorum DEI, in quo clamamus, abba Pater. Ipſe enim ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quia ſumus Filii Dei. Si autem filii & hæredes. Qui verò per Spiritum Sanctum adoptivi ſunt, & altitudinem adoptionis cognoſcunt, modum adoptionis credunt, magnificam bonitatem adoptantis animo & moribus venerantur, volunt hæreditatem in monte teſtamenti, in altitudine bonorum ineffabilium, ſed non in lateribus aquilonis, quia ab aquilone pandetur omne malum, in cujus lateribus ſedere contra Spiritum Sanctum Sathan elegit. Animatur animus plura differere contra in Spiritum Sanctum verboſum, quare ipſum remiſſio non ſequatur, quod electo ſeſſionis in lateribus aquilonis ſatis apertè declarat. Latera aquilonis temporalia bona ſignificant, quæ frigidam animam faciunt à charitate, in cordibus verorum fidelium diffuſa per Spiritum Sanctum. A qua frigiditate omnium conſcientia teſte progreditur omne malum. Ait etiam Salvator :
Matth. 24. Quoniam ſuperabundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Non omnium negavit charitatem, ſed multorum, qui hic & in futuro peccatorum remiſſionem non aſſequuntur, quorum numerus ſicut & electorum ſoli Deo eſt cognitus. Sed ſi nubis damnatorum incertus eſt numerus, defectus, qui nobis eſt ex fide usquequo certiſſimus, quis eſt ? Frigiditas charitatis ſignata in lateribus frigidi aquilonis, à quo ſecundùm Jeremiam, pandetur omne malum, ſeptiforme ſilicet contra ſeptiforme Spiritus Sancti donum Et ecce verbum irremiſſibile dictum contra Spiritum Sanctum, pœniteat, doleat, gemat, laboret, agat quod vult bonum, remiſſionem non recipiet charitate privatus. Ipſa ſola eſt, quæ remiſſionem impetrat peccatorum, cujus frigiditas generat omne malum. Heu quid eligit ſedere in lateribus aquilonis ? Quod malum eſt, quod frigiditas iſta non faciat ? Quod malum eſt, quod temporalitas & temporalis claritas, & mundana ſerenitas non inducat ? Dicam audacius, quod cognoſco clarius. Nullum. Ad quam credulitatem vide teſti-
Eccle. 5. monium ſcripturarum. Salomon dixit : Ventus aquilo diſſipans pluvias. Flatus malus, qui ab aquilone procedit, imbrem ſanctarum ac cœlicarum doctrinarum avertens. Charitatis enim frigiditas confundit flamantia verba, nec pluviam ſuſcipit cœlitus miſſam, fervefactam ab igne divino. Et vaticinabatur Iſaias, dicens : Ab
Iſaiæ 14. aquilone fumus veniet, & non eſt, qui effugiat agmen ejus. Frigiditas charitatis & temporalium frigidus amor generavit in hominibus ſuperbiæ & vanitatis fumum, & ferè nullus invenitur ejus agmen evadens. Ipſa rerum experientia clamat, quantus ſit in hominibus appetitus honoris & laudis, dignitatis, & gloriæ, quanta in moribus extollentia, quantus faſtus in vita, quot novitates in malum, quot vanitates in vetitum, ut pauci reperiantur, qui ab aquilonari fumo non involvantur. Necnon aquilonaris fumus perverſus dogma ſignificat, quem de puteo abyſſali Joannes in Apocalypſi exire conſpexit, à quo obſcuratus eſt ſol, ſcilicet intellectus humanus, & ſanctæ contemplationis aër. Qui fumus generavit locuſtas, diſtortè animas incedentes, necnon ſe ſublevantes per tempus à terra in altitudinem virtutis, ſed ſtatim relabentes in ima, unde modicum fuerant quandoque ſublevatæ, habentes nefariam & defectivam poteſtatem permittente DEO more ſcorpionum inferre ſubdolè læſionem per dogmatis perverſi ſeminarium conantur, nullo valente præfugere, niſi qui ſignum DEI diſcretivum à malis, in frontibus mentis, & corporis indelebiliter habuit impreſſum. Sed ſicut deficit fumus, peccatores deficient à facie ſummi DEI. Ecce ab aquilone omne malum culpæ, ab aquilone ventus confundens Domini bona. Ecce ab aquilone fumus rectos oculos rationis multimodè lædens. Sed juſtum eſt, ut unde culpa exoritur, inde plectens pœna oriatur. Ille idem, qui vidit ab aquilone omne malum pandi, vidit ollam divinæ juſtitiæ igne

vindictæ

vindictæ ſuccendi, ſed facies ejus erat à facie aquilonis, ut inde feriat divina juſtitia, quo
Ibidem. proceſſit malitia. Et malum punitivum
Jerem. 10. idem vidit Jeremias ab aquilone, ut malum culpæ malum pœnæ reſculpat. Iterum autem dicit vox auditionis : Ecce venit, & commotio magna de terra aquilonis, ut puniat civitates Juda in ſolitudinem & habitaculum draconum. Aquilo te duxit ad facinus, aquilo te multabit; ut commoveariſ, nec quieſcas aliquando inquietus ad malum. Et deſolentur animæ, quæ nomine confeſſæ ſunt Deum, negaverequæ factis. Et habitacula fiant dæmoniorum, qui angelorum conſortium pravis moribus atque frigidis contempſerunt. Sed nec ſemper erit fœderatio ferri & æris ab aquilone, nam neceſſariò diſpergendæ ſunt divitiæ charitate carentium, & non calentium animarum habitantium in lateribus aquilonis. Igitur vide quantum quale verbum in corde contra Spiritum Sanctum dixerit, qui federe voluit in lateribus aquilonis, charitate ſe privans, quod donum Sancti Spiritus eſt muneris. Nec ergo mireris, ſi remiſſionem hic & futuro non ſuſcepit, magis attende quid ſequenter adjecit. Aſcendam inquit ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo. Nubes præ-
Pſalm. 77. dicatores à rebus ſublati ſunt terrenis. De quibus alio loco dicit ſcriptura : Mandabo nubibus deſuper, ne pluant ſuper eam imbrem. Altitudo nubium ſublimitas eſt doctrinæ Chriſtianæ, quam, quia ſimplicitate verborum abjecto dictamine tegitur, ſupergredi ſe credunt, ac etiam, quia videntur intelligere literam, ſubjacere putant occultam intelligentiam. Magis verò ſuper altitudinem nubium attolluntur, qui ſibiipſis non Sanctis doctoribus credunt, & majorem arbitrantur habere intelligentiam in veſtigatione doctrinæ, quàm concedatur gratiæ infuſione, & acquiſitione ſtudii, ſubtilitate ingenii, arte ſyllogizandi, inani peritia diſputandi evidentiora invenire ſe credunt, quàm virtute orationis & inſpirationis divinæ concedatur. Nubes fuerunt Apoſtoli & Evangeliſtæ, quia altitudinem ſcientiæ habuerunt, atque doctrinæ, ſed multi hæretici conati ſunt ſuperaſcendere. Multi ſapientes naturales ſe iſtis fecerunt ſuperiores. Multi etiam doctores appellati catholici nomine fuerunt, neſcio ſi in animo extiterunt, novitate loquendi, miſcendo cum ſupernaturali theologia naturam, cùm ſcriptura divina philoſophicam, hiſtoricam & poeticam, ſibiipſis ſupervolitare ſunt viſi, & quod eſt certum, in dubium revocantes per utrum, & quod eſt clarum & lucidum, in turbidum & obſcurum redigentes per utrum, quod eſt ſanum, infirmum facientes, per utrum, quod juſtum, prudens, modificatum, in contrarium vertentes per utrum, quod bonum moribus & doctrina, probatum, approbatum, comprobatum à Chriſto, ad litem revocantes per utrum, quod eſt ſanctitatis atque virtutis, quaſi non ſit contendentes per utrum, quod quæſtione non indiget, ad verborum controverſiam revocavêre per utrum. Si filius Dei neceſſario carnem aſſumpſit, ſi de virgine abſque ſemine, incorrupta lege naturæ concipi & naſci potuit, volentes invenire per utrum. Sique fecit, ſi decenter fecit, nitentes declarare per utrum. Si mandata ſacramenta ſunt neceſſaria, quomodo ſunt poſſibilia, ad quid expedientia, quare tot & non plura, ſemper retractantes per utrum. Ferè omnem ſcripturæ punctum committentes ad utrum. Quod humana ratione nunquam potuit, aut poterit inveniri, comprehendere ſatagentes per utrum, ſimplices mentes fidelium pervertentes per utrum. Et ſyllogiſtica forma utentes, videntur neſcire loqui niſi per utrum. Puram & ſimplicem & neceſſariam ſcripturæ ſcientiam non habentes, additis ſyllogiſmis quærunt apparere per utrum. Cùm comprehenduntur à ſenioribus & clarioribus, ſcutum ſyllogiſmum, & peltam faciunt utrum. Et in tantùm ſuper altitudinem nubium ſe levaverunt, ut modum loquendi prophetarum Chriſti & Apoſtolorum, & verorum & ſanctorum doctorum correxerint per ſyllogiſmos & tomos, quaſi pulchrior & aptior ſit modus loquendi philoſophicus & Ariſtotelicus, ſyllogiſticus & dialecticus, topicus & elenchicus, rhetoricus atque ſatyricus, quàm ille quem docuit, tenuit, edidit, & per prophetas Sanctos, Apoſtolos approbatos dederit pater & Filius & Spiritus Sanctus, & in tantùm exorbitaverunt naturales hominum mentes, ut ſuper altitudinem nubium ſe ſuſtollant, dicentes atque credentes, quod theologica non poſſunt apprehendi, niſi cæco Ariſtotele duce, & viam præbente orbato Platone, atque cæteris præeuntibus philoſophis, veris privatis luminibus, ſolùm innitentibus baculis ſcientiæ naturalis, quaſi velint aſſerere, quod in docendo & diſcendo ſupervolitet ſcientia naturalis. De quibus ſcriptura dicit : Vani ſunt
Sapien. 13. omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere, eum qui eſt, niſi operibus attendentes agnoverunt quis eſſet artifex. Proinde alia ſcriptura
Rom. 1. dicit : Credentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti

facti ſunt. Sed benedictus Deus Dominus, qui illuxit nobis, & poſuit nubem aſcenſum ſuum, & aſcendit ſuper cherubim, atque ſedit, & nubes ſuſcepit eum in cœlo, & in nubibus cœli veniet, ad quas ſola fides humilis atque ſimplex, oratio devota, meditatio ſancta appropinquabit humiliter, non ſuperaſcendet arroganter, ſuper quarum altitudinem credunt aſcendere, Spiritui Sancto contumeliam facientes, volentes aliter aſſimilari altiſſimo per ſuperbiam quàm deceat, non retinentes ſimilitudinem ſuam, quam ab ipſo in creatione ſuſcepimus, quæ reformata eſt in nobis quoniam redempti ſumus. Quomodo igitur qui ſic in corde Verbum dicunt contra Spiritum Sanctum, remiſſionem hic & in futuro non recipient peccatorum, niſi humiliter ſine curioſitate ſubdantur ſimplicitati vitæ & doctrinæ, quæ eſt in Chriſto JEſu Domino noſtro ſemper.

Cap. XXIV.

Quæ ſint peccata in Spiritum Sanctum.

Libet amodo ad prædicta finem apponere, ſed prius alio loquendi ordine quantula potero brevitate, in Spiritum Sanctum aliqua peccata ſubjungam. Qui ſpem veniæ ſibi adimit, Spiritui Sancto contumeliam facit, quia in ejus virtute omnia peccata laxantur hominibus, cui maledicto ſe primo obligavit Cain, dicens: Major eſt iniquitas mea, quàm ut Dei veniam merear. Et in novo teſtamento ſibi Judas ſe ſimili pacto conſociat, qui pœnitentia ductus, à deſperatione devictus, laqueo ſe ſuſpendit. Vult enim Spiritus Sanctus omnibus pœnitentibus miſereri. Denegat ergo miſericordiam Dei, qui deſperationis jaculo ſe confodit. Nimia præſumptione ſui ductus divinam juſtitiam arguit. Vellet enim peccare impunè à ſeipſo deceptus. Qui bona irremunerata, & mala impunita fatetur, Verbum habet irremiſſibile contra Spiritum Sanctum, quia cujus eſt indulgere ſubactis, præſumptuoſos in malum non relinquit impunes. Expedit omnino dolere peccantem, privata punctione doloris obſtinatio dominatur. Obſtinatus ad Spiritum Sanctum hoſtilibus dæmonibus eſt tradendus. Præteritorum malorum & veterum delictorum volens aboleri chirographum, ad cautelam futurorum expedit firmum fieri. Igitur diſpoſitus ad futura ſeu contingentia mala, Spiritus Sancti puritatem & ſanctimoniam vilefecit. Juſtè namque ignis æterni pabulum erit, qui ſemper paſtus eſt malo. Sine exceptione oportet veritati præſtare aſſenſum, victorioſiſſima eſt, & ſemper ſuos adverſarios conterit. Qui animo atque Verbo ipſam & facto, quam novit, impugnat, antiquo mendaci æquiſſimè tradetur in ſocium. Ad fratres, & proximos charitate conjungi divina jura præcipiunt. Invidentia pertinax hanc abolevit virtutem, quam, qui poſſedent, ejus efficietur juſto judicio collega, cujus invidia mors intravit in orbem terrarum. Ad pœnitentiam nos expectat conditor & redemptor, ad quam ſua benignitas teſte Apoſtolo, omnes peccatores adducet. Sed cor impœnitens Spiritui Sancto adverſatur benigno, cujus theſaurizator meritò ſubdetur ei, qui primum fuit adverſatus in cœlo. Quamvis autem omne peccatum mortale contra Spiritum Sanctum inſurgat, factorem etiam ſua gratia privat, iſta verò, quæ tanta malitia committuntur, dicuntur hic & in futuro non remitti. Quòd Verbum indiget declaratione altiori modo quàm litera jacet. Nihil bonum & pium eſt impoſſibile apud Deum, hoc credere catholicum eſt, contrarium verò fugatur à fide. Nullum peccatum poſſe excedere divinam bonitatem, miſericordiam & benignitatem, certiſſimum eſt, contrarium verò à veritate maculatur. Nullum hominem quantumcunque peccatorem adultum ante mortem, aut ante inhærentem omnino inſaniam, aut ante arreptionem à dæmonibus, quæ quædam mors eſt, cùm fieri permittit, qui in ſua diſpoſitione non fallitur, privari libero arbitrio, quo ſe poteſt pervertere, Dei gratia præſto ſtante pœnitentiam agere luce clarius patet. Contrarium verò recedit à luce, quæ inexperientia eſt. Unde igitur non ſequitur remiſſio in hoc Sæculo, neque in futuro? Non à Deo, quia non vult mortem æternam peccatoris, ſed ut convertatur & in æternum vivat, & vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Non à commiſſo peccato, ſuperat enim Chriſti paſſio quæcunque peccata. Et per Ezechielem omnium iniquitatum pœnitenti pollicetur remiſſionem. Sed ſequi poteſt à difficultate pœnitendi, propter exceſſivam à talibus malitiam peccatorum, & indiſpoſitionem ad pœnitendum, quæ neceſ-

Genes. 4.

Matth. 27.

Ezech. 18.

neceſſariò in agente habent iſta peccata cauſare. Rari enim ſunt in memoria hominum, quos ſcriptura commemorat, qui ad pœnitentiam venerint, remiſſionem acceperint hujuſmodi peccatores, quorum peccata dicuntur irremiſſibilia hic, & in futuro. Ad iſtorum verborum claram intelligentiam, ſcilicet neque in hoc Sæculo neque in futuro, cùm additionibus & modo proferendi oportet intendere, nam non ad omnimodam impoſſibilitatem per hanc negationem, ſed ad difficultatem iſta reducenda ſunt Verba. Aut neque in hoc Sæculo remittentur ſine contritione profunda & pœnitentia magna, neque in futuro ſine graviſſima pœna. Sive neque in hoc Sæculo, neque in futuro. ac ſi apertè dicat, quod non remittitur præeunte pœnitentia in hoc Sæculo, nunquam remittetur in futuro. Sæculum hanque iſtud eſt impetrandæ miſericordiæ, futurum verò diſtribuendæ juſtitiæ. Etiam in hoc Sæculo anima in bonum & malum vertibilis eſt, in futuro verò immutabilis in bono aut in malo erit omnino voluntas. Proinde anima, quæ ſe hic non convertit ad bonum, neque in futuro Sæculo convertetur.

Cap. XXV.

Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bona.

AGonizant plerunquè plurimi cauſam quærere peccatorum, & antiqua eſt iſta hominum quæſtio, in nullo temporis curſu ab aliquo, niſi unimodè non ſolvenda, quam ipſe Salvator in ſubjectis verbis exoluit. Siquidem *ex fructu arbor cognoſcitur. Progeniens viperarum, quomodo poteſtis bona loqui cum ſitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de theſauro ſuo profert bona, malus homo de theſauro ſuo profert mala.* Similitudines appoſitæ in ſuis proprietatibus naturæ, peccatorum & malorum progreſſum in ſua veritate declarant. Et arbor fructum ſi habet, unde habet? Præter id, quod videtur, cauſam, qua fructificat habet occultam, fructus in arbore ab occulta cauſa venit, ergo ex occulta cauſa fructus, ex fructu arbor cognoſcitur in qualitate, ſimiliter apud multos in ſpecie. Arbor eſt homo, fructum bonum aut malum facit, virtutis actum aut peccatum committit, judicabit veritas. Bonum fecit, ergo eſt bonus: Malum fecit, ergo malus eſt. Judicaſti arborem ex fructu bono vel malo, fructum verò, ex quo judicas? Si ex arbore, igitur erit idem judicatum & judicans, effectus & cauſa, opus & author. Omittamus verborum obvolutiones, nec ſimilitudines diſcutiamus per ſingula. Cùm bonus ſit homo natura creatus, velut arbor fructum proferens in tempore ſuo, unde facit malum, quæ cauſa mali? Erit igitur, quod bonum eſt, cauſa mali? Malum factum à mala cauſa ſortitur effectum. Cauſa mali rationalis arboris eſt mala voluntas, quæ extra ſeipſam non habet cauſam. Quod, cùm diximus de corruptela peccati, aliqualiter declaravimus. Cauſa verò bona, eſt voluntas bona, quæ extra ſeipſam habet ècontrario cauſam, ſcilicet Deum bonum creantem bona, & aſſiſtentem gratiam, ac per hoc omnis homo prior bonus aut malus eſt in voluntate propria, excepta bonitate naturarum, bonitas nanque naturarum ſemper manet, abſque quòd aliquid deducatur in actum, deinde ex mala voluntate aut bona, tanquam ex cauſa operatur bonum ſive malum, ad quod alludunt quandoque ſententiæ ſupradictæ. Siquidem ex fructu arbor cognoſcitur. Ac ſi apertè dicatur: Si fructus bonus, homo bonus: Si malus, homo malus. Cujus fructus voluntas eſt cauſa, ex qua dicitur homo bonus vel malus, vel quod ſimilitudo ſubjuncta declarat. Progenies viperarum, quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali? Quare? Quia ex abundantia cordis os loquitur. Ex eo enim, quod cujuſque voluntas appetit, loquitur, quærit, & dicit, & operatur, & quod theſaurus non habet, expenſor aut cuſtos non profert. Inde fit, quod voluntas non appetit, lingua ex affectu non loquitur, & corpus per opera non requirit, & quòd voluntas appetit, lingua profert, & actio quærit. Et hoc eſt, quod Salvator adjecit: *Bonus homo de theſauro ſuo profert bona, & malus homo de theſauro ſuo profert mala.* Etenim theſaurus & locus conſervationis ejus eſt voluntas, ex quo ad peragendam viam noſtræ perditionis atque ſalvationis exhauriuntur expenſæ. Igitur mutet voluntatem, opus mutare deſiderans. Opere non mutato juſtitia Dei cadit perpendiculariter ſuper eum, ut ſecundùm, quod eſt à ſua cauſa productum, authorem ejus puniat, aut beatum faciat. Convertitur hoc in locutionibus catholicæ fidei atque ſcripturæ, etiamſi diſſentiant vanarum

Matth. 12.

narum quæſtionum aucupatores. Quòd ex mala cauſa malus ſequatur effectus, & ex malo effectu cauſæ malitia judicetur, Salvatoris eſt iſta ſententia, quia ex fructu arbor cognoſcitur. Proinde ſi quempiam velis agnoſcere ad imitandum ſive cavendum, conſidera exteriores effectus, interiores affectus nemo niſi Deus poteſt inſpicere, ſive cui de ſpeciali dono gratiæ fuerit elargitum. Fructus verò exteriores, quos nominamus ſenſuum actiones innumerabiles, ſed impertinentes atque culpabiles ab pertinentibus atque inculpabilibus oportet ſecernere, ſed non inſpicias hominum phyſiognomiam, ſecundùm quam ſuperbi philoſophi ſuperbiſſimè atque incautè innumeros judicaverunt, non deferentes divinæ gratiæ ſive potentiæ nec hominis liberæ voluntati, tantummodo in actionibus ſenſuum, quem deprehendere cupis, obſerva. Loquela interdum loquentis idioma inſinuat, & rarò fallit, præterquam in his, qui aut longo tractu temporis, aut nimia peritia linguam aliam velut originariam didicerunt, ſicque loquuntur, ſed impoſſibile ſit, ut interdum non relabantur in illam. Equidem & ipſa locutio, qualis quis fuerit, ſæpe pandit. Poſuit enim cuſtodiam ori ſuo, & oſtium bonæ circumſtantiæ labiis ſuis, ſibi per virtutem prædominatus in corde, ut nihil indiſciplinatum aut reprehenſibile dimittat à labiis. Et præter neceſſitatem non faciet Verbum, & ubi eſſe aut expedire poterit per ſilentium, non loquetur, ubi per pauca verba non abundabit amplius. Coactus ad verba dominabitur ipſis per tempus & modum, numerum atque pondus. Quem videris de numis, de mulierum pulchritudine, pompaticè, funbundè, accuratè, arroganter, deriſoriè, æmulaticè ſæpe loquentem, in his ex intimis cognoſce affectum. Quem videris viſum figere in faciem fœminarum, & levium virorum vel puerorum ſpectacula & artium novitates ſedulò intuentem, his applicatum agnoſce. Præſtantem facilè rumoribus & relationibus atque inutilibus narrationibus aurem, ſine cunctatione levitatem in animo reſidere cognoſce. Applicantem ad inutilia corpus, crede inutilem, ad vitia ſe verò jungentem, judica penitus peccatorem. Difficulter tamen diſuelantur hominum ſimulationes & hypocritales figuræ, inaſciſcitem verò rarum vidi poſſe decipere. Semper enim ad ſimiles ſe conſtringit affectus. Infallibiles penitus ſunt ſuprapoſitæ ſententiæ Salvatoris.

Cap. XXVI.

De Verbo otioſo reddenda eſt ratio in die judicii.

TErret amplius nos Salvator exacturus de noſtris actibus rationem, ut cavemus à malo. Juſtus exactor eſt Deus & infallibilis perſcrutator, ut nullus effugiat exactionem ejus. Sempiterna quoque memoria ejus retinet parva & magna, quæ nos oblivioni mandamus, ac etiam, ſi vellemus propter inſitum defectum retinere, non poſſumus. Unde ſtatim, quia dixerat os ex abundantia cordis loqui, ne invanum loqueremur, nos terrendo adjecit. *Dico autem vobis: Quia omne Verbum otioſum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Si de otioſo, quid de mendacio, quid de perjurio, quid de falſo teſtimonio, quid de blaſphemia, quid de injurioſo Verbo, quid de diſcordioſo, aut de ſimilibus malis linguæ, quæ non hic, ſed alibi ſunt tractanda? Quid voluit hic Salvator innuere? An ne voluit per comparationem loqui, ut ſi de minoribus ratio multo magis de majoribus exigerur? An omne malum linguæ ſub iſto voluit intelligi, aut ſolùm quod ſic prolatum eſt, voluit præcaveri? Sed verba ſacræ ſcripturæ à præcedentibus ſæpe dependent & à ſequentibus innoteſcunt. Quia ſupra per paradigmata dixerat voluntatem bonam aut malam, cauſam eſſe bonorum atque malorum. Verbum igitur otioſum velut malus fructus arborem condemnat in cauſa, & velut denarius falſus theſaurum in malis repoſitum judicat, quia malus malum profert de malo. Igitur verbum otioſum erit omnis locutio impertinens, & omne malum dictum malam adeſſe voluntatem declarans, quia ex abundantia cordis os loquitur. Sed proculdubio magis dixerim ex præcedentibus verbis, atque ſequentibus ſumendo ſententiam, eſſe verbum otioſum verbum bonum, cui bona opera non reſpondent. Nam otioſum eſt verbum, quo quis ſe medicum profitetur, cui medicinæ peritia non aſſiſtat, aut ſi aſſiſtit, operari deſiſtit. Otioſum verbum eſt, quo quis ſe militem eſſe fatetur, ſed nunquam militaribus actibus potuit, aut ſcivit adeſſe. Otioſum verbum eſt, quo ſe quis artificem, aut alicujus miniſterii ſe fore inſinuat, cujus

jus operibus ſemper privata extitit manus, quæ nec actum poſſet, aut ſciret applicare potentiam, quam verbo dicit habere. Nihilominus tamen verbum bonum eſt, quo quis artificem alicujus miniſterii ſe fore inſinuat, quia bonam rem dicit, & bona eſt lingua, & bonum eſt cor in eorum natura atque ſubſtantia, ſed eo ipſo verbum eſt otioſum, quo per opera non firmatur, Otioſum eſt verbum, quo quis ſe confitetur hebræum, ſi non circuncidatur, aut non Moſaica ſeruet. Magis eſt otioſum verbum, quamvis proferat bonum, quo nos dicimus eſſe Chriſtianos, & Chriſtiani volumus appellari, Chriſtianitatem verò operibus non affirmamus, imo moribus improbamus. Et otioſa eſt locutio vocare quempiam Dominum, & ejus non obſequi voluntati, quod ſecundùm alium Evangeliſtam ad hæc verba Salvator adjunxit: *Quid autem vocatis me Domine Domine, & non facitis quæ dico?* Quaſi dicat: Inutilis eſt in aliqua profeſſione locutio, & verbum eſt otioſum, ſi operibus non firmatur, dum per mores & vitam oporteat eſſe, quod dicitur: Ecce igitur, de quo reddamus rationem, cùm exacti fuerimus in die judicii, ſi otioſè nos diximus eſſe Chriſtianos, & ſi operibus probavimus aut improbavimus, quod verbo profeſſi ſumus. Quam intelligentiam verba ſequentia manifeſtant, *Ex verbis enim tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Quis igitur juſtificatur ex verbis, ſtantibus operibus mortuis? Quis damnabitur ex verbis otioſis, per pœnitentiam correctis, & ſtantibus operibus vivis? Iſta ergo ſententia, ſi noſtris animis claret. Ex verbis tuis juſtificaberis ſi Chriſtianam religionem juratis debitis operibus approbaſti, ex verbis tuis condemnaberis, ſi ipſam profeſſus corruptis moribus improbaſti, ut ſi es, quod dixiſti, ſuſcipe gloriam, ſi non, accipe pœnam. Igitur qui legis hæc, mala devita.

Cap. XXVII.

Generatio prava & adultera quærit ſignum.

SIne intermiſſione verborum quædam Salvator reprehendit, à quibus omnino præcavere oportet fideles. His ſupra dictis ex adverſo infidelitas curioſa conſurgit, quæ per ſigna quærebat confirmari verba, quæ tanta veritate pollebant, ut plus eſſent, quàm omnia, plus enim veritas, quàm omnia ſigna valet. Et in curioſitate malè ſociati ſunt Nazarætis, qui miracula curioſè à Salvatore petebant. Nam quoniam videbatur altæ traditionis, quod Salvator ait; Ex verbis tuis juſtificaberis, tunc ſtatim quidam de ſcribis & phariſæis dixerunt: *Magiſter volumus à te ſignum videre.* Ecce verbum otioſum, de quo ſupra proximo fati ſumus, vovere magiſtrum, cujus doctrinæ non ut diſcipuli boni credunt, nam ſi crederent, ſigna non peterent. Infidelibus non fidelibus data ſigna noſcuntur, nec magiſtrorum eſt facere ſigna, ſed inferre doctrinam. Vide ergo, quod iniqui ſua locutione ſe deſtruunt, cùm ore loquuntur, quod facto confundunt, ſed eos Salvator reſpondendo declarat, quanta in eis animo dominetur iniquitas. Et magna oportet conſideratione inſiſtere circa verba, per quæ Salvator vitus eſt aliquos improbare. *Reſpondit namque dicens: Generatio mala & adultera ſignum quærit, &c.* Omnis generatio ſua natura & ſuo nomine bona eſt, quid eſt quod additum eſt, mala & adultera? Ex voluntate mala, naturæ bonæ adjungitur, quod à Domino reprobatur. Quid eſt ergo generatio mala, ſive unde generatio mala, aut in quo mala? Nam generatio, qua quis ab alio generatur, ut ex uno multi generentur dici ſolet, quæ prout generatio eſt, neque peccatum, neque mala dici debet, quia donum Dei eſt per ſeminariam virtutem collatum ipſi humano generi. Quæ ſi per matrimonii legem fiat ſine libidine, aut adjuncto libidinis malo, aut per aliam libidinem extra matrimonii legem, generatio mala non eſt, quia bonum naturæ eſt. Nam malum libidinis non turpat bonum generationis, ſicut bonum generationis non honeſtat malum libidinis. Et ſicut bona generatio malum libidinis non poteſt auferre, ſic malum libidinis generationem bonam non poteſt maculare, ſed nec de hujuſmodi generatione Salvator eloquitur. Sed etiam generatio ſolet dici quæcunque hominum congregatio, qui in uno genere vivendi conveniunt, velut ſi ab uno patre habuiſſet exortum, quæ ſi bonis moribus fulget, bona: Si malis turpata tabet, ma-

Matth. 12. Marc. 8. Luca 11.

la vocatur, quo loquendi genere illam Judæorum generationem appellabat malam, quia malis & perditis moribus corrupta erat, & propter idololatriam, in quam sæpe ceciderat (sicut ferè omnes prophetæ fuerunt prælocuti) adultera meruerat appellari. Sed prætermissis Judæis, quibus tunc Dominus & Salvator loquebatur, & etiam nunc ex Evangelio posset intendi adversus nefarios Christianorum mores, ista duo verba retorqueri libet, ex dictis veteris testamenti per similitudinem sumentes initium, quæ adhuc non sunt sopita, nec dormiunt, sed prout clamavere, atque prolata sunt adversus perfidos Judæos, nunc in Spiritu adversus malos Christianos magis inclamitent. Audi legissatorem Judæorum disserentem, unde sit generatio mala, quia fidem fregerant fideli, & iniquitatem reddebant iniquitate carenti, injustitiam justo, & obliquitatem recto.

Deut. 32. Deus inquit fidelis, & absque ulla iniquitate, justus & rectus, peccaverunt ei, & non filii ejus in sordibus. Generatio prava atque perversa, hæccine reddis Domino

Psalm. 144. populo stulte, & insipiens? Fidelis est Deus nobis in omnibus promissis ejus, nam & David dicit: Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. A fideli non expedit per infidelitatem averti. Utrum fideli Deo promissam servemus in baptismate fidem, & in aliorum participatione sacramentorum, omnes qui Christiani sumus, nosmetipsos interrogemus, & respondebit nobis conscientia nostra quanta infidelitate turpemur. Infidelitas est enim licitum & honestum, atque utile non servare promissum, quam si discutere vellem per singula, tempus potius deficeret quàm materia. Nullam iniquitatem ad nos opreatus est Deus, nequit enim, & nescit, & non vult, est enim absque ulla iniquitate. Psalmista

Psalm. 91. per simile clamat: Quoniam rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo. Tota verò iniquitas dicitur lædere innocentem, & bonum facienti semper rependere malum. Quem unquam læsit omnipotens? Quid nobis debuit & non fecit? Imo in nullo nobis existens obnoxius, nulla debiti lege ligatus, ineffabili sua largitate bonorum suorum voluit esse dator, promissionibus debitor, pietate redemptor, & ultimo glorificator in superis. Et nos ex adverso per iniquitatem montem malæ atque iniquæ recompensationis ascendimus. Et justus est Dominus, qui justitiam dilexit, cui nos injustitiam fecimus, auferentes nosmetipsos à servitio Sancto suo, ad quod omnis justitia nos obligat, Injustitiam facit, qui omnibus non reddit debita jura. Injustitia damnabilis est, se suo denegari factori. Rectus est, qui obliquari non potest: Rectus, qui nullos novit anfractus: Rectus qui rectè judicat: Rectus, qui utitur ponderibus justis. Igitur rectus est Deus. Quod Psalmista ca-

Psalm. 24. nit: Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Et cum sua rectitudinis linea vult omnes incedere, à qua obliquamur mente corrupta & moribus depravatis. Sed quis multitudinem infidelitatum, iniquitatum, injustitiarum, obliquitatum, quas falsi Christiani velut aquam intrepidè bibunt, calculare præsumet? Obrigerent digiti, resolverentur musculi, ad scribendum verò careret potentia manus. Sed qui fecerunt hæc? Qui Domino peccaverunt, qui non sunt filii ejus, privari pro nihilo pendunt hæreditate ejus. Sed nitidi sunt filii ejus, qui verò ei peccant, sunt in sordibus. Ideo dicit: Peccàvere ei, qui non filii ejus. Ubi peccaverunt? In sordibus peccatorum, in sordibus temporalium rerum. Sordes enim sunt temporalia respectu cœlestium. Et sordes Jerusalem declamat Jeremias esse

Thren. 1. in pedibus ejus, dicens: Sordes ejus in pedibus ejus. Sordes in pedibus, temporalia in affectibus. Nam in æternis & pro æternis Domino non peccatur, sed pro his, quorum brevis est mora, & vicinus semper est finis. Sed quis sordeat quantum vult secundùm sententiam Joannis in Apocalypsi, tempus est breve & fi-

Apoc. 17. nis vicinior. Et ex his dixit Moyses: Ge-

Deut. 32. neratio prava atque perversa, hæccine reddis Domino populus stulte & insipiens? Generatio est prava, quæ suis consuetudinibus indurata corrigi nequit, magis verò non vult. Perversa verò quæ rectis itineribus non incedit: Imo quæ omnia recta pervertit. Nam pravus est incorrigibilis, indisciplinabilis, indoctrinabilis divinis theoriis atque actionibus, solùm firmatus in placitis. Et hoc est quod Jere-

Jerem. 17. mias dicebat: Pravum est cor hominis, non corpus, non oculus, non lingua, non manus, aut cætera membra, & imperscrutabile, quis cognoscet illud? Nullus, nisi qui scrutatur renes & corda Deus. Perversus verò est, qui primo seipsum pervertit à Deo, & perversa meditatur, & operatur in moribus, nec in seipso seipsum retinens, vita, doctrina cæteros pervertit, & perversis itineribus suadet incedere. Et hæc est generatio mala, legissatore dicente: Hæccine. Ac si dicat: Ecce ista sunt mala, infidelitas, iniquitas, injustitia

justitia, obliquitas, pravitas, perversitas, quæ tu populus stulte, populus insipiens reddis Domino, unde dicitur generatio mala. Unde ipse secutus adjungit: Generatio enim perversa est, & infideles filii. Sed audi, Psalmographum per eundem loquentem Spiritum, quo primus legislator intonuit. Psalm. 77. Ne fiant sicut patres eorum, generatio prava & exasperans. Generatio, quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo Spiritus ejus. Sed audi sententiarum intentum, qui concordiam legisti verborum. Prænonet David, ne fiant. Qui? Qui nascentur. Sed Deo gratias, quia nati & educati sunt. Qui sunt qui nascituri prophetabantur, & hodie nati sunt? Christiani. Cum istis David in Spiritu loquens agebat de cavendo, ne fierent sicut patres eorum, qui fuerunt generatio prava & exasperans. Nam Christianii filii sunt Hebræorum aut Judæorum, non ex traduce seminis in carne, sed in fide. Et filii vocamur Abrahæ, non per ancillam, sed per liberam, quæ fide, ac etiam super naturam concepit. Et pater fidei nostræ dicitur Abraham. Et omnes prophetæ patres sunt, & Christiani filii prophetarum sunt per fidem, quæ revelanda erat, nunc revelata est. Et Christus Judæus est per carnem, sed nos filii sui sumus aut fratres per fidem. Apostoli sanè omnes Hebræi fuerunt, & nullus de præputio, sed omnes de circuncisione habentes originem. Et nos filii Apostolorum sumus per fidem. Nam suos conversos vocabat Apostolus per fidem filios, & blandiori vocabulo filiolos. Sed non sunt hi patres, quorum est, aut fuit generatio prava, atque perversa, secundum quos Psalmista prænonet, ne fiat populus. Sed fuerunt innumeri fidem habentes Dei unius, sicut & modo habent Christiani, sed moribus, vita, verbis irritaverunt Deum, pravi fuerunt nec correcti sunt, exasperaverunt Deum. Nam quoties exacerbaverunt Deum, provocaverunt, exasperaverunt, si quis Exodi, Levitici, Deuteronomii, Josue, Judicum, Regnum historias legerit & prophetas reprehendentes & mala commemorantes inspexerit, non ignorat. Sed non est nostri operis veteris testamenti, Ezech. 8. sed novi elucidare moralia. Et pet Ezechielem dixit, quia domus exasperans est. Et generrtio, quæ non direxit cor suum, scilicet coram Deo, ut via ejus esse directa in conspectu Dei ejus. Psalm. 5. Quod petebat idem David, dicens: Dirige in conspectu tuo viam meam. Illa enim generatio aut anima non direxit cor suum, quæ infami graditur via, & de quibus sapientia loquitur: Væ duplici corde, væ peccatori terram ingredienti duabus viis. Quia una Eccl. 2. est, quæ ducit ad patriam: Væ dissolutis corde, qui non credunt Deo, ideo non protegentur ab eo. Propter quòd etiam dicitur generatio mala, quia non est creditus cum Deo Spiritus ejus, scilicet rupta fœderis liga. Ad malæ generationis noto Proverb. 30. rium ipse Salomon animatur, dicens: Generatio, quæ patri suo maledicit, & quæ matri suæ non benedicit, generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis, generatio cujus excelsi sunt oculi, & palpebræ ejus in altum subrectæ, generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, ut comedit inopes de terra, & pauperes ex hominibus. Patrem habemus creationis ex nihilo, in eo, quia sic facti sumus, quo jure benedictionem omnium sibi vendicat, quod tres pueri Danielis in ignem Daniel. 3. corporeum injecti, sed à Deo intus illuminati exclamaverunt: Benedicite omnia opera domini domino. Et David: Be- Psalm. 15. nedicam dominum qui mihi tribuit intellectum. Et alibi: Benedicam dominum Psalm. 33. in omni tempore. Si benedictio ei ab omni creatura pro modulo suo debetur, quæ igitur est ista generatio, quæ patri æterno maledicit? Illi, qui secundùm Psalmistam malè de Deo loquuntur, dicentes: Psalm. 77. Et malè locuti sunt de Deo, dixerunt; nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quæ igitur pejor maledictio, quàm de Dei potentia dubitare? Dubitaverunt illi de mensa reficiendi corporis in deserto solitudinis, dubitatur hodie à pluribus de mensa reficiendi Spiritus in cursu nostri temporis dicentibus, quomodo fieri potest, ut in tam parva hostia sit veritas Christi corporis? & maledicunt Deo, qui de sui potentia dubitant. Sed homo, qui maledixerit DEO suo, portabit peccatum suum. Et prohibetur ne maledicatur princeps populi, multo magis dominus universi. Habemus patrem carnis, habemus patrem Spiritus, similiter & matrem, de quibus hæc sententia profertur à domino: Qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Et qui matri carnis non benedicit, peccat. Qui matri ecclesiæ non benedicit amplus peccat. Qui virtuti matrici non benedicit, peccat; Qui Jerusalem supernæ, quæ sursum est, matri nostræ non benedicit, culpatissimè vivit. Nam non benedicere, nihil aliud dixerim, quàm ejus non assentire præceptis,

non consentire virtutibus, non dare monitis aures, de judicio & justitia non lætum fieri. Generatio, quæ sibi munda videtur, præsumpsit, quia nemo mundus à sorde, & nemo potest facere mundum de immundo conceptum semine. Qui dixit ego mundus, non fuit de mundo. Et si præter illum quispiam fuit mundus, singularitatis fuit divinæ, non generationis aut virtutis humanæ. Si autem dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus. Si verò dixerimus, bona opera facimus, omnes quidem justitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. Ideo sequitur: tamen talis generatio non est lota à sordibus suis. Reprobata generatio est hominum, quæ oculos excelsos habet ad judicandum, & quæ oculos erigit ad ea, quæ habere nequit. Proverbiator dicit: Ne erigas oculos ad opes, quas habere non pores, quia facient sibi pennas quasi aquilæ, & volabunt in cœlum. Palpebræ autem subrectæ in altum apertos faciunt oculos, ut plus velimus videre, quàm expediat, plus judicare, quàm liceat, plus appetere, quàm sufficiat. Nuntius est cordis, corporis oculus, & cùm renunciat ea, quæ viderit, oritur appetitus. Generatio mala est, quæ pro dentibus habet gladios. Sufficiunt hominibus dentes ad contrectandum sufficientia vitæ animalis, qua more animalium vivimus, quæ superflua non requirunt, cùm ipsa natura sit refecta de paucis. Sed habemus gladios ad occidendum alios, ut alios occidere ipsorum sit vita. Vel hoc est gladios pro dentibus habere, aliorum mortem suam vitam putare. Et commandit molaribus conterens impotentes, velut canis ossa corrodens, & inopis inopia vestiatur, ut ad inopiam miseriam persecutionis adjiciat & pauperes non sinat vivere cùm hominibus super terram, ut si non habent aliquid impendendi muneris, personali subjiciant servituti, aut quia ex eis nullum fructum suscipiunt, dolent, quod vivunt, & velut steriles arbores succidendos decernunt, quod proprium est hominum tyrannorum. Necnon illa est mala generatio, quæ gladio dentium & linguæ omnes diffamando interficit & conterit, & inopibus & pauperibus eriminationibus maledicit, quia illos, quos DEUS diligit, odit. Sed nontantùm malam, etiam appellavit adulteram. Nam non omnis malus adulter, sed omnis adulter malus. Malam appellabat propter multitudinem peccatorum, adulteram solùm ad idololatriam referebat. Nam quanta idololatria fuerit infecta synagoga, Judæa & Samaria, veteris testamenti sacra Scriptura commemorat. Sed proprietatem adulteræ mulieris videamus, ut capiamus ad devitandum adulterium spirituale. Adultera mulier dicitur, quæ per amorem concupiscentia carnis adulteri conjungitur, etiamsi carnis copula non sequatur. Adultera est omnis mulier, quæ vivente viro corpori alterius se conjunxit. Adultera est, quæ in domo viri vivit sine legibus justis ejus, aut legibus dilecti regulatur alterius. Adultera est, quæ se comat præterquam ad placitum viri. Adultera adulterinis, & fornicariis affectat placere conspectibus. Adultera est, quæ alium in suum nutibus, & gestibus provocavit amorem, etiamsi decipiat. Adultera est, quæ alteri fidem dedit Verbo, etiamsi animo non consensit. Adultera est, quæ alteri consensit in animo, etiamsi fidem non dedit, aut negavit Verbo. Adultera est, quæ mortem affectavit viri, ut nuberet alteri. Adultera est, quæ fidem dedit alteri de nubendo post mortem viri. Adultera est, quæ in morte viri propter alium præstitit assensum, aut si solùm ipso affectavit carere. Adultera est, si plus debito per blanditias ad libidinem excitat virum. Adultera est, si viro consentit coire cum altera: excusantur in hoc Sara & uxores Jacob. Adultera est, si viro consentit in prohibitis reluctari valens. Adultera est, quæ in coitu subdita viro per ardorem, & delectationis concupiscentiam alium imaginatur. Adultera est, si viro dedit adulterandi causam. Adultera est, si aliquam, licet non in se, adulterare fecit in aliis. Adultera est, quæ odit ex animo virum suum. Adultera est, quæ viri diligit vitium. Adultera est, si sciens virum certè adulterum existentem, nec dimittentem pelliceam aut adulteram, & secum patitur ex animo habere carnis comercium. Adultera est, quæ cum pellicea, aut alia adultera pactum de viro fecit tacitum vel expressum. Et versa vice dicitur vir adulter, quamvis in forinseci foro judicii non omnes hi actus adulterium judicarentur habere. In judicio verò rationis & infallibilis veritatis, omnes sunt puniendi, atque adulterino judicio judicandi, quod secundum primas quinque sententias quælibet generatio, congregatio, collectio, societas, & quælibet anima singularis apud Deum

1. Joan. 1.

Proverb. 23.

Deum in idololatriis & erroribus, in depravatis affectibus, atque moribus reputatur adultera, adulterarum judicio judicanda. Proinde & per hoc copulatio amoris abs Deo, & copulatio mali operis adulterium facit. In domo DEI vivere ſine lege Dei, & Chriſti, adulterium eſt. Regulari regulis ejus, quod nequiter diligitur, aut quod malè intelligitur, ſcilicet pravitatibus hæreſis, philoſophicis, ſatyricis, magis quàm divinis delectari doctrinis, execrabile adulterium dicitur. Ornari quibuscunque inviſibilibus aut viſibilibus præter æterni ſponſi placitum, juſtum divortium fecit à Chriſto. Malè malis velle placere, Chriſto certiſſimum eſt diſplicere. Nam qui malis placet in malo, malus eſt, & qui conſentit in crimine, criminoſus. Ornamentum animæ differt à corporis ornamento, illud inviſibile, iſtud viſibile: illud incorruptibile, iſtud corruptibile. Et mulier ornamentum quærens absque placito viri, notam ſibi malè ſuſpicionis induxit. Nam nulla uxor eſt ad ſeipſam, ſed virum, tantum mulier adultera eſt ad ſeipſam. Proinde nec anima deſponſata Chriſto ſponſa eſt ad ſeipſam, ſed ad ſponſum Chriſtum. Igitur ſecundum placentiam ſponſi uxoris ſunt ornamenta. Non ergo anima quærat aliquid, au itnviſible ornamentum, niſi quod æterno ſponſo in placito ſit; nec velit placere, quibus ipſe non placuit, imo nulli, qui ad Chriſti diſplicentiam venit. Nam nullum placitum ab hominibus ſumit niſi virtutis, & qui virtuoſi noſcuntur, placitum in aliis aliud, quàm virtutis non quærunt. Placet virtus Deo, angelis & hominibus virtuoſis. Manifeſtum eſt autem diſplicere contrarium, aut manens indifferens non placere. Proinde animo ſic placens, legitima ſponſa eſt, in aliis & contrariis & aliter ſe componens, adultera eſt. Sed hæc mala & adultera generano malum aliud curioſitatis ſuperaddebat, quia ſigna quærebat, ſed non accepit, quod malè petivit. Juſtè negatur injuſta petino. Et divina repreſſione ad ima reflectitur, qui per curioſitatem ſe in alta ſuſtollit. Petebant enim hi altitudinis ſigna clarentia de ſupernis, velut aſſoliti ſignis mirabilibus in Ægypto coram duritia Pharaonis, in portentis magnis, in diviſione rubri maris, in eorum tranſitu per medium ſicci maris, à dextris & à ſiniſtris pro muro ſtantibus aquis, in ipſius reductione ſuper Ægyptios inſequentes, in ducatu mirabili columnæ ignis & nubis, in tonitruis & clangoribus, in ſplendoribus & terræ motibus, lampadibus & nubibus in monte Sina, in datione legis, in crebris apparitionibus gloriæ Domini ſuper tabernaculum fœderis, in ſupernaturali eductione aquarum de ſaxo duriſſimo, in ſupermedicinali ſanatione illorum, qui morſi fuerant à ſerpentibus venenatis, per conſpectum ænei ſerpentis, in paſtu mannæ ſegregata omni actione, productione naturæ miniſtrato populo per miniſterium angelorum, in ſubita & in mirabili eductione continuum ad votum ſenſualis populi adhuc in carne ſenſualiter laborantis, in mirabilibus, quas de hoſtibus habuerunt, Domino pro eis pugnante de cœlo, in claris teſtificationibus factis miniſtris Moyſi, in contradictione Chore, & abſorptione Dathan & Abyron, qui prima ſchiſmata in populo Dei ſuſcitaverunt, in dulcoratione aquarum, & deſuper factis percuſſionibus quomodolibet delinquentium, in mirabili conſcriptione divinorum mandatorum, facta digitu ſancto Dei, in inaudita & præter communem ordinem rerum ſignificativa magis myſterii, prodigioſa & portentica conſervatione veſtium & calceamentorum per quadraginta annos in deſerto ſolitudinis, in mirifica & admiranda caſtrorum metatione per quadraginta duas manſiones factas, ſemper deſuper dato ſigno divinæ nubis, requieſcentis ſuper fœderis arcam pro tanto ſpatio temporis, pro quantu divina ſapientia illum tunc ejectum populum volebat in loco manere, ac etiam in ſignifica motione nubis & gloriæ, ut moveretur & arca, circa quam per ſuas turmas caſtra metaturus erat populus ille Dei. Et in mirabilibus & ſignis clariſſimis factis tempore Joſue primo ductore de Ægypto in monte Baurim jubente domino quieſcente per murtem. In apparitionibus angelorum armatorum, ad tuendum electum populum magni DEI. In præter ordinatum curſum naturæ manſione ſolis pro deſenſione Gabaa, ut nunquam tam magnus dies fuiſſet hominibus ſuper terram, obediente Dominu voci hominis. In ſtupenda reſarnatione Jordanis à parte ſuperiori defluentium aquarum, ita ut reverterentur in gurgitem, & aliæ defluerent curſu naturæ ſolito, ut per intermedium ſicco pede pergeret populos ſanctus Dei, ut tanta mora ſuperiores aquæ à curſu naturæ deſiſterent, donec moroſè tranſiret innumerabilis multitudo, & colligerentur duodecim lapides de medio Jordanis alveo ad faciendum acervum pro tanto ſigno in memoriam ſempiternam. In ruina mirabili inexpugnabilis civitatis Jericho, quæ humana violentia inexpugnabilis credebatur. Inſignis daris, & in factis tempore judicium in manu angelorum. In liberationibus divinis à manibus inimicorum & ſupeditanti-

um electum populum, in manu Gedeonis, Jephte, Samsonis, & cæterorum. In signis mirificis factis tempore regum, in Samuele, Jacobi 5. David, Salomone, atque cæterorum regum bene regentium subactam multitudinem in lege Domini Dei. In almis signis Eliæ prophetæ, qui claudebat cœlos æthereos, ne pluerent, & suis orationibus dabat imbres, qui de cœlo petebat ignem, & ignis obediebat sibi ad votum, qui curru igneo est subvectus in cœlum, imo ut creditur in paradisum. In signis factis in Eliæo discipulo ejus, in omnibus temporibus vitæ illius. In signo retrogradi solis dato Ezechiæ pro fletu suo in additione annorum, ut experientia in artificioso horologio umbra decem graduum spatio mutata videretur. In quibus signis & plurimis aliis assuefacta generatio Judæorum, talia petebat fieri velut incredula, per dominum Salvatorem Jesum Christum. Et cùm ejecisset de templo non convenientia templo, similiter dixerunt. Quod signum ostendis nobis, scilicet magnitudinis & mirificæ actionis. Sed hic & ibi Salvator spopondit signum mortis & sepulturæ ac resurrectionis. Joan. 2. Nam ibi dixit: Solvite templum hoc, corpus suum insinuans. Hic devoratum Jonam induxit. Sed omnibus signis ab inirio mundi factis veritas & ratio prævalet, quibus generatio mala & adultera non præstabat assensum, veritate atque ratione velut insana & erronea majus æstimans signum. O utinam! Joan. 2. intelligerent omnes rationis expertes, quanta sit mentis infirmitas, quanta infidelitas, quanta dementia, quanta stultitia signa quærere cognita veritate, velle prodigia ratione clarente. Nam signa patent oculis, ista intellectui splendet, signa sunt in tempore, veritas semper lucet. Joan. 14. Sed fortè aliquis diceret: Non intelligebant, ideo signa petebant. Sed si non intellexissent (ipso Salvatore dicente) peccatum non haberent. Atque per hoc non derogemus signis atque prodigiis divinitus factis, quæ ipsemet Salvator fecit, ut scriptura Evangelica docet, & ipse commemorat, dicens: Si opera non feciſſem Joan. 15. in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Sed minus distinguo signa, & prodigia, & omnia miracula comparatione rationis, & fulgentissimæ veritatis, ut audeam appellare erroneos, qui istis illa præponunt. Cur ergo quærit signa, cur miracula Christianus: Titubat adhuc in fide, cujus fides miraculis crescit. Fluctuat in mari infidelitatis, si per signum deveniret ad portum. Parvulus est adhuc, qui signorum edulio pascitur. Edentulus est, qui miraculorum lacte nutritur. Fidem non fecêre miracula neque signa, sed à fide signa & miracula processerunt. O Christiani! aspicite in animo veritatem, intellectu respicite rationem. Ne terreamini, si miracula & signa extrinseca in ecclesia non videtis, ablactata est enim ab hujusmodi lacte. Sancta mater ecclesia avulsa est ab uberibus decentibus parvitati. Magna facta est, roborata est, sapiens est. Nam non sunt mortui martyres propter signa, sed propter veritatem fidei mortui signa fecerunt. Ac per hoc, si unum credimus, quod est majus, ergo & minora credamus. Primum mysterium Salvatoris, scilicet incarnatio ineffabilis Verbi divini excedit rationem omnium mortuorum, donationem miraculosam omnium sanitatum, effugationem dæmonum, locutionem omnium linguarum, translationem de loco ad locum omnium montium, mutationem præter communem ordinem omnium cœlestium orbium. Et ut brevi discursu concludam, audeo dicere omnium rerum creationem. Si tale majus credimus, quare minora perquirimus? Omittamus hæc, & vadamus ad mores. Si Christianæ fidei mores cum condita natura concordant, aut ab ipsa non discerpant, cur pro moribus agendæ vitæ signa quæruntur, cur miracula expetuntur? cur, ut melius agamus aut peccata devitemus, exquiritur resurrectio mortui alicujus, ut enunciet quid pœnæ, quid gloriæ in alio sortiuntur, qui ab hoc sæculo recesserunt? Cur aliquid pro signo aut miraculo præter rerum ordinem quæritur, qui talibus signis pulchrior est? Quia nec ipsa signa tanta curiositate appetita bona & pulchra essent, si universalem ordinem rerum in aliquo perturbarent. Et quamvis videatur per signa quodammodo fieri perturbatio, & in communi ordine mutatio quædam, ex quadam verò alia occultissima via in ordine atque ad ordinem universi pulchritudinis intelligibilis, & quandoque visibilis plus accrescit. In quo universi ordine, si quis per veritatem & rationem, quas prætulimus signis & miraculis, inquireret mores agendæ vitæ, atque devitandæ malitiæ, plus quàm in signis & miraculis inveniret. Hæc pro tanto dico, quia tunc à Salvatore nostro Christo de moribus agebatur agendis atque vitandis, quando tones pharisæi & scribæ signa sive miracula petiverunt. Proinde libet videre quodam familiari discursu si quod signum aut miraculum pro moribus devitandis magis damnabit superbiam, iram, invidiam, acediam, avaritiam, gulam, luxuriam, & ab eis dependentia mala, quàm ipsa veritas luminosa, quàm ipsa ratio clara

clara, quæ in ordine universi post Deum & cum Deo tenent principatum & ducatum. Aut quæ signa sive miracula prudentiam, justitiam, temperantiam & fortitudinem, fidem, spem, charitatem, & ab istis dependentia & egredientia bona, melius approbabunt, firmabunt & situabunt in seipsis, & hominum animis, atque moribus vitæ agendæ agendis quàm inobscurabilis, ineclipsibilis veritas, atque inconfundibilis & irreprobabilis ratio, cum quibus creata sunt omnia, gubernantur omnia, distinguntur omnia, vivunt, quæ vivunt omnia, generantur, quæ generantur omnia, loquuntur, quæ loquuntur modulis suis omnia, moriuntur, quæ moriuntur omnia, reviviscunt, quæ reviviscunt omnia, moventur, quæ moventur omnia, quiescunt, quæ quiescunt omnia, sapiunt, quæ sapiunt omnia, intelligunt, quæ intelligunt omnia, in finem proprium deducuntur omnia, deficiunt, quæ deficiunt omnia, permanent, quæ permanent omnia, diligunt, quæ verè diligunt omnia, odiunt, quæ verè & rationabiliter odiunt omnia, quibus suis qualitatibus qualificantur omnia, suis quanntatibus consistunt, & augmentantur, & decrescunt, quæ consistunt, & augmentantur, & decrescunt omnia, quibus in substantiis, in propriis, in qualitatibus, in quantitatibus, in passionibus, habitibus, & omnibus nominalibus sunt ut sunt omnia, quibus reprobatis in omni cogitandi, delectandi, consentiendi, loquendi, officiendi genere mala sunt, quæ mala sunt omnia, & deficere cognoscuntur ab eo, quod fuerunt, sunt & esse possunt, quæ istis modis deficiunt, quæ deficiunt omnia. Quæ igitur signa, quæ miracula, cùm de moribus agitur, & cùm omnia propter mores Christianos oporteat intendere, tam verius, tam rationabilius damnabunt vitia, approbabunt virtutes, quàm veritas invariabilis, ratio infallibilis. Nam signa fallere videntes, & falli possunt, veritas autem & ratio nec fallunt nec falluntur. Proinde veritatem appello, à quo omne, quod est, & quid est, quale, atque quantum, & quomodo ad quid est, & esse cognoscitur, & quod falsum est, falsum esse demonstratur, & omne, quod cognoscitur, per ipsam cognoscitur, & ante omnia creata invisibilia & visibilia, & cum omnibus entibus semper esse sortitur, ac etiam si deficerent omnia sortiretur, immortalis enim est veritas. Rationem autem voco illud quare, scilicet quare omnia facta, & sic facta, tanta, & non majora nec minora, tot neque plura, neque pauciora, taliter, & non aliter & alia facta sunt, atque de omnibus redditur ratio. Et illud quare, quare bona & mala, quæ sunt, sub qua ratione à creatura rationali appetuntur omnia, aut respuuntur justè vel injustè, quæ appetuntur & respuuntur omnia. Infallibilis enim est ratio, quamvis multi sub ipsa, non tamen per ipsam fallantur. Nec per hæc veritatem solùm, aut rationem dicimus creatricem, nec intendimus, cùm hæc dicimus, illam solùm summam ineffabilem, increatamque veritatem & rationem, omnia suis modis, miris atque inscrutabilibus facientem, sed etiam illam veritatem & rationem post primam, quas suprafatis modis & pluribus, omnibus rebus accomodamus atque sociamus. Igitur atque igitur frustra propter mores agendos & devitandos miracula, sive signa conquiruntur, sed si quæruntur, primo creatio, ex nihilo propagatio, gubernatio mundi, & modus cernatur. Necnon qui miracula, & signa in ecclesia Dei petunt, potius sciant in ecclesia Dei omni die, omni tempore, omni anno, omni mense, hebdomada, die, hora, quadramomento miracula non deesse, salvari videlicet invisibiliter à peccatis, resurrexisse à tenebris peccatorum, in quibus velut in quibusdam tumulis sepultæ latebant, ac latent malorum hominum mentes. Quod miraculum majus, quàm ad fidem Christianæ religionis venire Judæum, vel paganum? Quod majus miraculum, quàm cùm in mentibus eorum, qui convertuntur, & resipiscunt à malis, assuefactus amor vertitur in odium eorum, quæ tanta tenacitate dilexerat, & odium pœnalitatum, & cruciatuum corporis vetitur in amorem insolitum contra tenerum sensum, & placitum in displicentiam, & displicentia in placitum venir secundùm ineffabilem mutationem & distributionem illius, qui semper in factis suis est miraculosus & mirus? Nonne videbatur dilectoribus mundi, & fluvialibus peccatoribus ad mala diversa colligatis, per amorem & per delectabilem experientiam cum rebus delectantibus sensum, quod prius possent moveri montes, sine ferro saxa proscindi, corpora animalium carentium pennis, in aëre more avium posse sustolli, quàm quòd dividerentur ab amatis rebus pro delectatione continua, & varia in suis generibus habentibus omnis delectationis fomentum. O! quam horrenda videbatur castitas luxurioso, humilitas superbo, patientia iracundo, amor communis invido, labor acedioso, paupertas, & largitas avaro, abstinentia guloso. Deridebant hæc in animo amplectentium hanc vitam. O! quàm diligebantur visibilia bona, sed excepta paululum divina miracula,

cula, ſigna infinitæ potentiæ, omnipotentis Dei, ecce, quæ amabantur, venerunt ad fugam & odium, & quæ odio habebantur, ſummo amore quæruntur. Ipſi ergo, qui talem viciſſitudinem & mutationem ſuſtinuerunt in animo interrogentur, ipſi nobis revelent, ipſi mutuò loquantur, ipſi pronuncient rationem & veritatem, ipſi extollant majora miracula eſſe atque ſigna majoris potentiæ, quod in animabus hominum inviſibiliter agitur, quàm quicquid in corporibus per miracula, & ſigna viſibiliter ageretur. Et quanto anima nobilior corpore, tanto nobiora ſunt, quæ in ipſa, quàm quæ in corporibus facta noſcuntur. O! nubiloſæ hominum mentes. O! in ſenſualibus & rebus viſibilibus colligatæ, recedite à ſenſibus, & recedendi artem continuò frequentate. Redite ad cor, ubi veritas, & ratio lucent, ad quarum lumen ſcietis à minoribus potiora diſcernere, à quibus diſcetis ab omni curioſitate recedere. Nemo enim à curioſitate quærendi diſſolvitur, niſi veritatis & rationis ſtipitibus colligetur. Intendite ſubtilius, in eccleſia Dei nunquam miracula & ſigna inviſibilia deeſſe, quæ ſi deeſſent, eccleſia plus non eſſet. Hæc igitur qui legit, intelligat.

Cap. XXVIII.

Contra carentes pœnitentia & ſapientia, cum quibus viri Ninivitæ, & regina Saba conſurgunt in judicium.

QUoniam duæ maximæ in Chriſtiana religione quæruntur ſcilicet pœnitentia poſt peccatum, & ſapientia propter obſequium. Nam qui poſt peccatum pœnitentia caret, ultricibus dabitur flammis, ſapientia verò privatus, nunquam ſe coaptabit divinis. Propter quod Salvator curioſos ad ſigna quærenda, quæ minus neceſſaria, aut non neceſſaria ſunt, de iſtis duobus arguit, quæ omnino neceſſaria ſunt. Sanè, inquit: *Viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ. Et ecce plus quam Jonas hic.* Qui fiunt aliis in judicio ſuperiores per comparationem, melioris vitæ atque morum certiſſimum eſt fuiſſe per actionem. Et certè viri Ninivitæ de circumciſione non erant, legem Moſaicam non habebant, cultum unius ſolius Dei non tenebant, cultores idolorum erant, multos de populo Dei captivos habuerant, tamen ad Jonæ prædicationem pœnitentiam egerunt, ut etiam circunciſis & legalibus Moſaicis, comparatione melioris facti in judicio præferantur. Cujus facti? Quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, qui purus homo erat, etiam peccaverat, non ſigna nec miracula Ninivitis fecerat, & Chriſtus, qui nobis prædicat, plus eſt quàm Jonas. Sed omiſſis comparationibus hoc ſolùm qui legit, intelligat: quoniam Chriſtus illos & omnes peccatores ad pœnitentiam vult venire, quærit & invitat, quia in judicio nollet invenire, quem feriat, ſed omnes vellet eſſe ante correctos, ut in extremo judicio in anima & corpore reponeret ſuper cœlos. Sed quoniam de pœnitentia ſermo datur alibi, hic intermittimus. Et contra carentes ſapientia pro divino neceſſaria cultu, reginam impro-

Matth. 12.

peravit auſtralem, *quæ* tam à remotis partibus *audire venerat ſapientiam Salomonis.* 3. Reg. 10.
Et plus quàm Salomon Chriſtus. Quis hic Salomon? quæ ſapientia ejus? quæ regina? quis adventus? omiſſo alio loquendi genere videamus quid dicat in moribus. Salomon rex eſt pacis. In pace, à pace, de pace, eum pace, propter pacem, omnem oportet eſſe doctrinam, & ſub ejus regimine inquirere ſapientiam. Ubi regimen pacis, ibi omnia bella quieſcunt. Ille igitur ſibimet pacis efficitur rex, qui dominatur corpori, carnem regit, & ſubjicit legibus diſciplinæ, ſtatim reprimit conſurgentia bella, caput amputat cogitationibus pravis, nihil in ſe finit inultum, finem appetendi temporalia impoſuit voluntati. Qui Salomon vivente patre conſtituitur rex. A Deo patre in æternum vivente eſt omnis poteſtas regiminis. Inquit Apoſtolus ad Romanos: Omnis poteſtas à domino Deo eſt. A Deo tota vita, omnis bonæ actionis eſt collata potentia. Si quid boni habes, aut facis virtutem, referas ad fontem vitæ. Salomon paternas vindictas exequitur, patre jubente. Ita & tu, quod in te inveneris patri æterno inimicum, judicio mortis damna, & in aliis reprehende, quod ſummo patri videbis adverſum, ipſo Salomone dicente: Nunquam tibi placeat malorum vita. Judicat Salomon meretrices, & per gladium verum & falſum invenit amorem. Facit templum, totum ſe occupat in divinis. Facit domum ſaltus, quærit & ipſe contemplationi vacare. Non inveſtigemus opera Salomonis, Evangelica tractanda ſuſcepimus. Sapientia verò ejus non ab eo, non à patre carnali, aut à libro, aut ab homine, aut ab angelo habuit initium, ſed per revelationem & infuſionem & gratiam.

Rom. 13.
3. Reg. 2.
Proverb. 4.

Legitur

3. Reg. 3. Legitur nempe in Regum volumine, quòd Dominus ſibi apparuit, licentiam atque audaciam dans petendi quod vellet. Qui ſe vidit electum Regem ad regnum, non divitias, non longitudinem vitæ, non inimicorum animas, nec quid aliud, ſed tantummodò ad ſapientiam tria pertinentia poſtulavit, ſcilicet ut daretur ſibi cor docile, judicare recto judicio populum, diſcernere inter bonum & malum. Cor enim docile, quod facilitate intelligendi apprehendit audita, tenacitate memoriæ continuè, quæ apprehenderit ſecum portat. Sed multi hæc habuerunt, qui non petiverunt. Multi hæc habuerunt, qui Deum offenderunt, receſſerunt, erraverunt. Habuerunt enim bonam intelligentiam, ſed non ſanum intellectum, bonam memoriam, ſed non bonam mentem. Prævalet enim bonus intellectus bonæ intelligentiæ, ac etiam bona mens bonæ memoriæ antefertur. Sed petebat Salomon cor docile in divinis, ſicut poſtmodum Iſaias prophetavit de generatione futura: Et erunt omnes docibiles Dei. Cor autem docile in Divinis, per abnegationem & poſitionem fit. Abnegativè cor docile in divinis conſtituitur, quòd terrenis, ſæcularibus, humanis, curioſis, ad rem divinam non pertinentibus, nec virtuoſum conſtituentibus addiſcentem, nec dividentibus ab infectis & inficientibus mundi rebus, indocile, indiſciplinabile, non memorabile exiſtit. Poſitivè verò, quòd ad horum contraria voluntatem & aptitudinem haber, ſolùm paratum ad divinam doctrinam & influentiam juſtificationum & charismatum Spiritus ſancti, cùm voluerit inſpirare. Sic enim paratus erat Salomonis pater, qui dicebat: Pſal. 116. Doce me juſtificationes tuas. Viam juſtificationum tuarum inſtrue me, & exercebor in mirabilibus tuis. Et iterum: Da mihi intellectum & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo. Et inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in avaritiam. Et paratus ſum & non ſum turbatus, ut cuſtodiam mandata tua. Et bonitatem & diſciplinam & 2. Tim. 2. ſcientiam doce me. Ad Timotheum verò ſcribit Apoſtolus, quòd ſervum Dei oportet eſſe docibilem. In quo igitur debet eſſe docibilis ſervus Dei? Tantùm in his, quæ ſunt ad ſervitium Dei. Tota enim bonitas eſt ſervi, nolle in alio doceri, quàm in ſervitio Domini ſui. Recto verò judicio populum judicare, regentium maxima eſt virtus. Multi falluntur inviti, & cùm volunt recte judicare, non poſſunt. Latent enim eos plerunque, quæ geruntur in populis, ut etiam unus tor-

Joan. 6.

queatur in cauſa alterius, & ut inveniator, qui malè fecit, urgetur ut plurimum, qui pro tali cauſa nihil mali fecit. Et ut inveniatur nocens, exaratur verberibus innocens. Et ignorantia judicis fecit innocenti torturam. Et ſeveritate torquendi, ut invenirent verum, extorſerunt mendacium. Malebat tortus crudeliter confiteri, quòd non fecit, quàm diu vexari intolerabilibus pœnis. Et ſeipſum occidit, ſi confeſſus eſt, quod non fecit. Agitabat enim eum vehementia tormentorum, volebátque vitare, mitiorem æſtimans brevem mortem, aut confidens ne ſuum Verbum mendax intollerabili pœna prolatum, morti conſtium innocentem manciparet, aut imò necdum fuerat expertus alterius ſæculi crudeliora tormenta, quæ ab omnino immiſericordibus inferuntur, nec ſatiantur afflictorum pœnis. Ita nanque homicidium eſt ſeipſum lingua ſine gladio interficere, ſicut alium gladio & verbo perimere. Nam qui præcepit, non occides, de homine dixit. Et qui ſeipſum interficit, hominem perimit. Rex autem, aut Judex Reipublicæ tutor, hominem judicabit ex verbo, dicens: Os 2. Reg. 1. tuum contra te locutum eſt. Dictabit ſententiam, quam per juſtitiam noverit convenire delicto, & innocens luet iniquitatem alterius. Judex ſe tenebit inſontem, credens interficere, aut punire nocentem, ignorans quanta puritate polleret innocens, quem per Verbum fatigando tormentis, non per opus fecit eſſe nocentem, quamvis occaſionem dederit ex torturis, ut qui innocens erat de ſeipſo confitendo mendacium. Judex judicaret ut reum, qui ex cauſa tortus fuerat, non fecerat aliquod malum. Hoc pro tanto dixerim, cùm innocens pro nocente per ignorantiam capitur. Quid verò ſi ad teſtificandum pro alio quis fuerit comprehenſus, dummodo ipſe non habeatur reus? Etiam pro malis alienis pœnas amaras ſentiet, pro quibus culpam non dedit aliquando, ut ſentiret. Quid verò ſi armabuntur mendaciis & falſitatibus teſtes, iniquè volentes aliquem innocentem per eorum occultam in animo conceptam injuſtitiam, per manifeſtam verò alicuius tribunalis juſtitiam lædere? Fiet utique. Judicabit enim Judex ſecundùm allegata & probata, & faciet innocenti jacturam, quam dicit eſſe juſtitiam propter cauſam falsè probatam. Nam Judex, coram quo quæſto agebatur, ignorans omnino rei cauſam, coactus eſt ex probatis dare ſententiam. Quomodo igitur rectum judicium eſt, & juſtum, ubi pœnis & teſtibus falſis confunditur verum?

Igitur bene petebat Rex Salomon, ut per eum in populo daretur rectum judicium, ne condemnaret juſtum, abſolvendo, aut nun puniendo reum. Quoniam de judicio alibi diſſerendum eſt, hic finem ponimus. Petebat enim diſcernere inter bonum & malum. Optima eſt diſcretio, & ad principem ſpectat. Præit diſcretio judicium regum, præit diſcretio electionem boni à malo, præit diſcretio electionem melioris à bono, præit diſcretio electionem optimi à meliore, præit diſcretio omnem virtutis actum. Diſcretio germen eſt prudentiæ, quæ autem prudentia caret, faciet mala. Ipſe idem Salomon dixit: Dux, qui indiget prudentia, multos opprimet per calumniam. Diſcretio actus eſt mentis ab omnibus ſæpe diviſus, uni verò attributus, aut à multis tanquam à non neceſſariis ſe retrahens ſolùm in expedientia ſe conferens. Diſcretio progreſſio eſt animæ in id, quod reprehendi non poſſit. Diſcretio nunquam ad ea ſe contulit, quæ à veritate, ratione, juſta neceſſitare habent divortium, quo ſi ſe conferret, diſcretio non eſſet. Diſcretio eſt ventilabrum animi, quo purgatur à levitare palearum inviſibilis area mentis. Diſcretio eſt ſegregatus mos, ſegregata vita, ſegregata intentio, ab his, quæ ante tribunalia veritatis, & rationis timent apparere, atque verecundia ſuffunduntur. Diſcretio eſt ſegregatus amor ab omni re turpi. Diſcretio eſt altera lingua in purgata locutione ab immoderatis. Diſcretio ideo verò dicitur, quia diſcrepat ab omni, quòd virtutem non recipit, aut non ab ipſa recipitur. Diſcretio ſemper ſe tuetur in parte virtutum, nec vitiorum pernoctat in caſtris, tentoria ſua è regione firmat ad vitia. Diſcretio non elegit corpora, ſed ſpiritum, non pulchritudinem formarum, ſed morum, non corporum, ſed virtutum aſpicit qualitatem, non ſecundùm aſpectum, ſed ſecundùm factum judicia profert. Juſtè petebat Salomon iſta tria, aptitudinem cordis, æquitatem judicii, diſcretionis virtutem. Meritò ergo venit regina auſtri audire ſapientiam Salomonis. Sed quid Chriſtus? Compatatio inter eos non cadit. Conditor eſt unus, ſed alter eſt conditus Ille dedit, iſte accepit. Sed quæ fuit ſapientia Salomonis? In anima eſt ſapientia. Quis ergo vidit illam in animo alicuius? Nemo. Ergo per facta & verba nota eſt ſapientia. Inſpice libros Regum, apparebunt facta ejus per templum & domum ſaltus & vivendi mores, quæ monſtrant ſapientiam ejus Lege parabolas, lege Sapientiæ librum, lege epithalamica verba, quæ alio modo pandunt ſapientiam ejus, ut etiam Eccleſiaſticus diceret: Impletus eſt quaſi flumen ſapientia. Meritò ergo venit regina Saba audire ſapientiam Salomonis. Litteraliter fuerunt hæc, myſterialia ſunt hæc. Salomon & regina, Chriſtus & eccleſia. Mores intendimus. Plus quàm Salomon Chriſtus. In eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. Ad ſuam ſapientiam nos Chriſtus ſub iſta comparatione invitat. Ad quam, ſi non acceſſerimus, velut fatuæ virgines remanebimus ante fores non apertas, ſed clauſas, atque firmatas, cum irremovendis repagulis appoſitis per æternam ſententiam divinæ juſtitiæ. Terreri debet omnium animus, & ad audiendum moveri Chriſti ſapientiam, ſine qua non eſt ſalus. Non ſufficit mundo ſalvando ſapientia Salomonis, non ſufficit Judæis, non ſufficit nobis. Non ſufficit ſapientia Platonis, non Ariſtotelis, non ſapientia cæterorum Philoſophorum, non ſapientia moralium ſapientum, non quorumlibet poetarum, ſed ſufficit ſapientia Chriſti, etiam ſi non eſſet ſapientia Salomonis. Sapientia ejus infinita eſt, & incomprehenſibilis, qua fundati ſunt cœli, magis verò creata ſunt omnia, gubernantur omnia, diſponuntur omnia, variantur varianda, & ſub ipſa tranſit omnis conditio conditi orbis. Non ad hanc invitamur. Eſt quædam ſapientia Chriſti humanis mentibus facta conformis, cujus ducatu agitur cauſa ſalutis. Ipſa nempe atque firmiter eſt vita Chriſti, quam geſſit in forma viſibili, commonefaciens omnes qualiter oporteat vivere ſuper terram omnem hominem in vitam aſpirantem ſupernam. Sapientia Chriſti Evangelium ejus eſt, per quatuor cœlicos notarios ſcriptum. Sed fortè quis diceret: Non credo ſapientiam iſtam Chriſti, quia ſtultitia. Dicam ergo: Non credo ſapientiam Philoſophorum, quia ſuperbia eſt, pro eo, quo nititur omnia humana ratione comprehendere Dicet iterum: Sapientia philoſophorum eſt ex natura, iſta ex gratia. Potior enim eſt gratia, quam natura. Iterum: Illa in naturalibus apparet, iſta in moribus lucet. Adjicit & ille: Et illa à Deo in moribus fit. Reſpondebimus: Illa in moribus naturæ, iſta in moribus gratiæ. Illos ſuos morales non deduxit ad verum finem boni, quem conatu magno inveſtigaverunt, iſta deduxit ſuos morales ad verum finem boni, quem crediderunt. Affirmabit: Illius libri cuſtoditi ſunt à mundo, Imperatoribus, Regibus, Principibus, Ducibus, Magiſtratibus, ego autem dico libros noſtros

Proverb. 22.

Eccl. 47.

Coloſſ. 2.

Math. 25.

ſtros cuſtoditos à tam altiſſimis ſanctis, quibus dignus non erat mundus. Sapientia Chriſti practica eſt vivendi ſapientia, præter quam nulla eſt licita forma de vita gaudendi. Sapientia Chriſti eſt claritas intelligendi, præter quam nullus eſt utilis intellectus, & bonitas eſt amandi, præter quam omnis damnatur affectus. Cœpit Actor. 1. JEſus facere & docere. Igitur quod fecit, & docuit, vera ſapientia eſt. Evangelium ejus eſt ſapientia ejus, ſuper Evangelium intendimus, mores reprobatos atque approbatos ab ipſo, quantùm poſſumus, declaramus. Non expedit hic aliter ſapientiam Chriſti diffinire, quia Evangelium eſt ejus ſapientia, ſine qua errat omnis ſcientia. In ſapientia Salomonis legitur: Et ſi quis conſummatus fuerit inter filios hominum, ſi abfuerit ab illo ſapientia tua, quaſi in nihilum reputabitur. Iſta eſt ſapientia, quam ſpiritu prophetico Salomon prævidit, ſine qua reputatur nihil, qui ipſam non novit. Et Apoſtolus 1. Cor. 1. ad Corinthios dicit, quòd factus eſt nobis à Deo, ſcilicet Chriſtus ſapientia, per vivendi formam, & verborum doctrinam. Iſta ſapientia omnem excedit angelorum atque hominum ſcientiam. Nam ſapientia Chriſti validata moribus, inſinuata verbis ſimplicibus, facit de infidelibus fideles, de idololatris latrios, de ſpiritualiter mortuis, ſpiritualiter vivos, inimicos Dei ſibi reducit amicos, de terrenis cœleſtes, & ſuis inſtrumentis ſupernos referat vectes, & ſuis moralibus ſeris portas obfirmat triſtes, & in ſua fornace reformat divinas in nobis deformatas imagines. Verè plus quam Salomon Chriſtus, cuius ſapientia tam alta facta cognovimus. Igitur hanc ſapientiam addiſcamus, ne pereamus. Sed quæ iſta eſt regina auſtri? Quælibet anima bene regi, & bene regere volens. Unde meritò regina venit ad regem, ut ſit convenientia nominis, convenientia officii, convenientia vitæ, convenientia intentionis, convenientia moris. His conformitatibus apta, regem Chriſtum ſe regens anima quærat, nec Rex bonus, nec Regina bona aliis exiſtunt, ſi primo ſeipſos lege Divina non regunt. Sed Regina iſta Sabana eſt, auſtralis eſt, multa portavit, multo comitatu, multo apparatu venit, ſolùm ad audiendam ſapientiam Salomonis venit, ſolùm fama eam commovit ad regem, dedit & accepit. Dimittamus hæc, multa enim miniſtrant dictandi, & dicendi materiam, hoc ſolùm, quòd in extaſi facta eſt, & nimio exceſſu mentis quid dixerit, pro noſtris moribus diſcutiamus. Videns autem Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum, quam jam ædificaverat, & cibos menſæ ejus, habitacula ſervorum & ordinem miniſtrantium, veſtésque eorum, & pincernas, & holocauſta, quæ offerebat in domo Domini, non habebat ultra ſpiritum. Secundo Paralipomenon dicitur: Et non erat præ ſtupore in ea Spiritus. 2. Paral. 9. Vide igitur unde in tanta extaſi poſita eſt, quia vidit opera monſtrantia ſapientiam Salomonis, non vidit ſapientiam Salomonis. In corde hominis eſt ſapientia, ubi nullus oculus videt niſi divinus. Inviſibilis atque inſenſibilis eſt ſapientia, nullis extrinſecis ſubjacet ſenſibus. O cur non ſtupeſcimus, cur ſedulò in extaſi non ſumus, cur non attollitur animus noſter in excelſa cœlorum, in diſpoſitione cœleſtium orbium, in pondere & diſpoſitione omnium elementorum, in numero, pondere & menſura omnium rerum? Nam fecit Deus omnia in numero, pondere & menſura. Cur non dilatatur per vaſta terrarum? cur non deſcendit in profundum fluctuum? cur ſua conſideratione non intuetur abyſſos? cur connexionem diſparium elementorum non conſiderat? cur non connexionem ſpiritus creati ad corpus creatum? cur illam ineffabilem & omnia opera in creatura facta excedentem unionem ſcilicet ſpiritus increati ad ſpiritum creatum & corpus creatum, pro modulo noſtro non conſpicimus? Pro certò non remaneret in nobis ſpiritus neque ſenſus, qui non eſſet ex omni parte admiratione perfuſus. Sed admirata eſt iſta regina ſapientiam Salomonis, & per comparationem admiretur anima ſapientiam Chriſti. Quid vidit regina? Domum Domini ſcilicet templum, ſed vide tu templum Dei, Eccleſiam ſanctam. Hæc eſt domus, quam decet ſanctitudo in longitudine dierum. Hæc domus Dei fundata ſupra firmam petram, quæ dirui nullo modo poſſit. Dirutum eſt templum uſque ad ſolum, aſportata ſunt omnia de tempio in terram confuſionis, dirui non poteſt eccleſia, ſed creſcit arietantibus malis, firmatur tunſionibus, impugnationibus ſumit augmentum, fuſione ſanguinis magnas ſegetes fecit, inciſione uſius multi nati ſunt rami, ejus veritas improbata amplius claruit, agitata fides ventoſis verbis Philoſophorum, perverſis dogmatibus hæreticorum, majus in robur crevit, adverſitatibus mundi gaudet, nihil ſibi novit deperire per corpus, unum eſt quod ſola felicitate humana turbatur. Vaſa ejus viva ſunt, non aſportabuntur in confuſionis terram, ſed in ſupernam patriam inferuntur. Si autem aliqui Chriſtiani qui nomine vaſa fuerunt, in damnationem di-

Sapient. 9.

Sapient. 11.

cuntur, non ſunt vaſa ejus. Hæc eſt domus cuius decore alectus David dixit:
Pſal. 25. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Decor domus Dei non in parietibus, ſed in virtutibus eſt, non in viſibili corpore, ſed in mente. Fulgor parietis, varietas pavimenti, tecti culmen hiſtriacum non placent altiſſimo, morum abjecto decore. Locus autem habitationis ejus inviſibilis, eſt omnis anima fidelis, & ex animabus fidelibus & fideliter facta eſt ſancta mater
Pſal. 44. Eccleſia. Inde David: Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, non ab extra, in fimbriis aureis, in ornamentis videlicet charitatis. Hanc domum ingredi
Pſalm. 5. petebat idem David: Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, in qua eſt refugium ab horrendis pericu-
Pſal. 30. lis, David dicente: Eſto mihi in Deum protectorem & in domum refugii, ut ſalvum me facias. Quam domum Chriſtus ſolitarius paſſer, quia ſolus inter mortuos liber ſingulariter exiſtens in omnibus, donec rediret ad patrem, invenit, ubi reponeret pullos ſuos teneros in fide neophytos no-
Pſal. 83. viterque converſos. In qua domo ſecundùm Davidicam ſententiam melius eſt haberi deſpectui, quàm alibi honorari. Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Quia omnis, qui in iſta domo ſe humiliat, exaltabitur in æterna. Et qui
Pſal. 91. plantati fuerant in domo iſta, ſicut David eloquitur, dabunt florem in via, ut fructificent in æterna patria. Plantati in domo Domini, in atriis domûs Dei noſtri florebunt. Plantantur ſalvandi per fidem in domo Dei, quæ eſt Eccleſia, florent odorificè per fidei vitam moralem, & gloria & diviriæ ſunt in domo Dei, quam Chriſti ſapientia ædificavit juxta Salomonem:
Prov. 9. Sapientia ædificavit ſibi domum, & excidit columnas ſeptem. Plus Chriſti Sapientia quàm Salomonis, de qua prophetat ſapientia Salomonis: Sapienria Chriſti domum univerſalem ædificavit, ſe faciens fundamentum ſua ſuſtentando virtute, ut non ruat, ſed ſecura protectáque ab omni malo conſiſtat. Nec Salomon ſuam potuit ſtabilire domum, ut non ſubjiceretur ruinis, ſed ſtabilivit Eccleſiæ domum ſapientia Chriſti, ut à nullis everteretur malis, ac etiam, ut cùm magis videretur oppreſſa, validius stque lucidius ſurgeret. Et ſeptem ornavit columnis erectis. Columnæ namque proprium eſt, ut manens recta per ſuperimpoſita plus firmetur, ſi verò per modicum declinaverit in partem, onerata proſternitur. Numero ſeptenario conſtituitur atque erigitur omnis Eccleſiæ indeclinabilis & immutabilis & invincibilis fortitudo. Qui legit, intelligat. O Iſraël (inquit Baruch) quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus. Quod de militante atque triumphante aſſeritur. Omnes poteſt capere domus iſta, quæ non eſt lapidum, ſed virtutum. Nihil enim habent virtutes anguſtum, nec coarctantur adinvicem virtuoſi, non recipit majus vel minus virtus numeroſitate aut paucitate conſortum. Magna ergo eſt domus Dei, & ſine menſura locus inviſibilis poſſeſſionis ejus, triumphans verò in ſuperis domus infinita eſt æternitate, ſitu immenſurabilis, gloria incomprehenſibilis, & incalculabilis numero civium ſupernorum. Vidit Regina cibos menſæ Salomonis. Quomodo vidit? Quia invitata fuerat ad menſam ejus gratia largitatis & honoris & decentiæ ipſius. Decebat Regem hoſpitem Reginam hoſpitem invitare. Vide tu anima cibos menſæ Chriſti, ad quam ipſe te velut hoſpitem & peregrinam à patria, nequiter hoſpitantem de domo in domum invitat. Nam Eccleſiaſtes ait: Vita nequam hoſpitandi de domo in domum. Succeſſionem peccatorum ſpiritualiter intellexit, qui hoc dixit: Ut intelligas, quod te miſericorditer non velut dignam invitat, vide cibos appoſitos. Ipſe Salomon dicit: Quando ſederis, ut comedas cum Principe, diligenter attende, quæ poſita ſunt ante faciem tuam. Qui ſunt ergo cibi menſæ Chriſti? Ad multa me trahit ſermo propoſitus, ſed quod attenuatur per verbum, melius eſt humili ſilentio præterire. Quid dicam de menſa Chriſti, quæ eſt non tabula lignea, non marmorea, non argentea, non eburnea, non metallica, ſed fi-
Pſal. 22. des Catholica? Paraſti (inquit David) in conſpectu meo menſam, fidem dico, adversùs tribulantes nos dæmones infernales. Cibus verò quis eſt? non lignum Paradiſi, non panis Adæ datus, in ſudore vultûs quæſitus, non cibus Noë poſt diluvium conceſſus, non Abrahæ, non Mel-
Geneſ. 3. chiſedech, non manna de cœlu, non fructus terræ promiſſionis in litera, non cibus Regis Salomonis & aliorum Reguu, non cibus duodecim panum in menſa propoſitionis, non ſeptem panes in deſerto ſatiantes turbas, non quinque hordeacei paſcentes in montibus, non piſcis reticulatus ſub undis, non agnus villoſus, ſed cibus ſupernæ vitæ, cibus Dei, imò cibus Deus, imò cibus Chriſtus Deus, ut idem ſit hoſpes & cibus. Talis cibus excedit tauros, boves & arietes, farinam ſimilam Salomonis, in quos cibos Regina Auſtri in ſpiritu conſiderationis defecit. Excedit

Baruch. 3.

Eccl. 16.

Prov. 29.

Aſſue-

Eſter. 1. Aſſueri cibum præparatum in veſtibulo nemoris atque horti: excedit omnes cibos, qui dici aut ſumi poſſunt; nam Chriſtus Joan. 6. Salomoni prælatua inſinuat: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Et: Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Sed non qui in menſa Salomonis cibos ſumpſit aliquando ex eis vitam capere potuit in æternum, ſed nec diu in hoc mundo longævam. Vidit Regina habitacula ſervorum Salomonis, & ſtupefacta eſt. O ſi vidiſſet Regina ſervorum Chriſti habitacula, quomodo per extaſim ſublata fuiſſet. Vide tu fidelis anima ſervorum Chriſti habitacula, & deficies, quia major eſt Salomone Chriſtus. Sed non habet habitacula pro ſuis ſervis Chriſtus. Unum eſt habitaculum ejus. Dixerat propheticò ſpiritu Salomo- Pſal. 132. nis Pater: Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum. Ubi unitas eſt, parva domus multos recipit, ubi unitas non eſt, magna domus præter unum non recipit. Unum ſolùm, non magna civitas, non Provincia magna, quia nulla ſpatia ſatis poſſunt eſſe divitis, unitis verò parvitas dilatatur. Nondum erat ſub Salomone unitas veræ fidei, unitas charitatis, unitas obedientiæ, quæ tot cœnobia fecit in Ægypto, Rhebaja, Scythia, Naim, in monte Sinai, in Armeniæ partibus, in Græcia, in Italia, & in cæteris mundi partibus, ubi Chriſtianitas eſt diffuſa. Nondum erat talis unitas animorum, quæ nullis ſecernitur ſpatiis, quæ divortium neſcit. Iſtûd erat bonum, iſta tota jucunditas gratiæ habitare fratres in unum, & una anima, & cor unum omnium eſſe in Chriſto. Multa erant habitacula Salomonis, unum eſt habitaculum Chriſti. Præfertur hoc unum omnibus multis habitaculis Salomonis. Quæ in uno erant habitaculo de habitaculis Salomonis, in alio non ſiſtebant. Conſiſtunt omnia in uno habitaculo ſancto Chriſto. Diſrupta ſunt iſta habitacula, Chriſti habitaculum nullis cedit arietantibus malis. Et miniſtrantium infallibilia ordo Reginam hanc adduxit in ſtuporem. Quis eſt ordo, qui hanc fecerat admirari? Debita contingentia quenquam. Quia in curia Salomonis nullus habebat officium, niſi ad quod aptus erat, aliter autem ad obliquitatem miniſterium pateretur. Ordo debita officia hominibus, aptos homines ad officia lemper nectit. Vide igitur ſtatus hominum in domo Eccleſiæ ſervire omnium Regi Chriſto, ut per ſuam legem neminem applicet ad officium, aut ad ſervitium, ad quod aptus non eſt. Vide Doctores, & Diſcipulos, & Prælatos, & Subditos, loquentes, & audientes, & omnes Chriſto in ſuo ordine miniſtrare. Vide miniſtrantes virginitatem, continentiam, & matrimonii juſtam legem. Vide aliquos miniſtrantes in civitatibus, aliquos in nemoribus, aliquos in cœnobiis, aliquos in carceribus, aliquos in divitiis, aliquos in paupertate, aliquos in dignitate, aliquos in vilitate, aliquos viſibiliter plus, inviſibiliter minus, aliquos viſibiliter minus, inviſibilier verò plus. Vide intellectu fideli atque rationis nihil inordinatum, nihil indiſciplinatum in Eccleſia Dei: quod ſi quid inordinatum in Eccleſia, aut indiſciplinatum eſt, de domo Dei non eſt. Caret macula, qui miniſtrat, qui macula caret, ordinis eſt filius. Ambulans in via imma- Pſal. 100. culata hic mihi miniſtrabat, ait Scriptura. Aſpice igitur ſubtilius ordinem inviſibilium multitudinem miniſtrantium Chriſto Deo, & obſtupeſce, quia millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei. Et poſt peractam Dan. 7. diaboli tentationem in deſerto, deſcende- Math. 4. runt Angeli, & miniſtrabant ei. Sed quid miniſtrabant? fateor me neſcire, ſed ſcire profiteor, quod ordinatiſſimè miniſtrabant. Imperturbatus eſt ordo miniſterii Angelorum. Sed ſunt miniſtri ejus perficientes illicò voluntatem ejus, eo quod ſpiritus, non corpora ſunt Angeli ejus. Et ſunt ignis urens ſubitò agentes, ad amorem cœleſtem invitantes omnes miniſtri ejus. Ignia enim ordinem inſitum ſemper ſervat, urit, calet, inflammat, illuminat, purgat, & ſua levitate aut eſt, aut tendit in altum. O quot & quanta facta ſunt ſub cœlo & in domo Eccleſiæ per miniſterium Angelorum quis enumerare ſufficiat? O ſi poſſemus intueri, quid in empyreo cœlo Angelorum ordo adminiſtrat. O ſi hæc illa Saba Regina vidiſſet, ô quanto ſtupore animus premeretur, ſi obſtupit in miniſtria corruptibilibus corruptibilis Salomonis? Sed valdè in altum verba ſuſpendimus, regrediamur ad ima. Diſtributa erant per Salomonem officia miniſtris, & mirandus erat ordo. Sed vide officium diſtributum Chriſti miniſtris. Ipſe ſiquidem ait: Qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Joan. 12. Mirandus eſt ordo ſequelæ Chriſtianæ, & per ſequelam fieri Chriſtiformis, ſed his miniſtris ſtatim aſciſcitur præmium. Ait enim: Et ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit. Hoc nemini miniſtrorum Salomon dedit, neminem miniſtrorum gloria, quâ fulgebat, voluit eſſe ſplendentem. Sed Rex nobilior & ſapientior Chriſtus ſuos miniſtros tali gloria, ſed non quanta voluit eſſe glorioſos. Quid enim amplius

habere poteſt miniſter ſubditus, quàm ibi eſſe, ubi eſt Dominus ejus: non per pœnale ſervitium, ſed per gloriæ præmium? Non ſemper Salomonis faciem contemplabantur ſervi, abſcondebatur, quieſcebat & dormiebat. Dividebantur ſpaciis, interpoſitione parietum, impedimento noctis & tenebrarum, & hoc eis ſimiliter contingebat. Sed nihil horum patitur noſtra fides & charitas, magis verò hæc æterna non ſuſcipit civitas. Veſtes etiam admirari fecerunt Reginam. Multiplices fuerunt miniſtrantium veſtes, ſimiliter & regales. Sed veſtes miniſtrorum Chriſti quæ ſunt, quæ ad majorem ſtuporem adducunt. Sed ab extra reſpicias, laudatus
Math. 11. eſt Joannes, qui indutus erat pilis Camelorum. Hæc enim veſtis hirſuta eſt, hiſpida eſt, ſi admirationem ex horrore, non
Marci 1. ex pulchritudine facit. Et damnatur in Evangelio purpuratus dives, & qui mollibus veſtiuntur, in domo Regum ſunt, quæ à Rege noſtro reprehenduntur. Igitur veſtes miniſtrorum Chriſti ſunt ornamenta gratiæ, dum ſumus in via, ſunt virtus & claritas morum. Duplicia ſunt, quia omnes amici mulieris fortis, ſcilicet Eccleſiæ, qui ſunt miniſtri Chriſti, veſtiti ſunt duplicibus, claritate virtutum & conſpicuitate morum, charitate Dei, dilectione proximi, veritate intellectûs, affectûs puritate. In ſuperis, in anima & corpore gloria duplici veſtientur. Obſtupuit ex pincernis Saba Regina, nondum viderat pincernas varios Chriſti, qui ſanguinem ejus fidelibus efficiunt & miniſtrant. Obrepſerat admiratio ex holocauſtis animalium, quæ offerebantur, nondum viderat oblationem novam & fidelem, verum Chriſti corpus pro nobis totum & totè & pro totis oblatum, nec viderat eos, qui propter
1. Reg. 10. Chriſtum ſua corpora mactaverunt & obtulerunt omnium Regi Chriſto. Verè plus quàm Salomon Chriſtus, cujus ſapientiam nos audire oportet. Sed poſt tantum ſuporem, quid ipſa dixerat audiamus. Verus eſt ſermo, quem audivi in terra mea ſuper ſermonibus tuis, & ſuper ſapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probavi, quòd media pars mihi nunciata non fuerit. Major eſt ſapientia tua & gloria tua, quàm rumor, quem audivi. In Paralipomenon dicitur: Viciſti famam virtutibus tuis. Beati viri tui & beati ſervi tui hi ſunt, qui ſunt coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam. Quod ſi hæc Regina dixit ad Salomonem, quid allegoricè Eccleſia collecta de gentibus, quid moraliter omnis anima dicat ad Chriſtum? Quis enim per auditum & narrationem linguarum, & per ſcripturarum inſpectionem potuit ad plenum Deum & ejus Filium Chriſtum in carne natum, & paſ- Iſaiæ 64.
ſum & reſuſcitatum cognoſcere? Quis bona præparata in ſuperis potuit intelligere. Nam nec oculus vidit, nec auris audivit, 1. Cor. 2.
nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe. Quis Judæus intelliget relatione quorundam ea, quæ Chriſti ſunt & Eccleſiæ ejus, ea quæ ſunt & gratiæ atque ſervorum ejus, niſi veniat ad fidem, & experiatur in animo Chriſtianam virtutem? Quis paganus advertet, in Pſal. 65.
cujus cor iſta proſilient? Qui novit hæc, audi Pſalmiſtam: Venite, & videte opera Domini, terribilis in conſiliis & diſpoſitionibus ſapientiæ ſuper filios omnium hominum. Et alibi: Guſtate & videte, quo- Pſal. 33.
niam ſuavis eſt Dominus. Sed beati ſunt Pſal. 83.
ſervi tui, qui habitant in domo Eccleſiæ tuæ Domine JEſu Chriſte, quia in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Et beati, qui audiunt ſapientiam tuam, non hominum Philoſophorum & Poëtarum, ſed Evangelium tuum ſuper cœleſtia trahens humilem addiſcentem, activum auditorem. Propter quod dicit Chriſtus; Plus quàm Salomon hic.

Cap. XXIX.

Contra recidivantes & in vacuum DEI gratiam recipientes.

Lucæ 11. HOrrendam auditu, firmiter tremendam ac timendam ſententiam protulit, cùm Judæos vellet oſtendere plus ſolito criminoſos, hominem depravatum per ſeptuplum, ſi immundum aliquando ſpiritum per pœnitentiam atque correptionem interdum abjectum, per pateſactum malæ voluntatis ſuſceperit ingreſſum. Nam malus ſpiritus ante primum ingreſſum fuit immundus, ingreſſus ſtans non eſt ipſe mutatatus, egrediens verò non variatus, foris ſtans ſemper eſt malus, regrediens à ſe & in ſe, in nullo diverſus, ſed ſeptem nequioribus ſociis collegatus, & octavus factus eſt numerus: quo numero facta hominis illius poſteriora ſunt pejora

jora prioribus. Ecce nulla in ſpiritibus mutatio. Immundus ſpiritus in omnibus ſuis actibus idem, & tales ſocios aſſumit, quos invenit: non enim ſpiritus variantur ex actibus. Sed mirum, quòd ſpiritus mali malos ſpiritus, aut nequiores aſſumunt ad peragenda mala, quæ volunt, & ut læſiones agilius inferant, quas diſponunt Mos malorum atque bonorum eſt, ut quod per ſe non poſſunt, multitudine adhibita efficiant mala, vel bona, quæ in animo concepérunt. Et quamvis dæmones ab invicem ſunt diſcordes, ut viſio unius alteri ſit horrori, nec dilectionis mutua viſio inter eos, nec amabilis converſatio quomodolibet eſſe poſſit: ad perditionem tamen noſtram & ad tentandum inferendúmque mala, prout Dominus ipſe permiſerit, ſunt uſquequaque concordes, & adversùs nos acies concorditer dirigunt. Et dum perſtrepuerit ipſorum doloroſæ buccinæ ſonitus, & eorum pallida tuba triſtem dederit ſonum, ſine diſcordia omnes parantur ad bellum, omnes obedientes ad tenebroſum imperium, impetuoſa voluntate perficientes prout poſſunt execratum edictum. Qui ſi non tantùm nocent, quantùm cupiunt, à divina poteſtate per ſe aut per cœlicos Angelos coarcentur, & advocati adinvicem ſe conſociant, ut acrius lædant Aſſumpſit igitur unus malus ſeptem alios nequiores. Quia ſicut in cœleſtibus hierarchiis atque ordinibus ante caſum fuerunt nobiliores aut excelſiores, poſt averſionem & caſum in ſeipſis facti ſunt nequiores. *Et ingreſſi habitant ibi*, nihilque mutatur in eis, ſed ſolùm triſtem hoſpitem pejori conditioni adjiciunt, quorum habitatio delectabilem moram in peccatis oſtendit. Aſpice nefandum negotium, ex toto nubilum faciens. Unus erat ſpiritus immundus, ecce unitas & non numerus. Unitas enim numerum per ſe non facit. Ex quo clareſcit habentibus intellectum, aut uno modo etiam in uno peccato inſinuat hominem offendentem, aut ſingularitatem peccati propter ejus immanitatem, non autem unum hominem, nam ſtultorum per hoc ac peccatorum infinitus eſt numerus. Septem verò nequiores accedunt vocati. Per ſeptem non univerſitas numeri, ſed univerſitas temporis demonſtratur. Septeno enim numero omne dierum tempus evolvitur, ut in omni tempore oſtendatur talium hoſpitum hoſpes non carere peccato. Aut ſecundùm exiliorem intellectum, unus erat ſpiritus immundus, ſcilicet quo facta eſt perverſa voluntas, ſeptem nequiores aſſumpſit, dum ſeptem capitalia mala omnibus nequiora ſuo ſociavit officio, & in tantùm nequiora, ut expellant ab homine ſeptenariam & multiplicem Eccleſiæ ſanctitatem- Ecce intende propenſius. Spiritus immundus eſt omnis voluntaria inclinatio ad immunda per inſtigantem ſpiritum. Immunda eſt omnis inclinatio, puritate incroata relicta, & tibi data pura imagine defixa in terrenorum fece. Et ſecundùm Prophetam: Viſitabit Dominus ſuper viros defixos in fecibus ſuis. Sociari vult iſte ſpiritus immundus, ſolus eſſe non patitur, non unum aut duos, ſed ſeptem, non æquales, ſed nequiores ſe, ut nequiores deteriorem eſſitentem hoſpitem, quò nequiores, quia plus vult mali eorum hoſpes, quàm poſſit efficere: unde appellatur nequitia, quòd ampliùs velit mali patrare, quàm queat. Et de Moab per Jeremiam dicitur: Plus fecit quàm potuit, ſcilicet voluntate, quam opere poſſet explere. Septem ſummando addas ad unum, & fiunt octo. Igitur habes unum & ſeptem, & ingreſſi habitant, unus ductor, ſeptem ducti: unus dux, ſequaces ſunt ſeptem. Omnia malorum genera mala voluntas advocat, & ut ad ſe ingrediantur, invitat, priùs ipſa foris per malum appetitum egreſſa, & factus eſt numerus octavus, quo triſtis hoſpitis negotia poſteriora prioribus ſunt deteriora, quia octava ætate reſurrectionis & gloriæ privatur, & ad quam omnium Chriſtianorum ſuſpirat intentio. Ecce octava peccati, octava maligna, ecce octava ſpirituum iniquorum, contra octavam gloriæ, quam expectamus. Nam ſextus Pſalmus canitur pro octava, ut timens perdere David octavam gloriæ, clamabat ad Dominum: Domine ne in furore tuo arguas me, & quæ ſequuntur. Et adverſùs ſpiritus nequiores, qui ſunt hominis inimici, vocibus invaleſcebat dicens: Diſcedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, ſcilicet ſpiritus maligni, quoniam exaudivit Dominus vocem fletùs mei, & exauditus ſum pro octava. In confuſionem & erubeſcentiam mittebat ſpiritus nequam, cætos ſuos arbitrabatur implacabiles inimicos Dicebat enim: Erubeſcant & conturbentur vehementer omnes inimici mei, convertantur & erubeſcant valdè velociter. Erubeſcunt enim & confunduntur dæmones, cùm aliquem viderint hominem terrenum pro octava exauditum, quam ipſi perdiderunt, & converturtur retrorſum velut corſuſi, cùm ſe viderint à tam fragili materia ſuperatos, ut etiam luteas domos Job in comparatione ad ipſos nos dixerit habitare, ac terrenum habere fundamentum. Et undecimo Pſalmo in finem ſcribitur pro octava, ut pro ipſa exclamaret David: Salvum

Oſee 1.

Jerem. 48

Job. 4.

me

me fac Deus, quoniam defecit Sanctus, & quæ sequuntur. Ac etiam appropiatione typica contra hanc immunditiam & septenariam nequitiam loqueretur dicens: Eloquia Domini casta sunt, quia ad castitatem vocant, & castum faciunt activè auditorem, & argentum est examinatum. Sonus enim divini verbi probatus examinatus est, sed nunquam reprobatus est per rationem, nunquam improbatus est per melodiam potiorem: contemptus tamen est à multis reprobis, sed ex aliqua iniquitate nunquam est inventus reprehensibilis. Alio enim
Psalm 18 loco dicit: Lex Domini irreprehensibilis & immaculata ad animas convertendas. Sed istud argentum aut sonus in argento signatus divinorum eloquiorum agit contra primum spiritum immundum. Quare? Quia probatum terræ, hoc est animam probatam faciens, & ejiciens ab amore terrenorum, appellaverim enim immunditiam ab immundo spiritu immissum terrenorum amorem. Et contra septem nequiores amplius invehit, cùm adjungit purgatum septuplum. A septem certè spiritibus nequioribus liberat divini verbi sonus pro octava auditus, pro octava dilectus, pro octava memoriter retentus, pro octava in actionem deductus. Contra quam sunt septem maligni spiritus, ut ex hoc, quòd privetur octava, talium hospes malus fiat. Sed necessariò fiet? Nequaquam. Neque ad salutem aut damnationem nobis dominatur ulla necessitas, dum ante mortem vivit in nobis arbitrii libertas, sed eo merito induramur, quo libera voluntas in mala labens illabitur, & requirit septemplicem mali universitatem pro tempore suorum dierum, qua delectata consuetudine induretur, indurata verò pœnitentiam non quærat, hujus legibus non subjecta, spiritibus nequioribus subdita deterioretur, pro quanto ab ipsis à malo in malum impellitur, ut demum eos habeat in pœna tortores, quos in culpa voluit habere rectores. Nam octo habet bis quatuor, figura enim quadra soliditatem dicit. Octavus enim numerus malorum spirituum dicit solidatum hominem in anima & corpore in peccatis, unde pejor efficitur malus hospes. Sed in hoc, quod Salvator retorsit ad Judæorum pessimam generationem, non differimus, nec placuit aliter ista tractare, nisi pro moribus devitandis. Igitur qui legis hæc, mala devita.

Cap. XXX.

Contra vendentes sanam doctrinam & consilia vel monita.

CUm quâdam vice Salvator contra bipartitionem animi pro dilectione & corporis pro obsequio disceptaret, quod secutum Lucas refert di-
Lucæ 16. cens: *Audiebant enim omnia hæc Pharisæi, qui erant avari, & deridebant illum. Et ait illis: Vos estis, qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra, quia quod hominibus altum est, abominatio est ante Deum.* Ecce, quod derident avari sanam doctrinam, & directionem ad superos vilipendunt, & quasi anilem cantilenam reputant infallibilem veritatem. Non vult malo colligatus amore verba separationis audire. Inimica est superbis humilitatis doctrina, iracundis sermo pacis non est ferendus, invidis prædicata dilectio inimica, acediosis tædium exhortatio actionis, lubricis odium commendatio castitatis, gulosis terror suasio abstinentiæ. Semper justitia inimica iniquis, honesta operatio criminosis. Abdicationis monitio & revocatio solicitudinis inimicissima est avaris. Contemptum mundi avari auris audire non sustinet, & terrenis affixus timet explicari per verbum, & quod magis accrescit ad crimen, vilipendit Dei legem, & doctrinam derident gloriosam. Minus enim malum esset avarum esse, vel fieri, quàm doctrinam deridere supernam. Hoc autem habet avaritia proprium, ut verbum divinum reputet in derisum. Sed verè usque hodie sunt Pharisæi, qui omnem doctrinam derident pietatis. Sed quod pejus est, agitur, quòd multi seipsos derident, suam doctrinam vilipensioni exponunt, dum contra avaritiam prædicant, quam sequuntur, & venantur actione pecuniam, quam loquendi audacia damnaverunt. Mentitur in plerisque doctrina per sequens aurum, quod totum loquentis animum occupavit, & verbo damnatur, quod insatiabiliter animus sequitur. Et prædicentes per nefas pecuniam quærunt, quam legum jura profanant. Et qui alios deberent ab hujusmodi malo virga directionis atque correctionis avertere, seipsos exhibent exempla pejora sectandi. Sed æquè vel pejus

pejus malum noſcitur, quòd in ipſis Salvator reprehendit : *Vos eſtis, qui juſtificatis vos coram hominibus.* O hominum nefanda conditio, velle coram hominibus juſtum fieri, conſcientia interiori contempta. Nam gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Inſanit, qui ſibi fœtet, conatus aliis odorem inferre. Libros ſtultitiæ ſtuduit, qui ſibi horrendè, aliis leniter vivit: ſibi malus, aliis bonus : ſibi perverſus, aliis rectus apparet. Dic tu, qui ſuxiſti mammillam complacentiæ atque vanæ hominum laudis. Nonne te torquebat conſcientia tua, cùm falsò laudabaris in facie, non ſuffundebatur verecundiâ vultus tuus, cùm loquebatur de te aliena lingua mendacium, credens dicere verum? Nonne te confundebant ſecreta putrida tua, cùm ante faciem aliorum falſo velamine obtexiſſes, cùm verbis moribusque præinrendebas juſtitiam, quæ à tuo animo & agibili vita firmiter exulabat ? O perverſorum hominum genus, qui ſi homines fallunt, non curant de deſuper inſpectore, quem latere nihil penitùs poteſt. Sed qui juſtificari ante homines volunt, illi à Deo juſtiſſimè reprobantur, qui propter judicium hominum divinum judicium contempſerunt. Nam quod altum eſt hominibus, abominatio ſtatuitur ante Deum. Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ita exaltantur viæ Dei ab hominum viis, & ſua judicia ſuperferuntur ab humanis judiciis. Quid enim altum eſt ante homines? Solùm id, quod ſenſus humanus poteſt percipere. Videt oculus hominem inſignitum aptiſſimis moribus, ſed non videt ipſe intrinſecam voluntatem, & quantâ in animo virtute polleat, aut quanta iniquitate ſordeſcat. Audit auris hominum famam, ſed in ſilentio mala vita quieſcit. Sentit homo hominem, & homo homini loquitur, & ipſorum corpore ſit ſodalitas, intima verò ſolus deprehendit altiſſimus, & nec eſt, qui ſe abſcondat ab apprehenſionibus ejus. Altum, quod vident homines, foris eſt, ſed hæc abominatio apud Deum penitùs eſt. Abominatur Deus ſimulacra gentium, magis verò abominatur hominem ſimulatum, qui altitudinem ſedis quærit in mentibus hominum, non ante conſpectum ejus, quî Creator eſt hominum. Igitur qui legis hæc, mala devita.

Cap. XXXI.

Cujus quis opera facit, ejus & filius eſt.

NUllum peccati genus Salvator omniũ tacuit, quod ſuo miro modo loquendi verbis explicitis, & parabolicis non reprehenderet. Inquit enim ſemel Apoſtolis de ſuo modo intelligibili ab eius ſermone mirantibus : *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt?* Diabolus igitur Angelus malus, diabolus homo iniquus, diabolus Angelus irreconverſibilis eſt, homo diabolus obſtinatus. Diabolus non eſt natura creata, ſeu ex creata natura, ſed ex natura mutata, ſed quædam depravata per ſe ipſam voluntas. Nec homo natura diabolus eſt, ſed quædam voluntaria conſervata iniquitas. Et cùm homo uſque ad finem per liberum arbitrium mutabilis maneat, diabolus à Chriſto non vocaretur, niſi ab ipſo à malo propoſito immutabilis præſciretur. Sciebat perfectè Chriſtus ſe à Juda tradendum, ad quod malum ſuum animum immobilem prævidebat, idcirco eum diabolum appellabat, non diabolicum aut dæmoniacum, ſed diabolum, quod non eſt nomen naturæ, aut iniquitatis abjiciendæ, ſed nomen incorrigibilis voluntatis, non ex parte valentis efficere omnia, & animos immutabiles mutabiles facere, magis verò ex parte iniquæ voluntatis ſe voluntariè depravantis. Eſt igitur diabolus præter carnem, ſed contra ſeipſum & hominum ſpiritum & hominum carnem. Eſt diabolus ſpiritus hominis in carne, cum carne, ad carnem, propter carnem, ſed non de carne aut ex carne. Sola enim caro embrionica vel abſque imperio rationis, atque examinis, nihil impuritatis ſeu iniquitatis admittit. Eſt diabolus non electus, ſed reprobatus à Deo. Signantur nota verba irreprehenſibilia Salvatoris : Nonne ego vos duodecim elegi? Ego vos homines, non diabolos, & ſi peccatores, non tamen obſtinatos. Duodecim elegi ad opus miniſterii, quod ab æterno prævidi. Et unus ex vobis diabolus eſt. Non elegi, ſed eſt, non ex me, ſed à ſeipſo, quòd malus eſt. A Deo Patre homo creatur, à me ut bonus eſſet, ut Apoſtolus eſſet cum multis electus, ab ipſo verò eſt diabolus factus. Sed qui ſunt in carne diaboli, quorum Judas primus à Chriſto in hominibus in voce, non autem in re nomen accepit? Hi

Joan. 6.

ſunt, qui omnem naturalis ingenii acuitatem ad peſſima ordinaverunt, non dormientes quietè, niſi mala præviſa perficiant, & niſi damna inferant innocentibus, non quieſcunt, qui ad omnium deceptionem intendunt, fidem nemini ſervant, charitatem deſtruunt, concordiam frangunt; pacem interimunt, juſtæ converſationis vitam confundunt, infruniti animo, lapſi verbo, moribus non modeſti, præſumptores in divinis, humana ſcelerata lege tractantes, nemini ſe colligantes ad bonum, ad malum verò, quouſque perficiatur, efficiuntur fideliſſimi complices. Hi deſtruunt omne obedientiæ jugum, irreducibiles facti ad tramitem veritatis: minis non cedunt, promiſſis non credunt, torturas non metuunt, & derident pœnarum quaslibet quæſtiones, depravationem habent in abditis, inſidias in occultis, nihil rectum, nihil juſtum eſt repetire in eis, & omnis iniquitatis ſunt vaſcula, contumaces, protervi, obſtinati divinorum appetitores ex falſo. Hi novas adinventiones faciunt in peccatis, omnium quæ poſſunt malorum initia, & venenata capita exiſtentia. Hi velùt fulmen ſine retentione feruntur in malum, & velut flumen impetu defluens rapiuntur ad nefas, quod nec obſtaculum patitur, & intumeſcendo poſitum ſupergreditur obicem, aut rumpit, aut trahit, aut aliunde captat compendia defluendi. Hi magis accenduntur, cùm prohibentur, & ex impedimento avidiores redduntur ad crimen, nec aliorum ſociantur pœnis, & pro argento exponunt exitio atque commertio juſtum, ſicut Judas diabolus expoſuit Dominum JEſum Chriſtum. Ad hanc ſententiam pertinere videtur id, quod infrà etiam contra Judæos Salvator injecit, dicens: *Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, loquitur à ſeipſo, quia mendax eſt & pater ejus.* Joan. 8. Id ſcire nos animat iſta ſententia, quis diabolus, qui filii ejus. Sed qualis pater, tales filii: non naturâ, quam in creatione ſuſceperunt, ſed perverſa voluntate, quâ homines dæmones imitantur. Diabolus iniquitatis eſt nomen, non creatæ naturæ aut impoſitionis à Deo. Non Deus Pater in veteri teſtamento, aut Chriſtus in novo diabolicum nomen impoſuit, ſed ſpiritum incorporeum & hominem anima & corpore factum, quòd per iniquitatem à ſeipſis facti erant, his nominibus appellavit. Idcircò ſecundùm iniquitatem, quam commiſerunt, non ſecundùm naturam, quam in creatione ſuſceperunt patrem diabolum, & ejus filios pertractemus. Diabolus eſt, qui nullo ſuggerente peccavit, & rebellavit Deo. Filius verò ejus, qui ad ſimilia ſe aptat. Poſſunt enim homines etiam diabolici ſine alterius ſuggeſtione peccare, ſicut & ipſe ſine alterius ſuggeſtione peccavit, quanquam primi parentes ejus ſuggeſtione peccaverint. Qui etiam potuiſſent ſine ſua ſuggeſtione peccare, ſicut diaboli peccaverunt. Non enim melioris conditionis facti ſunt parentes primi, quàm ſpiritus incorporei ſeu ſeparatæ ſubſtantiæ. Quod contra Job allegabat Elephas Themanites, volens non eſſe juſtum, ſed neceſſariò ipſum conſtituere peccatorem, dicens: Nunquid homo comparatione Dei juſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles, & in Angelis ejus reperit pravitatem: quantò magis, qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, conſumuntur velut à tinea. Ut omninò afferere velit, ſicut peccaverunt Angeli, poſſunt homines nullo ſuggerente peccare. Proinde hac imitata damnatione multi filii ſunt diaboli. Diabolus appetivit, quod ſibi nullo jure competere poterat: filius ejus, qui appetit non competentia ſibi. Unde multi faſcinati non cognoſcentes ſeipſos, ultrà ſeipſos in appetitionibus ſe protendunt. Diabolus appetitor fuit impoſſibilium. Impoſſibile penitùs erat Angelum Altiſſimo coæquari. Filius ejus eſt, qui præter poſitam legem præſumit. Odivit diabolus Deum, cui adæquari non poterat. Filius ejus etiam odio fertur in Deum. Homicida erat diabolus ſui ipſius, quia ſe occidit, dum contra Dominum ſuperbivit. Mors enim eſt ſeparatio à Deo, quia unio cum Deo tota erat ipſius vita. Nam cujus natura creata eſt in beata vita eſſe cum Deo, ſeparatio ab ipſo mortem æternam operatur penitùs ſinè morte. Homicida erat, videlicet ſui, ſed ab initio, non à principio, quod omnia principiat atque facit, ſed ab initio introductæ iniquitatis. Eſt enim initum boni, quod Deus eſt, in omni genere cauſæ, initium mali, quod diabolus eſt. Homicida erat ab initio ſui ipſius, & ipſe initiavit mortem in parentibus primis, unde ſecuta eſt in naſcentibus cæteris. Sapientia dicit: Invidiâ diaboli mors intravit in orbem terrarum, ante quem nullus peccator aut homicida inventus eſt, qui mortem initiavit in ſe atque in humano genere. Filii ejus ſunt, qui nemine inſtigante ſeipſos dederunt præcipitio peccatorum, adverſùs ſeipſos facti atrociſſimi homicidæ, ut in illam deveniant mortem, quam nuncupamus æternam. Filii ejus ſunt, qui

Job. 4.

Iſaiæ 14.

Sapien. 2.

qui adversùs proximos ſtimulantur acuto zelo invidiæ, ut in illam miſeriam velint omnes devenire, quâ ipſi detinentur, aut carere bonis, quibùs ipſi caruerunt, aut qui de felicitate aliorum torquentur. Diabolus in veritate non ſtetit. Omnia in veritate fecit Altiſſimus. Nihil etenim fecit in ſuo opere ſimulatum, & omne quod eſt verum, à veritate verum eſt. A veritate ergo Angelus ſuam eſſentiam habuit, qui etiam in veritate in æternitate beatificandus erat. Et veritatem cognitionis acceperat, ut à quo creatus, cum quo creatus, de quo creatus, ad quid creatus, in qua excellentia creatus eſſet, omninò prænôſſet. Sed non ſtetit in veritate promiſſi, neque cognitionis acceptæ. Mentita verò eſt iniquitas ſibi, nec ſtetit in veritate, quâ ipſe Altiſſimo, ratione qua Creator eum fecit, & quâ ipſe creatus tenebatur ſtare ſubjectus. Proinde veritas non eſt in eo, ſemper enim omnes fallere tentat. Qui non manet in veritate, quâ creatus eſt atque renatus, filius eſt diaboli. Diabolus mendacium ex propriis loquitur, non aliunde comparat, nec ab alio, ut mentiretur, accepit. Suum proprium fuit ſibi mentiri, ſeipſum fallere, ſuum proprium eſt aliis nocere atque decipere. Nemo eum compulit aut compellit ad malum, nullus ſibi nequitiam perſuaſit. In his ſimilis factus meritò dicitur filius diaboli. Ipſe mendax eſt & pater eius. Pater primò generans mendacium, diabolus eſt. Ante ipſum mendacium non eſt inventum, quia primus mendax eſſe cenſetur, cujus filiatio non traductione, ſed imitatione peragitur. Proinde dictum eſt Judæis quia volebant Chriſtum interficere, ob hoc appellantur filii diaboli homicidæ. Verè filii ſunt diaboli, qui aliquem ſine cauſa ſeu innocentem morte, vel damno aliquo perſequuntur, & deſideria diaboli volebant perficere. Sitit enim diabolus ſanguinem innocentum, nec curat diabolus, ut quis alium corporaliter lædat, ſed ut lædentem injuſtè poſſideat. Deſiderat ipſe in omnibus nobis, ut his culpis avertamur à Domino, quibus ipſe adverſarius factus eſt averſus, ut perditis lucidis ſedibus cum ipſo tetros cruciatus & pœnalitates habeamus. Væ igitur perficientibus diaboli deſideria. Sed quoniam hæc damnata filiatio, ſolùm non generatione transductiva peragitur, ſed imitatione perverſa, imitari verò non poſſumus in ſuis moribus quenpiam, in quibus opere, aut voluntate, aut verbo aliquid feciſſe neſcimus. Et peccantes omnes filii diaboli, appellantur. Ipſe autem nunquam in ſe deliquit in gula, pecuniam nunquam appetit, actualem libidinem ignoravit omninò, & ſi quid eſt vitii actualis. Sunt enim immateriales & incompoſiti. Superbi verò ſunt, invidi, & iracundi, & malis ſpiritualibus omnes pleni. Sed verè appellatur filius, qui in bonis aut malis alterius deſiderium implet. Efficiuntur, qui boni ſunt, filii Dei, cùm ejus voluntatem perficiunt, etiamſi eum in his, quæ fecit, non imitantur. Dicuntur & reprobi diaboli filii, ſi deſiderium ejus perficiunt, quod nihil eſt, niſi, ut mala faciamus, quæ ipſi fecerunt, aut quæ natura prohibente facere nequiverunt, à nobis verò materialibus & compoſitis fieri poſcunt. Hanc damnatam filiationem qui legis, omninò devita.

Cap. XXXII.

Exprobratur incredulitas & duritia Judæorum.

OMnium verò malorum cauſa non credere in infidelibus eſt, de quo Salvator Judæos incredulos arguit dicens: *Si enim non crediderit, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Sed ad Judæos non eſt nobis ſermo. Etiam ad malos credulos Chriſtianos ſententia divina convertitur. Quòd ſi omnia, quæ ſancta mater eccleſia credenda ſuſcepit, non indubitanter creduntur, qui non credunt, in peccato incredulitatis moriuntur. Non quòd hæc incredulitas de novo ſit cauſa mortis, qua ſeparatur corpus ab anima, ſed cauſæ æternæ mortis, qua in damnatione conſtituitur anima, & corpus ponitur in gehenna. Ipſa verò credulitas nos reducit ad vitam, à qua primus homo non credendo ceciderat. Dictum fuit primis parentibus, quacunque hora non credendo mandatum tranſgreſſi fueritis, morte moriemini. Tunc verò dicebatur Judæis: Niſi crediderit, in peccato veſtro moriemini. Nunc verò dicitur Chriſtianis, ſi in aliquo hæſitaveritis, nunquam ſalvabimini. Ac per hoc non ad prævaricationem ſalutis fidei adſcribitur, quoniam à dæmone miſſa tentatio, ſed cùm ſubjecta debet eſſe fidei, dubitat hominis ratio & ſua inveſtigatione conatur

Joan. 7.

Gen. 2.

inſpicere, quod nequivit ullatenus abſque fide. Nam non incredulus ſolùm moritur in peccato incredulitatis, ſed in aliis, quæ commiſit. Quia non recedit à malis, nec ſacramentis ſe abluit, qui ex peccatis non credit tradi gehennalibus flammis, nec peragit bona, qui præmia non credit æterna. Nam Abraham credidit Deo, & reputatum eſt ei ad juſtiGen. 15. tiam, bonorum ſcilicet morum, ut ſicut credidit, ſic in bonorum morum juſtitia vixit. Caveat unusquisque peccatum incredulitatis aut hæſitationis. Et incredulitas veritatis arguit hominem ex Deo non eſſe. Qui autem ex Deo non eſt, factus eſt extra vitam. Et impoſſibile fit omnino beatum fieri, atque dirigi ſanctis moribus, qui veritati non præſtitit aſſenſum. Subintulit ſanè Salvator: Joan. 8. *Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Si dicenti veritatem non creditur, nemini niſi ad periculum dabitur fides. Ipſa enim eſt, quam omnes amant ratione utentes, & omnes veritatem inquirunt. Etiam perverſi, qui aliàs fallere volunt, falli nolunt, & ſi falſus verum quærit amicum, ſi adulter caſtam & veram quærit uxorem, etiam ipſa virum, ſi qui falſam pecuniam porrigit, veram recipere quærit. Nemo eſt enim qui quamvis fallat, quòd veritatem non quærat. Nec in eo, quòd fallit, diligit falſitatem, ſed veritatem aliam in commodo, quod inquirit, aut illam veritatem, qua verum eſt, quòd fallere novit. Etſi iniqui diligunt veritatem, qui boni ſunt, ipſam animo & moribus infectantur. Ipſa eſt, qua conſiſtunt omnia, ipſa copulat amicos & in omnibus fœdera, qua depulſa nec amicitiæ neque fœdera ulla manent. Hanc invocat indoctus & ſapiens, dominus & ſervus, nobilis & ignobilis, dives & pauper, ſanus & infirmus, peregrinus & civis. Hanc quærit innocens, hanc quærit exactus injuſtè, ad hanc ſuſpirat, qui jacet in valle miſeriæ. Scuto hujus falsò inculpatus ſe appetit protegi. Unde in Eſdra legitur de illis tribus, qui problemata poſuerunt, quod ille obtinuis qui prævalis omnibus veritatem. Ait enim: Iniquum Eſdræ. 4. eſt vinum, iniquus eſt rex, iniquæ ſunt mulieres, iniqui omnes filii hominum, & iniqua omnia illorum opera, & non eſt in ipſis veritas, & in ſua iniquitate peribunt, & veritas manet, & invaleſcet in æternum, & vivit & obtinet in ſæcula ſæculorum. Nec eſt apud Deum accipere perſonas, neque divitias, ſed quæ juſta ſunt, facit omnibus injuſtis, & malignis, & omnes benignantur in operibus ejus. Et non eſt in judicio ejus iniquum, ſed fortitudo & regnum & poteſtas & majeſtas omnium ævorum, benedictus Dominus Deus veritatis. Sed quæ veritas eſt iſta, quam Chriſtus loquitur, & non creditur? Quicquid Chriſtus dicit, veritas eſt, imo ipſe Chriſtus eſt veritas. Veritas niſi veritatem loqui non poteſt. Eſt ne aliqua ſpecialis aut ſingularis veritas, quam Chriſtus loquatur & non credatur? Eſt ſanè veritas, ad quam Chriſtus ex his verbis credendum invitat, quæ ſi non credatur, conqueritur. Eſt humanatio ejus, abdicatio quam prædicat à terrenis, cognitio falſitatis in mundo latentis, eſt ſuperna in carne humiliter promolgata doctrina, quæ per fidem corda hominum purgat; in terris diſponit aptos cœleſtibus mores; præſtat viam ad ſupernum regnum, & à dæmonum imperio liberat ſuperborum. Hanc qui non credit, fallacibus dæmonibus perpetuo ſe conſtringit. Hanc veritatem non credere aut audire, hominem ex Deo non eſſe demonſtrat. Credere & audire, aſſerit ex Deo eſſe. Unde igitur quod adjecit: *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis:* Verba Dei Joan. 1. veritas ſunt, quia principium verborum Dei veritas, etiam medium & finis verborum Dei veritas eſt. Loquebatur Deus in homine, imo Deus homo, non homo purus. Verba igitur Dei erant, quare Evangelii excellentiam agnoſcamus: Divinum eſt Evangelium, non humanum. Sed qui eſt ex Deo, verba Dei, quæ veritas eſt, quæ facit Evangelium, audit. Non homo condidit Evangelium, quamvis lingua humana verba protulit, ſed Deus æternus homo in tempore. Sed concutit cor, quod dicitur: Qui eſt ex Deo, verba Dei audit. Quid autem eſt, quod ex Deo creatum non ſit, quamvis ex Dei ſeu de eſſentia Dei non ſit? Nihil. Omnia enim per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Sed dupliciter ex Deo creatura rationalis eſt, ſcilicet creatione & voluntate. Creatione omnes ſumus, voluntate id eſt voluntatis conformitate ſoli Joan. 10. ſunt, qui renovantur in novitate vitæ, neque huic ſæculo conformantur. Diabolus vult omnes huic ſæculo conformari: Deus vult omnes ab hoc ſæculo abdicari. Qui verò huic ſæculo conformantur, ex diabolo per imitationem & deſiderii ſui factionem ſunt. Ex Deo non ſunt, propterea verba Dei non audiunt, quæ veritatem loquuntur & diſcooperiunt falſitatem. Quicquid enim

co-

cogitari aut dici poteſt, aut habet aliquam entitatem, tamdiu verum eſt, aut falſum non eſt, uſque alia fulgentiori veritate atque certiſſima refellatur. Nec apparet falſitas, niſi veritas illuceſcat, non cognoſcebatur peccati falſitas, niſi legis veritas illuxiſſet. Neſcitur mors, niſi per vitam, neſcitur nigredo, niſi per albedinem, neſcitur obſcuritas, niſi per lucem, neſcitur amarum, niſi per dulce. Ignorantur multa, niſi appoſitio contratii adſit. Ignorabatur amor mundi quantùm haberet periculi, & in quos terminos transfretaſſet ſua vana dulcedo, niſi Deus homo mundi conditor mundique redemptor contra eum doctrina vera & moribus clariſſimis intonaſſet. Quam veritatem mundi dulcedinem reprimentem, falſitatem occultiſſimam detegentem, animo ferentem ſurſum humiles atque indubios auditores, divina Verba dulciora ſuper mel terrenæ delectationis & carnalis amœnitatis, & ſuper favum omnis eloquentiæ, atque ſcientiæ naturalis, qui ex diabolo per imitationem non ex Deo ſunt, audire ſeu credere contempſerunt. Siquidem hominum pericula in Chriſtianis moribus, quos tractamus, in duobus maximè ſolent provenire, aut cùm per ignorantiam latet neceſſaria veritas, aut cùm patefacta contemnitur. Primum, ſi ignorantia eſt invincibilis parum aut nihil lædit, ſi verò vincibilis & non vincitur, lædit ut plurimùm. Secundum, cùm perfuſo lumine veritatis, quid agendum aut devitandum eſt, poſſumus intueri, & non agimus aut devitamus, tanto lædit acrius & torquet, quanto quod agendum aut devitandum eſt, clarius lucet. Nulla in hac umbroſa vita degentibus remanet excuſatio, cùm veritatis illuxerit claritas in vita JEſu, in tono divinæ vocis, in parabolis, ſignis, atque miraculis. Cui veritati tam innumerabilis teſtimonium dedit per mortem & ſanguinem multitudo ſanctorum hominum atque mulierum, juvenum atque ſenum, ac more animalium per deſerta viventium, quæ ſi adhuc viveret in carne, omnibus aliis viventibus æquaretur, ac toti mundo doctrina, vita, moribus fortitudine, corporali potentia, ſi contenderet in omni certaminis genere, ſi expediret, infetret omnino conflictum. Væ ineredulis veritati & divinis eloquiis, quoniam qui veritati non credit, & verba Dei non audit & perficit, vocem jucunditatis non audiet, & maledictionem ſuſcipiet cum filiis falſitatis. Quòd autem eum vocaverunt dæmoniacum, eorum depravatam mentem inſinuat. Depravata enim mens eſt, quæ bonum malum dicit, lucem appellat tenebras, ſanctitatem turpitudinem, juſtitiam iniquitatem, verum, falſum, ſervum Dei amicum diaboli, catholicum verum hæreticum, pium impium dicit, & ſemper ad pejora cogitanda inclinat animum, & ad majorem injuriam convertit & linguam. Eſt quoddam hominum malum, quòd, ubi ratione ſuccumbunt, ad violentiam ſe convertunt, & cùm non habeant, quod in veritate reſpondeant, perſequendo alios ſe tuentur. Studentque viribus à ſuis conſpectibus abolere, quem verbis juſtis & rationabilibus non poſſunt convincere. Hinc Judæi cùm Chriſtum ratione confutare non poſſent, duritiam & proteruiam cordis operibus oſtendentes, ad lapides ſe convertunt, & volunt obruere lapidibus, cui veris ſermonibus repugnare non poſſunt. Et impatientia mentis oſtenditur in auditione veritatis, cùm Chriſtum lapidare erudelitet tentant. In falſitate appetit remanere, qui perſequitur veritatem. Hi enim ſunt, qui vellent legem Dei pervertere, atque ipſum per eorum voluntatem inflectere. Delectantur placitis ſed non veris, obliquis non rectis, humanitatem dilexerunt, non ſanctitatem. De quibus Iſias dicit: Populus ad iracundiam provocans eſt, & Iſaiæ 30. filii mendaces filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus, nolite aſpicere ea, quæ recta ſunt. Loquimini nobis placentia, videte nobis errorem, auferte à me viam, & declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael. Unde in Chriſtum in tantum exarſerunt Judæi, ut ipſe ceſſaret à facie eorum, & abſconderet ſe ab eis. Cùm enim veritas ab hominibus non diligitur, abſconditur, & cùm quæritur poſtmodum, plerunque non invenitur. Et qui cum eis in doctoribus atque prælatis perſequitur lapidea duritia verbum vitæ, directione carebit in via, & in futuro Sæculo vita beata. Præſumptores autem quandoque in ſcientiam aut verum, aut errant, quod ita non eſt, ſicut præſumunt, aut ſi ita eſt, eorum peccatum aggravatur amplius, ſi offendunt. Error eſt, cùm quis ſe putat ſcire, quod neſcit. Gravius peccat, qui ſcienter delinquit, nec minus peccat, qui palam facit contra illud, quod ſe ſcire credit, etiam ſi neſcit. Peccat omnino in Deum, & in animam ſuam, qui facit contra illam, quam credit habere ſcien-

tiam, etiam ſi eſſet erroneum, quod crederet verum, cùm committere eredat & velit omnino peccatum quousque tamen pateat verum. Nam ſi quia omnino erederet, atque ſe omnino ſcire præſumeret, quod carnem ſuillam comedere per legem eſſet peccatum mortale, nec ut crederet, ita eſſet, peccaret tamen mortaliter, ſi contemnena comederet. Non enim ſolùm per legem peccatum oſtenſum culpa eſt, ſi committitur, ſed etiam, ſi homo pertinaciter committit, quod non eſt peccatum, dum firmiter quod agit, credat eſſe peccatum. Hinc ſalvaror poſt diſceptationem cæci nati & curati, cùm eum reinveniſſet, dicit: *In judicium ego in hunc mundum veni, ut* Joan. 9. *qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. Quidam verò ex phariſæis dixerunt ei: Nunquid & nos cæci ſumus? Dixit eis* JEſus: *Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum, nunc autem dicitis, quia videmus, peccatum veſtrum manet.* Dare ſalvator lumen fidei venerat hia, qui per lumen naturale aut legis vera bona viderenullo modo credebant, & ſe nihil ſcire putabant, in valle ignorantiæ ſe morari cernentes. Lumen auferre venerat, & aliud non conferre his, qui per legem aut per acuitatem proprii intellectua & naturalis lummia ſe credebant in mundi tenebris luminoſos Peſtima res eſt error, ſed pejor eſt præſumptio aut ſimulatio ſapientiæ. Mala eſt ignorantia, ſed pejus ſe credere & non habere ſcientiam. Unde ſalvator dicit: *Si cæci eſſetis, peccatum non haberetis.* Si omnino quis ſe crederet ignorantem, & eſſet quod crederetur, levigaretur, imo levaretur quod ſcientibua eſſet peccatum. Nam aut à toto aut à parte ſaltem ignorantia liberat, quem ſcientia certa ex toto condemnat. *Nunc autem, quia dicitis, quia videmus, peccatum veſtrum manet.* Non aſſeruit Dominua ſalvator, quod viderent, ſcilicet ut veram ſcientiam haberent, ſed dixit ad eorum opinionem verba convertens, dicitis quia videmus, hoc eſt, creditis vos videre, ſicut ſupradictum legitur. Credere ſe ſcire, etiamſi abſit ipſa ſcientia, culpa committitur, ſi contra conſcientiam, quæ creditur, agitur. Ex hoc ſubjungitur, peccatum veſtrum manet. Proinde peccatum, quod committirur contra ſcientiam certam, eſt malum, contra creditam, etiam ſi non veram non minùa eſt malum. Cùm autem olaret veritas, erronea credulitaa tollitur, non tamen ſic quòd malum in illa comiſſum non fuerit ante peccatum, quamvis poſſit pœnitentia cordia dilui, atque beneficio ſacramenti. Ac per hoc qui ſciunt legem veritatis, atque juſtitiæ, ſi ipſam non fecerint, peccato aſtringuntur omnino. Si contra præſumptam ſcientiam & non veram fecerint, ſimiliter ſubjacent culpatæ nequitiæ. Omne namque, quod contra conſcientiam ex malitia determinata peragitur, adſcribitur ad peccatum, etiam ſi de ſuo genere, atque de legia prohibitione peccatum non eſſet, quod agitur. Præſumptio igitur ſcientiæ & intellectus, velut letale malum eſt omnino cavenda. Hæc enim induxie hæreſea, & in Eccleſia Dei plùrimas ſectaa fecit, avertit hominem à ſimplicitate fidei, atque doctrinæ. Credere non ſinit juſtis ſermonibua, atque piis, per contentionem loqui aut reſpondere ſolicitat, ſubditum adveraùa directorem in animo perduxit in litem, & ſæpe per verbum fecit dijudicare mandatum. Præſumptio ſcientiæ, & intellectus expoſitiones in ſcriptura varias inquirit, & non intellectum ſcripturæ, ſed ſcripturam ſuo intellectui damnata remeritate coaptat. Si deliquit, qui ab hac involuitur tetra caligine in præceptis ſive promiſſis, ſtatim, ſi arguitur, ad intellectum varium ſe convertit, & aptata & præſumpruoſa expoſirione arque impertinente ſe tuetur, ne deliquiſſe in aliquo judicetur. Et argutores appellat ſciolos, profitens penitus ſolum veritatia ſcientiam ſe habere, atque intellectui ſuo illuxiſſe de ſuperis. Nec ſentit cum aliis, quod communiter bonum ſentitur, ſed ſingularem viam incedit ſcientiæ, quæ à ſimplicitate fidei reprobatur. Crediderunt multi, falſa credulitate decepti, videre depropè arduiſſimas veritates, quorum intellectua proportionabatur ad illas, velut oculus noctuæ ad ſplendentem radium ſolis, aliqui præ cæteris ſe videre, aliqui ſingulariter ſe videre, quorum omnium certiſſima eſt reprobatio. Nam primi cæci ſunt velut ſomniantes, qui omnia vident in luce, atque velut in claritate diei eia incedere videbatur, expergefacti verò erant in mediis tenebria noctis, jacebanr in cubiculis tetris. Alii æqualea habent. Nemo enim aliis ita in aliqua virtute ſe præferat, ut ſibi non credat æqualem, ſibi unuaquisque poteſt notua fieri, de aliis verò certum non poteſt proferre judicium. Propriam fecit communem Domini bonitatem, aut naturæ commune beneficium reduxit in proprium, qui ſibi non credit æqualem. Et omnino exceditur, qui excedere omnes credit. Tertii qui gradiuntur ſingu-

gulariter ſuper terram, ut nec per comparationem fiant ad alios, ſed fontibus omnibus deficeatis in ſeipſis credunt vetam intellectus & ſcientiæ abundate. Sed eo ipſo iſtorum eſt aperta damnatio, qui ſingularitatem illius confundunt, de quo quo propheta ante prædixerat: ſingulariter ſum ego donec tranſeam. Pſal. 114. Nam qui ſe credit ſcripturatum & veritatum atque virtutum clarum intellectum habere atque ſcientiam, & contra fidei ſimplicitatem, ſpei certitudinem, & mores charitatis humillimè inviſibiles atque viſibiles ſenſerit, & ad excuſandum delicta ſive peccata excuſationes invenerit, aut ſi ſcripturæ non accipit intellectum, ne decipiatur, quia deceptus eſt, & neſcit, quo vadat, quia tenebræ ignorantiæ obcæcaverunt oculos ejus. Quanta mala hujusmodi præſumptio in malis prophetis in veteri teſtamento fecerit, quanta in novo in pſeudo-prophetis, in perverſis hæreticis, quanta in cœnobiis ac collegiis, quanta mala in auditoribus & populis vulgatibus, ex præſumptuoſis doctoribus & declamatoribus ſunt ſecuta, nullus, qui ſacras literas & ſanctorum & geſtarum rerum hiſtorias legit, ignorat. Quot quæſtiones vanæ, & inutiles eorda ſimplicium ſubvertentes, quot diſceptationes in moribus, quot opiniones, atque doctrinarum novitates noſtris temporibus infelicibus inſurrexerunt, de eis magis dolor cogit me plangere, quàm narrare. Sed firma ſtetit, ſtat & ſtabit ſententia ſalvatoris, *quod in judicium venit in mundum, ut non videntes videant, & videntes cæci fiant*, & peccatum inexcuſabile ſtatuitur præſumentium, quòd aut errent non intelligendo verum, aut offendant, dum contra conſcientiam erroneam vel veram vivunt. Igitur qui legis hæc, mala devita. Eos verò, qui ſcripturarum ovile aliunde quàm per proprium ab æterno prædordinatum oſtium ingrediuntur, & qui curam & directionem ſuſcipiunt animarum, aliunde quàm per prædictum oſtium in caulas dominicas abſcendentes, fures ſunt & latrones. Fures, qui præter Domini voluntatem furantur impertinentem ſcientiam & doctrinam, & ſubripuiſſe authoritatem fraudibus & extorſiſſe velut latrones quæque regimina gaudent, qui velut latrones atque fures in æternis ſuſpendantur patibulis, pro eo, quod non per oſtium humilem animarum ereptorem atque rectorem, egenum & pauperem non terreno ſplendore fulgentem, unigenitum Dei Filium pro nobis hominem factum, atque pro ejus honore in ovile dominicum intraverunt, ſed aliunde per ſuperbiam atque ſimoniam favoremque hominum ad Dominum, non ad utilitatem ipſorum, ut lucrentur pecuniam de gratia Spiritus ſancti, unde debuerunt atque debent lucrari virtutem atque juſtitiam & animas ab erroribus fidei atque vitiorum eripere, necnon fulgere volunt, ubi Chriſtus deſpectus apparuit, & aſcendere ſuperbiæ equum, ubi Chriſtus ſimplicem aſcendit aſellum, & veſtibus non moribus & vitam ſtipare deliciis, ubi Chriſtus aſperam vitam tenuit. Sed qui vult humanis fulgere ſplendoribus, ubi Chriſtus pallidus vixit, non ingredietur in illam requiem ubi gloriosè reſedit, & æternaliter cum ſuis humilibus reſidebit. Ad eos verò ſignantius noſter dirigitur ſermo, qui de Chriſti pauperis patrimonio inclareſcunt, quorum tanto gravior eſt culpa crudeliórque damnatio, quanto de opprobrio Chriſti & turpiſſima morte atque de gratia Spiritus ſancti humanam venantur gloriam, non divinam, terrena ſectantur commoda, non cœleſtia, temporalia, non æterna, & inſtrumenta virtutum ſubdiderunt imperio vitiorum, atque illa, quæ ordinata ſunt pro ſuperno regno, ad uſum regni corruptibilis converterunt. Ad damnationem malè utentium ſpectat, quæ Chriſti ſanguine ſunt quæſita, & quæ principes mundi humili & pauperi Chriſto in ſuis veris ſequacibus & ponificibus Chriſtiana fide ſuſcepta humiliter obtulerunt. Necnon ad ipſorum judicium ſunt martyrum corpora tyrannorum conſecrata terrore, pro quorum honore tanta ſanctæ matri eccleſiæ in diverſis mundi partibus ſunt oblata. Proinde mercenarius paſtor cupidus terrenæ mercedis in cœlis æterna privabitur, quia ſubditam animam velut ovem lupotum inviſibilium reliquit periculo, cùm adeptus fuerat, quam avidè quærebat mercedem. Et ſibi-ipſi in conſcientia eſt & ad Dei judicium teſtis, quod, qui ſeipſum pro eruendis animabus non exponit, quod non Dei voluntas & animarum charitas, ſed cupiditas promotum provehit atque facit. Ad illam ſententiam, quam de non audiendis verbis Dei prætulimus, quod ſequitur, pertinet, ſed diſſertione breviori atque alia diſſerendum. Dixerat enim ſuperius: Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea Joan. 8. vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Hic enim hoc idem aliter inquit: *Loquor vobis, & non creditis mihi. Opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, ſed vos non creditis mihi, quia non eſtis ex ovibus meis.* Mira & horrenda ſententia, ſed infallibiliter vera. Oves ſtatuendæ ſunt à dex-

dextris pro benedictione perpetua, hœdi à ſiniſtris pro maledictione æterna, ſed hic comprehenduntur ex ſalvatoris ſententia oves & oves. Oves Chriſti, quæ audiunt vocem ejus, & oves, quæ non audiunt vocem ejus. Sed ſolùm, quod inexcuſabiliter prætendit peccatum, diſſeramus. Oves quidem ſunt, ſed non omnes Chriſti. Quæ ſunt Chriſti, Chriſtum audiunt, quæ non ſunt Chriſti, Chriſtum non audiunt, nec ſequuntur. Primum ſecundùm hanc ſententiam oportet fieri oves Chriſti, poſtmodum audire vocem ejus. Sed oves Chriſti non fiunt, niſi primo audiant unde fiant, ac per hoc erit auditus, unde fiant oves, & erit auditus, cùm factæ fuerint oves. Primus ad fidem pertinet, ſecundus ad mores atque ſequelam. Altum eſt, quod ad dicendum ſe offert, reſccandum magis verò eſt. Sed qui legit, intelligat: fidelibus, non infidelibus loquor. Omnes Chriſtiani ſumus nomine, ovésque vocamur, ſed ſunt verè oves, quæ audiunt & credunt, atque Chriſtum paſtorem pro poſſe ſequuntur. Sunt oves ſimulatæ, quæ neutrum faciunt, quod quamvis Chriſtus dixerit de Judæis, culpabilius hodie dicitur de ſimulatis utique Chriſtianis. Et inter cætera hominum vitia, ſimulatio pallidam tenet ſedem. Simulant pellem ovinam, & manſuetudinem habere omnibus mentiuntur, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Simalatio eſt oſtenſio falſa eorum, quæ aguntur, aut diliguntur in animo, & eo execratior, quo virtutem ipſa mentitur. Malum per exceſſum propemodum ſe habet ad omnia mala. Malum eſt iniquitas, ſed pejus eſt ſimulare juſtitiam. Malum eſt invidia, ſed pejus eſt ſimulare amorem. Malum eſt ſuperbia, ſed pejus eſt ſimulare humilitatem Malum eſt inanis gloria, ſed pejus eſt ipſius ſimulare contemptum. Malum eſt iracundia, ſed pejus eſt patientiam ſimulâſſe. Malum eſt acedia, ſed pejus eſt actio ſimulata. Malum eſt avaritia, ſed pejus eſt ſimulare diſperſionem, ut adjiciat. Malum eſt luxuria, ſed pejus eſt ſimulatio caſtitatis, quia inevitabilius decipit. Malum eſt gula, ſed pejus eſt ſimulatio abſtinentiæ. Malum eſt cordis ariditas, ſed pejus eſt ſimulatas lachrymas emiſiſſe. Malum eſt temeritas, ſed pejus eſt ſimulare timorem. Malum eſt impietas, ſed pejus eſt ſimulare pietatem. Malum eſt error, ſed pejus eſt ſimulare ſcientiam. Malum eſt ignavia, ſed pejus eſt fortitudinem ſimulare. Malum eſt vivere inconſultè atque ſuis directionibus agi, ſed pejus eſt ſimulare velle conſilium, & ſecundùm illud ſe ſimulare moralem. Malum eſt tenebra intellectus, ſed pejus eſt ipſum oſtendere præclarum. Malum eſt inſipientia, ſed pejus ſapientiam ſimulâſſe. Malum eſt ab oratione recedere, aut non appropinquare ad illam in veritate, ſed pejus eſt ſimulare. Malum eſt omne vitium, ſed pejus eſt ſimulare virtutem. Dupliciter ſimulator offendit, quia & vitium habet, ſimulátque virtutem. Iniquus patens malus eſt ſibi, ſcientibus in cautela. Simulator ut iniquus permanet & deceptor, & quia non poteſt ſciri, non poteſt quousque ſua vitia perfecerit, devitari. Simulator non ſolum cum iniquitate ſe mentitur habere virtutem, ſed vitium ſæpe virtutis ornamento compælliat, & ſi reprehendatur offendiſſe, delictum obſervantiam, prævaricationem regulam, iniquitatem juſtitiam, peccata virtutem, ſimulata & audaci lingua ſe feciſſe dicat. Simulatio eſt rerum turpium tegumentum, & ornamentum inviſibilium atque incognitarum fœditatum. Simulatio eſt exemplificatio verarum ſcripturarum. Quæ per ſimilitudinem dicuntur, nihil habent proprium. Leo enim pictus ſimilitudinem habet ad verum, proprietatem verò nullam. Simulator ſimulacrum eſt virtutis. Simulacra tantum exteriora membra habent ſine officiis. Dicit enim David: Os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, guttur & non clamabunt, nares & non olfaciunt, brachia nihil portant, manus non tangunt, pedes non ambulabunt. Simulatores verò ſimilitudinem quandam cum veracibus gerunt, ſed veritatem virtutum Deo placentium reliquerunt ex animo. Sed dicit Job: Simulatores & callidi, provocant iram Dei. Meritò iram Dei provocat, qui ſe cum falſitate conſtringit, nil ad verum deducendo judicium. Nil aliud ſimulatio eſt, niſi fallitas oſtenſa virtutum, aut eſſe in eſſe quod longè penitus à vero eſt eſſe. Iſaias enim dicit: Stultus fatua loquetur, cor ejus facit iniquitatem, ut perficiat ſimulationem. Qui loquitur fatua, ſtultus eſt, & ſtultus fatua loquitur. Et cor ejus facit iniquitatem, quam facit, ut perficiat ſimulationem. Iniquitas enim maxima eſt apud Deum, ſimulationem facere. Et omnis iniquus à Deo maledicitur. Simulator ore decipit amicum ſuum. Semper ſimulator ſe contegit verbis, nec amico loquitur recta, decipit eum ore, oſtendens amorem, quem non habet, offerens obſequium, quod facere non intendit. Dicit ſe gaudere de proſperis, de quibus dolet, de adverſis dolere, de quibus gaudet in corde. Profitetur habere divina charismata contrariorum nempe poſſeſſor exiſtens

Pſal. 119.

Job. 36.

Iſaiæ 32.

Prov. 11.

ſtens. Stuprum & inceſtum commiſit Amon, qui ſimulavit languorem opprimens vi ſororem. Multi invaletudinem ſimulant, ut perficiant, quæ valetudinem oſtendentes nequiviſſent omnino perficere. Improbum & inverecundum malum eſt ſimulatio, ſimulat enim bona & corporis mala. Caveamus ſimulationem falſitatis alumnam, perfidam æmulam imperio veritatis, quæ velut hiſtrio actus ſimulat alienos, & tanquam præſtigiator oculos decipit intuentium. Ubi autem de hypocriſi tractavimus, fere ſimilia diſſeruimus. Vide igitur oves, ſed non oves veras, quæ Chriſtum non audiunt, nec ſequuntur, quia non ſunt oves ejus. Ergo qui legis hæc, mala devita.

2. Reg. 13.

Cap. XXXIII.

Diſcordia fidei & morum zizania.

ET cùm parabolam ſeminantis per ſemetipſum Salvator exponeret, petroſos, ſpinoſos & vioſos appellavit non recipientes aut retinentes regis magni doctrinam, ut in petroſis duros, in ſpinoſis avaros, in vioſis diabolo patulos indicaret. Etiam zizania diſcordiæ fidei & morum dixit eſſe malos, à vera & ſanctiſſima fide & ab eis purgatis moribus per impietatem reſilientes. Lucæ 8.

Cap. XXXIV.

Odibile Herodis convivium propter multa.

Math. 6. Marci 14. Lucæ 3.

PErtinet ad ſcelera devitanda infauſtum Herodis convivium, ubi nativitatis memoria recolitur, & quicquid eſt virtutis abjicitur, & quod eſt ſceleratius, quicquid eſt iniquitatis admittitur. Nam convivia eo damnantur, quo accuratius carni ſervitur, & unius expenſæ convivii multorum pauperum eſſet vita & liberalitatis porta, quæ pietati & aliorum indigentiæ clauſa manet, vento vanæ gloriæ aperitur. Et patefiunt theſauri abſconditi auræ hominum populari, qui clamanti miſero clauſi erant, & diverſitas paratorum, propinatio vini diverſa, loquacitas importuna, verba ventoſa, edendi rapacitas, bibendi ſuavitas, comeſtio nimia, convivia ſine pietate condemnat. Et ſaltatio puellæ, actus omnino impertinens Chriſtianis, propter anfractuoſos inceſſus corporis, & membrorum motus diſtortos, & protenſio pectoris, ſupinatio ventris, excellentia ſupra eſſe, provocabiles ad luxuriam actus, ſpectantium in corde varietas, inventiones pro variis complacentiis, ficticii geſtus ſaltationem accuſant, reprehendendam in hominibus, damnandam in fœminis, interdicendam penitus in puellis. Nec debent membra Chriſtiana ſanguine Chriſti redempta ſaltationibus deſervire. Nefandus verò Herodis & Herodiadis damnatur iocœſtus. Etſi hoc in paganis arguit præco Chriſti, quàm crudeliter multabit incœſtuoſos Divina ſententia Chriſtianos? Major autem his iniquitas adjicitur, ſi mulieris hujus impietas ſedula mente penſatur. Quæ major iniquitas, quàm nolle corrigi, quæ major perverſitas, quàm nolle reprehendi? Nam qui corripientem ſe dura cervice contemnit, huic extemplo veniet perditio ſua, & eum ſanitas non ſequetur. Nam ſi omnia peccatorum genera conflarentur in unum, coram Deo nolle corrigi plus excedit. Nam Caio præmonitus noluit corrigi, perſiſtens incorrectus fratricidium perpetravit. Iterum à Deo ad pœnitentiam invitatus, ad correctionem per impœnitentiam factus eſt contumax. Judas Iſcariotes ſignis & verbis amantiſſimis inductus à Chriſto cordis ſui & omnium cognitore, ut ſemetipſum corrigeret, permanſit in malitia induratus, captato ſibi ad explendam dominantem nequitiam tempore apto, Judæis tradidit magiſtrum. Ad pœnitentiam malè inflexum, non ad correctionem erectum, non ad Chriſtum, ſed ſuam Infelicitatem traxit ad laqueum. Quod autem peccatum magnum ſive parvum, mortale aut veniale poteſt ſuſcipere veniam, ſi anima malè agens correctionibus, reprehenſionibus, monitionibus, perſuaſionibus factis ab hominibus, aut immiſſis ab angelis, aut à Deo quomodolibet inſpiratis voluntate libera non conſentit? Nullum verò peccatum tam immane coram Deo exiſtit, cui venia non donetur, ſi correptio & pœnitentia ſubſequatur. Et plerunque in obſtinatis animis Gen. 4. Math. 26.

mis agitur, ut nedum, quod ſequatur correctio aut corrector pacificè toleretur, ſed exsrdeſcst anima correpta in odium, ut corripientem aboleri velit penitus ſuper terrsm, ut agat liberius, quod diſpoſuit nequius Unde Iſaias de tal-
Iſaiæ 29. bus reprobis dicebat: Arguentem in porra ſupplantabant, & declinaverunt fruſtra à juſto. Et Paulo poſt dicit: Populus ad iracundiam provocans eſt, & filii mendaces, filii nolentes audire legem. Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aſpicientibus nulite aſpicere nobis, quæ recta ſunt. Loquimini nobis placentia, videte nubis errores. Auferte à me ſemitam, declinate à me vism, ceſſit à faeie noſtra ſanctus Iſrael. Similiter & A-
Amos 7. mos: Odio habuerunt in porta corripientem & loquentem perfectè abominati ſunt. Hæc igitur Herodias mali hujus veritatem pro aliis typum tenet, quæ Joanni arguta non acquieſcebat, nec Herodem acquieſcere ipſa ſinebat, cui ex odio procuravit necem, jam à diabolo in animo prænecata. Sed ad crimen acreſcit Herodis juramentum incautum, & providentia nulla proviſum Juramenti verò adimpletio, ad crimina plus augmentat. Sed hic quæſtiu animam pulſat, ſi obligat incauta juratio, & ſi omne promiſſum detinet ad effectum. Cui quæſtioni prout inſpirat Deus, brevirer reſpondeo, quod omnis juratio contra veritatem, contra juſtitiam, contra charitatem, contra honeſtatem, contra publicos bonos mores, contra mandara Dei non tenet, nec, ut obſervetur, aſtringit, nec obligat privatum, ſi deſtruitur publicum bonum. Nec inepta juratio allaqueat, ubi confunditur decor publicæ ac debitæ honeſtatis, nec ſibimet homo tenetur ad fidem. Et proculdubio nemini ſervanda eſt fides, ubi virtuti divinæ ac Chriſtianæ fidei derogatur. Nec expedit fieri per juramenrum ab aliqua virtute receſſum, magis Deo, quàm ſibi, virtutibus, quàm hominibus, divinis legibus, quàm verbis incautè prolatis ſervanda eſt fides. Nec fides incautè, aut inproviſè aut ironicè aut inaniter promiſſa poſteriori, priori & divinæ ſanctæ atque juſtæ aufert privilegium firmitatis. Et ubi charitas conflictū recipit, ſeipſam promiſſio deſtruit. Et per quam regitur quæque civitas, & aſſidente ipſa in entibus, entia ſuos terminos non excedunt, & inferiora ſuperioribus ordinantur, & creatura Deo in ſuſcepto eſſe ſupponitur, quæ vocatur juſtitia, cùm ſiler in aperto, aut in occulto clamat iniquitas, nun erit quodlibet firmum promiſſum, ſi privilegium juſtitiæ in aliquo abtadatur. Et ubi veritas confunditur, promiſſio annullatur, quia veritas non deſtruit veritatem, ſed veritsri falſitas adverſatur. Et ubi ſummittitur atque confunditur veritas, quod juratur aut promittitur, indubitanter eſt falſitas. Agat raliter jurans pœnirentiam de ſtulta cordis deliberatione aut verbi emiſſione, ad exequendum verò ſe obligari non credat. Remiſſius ſanè fuiſſet Herodi non interfeciſſe Joannem, quàm obſervare promiſſionem. Nam quòd juravir, fuir per liberum voluntatis arbitrium, quòd interfecit, fuit contra divinum præceptum. Nec eum excuſat regalis authoriras, aut poteſtas ab imperstoribus collata Romanis, ſi quòd non debuit, fecir. Nec alios mundi principes & rectores à crimine defendit authoritas propria, ſive ab aliis ſuperioribus irrogata, ſi quod non debent, faciunt. Nam mundi hujus Imperatores, Reges & Principes, Judices & Rectores, Ordinarii aut Legati, electi aut vocati, eo ipſo aliquid poſſunt, quo de jure poſſunt. Jura verò humana Imperatorum & Regum, provinciarum & civitatum & quorumcunque ipſa condentium, eo ipſo jura non ſunt, quo à divinis legibus & juribus reptobantur. Neque ſibimet derelictus eſt ad regimen mundus, cui præſidet, in ſuis legibus ejus conditor Deus, & ſi tacet, non ſemper tacebit. Et ſi non mala fieri violenter prohibet, certum eſt, quòd in poſterum puniet. Igitur mala, ſi qua ab hominibus potentibus fiunt, non credsntur fieri per legis divinæ regulam, ſed per depravatæ arbitrium voluntatis. Neque potentia rationabiliter dici puteſt, ſi operatur, per quod damnari poteſt, imo temporalis vocatur infirmitas, ad quam ſequatur æterna pœnalitas. Maximè igitur caveant mundi reges, atque rectores, ne authoritate propria cum Herode peſſimo interficiant, aut lædant quomodolibet innocentes, quorum cauſm aſſumpſit Deus, & pro ejus ultor eſt Dominus. Et quia omnis poteſtas à Domino Deo eſt. Intantum eſt, inquantum ſub ſuis legibus ſe tuetur, judicat & operatur. Habes igitur malum convivium, habes incœ- Rom. 13.
ſtum, habes ſaltum, habes animum incorrectum. habes juramentum incautum, habes homicidium in iſta popina.

Etgo qui legis hæc, mala devita.

Cap.

Cap. XXXV.

De modica fide.

SIquidem in maſſam peccati ingreditur, cùm in fide de domino quomodolibet dubitatur. Nam paſtor Eccleſiæ Petrus nocturnis temporibus cum aliis complicibus marinos vortices nave ſulcans præpedita contrarietate ventorum, vidit ambulantem dominum ſupra mare, marino navigio non utentem, quem credens eſſe phantaſma, ſimul cum aliis timore perterritus exclamavit. Sed vox Domini contra timorem ad dandam ſecuritatem & ſeipſum declarandum inſonuit, dicens: Math. 14. Marci 6. *Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere.* Ad cujus ſonum Petrus parumper confidens, petivit ſignum ſupra naturam, ſi Dominus eſſet quærens: *Domine ſi tu es, jube me ad te venire ſuper aquas. Cui ait Dominus: Veni. Et deſcendens de navi, pergebat ad Dominum ſuper aquas.* Et concuſſus à validis ventis & in corde diffiſus, corpore mergi cœpit. Quem ſtatim Dominus arguit: *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Meritò in fide dubius eſt à Domino arguendus. Sed omiſſis, quæ in allegoria ſententia declamet, quæ in moribus arguat advertamus. Si Dominus condidit, ſi fovet, ſi redimit, ſi omnipotens, ſi ſapiens & bonus amator noſter eſt, quare in periculis poſiti dubitamus? Quare ſi probamur, aut tentamur, diffidimus: cùm neminem Deus in anima & corpore ad pericula ſupra id, quod ſuſtinere poteſt, exponat? Qui de Deo in aliquo dubitat, aut ipſum æſtimat impotentem, aut inſipientem, aut crudelem eſſe conſiderat, ſicut qui amorem, quem ad nos infallibiliter habet, non credit, aut dormientem cogitat ſuper nos oculum inſopitum, aut mendacem facit eum, qui cuſtodire diſpoſuit, atque in ſua ineffabili veritate ſpopondit. Igitur non caret peccato, ſed neſcio quanto, qui titubat de Domino in periculis, quod ex eo colligitur, quod à Domino reprehenditur. Nihil enim, niſi quod ad vitium pertinet, Dominus reprehendit. Similem ſententiam alio expreſſit loco, quando ipſum dormientem in navi diſcipuli ſui videntes ſe à fluctibus ſuperari, excitaverunt, dicentes: *Salva nos, perimus.* Quibus ſtatim reſpondit: *Quid timidi eſtis modicæ fidei?* Valde igitur abſonum eſt Chriſtifideles de ſua protectione dubitare, nec aliter eſſe poteſt, quàm ſubjacere peccato. Non enim placet Deo tremula noſtra fides. Math. 8. Marci 4. Lucæ 8.

Cap. XXXVI.

De malis cogitationibus.

AD pejorem diffidentiam adſcribuntur & conſtituuntur eo ipſo amplius peccatores, quo Chriſtum non credunt poſſe, aut nolle peccata dimittere. Quod in curatione paralytici Deus declaravit, cùm ante curationem ei peccata dimiſit, dicens: Math. 9. Marci 2. Lucæ 5. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Quod dictum, cùm ſibi à ſcribis & phariſæis ad blaſphemiam adſcriberetur, prænoſcens eorum cogitationes malas, dixit: *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Per potentiam, quæ expulit infirmitatem à corpore, oſtendit authoritatem, quam habebat in peccatorum remiſſione. Nefas ergo peſſimum eſt, dubitare Chriſtum nolle, aut non poſſe peccata dimittere, & propter aſſumptam humanitatem, divinæ derogare potentiæ, cui proprium eſt velle, & poſſe miſereri. Similiter, cùm Mariæ Magdalenæ propria poteſtate, liberali pietate, pia voluntate peccata remitteret, admiratio & diffidentia cor aſſiſtentium propulſavit. Et credebant Chriſtum blaſphemare, quem ſolùm hominem exiſtimabant, quia nulli hominum competit aliis peccata dimittere, ſed deitatem in Chriſto eſſe non credebant, cui proprium eſt peccata laxare.

Cap. XXXVII.

Non lotis manibus manducare non coinquinat hominem, ubi octo vitia Judæorum exprobrat comminando.

DE peccatorum numero præſignantur conditores, aut quomodolibet factores legum, traditionum, conſtitutionum, ſtatutorum contra legem Dei. Quod Salvator noſter tunc diſſeruit, cùm à ſcribis & phariſæis argutionem ſuſtinuit. Nempe *acceſſerunt ad eum ſcribæ, & phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui transgrediuntur traditiones ſeniorum. Non enim lavant manus, quando panem manducant.* Math. 15. Marci 7.

JEſus autem reſpondens, ait illis: Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras? Quæ Chriſti reſponſio multiplicat intellectum ad inquirendum quid ſit, & quàm grave ſit hoc peccatum. Luce clarius omnibus fiat, & reipublicæ mores habent, & legem ſtabilem eſſe non poſſe poſitam ab hominibus, ſi à ſuperioribus authoritate aut jure mutari poteſt. Nec jure lex dici debet. Superior verò ratione, authoritate, virtute, ſapientia, conſuetudine omnibus Deus eſt, ſub quo voluntariè vel invitè curvantur omnes, qui regunt, vel regere cupiunt orbem, quorum leges velut telæ aranearum ſunt, ſi divinis legibus adverſantur, ut arctius ſtringam, imo ſi non obſequuntur. Dedit ſanè mandata omnipotens, quibus humanæ naturæ ſua irreprehenſibilis voluntas per affirmationem & negationem innotuit. Per affirmationem, ut declararet ſuum placitum prupter utile noſtrum. Per negationem verò, ut prohiberet ſuum diſplicitum, ne admiſſum faceret noſtrum damnũ. Et præceptum hujus poſuit, & ſine damno relinquentis nun præteribit. Et tanta ſunt authoritate firmata, ut ab eo tempore, quo data ſunt, nullas exceptiones penitus ſuſceperunt, ut omnino damnentur, qui contempſerunt, ſi per præactam pœnitentiam liberati non ſunt. Nam ipſos Judæos, quibus divinorum præceptorum in Siniaco monte primum eſt facta collatio, non prupter peregrinationem, non propter bella, non propter diſperſionem, quam meritò ſæpe ſuſtinuerunt, & ſuſtinent: ab ipſorum obſervatione fecit exemptos. Nec ipſos gentiles, qui non audierunt neque receperunt, cùm tamen ſcirent, quia data fuerunt, ab obſervantia fecit liberos, quæ ſi non ſervarent, vellet eſſe damnatos. Et decem digito Dei ſcripta receperunt Chriſtiani, à quibus & cum Evangelicis nulla exceptione ſunt liberi. Nam divina præcepta quibus nobis juſſit, & nobis ſua facta eſt nota voluntas, non Imperatores, non Reges, non Principes, non quouscunque proceres & magnates, non ſpirituales prælatos, non ſapientes, non fortes, non debiles & infirmos, non ruſticos, non urbanos, non mulieres, non aliquos viros excipiunt, dummodo non ſint rationis expertes, & ad ea intelligenda capaces, non locus ex ſitu, non ex aeris intemperie conturbatus, non deſertos, non amœnus, non interminata pœna, non tolerata, non perſecutio, non fames, non quæcunque tribulatio, quam puſſet perſuadere diabolus, excogitare homo, invenire iniquus, aut inferre cuilibet quomodolibet mundus, à divinis mandatis facere poſſunt exortem. Nec mos firmatus, nec conſuetudo antiqua, neque uſus longævus contemptorem aut prævaricatorem excuſabunt cœleſtium & inſolubilium præceptorum, multo magis damnabuntur, qui contra divina præcepta leges conficiunt. Contra quos Salvator videtur intendere, cùm dicit: Quare vos transgredimini mandata Dei propter traditiones veſtras? Et hoc potiſſimè intendamus non differentes quid fecerint Judæi, ſed oſtendentes mala, quæ faciunt, aut à quibus cavere debeant Chriſtiani. Dicam igitur: Eſt mandatum Dei, & eſt traditio hominum. Præfertur traditio hominum mandatis Dei? Minimè. Nulla ratio docet. Et lex Dei & eſt hominum. Servabitur lex hominum lege divina contempta? Nequaquam. Nulla juſtitia ſuadet. Leges hominum ſunt iniquæ, quia omnis homo mendax, & non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum. Et per Iſaiam maledictioni æternæ ſubduntur iniquarum legum conditores. Væ qui condunt leges iniquas Si iniquæ non ſunt, non hominum mendacium, ſed Dei veriſſimi ſunt, quia omne bonum ab ipſu habet exordium. Condidit imperator legem, quæ Dei derogat mandata, peccatum majus fecit, quàm ſi mandatum, cui per ſuam derogat legem, ipſe in perſona propria contempſiſſet. Nam nulla major mandati prævaricatio, quàm adversùs ipſum firmare decretum. Condiderunt reges, condiderunt mundi principes, condiderunt mundi ſapientes & ſeniores pro voluntatis libito leges, quarum obſervatione Dei prætermittuntur mandata Sed eo ipſo damnabiliores ſunt, quo ad prævaricandum ſummi Domini legem condiderunt leges. Et jura divina & humana & ipſum regimen reipublicæ docet, quòd, qui vult à minoribus ſuis ſuas leges ſervari, per integrum debet & ipſe mandata ſervare majorum. Nam quotquot ſunt in mundo præcellentes, velint nolint altiſſimo ſubjacent. Et quamvis ex ipſo peccato parentum hominum depravata progenie inter ſe ſint homines ſervi & Domini, prælati & ſubditi, reſpiciendo divinum imperium omnes ſumus æqualiter ſervi. Nec eſt in conſpectu Dei dominorum & ſervorum diverſa conditio, niſi quod Domini majori ſervituti aſtringuntur, cùm de ſubjectis populis cogentur reddere rationem. Et eorum leges eo nequiores ſunt, quo divinis legibus adverſantur. Sed væ qui telas legum ordiuntur, non per voluntatem Dei, ſed conſuetudinem, firmatum morem, longævum uſum allegantes reprobantur. Quia nulla conſuetudo antiqua, mos firmatus, longævus

Math. 15.

Iſaiæ 10.

Iſaiæ 30.

gævus uſus præſcribere poteſt antiquiſſimæ veritati & æternæ rationi. Et quoties ingrediuntur in campum certaminis, conflictum ſuſcipiunt ab acie triumphali veritatis & rationis. Væ igitur, qui confidunt in lege malæ conſuetudinis, damnati, quamvis firmati moris, uſus longævi temporis. Væ! qui confidunt in lege malè agentis multitudinis. Nam intantum ſunt graviora peccata, & ad removendum difficiliora, inquantum talibus legibus ſe ipſorum tuentur authores. Et eò magis radicatur peccatum, quo ſe ſtipat factor multitudine delinquentium. Et audaciter dixerim majus peccatum, legem facere de furando, aut fœnerando, quàm ſit ſimpliciter contra divina mandata rapere aliena. Non ad judicium pœnitentiæ adducetur, quod per legem creditur licitum. Nam in hoc ſtat Judæorum certa damnatio, quo Chriſtum morti tradentes ad pœnitentiam non venerunt, quia nullum peccatum ſe habere credunt, aut crediderunt, dum zelum legis ſuper eum in-
Joan. 19. flixerunt, dicentes: Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit. Vide igitur, quàm ſit horrendum malum ſub prætextu legis operari peccatum, cùm Judæi ſe peccaviſſe non credant, quia per juſtitiam legis interfecerunt Chriſtum. Et lex, quam allegabant, juſta erat, ſancta erat, à Deo vero & vivo per Moyſen data erat, ſed per ipſos Judæos malè intellecta, pejus interpretata fuerat. Argumentum igitur ſit nobis, ſi per bonæ legis zelum tantum factum eſt ſcelus, quod occiſus eſt Chriſtus, quid fiet per leges iniquas, dum alntudo regiminis, virtus conſuetudinis, robur firmati moris, uſus longævi temporis, defluxio multitudinis eas roborat, atque firmat, necnon oſtendit & licitas. Certè ſemper offenderetur in omni loco & tempore Chriſtus, qui ſub zelo bonæ legis pro nobis ſemel eſt mortuus. Quot civitates, quot ſocietates, quot congregationes, quanta hominum multitudo his legibus innumera mala committant, impoſſibilitas differere non permittit, magis verò non expedit. Nec tamen ex his, quæ dicta ſunt, derogatur legibus, conſuetudinibus, uſibus, moribus, quantumcunque antiquis aut novis divinæ legi conformibus, aut detrahitur, quia eo ipſo bonæ ſunt, quo legibus divinis alludunt. Sed plerumque ſub quadam boni ſpecie traditiones fiunt, quæ de ordinationibus & Eccleſiaſticis & antiquis bonis firmatis moribus non conſentiunt, imò tantùm diſcrepant, ut aliam legem conſtituant. Sed primum noverit, quod contemptor legalium præceptorum nullum aliud bonum facere poteſt, quod ſibi ſic exiſtenti cedat in præmium, nec aliquam perfectionem in aliquo ſtatu virtutis aut gradu dignitatis valet attingere, qui præcepta legalia prævaricationi adſcripſit. Unde audaciter affirmem Chriſti Vicarium immediatum à legalibus præceptis non eximi, neque ſibi à Chriſto Deo conceſſam potentiam, ut alios poſſit eximere, atque concedere licentiam in aliquo delinquendi. Deinde noverit, quòd minoris non eſt ſine cauſa mutare ſtatuta majoris, neque unius, quod multitudo juſtè ſancivit, neque juvenum animoſorum, ſeniorum ſapientum variare juſta decreta. Et in lege divina cavetur; Deut. 19.
ne transferas terminos, quos poſuerunt patres tui. Nam nullum aliud bonum voluntariè aſſumptum confert, ſi ex ejus cauſa vel alia in præceptis primæ tabulæ aut ſecundæ peccatur. Ad quid ergo futuri præmii valet jejunium voluntarium, ſi prætermittitur ejus cauſa, vel alia, quod eſt ab Eccleſia firmatum & ordinatum? Sed fortè quis diceret: Omnia jejunia, quæ ſancta Mater mandat Eccleſia, non poſſum efficere, ſed talem diem ex devotione ad jejunandum ſuſcepi. Si non potes, impoſſibilitas te excuſat, nam nulla de impoſſibilibus lex eſt. Sed de illo die, quo ſemel in hebdomada vel menſe, aut in toto anni circulo potes affirmavetim tutius & rationabilius in illis, quos ordinavit Eccleſia jejunium aut pœnitentiam perfici, quàm illis dimiſſis in aliis ob devotionem propria voluntate regulari, ut etiam non laudem aut approbem emiſſum de jejunando votum, ſi contemnitur, aut fieri poteſt Eccleſiæ ſanctæ præceptum, ut ſi præceptum & voluntarium, ſi præceptum, & votum emiſſum, nullo modo ſimul poſſunt perfici, dimittatur, quod eligitur, & vovetur, teneatur, quod præcipitur, & jubetur. Illud enim fuit voluntatis, iſtud neceſſitatis. Ubi autem utrumque poſſibiliter agitur, ſententialiter dico, nihil in moribus Chriſtianis tam laudabile, quàm ſupererogare mandatis. Ex hoc enim perfectio naſcitur, quam diligens animus ſemper intendit. Nec iſta ſolùm pro jejunio me dixiſſe fateor, ſed quoties inter præceptum & voluntarium ſolum ſine voto firmatum pro aliqua cauſa talis diſceptatio fieret, hanc ſententiam aſſero eſſe tuendam. Ac per hoc diſpenſationem non auferimus Eccleſiæ in his, quæ Concilia & ſummi Pontifices mandaverunt; quod loco & tempore & urgente juſta neceſſitate non poſſit diſpenſari à ſummis Pontificibus, ſed diſpenſationem omninò negamus in divinis mandatis, quia inviolabili-

labiliter mandavit obſervari Deus Pater & Chriſtus unigenitus Filius ejus. Et in experientia rei loquor. Multos vidi & audivi miniſtros confeſſionis, & pœnitentiæ, qui peccatoribus multa impoſuerunt, ſed nec ad obſervantiam eorum, quæ mandat Eccleſia, reduxerunt. Quod ſalva pace eorum, primo debuerunt ſuos clientulos peccatores ad Eccleſiæ mandata reducere, poſtmodum ſuperaddere, & ſi utrumque ex certa impoſſibilitate peccatoris non potuerint facere, tenebantur ad primum & relaxare ſecundum, ut iſta ſit epitomenica dictorum ſententia certa, quod in omni voluntario bono, voto firmato vel non, electo ex devotione, aut per pœnitentiam impoſito, divinum & inviolabile præceptum in toto, Eccleſiæ verò præceptum in toto, ſi fieri poteſt, vel ſaltem in parte præferatur, imò nec in aliquo prætermittatur, niſi excuſet illa impoſſibilitas, quam non cogit legis ſeu mandati authoritas, aut illa diſpenſatio, quam exigit juſta neceſſitas. Nam diſpenſatio ſine cauſa juſtitiæ neceſſariæ atque neceſſitatis juſtæ, aut diſpenſatorem aut diſpenſatum tenet in vinculis aut utrumque. Eccleſiaſtica enim authoritas non eſt humanæ, ſed divinæ virtutis, quæ ad virtutis profectum, non deſtructionem à Deo ordinata conſiſtit. Hinc enim Apoſtolus ſecunda Epiſtola ad Corinthios
2.Cor.13 dicit: Non enim poſſumus aliquid adversùs veritatem, ſed pro veritate. Ac ſi apertè dicat: Nulla eſt conceſſa à Deo poteſtas aut authoritas adversùs veritatem legis & mandatorum Dei, atque ſanctorum morum, quia authoritas, quæ veritas eſt, adversùs ſe ipſam non eſt. Eſſet utique, ſi virtutem aut veritatem deſtrueret. Egredietur ſtatim quæſtio de latibulis, quod una virtus pro majori poteſt intermitti, & quod ſub præcepto cadit Eccleſiæ, caſu emergente etiam excellentiora vota mutare, ut pro converſione multorum virginitatem voto firmatam, in matrimonium transferre. Non diffinio, quod neſcio, ſed dico, quod ſcio, quod ubi committeretur etiam peccatum veniale, Eccleſia non poteſt inferre præceptum, cujus authoritas nullum includit vitium. Quia aliud eſt pro majori virtute minorem ex præcepto intermittere, aliud eſt rem præcipere, ubi ſaltem veniale peccatum certiſſimum eſt adeſſe. Si primum interdum admittitur, reliquum omninò removetur, nec ex eo primum admittitur, reliqoum removetur, ut unum alterius in hoc cauſa perſiſtat. Sed à Deo habet quodlibet minimum peccatum hoc privilegium, ut nullum cadat ſuper eum de faciendo præceptum, ut ounquam ſit autentica illa ſententia, faciamus mala, ut eveniant bona. Unum verò aſſertius dixerim aut æquè, quod authoritas ſanctæ Eccleſiæ, quæ authoritas eſt virtutum, nihil habeat in ſe ipſa ſatanicum. Profiteor autem in hoc licèt judicio aliquorum ſupervacuè fidem meam. Homo peccator ſum, & cum tentationibus carnalibus habeo congreſſum, ſed votum corde atque ore caſtitatis emiſi, quod mihi ad vim penitùs adſcribo præcepti. Quod ſi ſummus Pontifex ob certiſſimam converſionem omnium infidelium & peccatorum mihi præciperet conjugari, ſibi non obedirem, niſi libidinem illam auferret toraliter de meis membris, quæ ante peccatum non erat in parentibus primis. Et mihi certum eſt uxorem non poſſe tangere, atque carnaliter cognoſcere ſine libidine, quæ ſi mortale non eſt, ſaltem peccatum eſt veniale, niſi ſuperveniret in membris meis ſanctificatio illa ſpiritûs, quam non poteſt dare Pontifex ſummus. Quæ ſunt virtutis, poteſt ob meliorem cauſam ipſe præcipere, ſed virtutem non poteſt ipſe conferre, neque ſua poteſtate membra ſanctificare, quamvis à contractis peccatis poſt pœnitentiam poſſit abſolvere. Nec enim malum libidinis excuſatur, aut tollitur propter matrimonii bonum, ſicut ipſius matrimonii bonum non damnatur propter libidinis malum. Nam bonum matrimonii beneficium eſt naturæ, malum verò libidinis eſt pœnæ contractæ in primorum perpetuata damnata propagine, quod in genitalibus membris etiam poſt baptiſmum remanet veniale. Si quis autem ſanctificationem in ſuis membris ſpiritûs ſancti ſuſcipiat, in tali caſu, ſi eveniret, ut ſe ſentit, ita obediat. Igitur in his dictis atque dicendis caveant omnes, quibus animarum cura incumbit, ne ſtatuta meliora commutent, ne profeſſionibus cum conſtitutionibus derogent, ne divinis præceptis aut præmiſſis conſiliis ſuo faſtu reluctentur, ne magis timeri velint tyrannice quàm ratione, ne faciant traditiones contra leges divinas, ne magis homini, quàm Deo, conſuetudini, quàm rationi velint inferre honorem. Poſt quæ Salvator eos appellavit hypocritas, cauſam hypocriſis annectens. Inquit enim: *Hypocritæ benè prophetavit Iſaias de vobis, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Iſaiæ 29. Quàm multipliciter in Evangelio & divinis aliis Scripturis hoc malum hypocriſis ſit deteſtationi & reprehenſioni ae etiam damnationi commiſſum, nullus, qui legit, ignorat. Hypocriſis nomen eſt græcum, latinè verò ſimulationem dicit. Simulatio

latio verò unum obtendit, aliud oſtendit, unum in corde, aliud in ore, unum in intenſione, aliud in opere. Simulator
Prov. 11. (dicit Scriptura) ore deeipit amicum ſuum, quia quod ore laudat, moribus reprehendit, & quod moribus laudat, ore vituperat. Nullus homo ita ſæviter arguit falſitatem, quàm falſus, & ſimulationem, quàm ab ipſa detentus, & quomodolibet crimen, quàm quo eſt infectus. Si nutritus eſt inter ubera hypocriſis ſeu ſimulationis, tum quia palliari ſe credit, ſi quo eſt infectus arguit, tum quia melius novit, quod ipſe patravit. Verè igitur decipit amicum ſuum hominem proximum, atque prout in ipſo eſt, decipit verum & ſummum amicum Dominum JEſum Chriſtum. Et ſimulatores & callidi provocant iram Dei. Difficilius hypocrita, quàm ſuperbus revocatur propter ſpeciem virtutis, cum qua reputationem in animo & oculorum ſpectationem & reverentiam in actu exteriori mercatus eſt. Superbus verò quicunque facilius inclinatur ad verum, caret eorum his umbroſis muneribus. Nullum vitium de moribus hominum tanta indiget accuſatione, ut removeatur de moribus, ſicut iſta lethalis. Sunt enim alia vitia ſine laude, & nanciſcuntur opprobria in propatulo habentia notam. Iſta vero peſtifera monſtrat oculis incoltam cæſariem, ripoſam veſtem, illotam faciem, dejectum ad ima vultum, manſuetum & rarum in admiratione verbum, præambulis ſuſpiriis intervenientibus ſæpe ſingularibus, parcitatem cibi cum commemoratione verorum abſtinentium aut infernalium tormentorum, elicitas ex arte diabolica lachrymas, deſpectum mundi ad ſeipſum, corporis incompoſitionem, annihilationem ſui ipſius, & ſimilia: quæ laude digniſſima ſunt, ſi ex veritate aguntur. Recti ſunt hi rami ex tortuoſa radice. Non curant hypocritæ virtuoſorum actuum habentes exterius decus, quantum ab intus ſuſtineant dedecus. Vidi ſuperbum, & reprehenſus, aut egit verè pœniteotiam, aut ſe malum confeſſus eſt. Vidi avarum, luxuriuſum, invidum, iracundum, acedioſum, guloſum, faſtuosè incedentes, tyrannos, raptores, homicidas, & arguti fecerunt ſimiliter. Vidi argutum hypocritam, & ex apparentia tutum reſpondentem: Quid tu frater vides in me, quare me judicas? an ignoras ſcriptum eſſe in Evangelio ſancto: Nollte judicare, ne judicemini? Et mente amara, ne perderet, unde captabat honorem, dixit: Frater parcat tibi Deus, & per hoc honorem amplius eſt mercatus. Certa experientiâ cognovi aliquando deviantem interdum à fide, ad fidem facilius reconverſum, quàm hypocritam ad rectos fidei mores. Non enim ex hoc præfero malum malo, vel ſubjicio malum malo. Hypocrita cum omnibus non eſt idem, cum pleriſque manſit incognitus, eum aliquibus fudit veoenum. Iratus eſt aliquando in animo vir hypocrita, & propter aſtantes temperavit iræ inſultum, & nihil ſibi eſt difficile ad agendum, ne detegatur. Multa ſuſtinent hypocritæ ſanctificantia Spiritum, ſi non fierent ex virulenta radice. Vir hypocrita ſimulacrum eſt virtutis, artificioſam compoſitionem ſenſuum habens, ſed væ ſibi, caret enim viſceribus. Viſus fuit aliquando in oratione ac contemplatione aſtare hypocrita, & paulatim deſtitit, & hypocriſim per hypocriſim devitavit. Vir hypocrita monſtrum eſt, cui ſimile nunquam fecit natura, quia nec vult eſſe, quod videtur, neque vult videri, quud eſt. Bene igitur juſta damnatio ejus, quia ſemper falſitas eſt directrix ejus. Veritas enim liberat liberandos, falſitas ſuus clientulos in infernum detrudit. Vir hypocrita caret hoſpitio, ſola falſitas ejus accepit eum in domum ſuam, & miniſtravit de Infernalibus ſaeultatibus ſuis. Nudus ineedit hypocrita, deceptio ejus ei præbuit veſtimentom. Famelicus erat non ſaturandus pane, patiebatur ſitim, non vino complendus, ſed laus humana dedit ei cibum & potum. Infirmus erat propter deficientem virtutem, ſed reputatio aliena viſitavit, imo confortavit eum. Et erat in carceribus peccatorum, ſed dæmones inviſibiles acceſſerunt ad eum, redemptionem falſo ſpondentes, & deluſerunt detinentes eum. Murtuus jacebat hypocrita in plateis Niniveæ ſpecioſæ videlicet mundi, ſed fama hominum in ſuis cordibus ſepelivit eum. Sed legitur in Job: Gaudium hypocritæ ad inſtar puncti. Job. 20.
Punctum certè geometricè ſumptum, eſt minima pars lineæ. Brevis & modica lætitia ejus, quia tunc gaudet, cùm laudatur, tunc lætatur, cùm aſpicitur. Inviſus non gaudet, graviter enim conſcientia mordet. Punctum enim grammaticaliter ſumptum, ſi ſubeſt, damnat: ſi ſuperest, ſignat: ſi interponitur, dividit: ſi apponitur, ſententiam finit. Nam per punctabile hypocritæ gaudium damnatur ad pœnas, ſignatur ſigno dæmonum, & à conſortio dividitur beatorum, poſt finem ſuſtinens ſine fine pœnam. Juſtè igitur talis ſententia premit, quia ad inſtar puncti in hoc mundo gaudia non

ſu-

ſupercœleſtia quærit. Hoc malum neceſſariò me coegit digreſſionem facere. Sed revertamur ad ſententiam Salvatoris, qui causam ſubnexuit hypocriſis, cùm dixit: Quia populus hic labiis me honorat. Igitur omnis malus Chriſtianus hypocrita, quia ore dicit, quod corde non diligit. Qui enim Deo verbis appropinquat, & corde longè fit, hypocrita eſt. Verba Dei habebant Judæi, & verba Dei habent & mali Chriſtiani: ſed cor eorum longè factum eſt à Deo, quia cor eorum non erat rectum cum Deo, nec fideles habiti ſunt in teſtamento ejus. Illi in veteri, ſed in novo mali Chriſtiani. Et Ezechiel ſimiliter increpat malos ſui temporis, qua increpatione & hypocritæ Chriſtiani arguuntur. Ait enim: Audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris ſui vertunt illos, & avaritiam ſuam ſequitur cor eorum. Et eſt eis quaſi carmen muſicum quod ſuavi dulcique ſono canitur. Prædicatur in Eccleſia Dei dulciter à pluribus, ſed avaritiam temporalis commodi aut honoris intrudit cælatum cor. Sermocinatur vocali concentu verborum, & altiſſima de Deo referantur myſteria, verba videntur divini lapides ignis, ſed plerúmque cor dicentium longè fit à Deo, aliquid in hoc præter Deum, nec ad Deum deferribile quærens. Cantantur altiſſimis vocibus divina oracula, Kyrie lingua Græcorum, gloria hymnus angelicus, Alleluja Hebræorum, cætera Latinorum perſtrepunt, voces reſonant in excelſis, & chori fatigantur, ſex inſtrumenta vocalia cantantur & diſcantantur, & voluuntur palatæ linguæ, fiunt toni, ſemitonij, ditoni, & voluuntur cum notis, literis prætermiſſis, quintæ atque octavæ, duodecimæ atque quintæ decimæ, & varietate clamandi detinetur populus, atque mulcetur, ab his, qui ſanctitate vitæ, morum honeſtate carentes aliter placere nequiverunt. Pſallitur & canitur dimiſſo plerumque libro, deflexo digito, dearticulata manu, cor plerumque fit longè à Deo, quia, quod profertur in ore, non verſatur in corde, ſed vanitas cordis reſunat in vocibus oris. Cantabit Kyrie eleiſon, qui nemini miſericordiam fecit, Deíque contempſit. Cantabit Chriſte eleiſon, qui Chriſti ſanguini contumeliam intulit. Cantabit gloria in altiſſimis, qui omnem gloriam etiam ex cantu mereatur in terrenis. Cantabit Alleluja, qui Deum vituperat in ſuis moribus. Cantabit epiſtolam, qui divinum non recipit miſſum. Cantabit Evangelium, cui prædicatio mundi placet. Cantabit graduale, qui per gradus non aſcendit in bonum. Cantabit verſum, qui à Domino eſt averſus. Cantabit tractum, ad ſua placita tractus. Cantabit Sanctus, Sanctus, Sanctus, qui corde, ore, & opere eſt iniquus. Cantabit hanc Trinitatis laudem, qui in Trinitate animæ ſuæ, memoriæ, intelligentiæ & voluntatis portat peſſimam labem. Cantabit Introitum Miſſæ & finem, qui principium malum fecit, qui finem debitum in Domino non conſtituit. Cantabunt pater noſter, qui es in cœlis, de quibus dici poteſt, vos ex patre diabolo eſtis. Cantabunt Deo per omnia ſæcula ſæculorum, qui contra Dei & Apoſtoli præceptum huic eſt conformatus. Cantabit Dominus vobiſcum, qui eum dæmonibus habet conſortium. Cantabit ſurſum corda, qui ſurſum habet cor adversùs Deum, aut habet in terra & peccatorum fece defixum. Cantabunt gratias agamus Domino DEO noſtro, quorum Deus venter eſt, & Deo ſunt pro maximis ingrati, pro minimis verò hominibus valde grati. Cantabunt præfationem & orationem, quorum lingua iniquitatem fatur. Cantabunt pſalmodias & antiphonas, & cætera divina, qui per omnia complectuntur humana. Verè Deus, & ea, quæ ſunt ejus, in multis & variis vertuntur in oris canticum, & in carmen muſicum, ut plus melodia cantus, ſuavitas vocis, quàm veritas rei delectet cantantes, demulcear audientes, & cor eorum per hujus avaritiam laudis, & complacentiæ, atque pecuniæ longè fiat à Deo. Non ſufficit labiorum honor, ubi à corde propellitur Chriſtus, & alta oris clamatio, ubi cordis oratio ſilet. Nec linguæ volubilitate placatur altiſſimus, qua ſæpe decipitur proximus, & vocum amœnitas magis ad iram Deum provocat, ubi regnat in animo feritas, & præ foribus depellitur charitas. Siquidem innuens non ex eo, quod exterius in ſubſtantivis moribus agitur, ſed ex eo, quod in corde geritur peccatores conſtitui, cùm petentibus Apoſtolis ipſe reſpondit: *Non quod in os intrat coinquinat hominem, ſed quæ procedunt de ore, hæc coinquinant hominem.* Et cùm ad petitionem Petri, & Apoſtolorum edifferuiſſet parabolam, dixit: *Non intelligitis, quia omne quod extrinſecus introitus hominem, non poteſt eum coinquinare, quia non introit in cor ejus, ſed in ventrem vadit, & in ſecceſſum exit, purgans omnes eſcas. Dicebat autem, quoniam quæ de homine exeunt, illa coinquinant hominem. Ab intus enim de corde hominum cogitationes malæ procedunt, homicidia, adulteria, fornications, furta, falſa teſtimonia, avaritiæ,*

Ezech. 33.

Matth. 15.

nrqui

nequitiæ, dolus, impudicitia, oculus malus, blaſphemiæ, ſuperbia, ſtultitia. Hæc omnia mala ab intus procedunt, & coinquinant hominem. Quæ autem per ſemetipſum Salvator expoſuit, non præſumit ſermo noſter diſſerere. Et labefactari hominem malis doctrinis, peccatorem eſt fieri, quod præ-
Matth. 16 ſignavit, cùm dixit: *Cavete à fermento phariſæorum & ſaduczorum.* Quod de do-
Marci 8. ctrina non ſana intelligitur, ut ipſe Evan-
Luc. 12. geliſta teſtatur. Cæterùm amplius peccato ſubjacere monſtravit, qui divinis diffinitionibus præſumpſerit in aliquo reluctari, ut etiam ſatanas nuncupetur, & divinæ Majeſtatis offenſor, & neſciens bona. Quòd Petrus piè Salvatorem à paſſione volens avertere, accepit in ſententia contra eum,
Matth. 16 *Vade retro ſatanas, ſcandalum mihi es, non enim ſapis quæ Dei ſunt.* Necnon & offenſor Dei ab offenſione innocentum conſtituitur, quamvis deſtruitur melius diceretur. Amat enim Deus innocentes & puros, quos neque in fide per malam doctrinam, neque in vita morali per malum exemplum, aut inpedimentum, neque in perſona per nocumentum patitur inultè offendi. Unde ex pœna cognoſcitur gravitas talis
Matth. 18 peccati. Quamobrem Salvator ait: *Qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Et qui quomodolibet ſcandalum injuſtè ſcilicet offenſionem in aliquem dat, peccat, quod ex eo colligitur, quod adjungitur: *Veruntamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Amplius autem ex malo uſu ſenſuum prædixit generari grave peccatum, cùm manum & pedem mandavit abſcidi ſcandalizantem & oculum erui, non membrum, ſed eorum perfidum uſum. Et peccatorem terribiliter puniendum eſſe aſſeruit, qui ſuo proximo petenti veniam non præſtat, cùm ex parabolica ſententia Salvatoris talis atrox torquentibus ſit uſque ad debitam exactionem juſtè conceſſus. Peccatorem quempiam fieri ex invidia præmonſtravit, cùm oculum nequam adeſſe in homine, qui apud patremfamilias voces querulas auſus fuit emittere, quòd plusquã diurnum denarium non acceperat, pro quo cum ipſo convenerat, exiſtimans plus debere ſuſcipere, quàm in opere ſucceſſor impactus, cui tantundem ut ei, qui pactum fecerat, Dominus voluit providere benignus. Declaravit peccato teneri aſtrictos, qui volunt ſine labore vitia ſuperare, adipiſcique virtutes, quando petentes dexteram & ſiniſtram ſeſſionem in regno ſuperno, redarguit ignorantiæ ſubjacere, cùm
Matth. 20 dixit: *Neſcitis quid petatis.* Et interrogavit, ſi calicem amarum primo bibere poterant, antequam quietem & gloriam tam dulciſſimam poſtulabant. Indignationem verò de genere monſtravit eſſe peccati, magis verò intulit eſſe peccatum, cùm tanta ſerioſitate redarguit, & præmonuit atque docuit reliquos Apoſtolos decem, qui adversùs hujusmodi petentes duos fuerant in animo malè moti. Ex avaritia tam eos, qui cleri ſunt Domini, quàm reliquos ratione utentes, actu & verbo innuit peccatores, cùm ſemel & iterum de templo Domini ejecerit negociatores. Et maximè gratiæ & donorum Spiritus Sancti & Sacramentorum Chriſti & Evangelii ejus venditorem arguit, cùm columbas auferri præcepit, quod vitium in poſterum propter Simeonem magum, ſimonia extitit appellatum. Et fieri certiſſimè aſſerit peccatores, qui alia in domo Domini agunt præter id, ad quod facta eſt. Nempe domus ejus orationis, laudis, gratiarum actionis, collectæ ad pauperes, & eruditionis Evangelii eſt, non alius miniſterii omnium authori ante omnia non grati. Ad plenum verò criminoſi redduntur ex parabola locatæ vineæ malis agricolis omnes, qui de bonis à Deo datis in natura inviſibili & viſibili, ſpirituali & corporali, & in gratia & in virtute, fructum debitum ſecundùm juſtitiam affectionis & cognitionis & actionis, poſſibilitatis loci & temporis non reddunt juſtiſſimo exactori Domino noſtro Deo, qui nihil pro ſe à nobis exigit, ſed pro nobis. Nobisindiga enim eſt exactio ejus. Et amplius redditur crimen, cùm prædicatoribus, doctoribus, monitoribus, ut reddamus debitum fructum, pertinaciter reluctamur, & in nobis occidimus verba vitæ, ipſum vitam omnium Chriſtum extra nos excludimus, & extra bona collata projicientes, & quantum in nobis eſt, ipſi Chriſto mortem inviſibilem inferentes, per nos ipſos credentes ſufficere in ſalutem. Adjiciuntur infauſto numero peccatorum omnes contemptores divinæ legis vel vocationis, allegantes excuſationes contentioſas, non acceptari dignas, dum prætextu avaritiæ, atque ſuperbiæ, negotiationis ſuperfluæ, ſenſualium delectanonum atque carnalium venire recuſant, ſed quod pejus ad crimen, præcones & invitatores verbis, verberibus, & mortibus affixerunt. Quod licèt literaliter non ſæpe fiat, moraliter fieri plerùmque non ambigitur. Et qui ultricibus pœnis adjicitur, veſtem nuptialem non habens, præmonſtravit quale ſit incarentia illius peccatum. Etenim ipſa veſtis nuptiis virtuoſis ac cœleſtibus apta mihi aliud non oſtendit, niſi aptitudinem virtutis in omni tempore, in omni loco, in omni re, atque converſatione, ſeu mora-

lem operum aptitudinem ad nuptias veræ fidei, quia fides ſine operibus mortua eſt, qua carens carebit & vita, peccator effectus in via, pro culpa ſæviter puniendus in pœna. Nec à peccatorum damnato collegio ſegregantur, qui alios tentant, & nominibus alios ex affectu vocare videntur, quorum miniſterio ſubjici nolunt, necnon aliis parant inferre calumniam, & laqueum injicere nocumenti, Salvatoris declinante ſententia, quando phariſæos cum Herodianis ipſum de reddendo tributo interrogantes, appellavit hypocritas, quia magiſtrum verum vocabant, cujus doctrinam in animo & in opere contemnebant. Diſcordes firmiter in moribus à doctrina eſſe peccatores juſtiſſimè demonſtravit, quoniam ſecundùm Matthæum in cathedra ſedentes, civilium atque plebealium doctrinarum diſſerunt onera gravia & importabilia imponere aliis authoritate doctrinæ, ipſos verò non appropinquare pauliſper. Nec ſolùm in his, ſed in eo, quod apparendo aliis intentionem ſequantur obliquam, & affectant præferri cæteris in conuiviis, & in congregationibus primas ſedes, & ſalutari capite in forinſecis proceſſibus, & plateis, ac etiam magiſterii, & principatus nomen animo, & actu venantur, cujus effectum voluntariè abjecerunt. Quibus nominibus Salvator noſter ſuos commorales noluit inſigniri, pœnam damnoſæ humiliationis annectens his, qui voluntate & affectione propria ſe ſubtollunt, cum ſæpe fando expreſſit: Omnis qui ſe exaltat humiliabitur. Præcipuè tamen octo vitia exprobavit phariſæis digna pœnis æternis, quæ ſecundùm typicum intellectum poſſunt in faciem objici Chriſtianis. Ideo ſolerti ſtudio cavere debent, qui pœnas perhorreſcunt æternas. Habita quippe cum eis congreſſione verborum, dicit Salvator eisdem: *Væ vobis*
Math.23. *ſcribæ & phariſæi hypocritæ, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos autem non intratis, nec introeuntes finitis intrare.* In qua ſententia poſt illorum & illius temporis malum omnes reprehenduntur, qui ad viam regni cœlorum aliis obicem ponunt, aut jam incipientem quomodolibet per argumenta diaboli, per placentiam mundi, per amœna corporum, per blandimenta verborum, per pollicitationes rerum, per terrores & minas ad priſtina convertunt. Et qui aliis præſtat impedimentum ad vitam, eo ipſo ſequitur ipſe mortem, ut duo mala in unum conveniant, quod impediens & impeditus damnationem ſuſcipiant. Quod plerumque tangit Sacræ Scripturæ Doctores, qui cavendas ſoveas non oſtendunt, pro regno faciendo non dicunt. Secundum addidit eùm dixit: *Væ vobis ſcribæ & phariſæi hy-* Ibidem
pocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hæc amplius accipietis judicium. Verum erat ſd literam in illis, quia Salvator aliter non dixiſſet: ſed ex hoc reprehenditur in hominibus omnibus ferentibus habitum honeſtatis ſeu religionis, qui domos viduarum perniciosa frequentant licentia, videntes ſolutas à lege virorum per mortem, zelotypiam eorum amplius non verentes, quarum res videntur poſſe liberè contrectare virorum dominio jam ablato, & laqueum deceptionis injiciunt ipſorum remoto conſilio, ut pro ipſorum anima largas eleemoſynas faciant, orationes promittentes prolixas, actu exercentes in divinis actionibus, ut ſolùm Deo pareant, non ſæculo conformatæ, ſed eo magis, & amplius judicium ſuſcipient ultionis, quo magis remotis cuſtodibus atque teſtibus favore avaritiæ ipſas viduas viſitarunt, ſub hypocritali pollicitatione miſſarum & orationum ex parte agentium rei familiaris ſtipem ſubdolè ſubtraxerunt. Sed ideo magis adversùs illos & quouscunque tales de viduis ſententiam protulit, quia facilè decipitur in quolibet malo, etiam ad danda munera muliebris ſexus, cui non ſupereſt obedientia maritalis, aut prædominatur lumen gratiæ ſpiritualis. Sed his acrius reſervatur ſupplicium, quia corda ſimplicium nequiter deceperunt. Addit tertium, inquiens: *Væ vobis ſcribæ & phariſæi hy-* Math.23.
pocritæ, qui circumitis mare & aridam, ut faciatis unum proſelytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo magis quàm vos. Quid per hanc ſententiam tunc in tempore Salvator noſter redarguit, niſi ſolicitudinem indebitam illorum, qui gentiles ad ipſorum legem multis ſuaſionibus & laboribus invitabant, & efficiebant amplius peccatores, legis obſervatione contempta. Quod nunc in tempore illos inſinuat æternæ maledictioni ſubjectos, qui præter ſanctiſſimæ noſtræ legis intentionem ipſa cognita vel non peragunt mores, ut nec hoc eis ad damnationem ſufficiat, niſi ſimiles ſuis moribus habeant, & in æterna damnatione ſimilem ſuſcipiant ſævam pœnam. Nam uſquequaque cognoſcitur juſtum, ut qui cum ſimilibus aliis vitam ſuſcipiunt, ſimilem ſentiant in moribus diſciplinam. Sed horrenda res dictu, magis verò effectu, quod pejor efficitur proſelytus, ſcilicet qui de uno ſtatu in alium proſilivit, quam ille, qui ad proſiliendum ſuaſit, quod melius judicio credere divinæ ſententiæ, quàm in notitiam ducere nudis verbis. Quartum maledictionis æternæ malum Salvator annexit, cùm eos de

de perversa intentione jurandi reprehendit dicens: *Væ vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit per aurum templi, debet.* Sed hæc litera est illa, quæ in Evangelio ad hanc clausulam sequitur. Aliud tunc pharisæis, aliud nobis clamat. Sed eis relictis, quid nobis insinuetur brevi sententia sentiamus. Procul dubio ex his verbis cautè percipitur, quod aliquod juramentum aut promissum intensius non astringit, si per Deum juratur, aut aliquid promittitur, quam si per alia, quæ sunt ejus, juratur, aut promittitur. Et quamvis superius prohibitum sit jurare, argutus sit etiam Herodes, quòd incautè juraverit, tamen si omnino expediat hæc facere, aut promittere libeat, quod Deo aut per Deum juratur, aut promittitur, & per ea, quæ sunt ejus æquè ligat, dummodo quod juratur aut promittitur ad peccati cautelam pertineat, aut sit de ratione virtutis, nec sit contra omnium conditorem atque justitiam publicæ honestatis, neque contra virtutes Christianas & morales. Nam in juramentis atque promissis non solùm attenditur per quid, sed quid, nec interest, si Deum aut aliquid eorum, quæ sunt ejus, adhibeamus in testem, si promittimus veritatem aut bonitatem sive virtutem, aut peccati devitationem, aut proximo justam rem. Hujus nanque promissio simplex & recta sine additamento per quid, promittentem sive jurantem insolubiliter atque inexplicabiliter obligaret, nisi tales aut aliter factas jurationes simpliciter, & per quid, superior & potior, necessaria & verior jurisdictio explicaret. Quintum malum ad eandem sententiam maledictionis pertinens est: *Væ vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, qui decimatis mentam & anethum & cyminum, derelinquentes quæ sunt graviora legis judicium, misericordiam & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci excolantes culicem, camelum autem glutientes.* Quam sententiam dimittentes eos, ad quorum aures est illata, & ad nos, qui credimus Evangelium refundentes, quoniam quomodo moraliter ligat edicimus. Sunt nempe nonnulli hypocritalibus moribus circumspecti, qui tantum minima bona legis & morum perficiunt, quibus relictis modicum periculum aut nullum incurrunt, sed ea relinquunt, quæ perfectum in lege atque moribus hominem faciunt, & non peracta expeditè æternæ maledictioni subjiciunt, derelinquentes scilicet judicium verum & justum in se, quia si nosipsos judicaremus, non utique judicaremur, & in alios & pro aliis sanum & debitum proferre judicium admonemur, & misericordiam indulgentiæ oportet præstari pœnitentibus jam contritis, si ad Deum, & ad seipsos & in seipsis operati sunt malum. Et læsum in eo, qui læsit oportet impendere misericordiæ donum, & fidem servare ad Deum & in Deum & propter Deum, & ad quemlibet nobis in humanitate, maximè in religione Christiana proximum atque propinquum, & omne in regula & ex regula Christiana promissum tenere firmiter incussum. Hæc sunt illa, quæ omnino facere oportet, quibus carens infallibiliter ima petit, sed illa non omittere, illas videlicet cæremonias atque mores, qui ab bene vivere ornatum faciunt, quod in decimatione mentæ, anethi, cymini que signatur. Igitur oportet primo in realibus & vivificantibus virtutibus animum ante Deum fundatum fieri, unde bene placens Deo vita consurgit, & postremo talium modicorum addere ornamenta, & velut cæcos duces arguit, quorum agitur iter in præceps, qui minima peccata sine misericordia & discretione reprehendit, maxima verò velut minima prætermittit. Qui sub tali invectione traduntur duces cæci, excutientes culicem, glutientes camelum, minimum malum discutientes impiè, camelum magnum malum, tortuosum peccatum incorrigibiliter pertractantes. Vel eos demonstrat ista sententia, qui vilem, pauperem, simplicem & abjectum, si deliquerit, acriter puniunt, insignitum verò quomodolibet si peccaverit permittunt impunitum, unde justitia correctiva pervertitur, & in lumine claro justitiæ excæcantur perversè trutinantes merita subjectorum aut hominum delinquentium. Insignitos aut illustres homines non veretur justitia, si delinquunt. Sed sextum eos acriter mordet, qui ad exteriorem munditiam nituntur, de interiori immunditia non curantes. *Væ vobis scribæ & pharisæi, qui mundatis, quod deforis est calicis & paropsidis, intus autem pleni estis rapina & immunditia. Pharisæe cæce, munda prius quod intus est calicis & paropsidis, ut fiat id quod deforis est mundum.* Quid igitur nobis per hanc sententiam clarescit, nisi quod hi à Domino arguuntur, qui prætermissa interiori munditie, per quam Deus conspicitur, corporali atque forinsecæ, qua Deus sæpe offenditur, intenderunt. Quid si referamus ad eos, qui divinum cultum in sacramentalibus actibus tenent, magis condemnabit, quàm defendet exterior nititditas, si animo non conspecto damnatur iniquitas. Nam si munditiam foris habent, quam dicunt sic convenire, intus magis habere deberent,

Math. 23.

Ibidem.

quam habere certum eſt Deo placere, carere verò certiſſimum eſt diſplicere. Nec in alia parte noſtram à nobis omnipotens munditiam quærit, quàm in illa, in qua ſumus ad ſuam imaginem creati. Non enim in corpore, ſed in anima ſimilitudinem ab ipſo & ipſius creatione ſuſcepimus, nec ex eo, quod exterius agimus, ſed ex eis, quod intimis noſtris diligimus & habemus, juſtiſſimè judicamur. Nec effectus affectui pondus, meritum, præmium aut nomen in curia omnium cognitoris impoſuit, ſed affectus effectui hoc fecit. Ideo nobis tanquam Chriſti vaſculis, & virtutum datur, ut mundemus quod intus eſt, & exterius omnia munda erunt. Nam ſi acceptæ Deo eſſent intimis prætermiſſis exteriores munditiæ, ſtellæ, flores, herbæ, aves animalia multa præmia reciperent in æternum. Ad exaggerationem prædictorum ſeptimum væ maledictionis induxit:

Math. 23. *Væ vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ à foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò plena ſunt oſſibus mortuorum & omni ſpurcitia, ſic & vos à foris comparetis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate.*

Quæ ſententia in tali ſimilitudine ſic aſſumpta magis claret ex litera, quam expoſitione annexa. Octavum adversùs eos intendit, qui ſuos prædeceſſores malos exemplificant in ſeipſis. Et horum genera reprehendit, qui patrum carnalium aut doctrinalium perverſa opera imitantur. Quod in fine hujus octavæ maledictionis

Ibidem. Dominus declaravit dicens: *Et vos implete menſuram patrum veſtrorum*, ſerpentes appellans ex paterno transfuſo veneno, & genimina viperarum, qui præcedentium mala ſectantur, quibus fugere à gehenna omnino ſit impoſſibile, niſi reſipiſcant ab imitatione damnata. Et Jeruſalem increpata de occiſione miſſorum, eos deſignat ſimul cum malis agricolis vineæ, qui Chriſti ſervos verbis, diffamationibus, maledictis, opprobriis & tribulationibus perſequuntur, ſicut in Eccleſia Dei ſæpe novimus factum. Sed væ qui cum talibus partem habent. Amplius condemnantur, qui diviſi animo, intentione, moribus exiſtentes, congregari renuerunt congregatione ſanctifica, qua in medio congregatorum conſiſtit ipſe Salvator, in cujus nomine atque virtute omnis congregatio fieri debet, & exauditio ſic congregatorum in hujus nomine ad petita ſequeretur. Nempe congregare affectat diſperſiones

Num. 12. Iſraelis viſibiles atque inviſibiles, ut congregatio facta in unitate virtutum, poſt devictum triumphatúmque mundum æterna regna ſuſcipiat. Expedit congregari omnino in caſtrum Eccleſiæ Spiritualis; quia extrema caſtrorum in veteri teſtamento combuſſit cœlicus ignis, & virtus diviſa & quæcunque potentia, & fortis athleta in agone ſæpe ſuccumbunt. Congregatio autem in nomine Domini diſperſit adverſarias poteſtates. Quid enim eſt, quod tam multipliciter ad congregationem nos Salvator invitat, & promittit congregatis in nomine ejus excellentia ſenſum, minetúrque ſupplicium, ſi non fiat? Ut hæc in novo enodemus, de veteri teſtamento aliquid proferamus. Subcœleſtes aquæ oportebat, ut congregarentur in unum, & arida palam fieret. Proinde quia Spiritus Domini ferebatur ſuper Geneſ. 1. aquas, ut intelligamus aquas diſpoſitas ad operationem divinam hominum voluntates, ſuper quibus fertur Spiritus voluntatis divinæ, quas in unum jubet congregari divina voluntas in unum baptiſma, in unum corpus Eccleſiæ, atque fidei & virtutis, in unum finem ſcilicet qui finis eſt hominis, in unum velle, in unum amorem, in unum, quem ante ſuum adventum omnia proclamaverunt, unum redemptorem omnium Chriſtum. Et arida ponderoſitas omnium peccatorum humore ſancti Spiritus merito ſuo privata, manifeſta fiat ad ſuæ damnationis cumulum & juſtorum notitiam atque augmentum. Nec adaquari poterant greges ad puteum, Gen. 29. niſi omnes congregarentur ad unum, pro eo, quod os putei claudebatur lapide grandi, qui ab uno paſtore removeri non poterat, niſi prius in unum conveniret multitudo paſtorum, ut quid ab uno non poterat fieri, à multitudine poſſit removeri. Quid illo in tempore, quid allegoricè hic quod geſtum dimittimus, pro eo, quod ad ſpeculabilia moralia feſtinamus. Ecce habetur congregatione, quod non habebatur ſingularitate, habetur congregatim, quod non ſingulatim, habetur unione, quod non diviſione. In omnibus validior eſt congregatio virtuoſa, ut removeatur duritia infidelitatis, duritia cordis, duritia conſuetudinis, duritia quorumlibet vitiorum, & hauriamus in gaudio aquas miſericordiæ, aquas amoris ſui, aquas ſapientiæ de fontibus Sal- Iſaiæ 12. varoris, ut non ultra ſitiamus, ſed fiat in nobis fons aquæ ſalientis in vitam, quam affectamus, æternam, & quæ non fuerunt con- Joan. 8. gregata de Ægypto de agris, grandini ſubjacuerunt, ut deſtruatur ultione divina, Exodi 9. qui congregationem devitat, ad quam Salvator invitat. Samuel Prophera Domini populum juſſit congregari in Maſphat, 1. Reg. 10 quod ſpeculationem aut contemplationem ſonat, ut oraret pro populo. Congregari expedit ad ſpeculationem divinorum &

con-

contemplationem beneficiorum & geſtorum ejus pro nobis, & tunc orabit pro nobis omnium vates vatum Dominus noſter JEſus Chriſtus ad omnium Patrem miſericordiarum, atque pro nobis fuſa exaudietur oratio ſancta ejus, qui in lachrymis & clamore valido in cruce pendens exauditus eſt pro reverentia ejus. Ipſe namque
Math. 3. præco Joannes prædixit triticum congregari à Deo in ſupernum horreum ſuum, ergo primò congregemus nos in area ſancta virtutum. Quamobrem Salvator imperativè loquens, dicebat: *Jeruſalem, Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis ſuis, & noluiſti.* Pia omnis Dominus noſter JEſus Chriſtus, qui ſe propter nos exinanivit, dimiſſis delectabilibus humanitatis plumis, rauca ex fatigatione voce, nos ad alas ſuæ protectionis ut confugiamus proclamat, ſub quibus
Pſalm. 56 totam ſpem ſuam Propheta poſuerat: Sub umbra alarum tuarum ſperabo, donec tranſeat iniquitas. Quamdiu ſpes? Donec tranſeat iniquitas. In ſuperis non ſpes, ſed obtentio eſt, hic in mundo iniquitas eſt. Unusquisque quippe cùm moritur, meritoria bonitas aut demeritoria tranſit iniquitas, ut ad alteram tranquillitas, ad alteram ſequatur pœnalitas. His iisdem alis protegi affectabat, qui ſupra ſperabat.
Pſalm. 16 Sub umbra alarum tuarum protege me à facie impiorum, qui me afflixerunt. Eſt protectio æterna, eſt protectio temporalis, & eſt afflictio æterna, & eſt afflictio temporalis: una in beatitudine, altera in virtute protectio agitur. Una in æterna miſeria, in temporali pœna afflictio ſecunda infligitur. Pœnam dico non ſolùm corporis, ſed culpæ, quæ ad æternam diſponit, à qua quærit protegi, qui timet damnari, appetit coronari. Sed ſub quibus? Geminis alis, charitate Dei & proximi, & multiplicibus pennis operum, videlicet numeroſitate bonorum. Aut alis Deitatis & humanitatis, novæ legis & veteris pennarum multiplicatis beneficiis atque myſteriis pro noſtra ſalute peractis, ipſe nos Salvator invitat, necnon & in omni homine ad hanc congregationem Salvator ſimiliter invitat: nam omnium animarum eſt una natura, ſed diviſæ ſunt hominum voluntates, quæ variantur ex tempore, ac etiam variantur ex appetibilium diverſitate, & unaquæque defectum temporis patitur, cùm ad tempora non venimus, aut in tempore aliquo exiſtentes, quæ tempus habet, habere nequimus. Et in unoquoque diverſi ſunt ad aliquid motus, ut nunc hoc, nunc verò velit & illud. Et ab objectis extrinſecis interior variatur animæ appetitus, & ſemper decipitur in appetitis, quia ſufficientia non eſt in eis, qui cruciatur, ſi non habet, fruſtratur, ſi habet. Et diſperſæ factæ ſunt vires interiores, quas congregare vult, qui creatorum diſperſionem non recipit ſub alis ſuæ juſtitiæ propter vitam agendam, & ſuæ miſericordiæ propter vitam æternam ſperandam, ut ſub ala juſtitiæ nil appetamus niſi juſtum, quod ad Deum nos dirigit, nec faciamus niſi quod fieri juſtè concedit. Quæ quidem ala plurimas habet pennas. Juſta deſideria multa ſunt unum tantùm appetentia finem, & multiplices actiones ſunt ad perfectionem vitæ hominem adducentes. Sub ala miſericordiæ noſtram ponamus miſeriam, protegamur ab illa, de ipſa & per ipſam vitam ſperemus, ſub multiplicibus pennis ineffeabilium beatitudinum ejus congregemur, ſub his congregatis non nocebit nobis diabolicus miluus. Vocationem igitur non contemnamus. Sed ad contemptum vocationis, deſertionis ſupplicium ſequitur. Ac ſi dicat: Quia congregari noluiſtis me vocante, deſere- Math. 23.
mini me volente. Ait enim: *Ecce relinquetur domus veſtra deſerta*, ut non confugientes ad Deum, deſerantur à Deo, eo certè merito, quo congregari nolunt. Quare deſerta? Quia deſeruit. Non deſerit Deus, ut deſeratur, ut ſua præcedens deſertio cauſam nobis deſertionis miniſtret: ſed ideo deſerit, quia primò deſertus eſt. Inhæret nobis Deus, ſi ſibi adhæſerimus. Neque portus & civitates deſerunt naves, immobiles enim ſunt, ſed verſa vice naves vento commiſſæ aut remis agitatæ recedunt. Vide igitur culpas, vide pœnas, aſpice crimina, vide ſupplicia. Ex pœna enim ſæpè innoteſcit & culpa, ex magnitudine vindictæ ſceleris agnoſcitur magnitudo. Quod, quantum, quale noſcitur eſſe crimen, ad quod deſertio ſequitur juſta Dei. Sed quo it deſertus à Deo, aut ubi remanebit, quem deſerit Deus, quis locus refugii ejus, aut quis locus quietudinis ejus? Quis accedet ad deſertum à Deo? Deſerti deſertum quærent, deſerti deſertum ſociabunt, ut ſimul ſimilem habeant pœnam, qui fuerunt in culpa coſimiles. Igitur qui legis hæc,
mala devita.

Cap. XXXVIII.

Tractatus de proceſſu peccatoris, & reverſione ejus ad Deum.

PRoceſſum verò peccatoris in ſuis verbis parabolicè ipſe Salvator interſeruit, dicens: *Homo quidam deſcendit de Jeruſalem ad Jericho, & incidit in latrones, qui etiam deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto.* Vide Lucæ 10. peccatorem innominatum, vide peccatoris proceſſum, vide, qui incidit in inopinatum periculum, vide perditum bonum, vide malum ſuſceptum: ſed vide divina bonitate uſque ad mortem in quolibet ad pœnitendum liberum arbitrium reſervatum. Digni nominari non ſunt, qui peccare diſponunt, qui de libro vitæ delentur, ſi pec- Pſalm. 8. cata perficiunt. Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur. Sed juſtorum nomina in libro vitæ ſunt ſcripta, & ſuper omne gaudium dixit eſſe Diſcipulis Salvator, quoniam nomina eorum ſcripta in cœlis erant. Quo nomine nuncupabitur, qui Creatori rebellare diſponit: quo cenſetur titulo, qui à Deo divortium quærit? Caret dignitate nominis, qui vivit lege tartarea. Sed quæ eſt dignitas nominis noſtri, ut literæ hujus veritate ſervata ſupra id, quod ſonare videtur, intellectus fidelis aſpiciat. Non eſt dignitas noſtri nominis, in quo unus ab alio diſtinguitur, ad quod nomina ſunt inventa, ut inter ſe homines individui cognoſcantur, nec alicujus nominis eſt dignitas, quo ſtatus hominum atque officiorum titulantur, & mutua fiat notitia circa humanas mentes, ac notitia derivatur ad animos poſterorum, nec eſt dignitas nominis, quod quis probitatem ſortitur: ſed dignitas nominis eſt, quo quis filius Dei per adoptionem meruit appellari. Quia ipſe Salvator dedit poteſtatem filios Dei Joan. 1. fieri, ſimiliter & nominari, ſi credimus in nomine ejus, ut ejus ſit ſuprema & ſumma conduiu, quo per fidem atque per cæteras virtutes & actus Dei nominetur filius, non quo dicatur Petrus, vel Matthæus. Non enim hujusmodi nominibus ſuperni cives ab invicem diſtinguentur, quorum eſt omnium intuitiva cognitio. Quam nominis perdidit dignitatem, qui à Jeruſalem ſcilicet à divina pace receſſit, retinuiſſet, ſi ſtetiſſet, quia beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Eſt & alia dignitas nominis, quo à Domino noſtro Jeſu Chriſto habentes authoritatem dicimur Chriſtiani, quod per opera virtutum approbantes, ad ſupernam ferimur patriam, moribus reprobantes mergimur in gehennam. Cujus dignitatem agnovit quidam Diaconus ab infidelibus comprehenſus, ut negaret Chriſti fidem, quam in animo & moribus fatebatur. Qui cùm graviter à lictoribus torqueretur, & inquireretur, ſi quo nomine vocaretur, & unde, & quis eſſet, tale fertur dediſſe reſponſum: Chriſtianus ſum, hoc mihi nomen, hoc mihi patria eſt, nihil aliud, quàm Chriſtianus ſum. Et multipliciter & graviſſimè tortus, hoc ſolùm per verba inter verbera reſonabat: Nihil aliud, quàm Chriſtianus ſum, quia dignum eſt, ut eum imitemur, cujus nomine inſignimur. Quod nomen perdunt, qui moribus contradicunt. Etſi humana & uſualis vocatio nominat, divina ſapientia reprobos negat: Amen dico vobis, neſcio vos. Sed miſe- Math. 25. ri peccatoris proceſſum altius intendamus. Deſcendebat à Jeruſalem. Verè deſcendit, qui recedit à Jeruſalem, quia fundamenta ejus in montibus ſanctis: ſed aſcenſiones ad Jeruſalem, ad virtutem, ad Deum in corde ſuo diſpoſuit legitimus ſervus Dei. Quidnam iſte deſcenſus de Jeruſalem, quod deſcendenti tanta mala ſuccedunt? Jeruſalem viſio eſt pacis, pax autem totalis eſt virtus. Nam pax trinitatem inſinuat mentibus non velatis. P. patrem dicit. A. quæ litera in alphabeto primum principium tenet, filium denunciat. Nam ipſe dixit in Evangelio Joannis Principium, qui & loquor vobis. Et in Apocalypſi: Ego ſum Alpha & Ome- Joan. 7. Apoc. 2. ga, principium & finis. X. Spiritum Sanctum declarat, eſt enim duplex conſonans. Igitur qui dimittit pacem, à trinitate recedit. Pax nulla dicenda, quæ copulat creaturas, ipſarum authore offenſo. Eſſet certiſſimè vera ſchiſmate ad omnia, firmo jure ad Deum ipſa inviolatè ſervata. Ergo quod de jure non eſt, nec eſſe verè dici poteſt. Pax tamen ad Deum firmiſſimo jure conſiſtit, quia ipſam omnia jura concedunt, ac jubent, & damnationi adſcribunt omnem aliam ſine iſta, quæ ad ipſum verum & unum Deum eſt in omnibus inexceptuata ſubjectio, & noſtræ voluntatis ad ſuam tota & plena conformitas, ut nec in minimo ſit diſcreta diverſitas, & bonorum omnium executio, prout poteſt noſtra facultas. Aut ipſa eſt, quæ nullum divinum placitum excipit diligendo, nec operando, niſi quod nec potentia nequit. Aut pax

Dei

Dei domus eſt imperturbata virtutum. Iſta ſanè verba noſtram ad Deum pacem ſimul, & ejus cauſam luce clarius miniſtrant, quorum ſi occultos intellectus inveſtigare vellemus, prout diſponendi aut cavendi ſunt mores, tenendæ virtutes, ſervanda mandata, Sacramenta tractanda, non breve ſpeculum, ſed volumina cuderemus. Proinde ſolum proceſſum malè peregre videamus, atque invectivè, proclamativè ad deſcendentem ſermo noſter inclamitet. Quid tibi diſplicuit ô deſcendens in domo virtutum, ut ab ipſa deſcenderes, aut egredereris portas pulchritudinis ejus? Diſplicuit tibi ſitus? Fundata eſt in montibus ſanctis, in altitudine divinorum bonorum. Diſplicuit tibi habitatio, an in ipſa exiſtens varios ex defectu parietum timebas incurſus? Qui confidunt in Domino ſicut mons Pſal. 124. Sion, non commovebitur in æternum, qui habitat in Jeruſalem. Montes in circuitu ejus, & Dominus in circuitu populi ſui, ex hoc nunc & uſque in ſæculum. Ecce confidentia, ecce incommotio, ecce protectio, ecce diuturnitas tanti boni. An diſplicuit regalis authoritas? Expedit tibi anima, ut regaris, ſed pacificæ civitatis Rex pacificus eſt. In domo enim virtutis Rex eſt omnium Chriſtus. An non placebant tibi Prophetæ? Cautum te faciebant, ut pavidus atque paratus divinum expectares adventum. An Sacerdotes tibi faciebant diſcrimen? Nonne Sacramentis ſanabant putrida tua, & orationibus & ſacrificiis pro te interpellabant ad Dominum? An Prædicatorum declamatio tuis auribus tædium inferebat? Sed hoc tibi debebat eſſe ad gaudium, quia dabant Creatoris notitiam, Redemptoris amorem, redemptionis neceſſitatem, doctrinam regni, ſalutis viam tuis auribus inſonabant, ut defixus à mundo adhærens Deo, unus ſpiritus eſſes cum eo, & inſignitus characteribus ſupernæ patriæ, militiæ Angelorum ſimilitudinem gereres ſuper terram, cum quibus in caſtris triumphalibus eſſes æternaliter coronandus. Nonne hæc omnia peraguntur in domo virtutum, etiam Jeruſalem prætermiſſa viſibili? An tibi odio erat templum? Locus eſt orationis & reconciliationis ad Deum, 3. Reg. 6. & nocivorum tutela. An tibi diſplicebat propitiatorium deauratum, & tabulis aureis affixis, clavis aureis circumdatum? Chriſtum, qui eſt vera charitas & propitiatio pro peccatis, circa quem Angeli & omnes beati velut tabulæ charitatis amoribus clavati aſſiſtunt, non oportebat dimittere. An tibi duo cherubin non placebant, qui verſis vultibus propitiatorium proſpectant, duo teſtamenta omni ſcientia plena? Te decebat audire, quæ Chriſtum ænigmaticè atque verè allegoricè atque moraliter confirmant in cordibus auditorum. An menſa propoſitionis duodecim panum tibi nauſeam fecit? Fidem duodecim articulorum oportet cuſtodire credentem. An altare aureum non placebat? Et ſuper fidem Chriſti unigeniti Dei Filii, & in ejus merito ſacrificium oportebat offerre contriti cordis & Spiritus contribulati. An candelabrum luminia tuis oculis, velut ægris odioſum erat, quod puris gaudium præſtat? Sed à luminoſa veritate non decet eſſe ſecretum, ambulat enim in tene- Math. 16. bris, qui ab ipſa recedit. An tibi non placuit velum? Sed ſciſſum eſt in duas partes, à ſummo uſque deorſum, ut aſpicias myſteria magna Dei pro glorificatione animæ, atque noſtræ carnis benigniſſimè mundo data, ut à ſummis cœlorum uſque ad ima terrarum nihil ſit ad noſtram utilitatem nō eductum. An figuræ prominentes erant faſtidio? Et Sanctorum exempla convenit aſpicere certatori. An longitudo templi non placet? Fidem trinitatis perſeverantes expedit retinere. An altitudo? Et ad ſpem cœleſtium invitamur. An latitudo templi facit tibi diſpendium? Et charitate jubemur ad omnes extendi. An vas æneum, mare dictum, ſuper boves duodecim poſitum tibi aliquid fecit horroris? Et baptizari oportet, & iterum balneari, ſi baptiſmate ſuſcepto turpamur, balneo pœnitentiæ, quod Apoſtoli doodecim toto orbe terram diffuſi ubique intrepidè prædicaverunt. Quid eſt in domo pacis, in domo virtutum, in Eccleſia Dei, quod tibi diſpliceat? Qualis eſt, cui diſplicet viſio pacis, qualis eſt, qui caret pace ad omnium creatorem? Omnium enim æmulus eſt, & manua ejus contra omnes, & omnium contra eum, qui à pace divina divortium fecit. Nec ad ſeipſum pace bona potitur, qui factorem ſuum reliquit. Ao fortè porticum ante templum judicabis ſuperfluum? Sed conſiderandum erat, quod ante ſecreta myſteria cognoſcenda, & contemplanda oportebat præire bonorum operum actionem, & ſecundùm latitudinem charitatis longitudo bene actorum bene tendit. An diſplicebat tibi, quod in templo erant ad luminis ſuſceptionem obliquatæ feneſtræ? Sed tibi ſit rationis ad artem, quod quantò magis obliquantur interius, tantò ab extra ingrediens lumen majori claritate diffunditur, & patulam ab intus eſſe animam expedit, quæ gratiæ lumen expectat. An tibi diſplicuit, quod templum ædificatum eſt de lapidibus dolatis atque perfectis? Argumentum tibi eſſe debebat, quoniam dolari, poliri, perfici per virtutes oportet in ſuperno templo ædi-

ædificari quærentem. An te tanta ſcientia obcæcavit, quod omnes magiſtri laboraverunt & operati ſunt in ſapientia Salomonis, & non in ſua? Nullus enim magiſtrorum ſciebat mentem ejus, & quomodo debebant operata diſponi: ſed ipſo decernente omnia compoſita ſunt, & poſt compoſitionem laudaverunt omnes ſapientiam Salomonis, ſuorum operum videntes tam pulchrum atque mirum concentum. Sed hoc magis debuit animam tuam ad moram manendi ſuſpendere, quoniam ſine Chriſtu nihil poſſumus facere ipſo dicente: Sine me nihil poteſtis facere. Etiam Apoſtolus
Joan. 15. ait: Non ſumus ſufficientes ex nobis, ſed omnis ſufficientia à Domino Deo eſt. Fortè fulgor auri, quod omnia in templo tegebat, tuos oculos intolerabiliter irradiavit. Magis verò te illuminare debuit, quòd omnia bona perornat, & univerſa delicta operit charitas. An tibi admirationem adduxit velut non intelligenti, quod malleus & ſecuris, rumor & omne ferramentum non ſunt audita in domo Domini, dum ædificaretur? Documentum tibi eſſe debuit atque præſagium futurorum, quod quies absque rumore in ſuperno templo conſiſtit, Nec inſtrumenta virtutum, nec agoniſtæ ipſarum ſonum exercitii dabunt, ubi fructus ſolùm percipitur poſt laborem, & quies immutabilis ſequitur ſanctum opus, & ſtipendia in pace ſuſcipient, qui fuerunt fortes in bello. Et qui pericula ſenſerunt bellorum & armorum ſtrepitus in caſtris ſpiritualibus non vitarunt, non clamabunt ulterius adversùs hoſtes, nec contra eos clamoribus orationum aut lachrymarum poſtulabunt auxilium, quos videbunt ex tota divina bonitate ſubjectos. Nec adversùs vitia erit perſtrepens agmen, quæ hìc fuerunt devicta in valido & in intelligibili clamore virtutum. Nec cauſaberis de carne rebelli, quæ omnem ſuam beatitudinem poſſidebit. Nec adversùs corruptibilia erit rumor, nihil enim eſt corruptibile in ſupernis. Nec ad docendum proximum concionator concionabitur, videbunt enim omnes verum in luce divina. Nec rumor eſt miſſatum & cantus & ſe voluentium voeum, cùm omnis laus & gratiarum actio mente ſonabit in auribus ſummi regis. Et ut ita perſtringam, nulla rumoris aut frangendi ſilentii cauſa, ubi omnium eſt in uno vero, & ſummo & æterno Deo concors & pacifica voluntas, & tota fruendi vita. Quid immoror ad hujus templi referanda myſteria? Suſcepta intentio ad alia me compellit. Sed O! male deſcendens, cur non aſcendiſti in montem aut arcem Sion? Fortè non deſcendiſſes de Jeruſalem. An tibi diſplicuit mons Sion, propter quod deſcendiſti? Sed ſpeculari magis tibi expediebat & contemplari Domini bona, & te in iſta ſuſtollere, ut per contemplationem divinorum terrena te implicantia devitares, & diligenter inſpicere in Sionitica contemplationis arce, quod omnium Salvator & Dominus agnum immaculatum pro paſchate comedit, innocentiam, ſimplicitatem, manſuetam & innoxiam vitam oſtendens, dans Apoſtolis & cæteris exemplum ſic converſari debere in medio nationum, Et vidiſſes oculo alio, quàm carnali divinam majeſtatem in humanitate piſcatorum & proditoris pedibus inclinatam, ad oſtendendam humilitatem ad ſuperna ducentem, & abluentem ſordes affectuum filiorum hominum, ut non amplius concopiſcamus, quæ divina manus à nobis abſterſit. Et contemplare ulterius in Sionitica contemplationis arce cibum ſuperſubſtantialem, ſuperbonum, ſuperſanctum, ſupernaturalem, ſuperintellectualem, omnem habentem plenitudinem deitatis, fontem infinitæ vitæ, & omnem copiam omnis boni habentem, per ſemetipſum ſe miniſtrantem in robur virtutis, in tutamentum à turbine peccatorum, in ſignum omnis dilectionis ad nos, ante dilectos Apoſtolos, quos ſua bonitate fecerat dignos ſe. Nec ad revocationem Judæ Iſcariotæ in gregem, à quo jam animo diviſus erat, ſibi denegavit, ſed dedit, eum tanto ſigno dilectionis amplectens, ut revocaret in gratiam, ad quam ante vocaverat, magis dolens Chriſtus, quod eum erat perditurus, quàm quod Judas eum erat illico proditurus. Perſpicacius accommoda mentis aures, & audies Chriſti mentis arcanum, & eloquia divina, per omnium Dominum noſtrum Chriſtum. Altius oculis aſpice, contemplare magno intuitu, & videbis ibidem oſtendi novitatem cœleſtem in corpore Salvatoris ab inferis reſurgentis, & credulitatis palpationis, & veritatis oſtenſiones per cibos & per ſingularem tactum radiantium cicatricum, ad tollendum dubitationes ſingulariter dubitantis. Ultimo mente conſpicies in Sionitica manſione Spiritum ſanctum effundi de cœlis in pauperculam & humilem & modicam Chriſti familiam, & iterum miſceri humana divinis fideli mente videbis, quæ omnia, niſi habitantibus in pace, atque in domo Jeroſolymitana virtutum non patent. O! nequam, o!

male

male viator, o! male peregre, o! malí author itineris, quare de Jeruſalem diſcendis? Suntne iſta myſteria genimina diſplicentiæ, ut dimitteres de ſenſu lethifero hanc ſanctiſſimam civitatem, non cæmentorum, & lapidum habentem initium, ſed pacis & pretioſarum amabiliúmque virtutum? Inquies forte: Non diſplicet Jeroſolyma, non Templum, non Mons Sion, non peracta myſteria, ſed Jericho magis placet. Cur placet Jericho ſita in planicie? Non ita citò ſuſcipit lumen ſolis. Cur placet Jericho? Luna ex interpretatione vocatur, quæ ſui luminis defectum patitur, & nunquam in eodem ſtatu permanet. Ratione interpoſitionis lunæ ſol eclipſim patitur, ut ejus lumen non plenum diffundatur ad ſubjectas orbis partes. Magis verò lunatica bona interponunt, ne lumen juſtitiæ illuceſcat nobis, & ne ſol juſtitiæ oriatur in cordibus noſtris. Perfunctoriam mundi amœnitatem Jericho ſpeculatoribus veritatis oſtendit, ſed non placeat amœnitas Jerichontina. Arca Domini circumdata Sacerdotibus, tubis clangentibus, vociferantibus populis, ad imperium Domini eſt funditus ſubvertenda. Nam omnis divina ſcriptura divinitus intellecta, omnis ſacramentalis authoritas, atque ſonora doctrina, omnis electus populus Dei contra ipſam multimodè ſemper inclamitat. Placet mundi amœnitas, in qua omnis anima habitans in fine deletur? Joſue 6. Sola Rahab meretrix, & ſibi cohærentes evaſerunt excidium, qui magis dilexerunt ſacramentale myſterium & Dei populum, quàm ſuorum multitudinem civium atque murorum faſtigium, eos deſignans homines, qui magis divinis myſteriis animo, vita, moribus ſe committunt, quàm detineri velint mundi amœnitatibus defecturis. Placet Jericho, cujus omnia bona ſunt anathematizata, præter quæ ad divinum poſſint ordinari uſum? Lapidatus eſt Nachor, qui tulit pallium, argentum & aurum & coronam de anathematizatis volente Domino. Væ! qui aliquid deſiderant de mundo viſibili, præter quod neceſſario vitam hominum fulcit, aut in divinis redundat obſequiis. Placet amœnitas venenata? poſt cujus deſtructionem maledicitur omnis, qui ad ædificium præſtat opus, ut primogeniti & ſecundogeniti morte plectatur quisque reconditor, ut anima & corpore in fine tradatur gehennalibus flammis, qui amœnitatem mundi aliquando contemnens velut reconverſus ad vomitum reaffectat. Cur placet lunatica civitas? Nam lunaticus crebro in ignem cadere fertur, & in aquam mergi narratur. Arrepticii ſunt lunatici, & à dæmonibus agitantur. Sed væ! cui Jeruſalem diſplicet, & Jericho in placito eſt. Etiam væ! cui comparativè Jericho magis placet. Nunquid autem Jeruſalem, videlicet pax divina primo diſplicuit, poſtmodum Jericho placuit? An Jericho primo placuit, Jeruſalem poſtremo in diſplicentiam venit? An inſtantaneè utrumque peragitur, ut ad id trahatur iſta ſententia, ſi prius à creatore fit averſio, deinde converſio ad creaturam? An præit ad creaturam converſio, & averſio ad creatorem ſubſequitur? An ſimul utrumque perficitur? Sed hoc determinare quis novit? An aliquid placitum præter Deum aſpexit in animo, quod concupivit, cui adhærere voluit, propter quod Deum diminuit? An aliquid ſibi non competens, aut minus placens vidit in Deo, propter quod ab eo recedere diſpoſuit? Sed receſſus omnis certos terminos habet, terminum à quo, ad quem & per quem. Ut tardioribus per exemplum plateat, iſte idem, de quo ſit ſermo, declarat. Deſcendit à Jeruſalem, ecce terminus à quo, in Jericho, ecce terminus ad quem, perambulabat viam, ecce terminus per quem. Igitur typicè ſuſcipe, A Deo receditur, ecce terminus à quo, unde peccator malè deſtuit. Creatura præter Deum appetitur, ecce terminus ad quem peccator malè ſe convertit. Voluntas eſt, qui appetit, ecce terminus, per quem, in quo peccator ſe pervertit, ſed terminus iſte medius ſerenabit clarius, quod latet occultius. Sed prius altius intendamus. Primus Angelus, qui à Deo averſus, ad quam eſt creaturam converſus, & hujusmodi averſionis quis eſt medius terminus? Quod enim medium dicitur, indubitanter extrema fortitur, & nulla poteſt fieri à Deo averſio, niſi per medium voluntatis fiat ad creaturam converſio, nulla verò creatura erat in eſſe, quam Angelus præter Deum poſſet appetere. Quo ergo Angelus ſe convertit, quando ſe à Deo avertit, cùm neceſſario terminum ad quem quærat averſio? Et ſi hoc fertur in dubium fruſtra, quia terminus medius ſcilicet inordinata voluntas, alterum de neceſſitate quærit extremum. Sed ſi de Adam aliquis quereret, quo ſe convertit averſus, facilius reſpondemus. Erat Deus, erant omnes creaturæ in ſpecie ſua, erat Adam, qui nomina impoſuerat convenientia rebus. Habes igitur in averſione Adæ terminum à quo, quia Deus erat, à quo avertebatur, habes terminum ad quem, quia creatura erat, ad quam convertebatur, habes terminum per quem voluntas ſibi aderat, in qua pervertebatur. Nec in Angelis eſt terminum ad quem extra ſeipſos modo aliquo

reperire. Sed fortè dices: Unus convertebatur ad alium, & dereliquetunt Deum, Ad quod ſed, ſequitur ſed nec angeli depravati appetiverunt bonos, quos dereliquerunt. Nemo relinquit, quod appetit, ſi tenere poteſt. Adjicies: Et unus depravatus appetivit præter Deum, alium depravatum. Sed tanta ſunt celeritate puniti pro eo, quod deliquerunt, & nulla prioritas atque poſteritas in puniendo ſervata, ſed ipſo inſtanti ejecti fuerunt, quo contra divinam voluntatem ſuam erexerunt, ut nullus alium poſſet præire ſuum præter Deum appetendo conſocium, qui ſine omnis temporis intervallo ſecundùm ordinem, ineffabilis & divinæ juſtitiæ receperunt ſupplicium, atque reprehenſibiliter ſunt pœnis debitis, & ultribus per divinam ſententiam deputati. Quia nunquam & nusquam pœna etiam per momentum minimum diſſociatur à culpa, ut pœna non ábſit, ubi culpa perſiſtit, imo ut ſtatim eſt culpa, ſequitur pœna, quaſi ſimul exiſtente pœna cum culpa. Igitur Angelorum averſionis terminum habemus à quo, terminum autem ad quem extra ſeipſos penitus non videmus. Sed appetivit fortè unusquisque ſeipſum, & ſi hoc fuiſſet, jam iſtos tres terminos habemus. Quoniam non eſt hic ſermo de angelis differendus, ſed ad exemplum noſtræ averſionis eorum averſionem adduximus, idcirco ad propoſitum revertamur, & quis terminorum trium in proceſſu peccatorum præcedat, an ſimul ſint, quantum poſſumus humiliter indagemus. Accipiamus igitur hominis primam cogitationem de aliqua re appetibili, antequam ſequatur prohibitus appetitus; deinde adjungamus prohibitum appetitum, deinde videbimus, ſi præceſſit, aut eſt averſio ſubſecuta. Igitur quidam cœpit cogitare aurum, & pulchritudinem, & utilitatem, & quomodo multa poſſet per multitudinem auri expedire. Deinde cœpit apperere, atque appetivit in animo præter Deum. Eſt ne nunc poſt inhibitum appetitum averſio ſubſecuta? Intuere ſubtilius. Quod eſt hominis debitum, atque totum in hac vita bonum? Cogitare de Deo, diligere Deum, adhærere Deo. Nam de ipſo cogitare, ſenſus eſt conſummatus, ipſum diligere totalis eſt virtus, & dilectio ſemper ad dilectum animum tenet, qui ſibi adhæret, cum ipſo efficitur unus Spiritus. Cogitans igitur aurum primo prætermiſit debitum, quod erat de Deo, aut de his, quæ ſunt ejus, ſedulò cogitare, concupiſcens ex amore perverſo, quia niſi quod amatur, non concupiſcitur, aut prætermiſit dilectionem Dei, quæ ſi animum tenuiſſet ad Deum, non præter Deum appetiviſſet aurum. Adhærens verò auro, diſſolutus prius erat à Deo, nam ſtante adhæſione ad Deum, ad creaturam non poteſt eſt damnata converſio. Sed hoc non fieret, niſi primo eſſet deordinata voluntas. Ergo terminus medius prior eſſet, quàm alter, & alter extremus, ſed nec deordinata eſſet, niſi aliquid appetiſſet, quia nec à Deo ſe avertiſſet, niſi aliquid præter Deum vellet. Multa poſſet hic fieri verborum congreſſio. Ego autem, quantùm capio, tantùm dico, quod hæc trinitas anathematizata, maledicta & reprobata eſt æqualis in tempore, inquantum creatura poteſt iſtorum trium inſtantaneam actionem in ſe ſuſcipere, ut tunc ſit averſio, quando & converſio, tunc converſio, quando averſio, tunc eſt deordinata voluntas, quando avertitur & convertitur, ſecundùm quod prohibet veritas. Igitur malè peregrè vide quid feceris, dimittens Jeruſalem, Jericho vadens periculoſam grandiens viam, malam trinitatem portans, apertior rebellis factus trinitati creanti, damnatam trinitatem pariter tecum portans, averſionem à Deo, converſionem ad defectibilem creaturam & voluntatem perverſam. Quæ iſta trinitas ſic infauſta? Eſt ne iſta potentia patris, ut avertereris ab eo, eſt iſta ſapientia filii, ut creaturæ adhæreres, eſt iſta bonitas Spiritus ſancti, ut in voluntate depravareris? Væ! qui recedit à Deo. Væ! qui ſe ad creaturam præter Deum convertit. Væ! gravi hominum voluntati. Aſpice inopinatum, quod incurrit malè peregre juſtè periculum. *Et incidit in latrones.* Incidit, nec cogitabat affutura pericula. Meritò incidit in latrones, qui receſſit à murata Jeruſalem. Pervagi ſunt latrones, excludi volunt, timent includi; Meritò incidit in latrones, qui receſſit ab altitudine, atque ſecuritate Sioniticæ arcis. Altæ arci nequeunt damna inferre latrones. Meritò incidit in latrones, qui regalem juſtitiam dimiſit. Timent juſtitiam, injuſtitiam facientes. Et prophetæ fortè dediſſent vaticinium de cavendo, ſi non receſſiſſes ab eis. Et antequam perveniret, quo animo & pede tendebat, pertulit quod nolebat, & priusquam veniſſet ad affectatum terminum, incidit inopinatum periculum. Omnia quidem hæc ſic litera geſta docet. Sed verè peccator tam ſancta myſteria derelinquens, non immeritò in deprædantium viſibiliter atque inviſibiliter immiſericordes incidit manus, latronum videlicet auferentium aliena. Nondum per-

pervenerat peccator ad quod convertitur, & mulctatur, quia jam aversus erat. Et pœnam luit ex deliberatione, antequam malum actione perficiat. Sed qui sunt hi latrones, in quos malè peregre incidit, imo quis etiam est, qui ad manus latronum pervenit? Conspice divinam justitiam subtilius, & rem gestam intelliges clarius. Pertinet ad ordinem divinæ justitiæ, ut interdum mali malos puniant, & similes consimiles malos torqueant, nam latro incidit in latrones, & latro ait ad latronem. Quid autem latro? Est siquidem latro, ad malum latibulum quærens. Igitur quod dicitur, competit peccatori. Vellet procul dubio Deum & homines sua mala latere. Latro fur est, & aliorum manuductor improbus & invisus. Latro qui appetit sibi nullo competens jure, ac etiam invitè accipit, quod alterius est juris. Latro est, qui per insidias occupat vias, & viatoribus insperatus occurrit. Latro est, qui perdiu in alienas partes, labores, violentia irumpit, & fovet vitam sudoribus proximorum, quos improbè spoliavit. Latro est, qui omni verecundia pulsa de moribus, apertè & clandestinè sua non sua facit. Proinde latro omnis peccatur, & quod dicitur reconvertitur. Nam si latro dicitur, qui aufert invito Domino alienum, hoc omnis peccator facit, pro eo, quod jure creationis omnis homo velut omnis creatura alia est Dei. Et velimus, nolimus, sui sumus, peccatores vel justi. Noc Salomonis sententia clamat: Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam, & si non peccaverimus, scimus, quod apud te sumus computati. Ac per hoc, si omnibus modis sui sumus, ex voluntate propria jure dilectionis & adhæsionis sui esse debemus, ac per hoc peccantes omnipotenti Deo, nosipsos latrocinamur, atque furamur. Necnon jure redemptionis factæ per sanguinem sibi vendicat nos Salator, ut vita nostra referatur ad eum, nec vivamus animalibus sensualitatibus nostris ab ipso aversi, ad creaturam præter ipsum conversi, sed ei, qui mortem suscepit, vitámque dedit pro nobis. Cùm igitur peccando ab ipso avertimur, & ad creaturam convertimur, quid aliud facimus, quàm nosipsos, qui dominica vasa sumus, sibi per baptismum lota, per fidem & sacramentale mysterium Salvatori omnium consecrata, more latronum rapimus, ipso invito, aliter quam velit cum creaturis nos turpiter contrectamus, & more furum de alienis, facimus de nobis ipsis, qui nostri non sumus, sed divini juris. Incunctanter appropiatione typica, quod corporaliter à latronibus, hoc spiritualiter à peccatoribus agitur. Meritò igitur latro incidit in latrones, ut latro latronem puniat, malus malum afficiat, peccatorem peccator torqueat, ut eum sentiat tortorem in pœna, cui similis factus est in culpa. Incidit devius à Deo, pronus ad malum in latrones invisibiles, videlicet dæmones, qui à Domino se per furtum & latrocinium subtraxerunt, & defalcationi simile omnes latrocinari conantur. Est & latro mundus totus positus in maligno, qui multos amœnitate sua latenter & furtim à Deo divertit. Latro est, qui non secundùm Deum nominatur amicus, qui ad quæque placita trahit amicum, videlicet occultam amicitiam semper habet, qui imperpense animam furatur amici, & dulci furtim quadam violentia trahit. Utinam tibi latro non fuisses, utique latrones non invenisses. Sed quid ei fecerunt, quid ei latrumculi rapuerunt, quod damnum dederunt? *Expoliaverunt eum*, verè tunica innocentiæ atque camisia puritatis necnon & honestatis pallium abstulerunt, auferentes mortis memoriam cùm morticinia calceata de pedibus subtraxerunt. Et zonam castitatis asportaverunt à lumbis, ut constrictio pulchra corporis, tegmine velata pudoris, in dispersa libidinis dissolvatur. Perstringam breviter quid expoliatio ista significet. Vestivit Deus Adam immaculata veste naturæ, quamobrem & ipse protectus non subjacebat pudori, nec in se aliquid sentiebat adversum, indisciplinæ manente, aut non perdita primæ donationis & induitionis toga, qua expoliatus extitit, cùm aversus à Deo accessit conversus ad vetitum. Accepit iterum inartificiatam, sed detractam pellem pro velamine ad pudorem, eo namque quod accesserat vitium, successerat pudor. Hæc eadem erat ad tutelam propter aeris intemperiem. Commota enim statim sunt elementa contra eum, quoniam rebellaverat in eorum authorem. Quæ tunc in manus prædantium venit, cùm peccatum impudenter admittitur, & arte fit ad vanitatem, quod propter tutelam est necessitate concessum. Esau habebat duplices vestes & fortes & multiplices, aliquas ad civilitatem & vicinitatem in conversatione ad homines, aliquas ad feritatem, quibus utebatur in venatione sylvestrium, & ipsis indutus pergens ad imperium patris, ut venatu aliquid pro imperante citiùs venaretur, civilibus domi relictis & tegentibus materna providentia alterius fratris corpus, hæreditate privatus est. Meritò quis vestibus sanctæ conversationis; & bonæ civilitatis, & rationalis moris ad proximum spoliatus incedit, qui feralita-

Sapient. 16.

Gen. 23.

tis & beſtialitatis actibus arcu voluntatis ſagitta ſubtilitatis inſiſtet, & caret benedictione, imo hæreditate paterna, quam omnis legitimus hæres expectat. Tunica talari polymita expoliatur Joſeph à latronibus fratribus, imo homicidis, quaſi pro eo, quod à patre receſſit vadens in Dothaim ſcilicet in defectum quem dicimus eſſe virtutum. Perſeverantiam talaritas ſonat, varictatem & ornamentum bonorum oſtendit polymitas, quam perdidit in peregre ſic ſe habens. Et in Ægypto à meretrice ſcinditur pallium honeſtatis, ut ſæpe hoc fiat, quod ex molli & fœminea converſatione, ſi non perditur caſtitas, infametur honeſtas. Aſciſcitur huic ſententiæ abſciſſum pallium Saul à David cùm eſſet ad requiſita naturæ, ut quia in his quæ naturali debito agimus, cautelam in omnibus non tenemus, velut in cavernis obſcuris noſtræ impudentiæ noſter habitat inimicus, qui noſtræ regalitatis ehlamydem truncat, improperans & oſtendens, quod pejora facere poterat ſi Dominus permiſiſſet. Fuerunt veſtes legales, atque ſacerdotales, quas in manu Moyſi electo populo edixit omnipotens, ut legales ad doctrinam & agendam vitam, ſacerdotales ad medicinam & remedium referamus, quarum pertulit expoliationem, qui propter Jericho Jeruſalem animo & opere dereliquit. Et veſtis gratiæ, quæ dicitur novitas vitæ. Induite (inquit Apoſtolus) novum hominem, qui ſecundùm Deum creatus eſt. Et alibi induimini Dominum JEſum Chriſtum. Et iterum: Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Quam expoliatoribus expoſuit, qui vitam aſpiravit in veterem. Ecce ubique Jeruſalem & Jericho, ecce in omni homine Jeruſalem & Jericho. Ecce in paradiſo Jeruſalem & Jericho. Unquam & uſquam quouſque terminus mortis adveniat, habet quiſpiam à quo defluat, in quod effluat, quo ſe profluat.

Ibidem. Ibid. 39. 3 Reg. 24 Ephes. 4. Rom. 13. Galat. 3.

Cap. XXXIX.

Vulnera hominis deſcendentis in Jericho, id eſt, peccatoris.

SEd poſt perdita, quid accepit? plagas. Circumdatus ab inimicis neceſſariò accipit plagas, non protectus armatura materiæ durioris, & inviſibilia vulnera ſubitò penetrantia cor, in via voluntariæ averſionis à Deo accipiet inermis ſpiritualibus armis, quæ reliquit in Sion & Jeruſalem & templo extra muros perambulans, ubi ſunt monumenta juſtorum, ubi exiſtentes nunquam accepere, ſed ſemper adverſariis dedere conflictum. Sed quos imponunt? Immanes, quibus abſque impoſitis plagis exſpoliare non ſufficit. Inquit Eccleſiaſticus: Quaſi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, & plagæ illius non eſt ſanitas. Omnis iniquitas dupliciter nocet. Animam lædit & corpus, & in præſenti & in futuro ſævo telo cunſigit. Et hæc eſt rhomphæa bis acuta, & non eſt ſanitas, ſi ultima ſequatur infirmitas. Nam infernalem plagam quis curavit aliquando? Nam alia ſcriptura dicit: In inferno nulla eſt redemptio. Et Pſalmiſta dolens, ait: In inferno autem quis confitebitur tibi? Profectò illi laſſitudini nulla ſequitur requies. Cùm quis ergo plagatur, infirmus efficitur, & quantò magis invaleſcit infirmitas, tantò magis debilitas ſequitur. Verius enim in hoc ſpiritu, quàm in corpore agitur, ut peſſima fiat plaga peccati, quæ conſuetudine longa inſecit. Hinc Jeremias ait: Inſanabilis fractura tua, peſſima plaga tua. Quare inſanabilis fractura? Quia eſt peſſima plaga. Quare peſſima plaga? Quia conſuetudine longa induruit. Et ſapientia dicit: Languor prolixior gravat medicum, cùm tam citò non poſſit adhibere remedium. Sed nihil eſt, quod divina potentia omnino non ſanetur, ſi diſpoſitum ſanare diſponit. Et poſt plagam malæ conſuetudinis pejor plaga infligitur, ut etiam jaculo deſperationis plagatus vitiis iterum feriatur. Unde iterum Jeremias ait: Quare factus eſt dolor meus incurabilis, & plaga mea deſperabilis? Quia ſæpe fit, ut aſſuetus longo tempore vitiis, diſſuescere nolit, magis verò ſua exiſtimatione non poſſit. Exiſtimat impoſſibile poſſe mutare naturam, quam finxit aſſuetudo longæva. Et licèt ſit abſonum dicere, quod conſuetudo mutatione ſpecifica in ipſam vertatur naturam, ut fiat aut ſit conſuetudo natura, iſtud verò infallibiliter eſt expertum, quod conſuetudo firmata naturæ habet potentiam. Stabiliti & diutini atque longævi perverſi hominum mores intantum aſciſcuntur naturæ corruptæ, ut appropriatione typica & morali ad impoſſibile connectantur. Quod Jeremias expreſſit: Si poteſt mutare

Ecclı. 21. Pſalm. 6. Jerem. 30 Sap. 16. Jerem. 15 Ibidem.

mutare Æthiops pellem ſuam, & Pardus varietates ejus, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Meritò igitur deſperabilis eſt conſuetudinis plaga, ſi cui non poteſt adhiberi remedium, quamvis divina potentia omnibus poſſit eſſe ſubſidium. Sed plagæ quandoque innaſcuntur, de quibus iſte textus non loquitur, ſed de his, quæ per aliorum percuſſiones fiunt, quæ in triplici genere reperiuntur, de quibus Iſaias proloquitur: Vulnus & livor & plaga tumens non eſt circumligata nec curata medicamine, nec fota oleo. In percuſſionibus aſſolet evenire, ut quandoque vulnus, quandoque livor, quandoque plaga cauſetur. Vulnus eſt, cùm leviter aut fortiter cum vi aliquid corpori ſentienti configitur, aut infigitur, ut fractura in corpore pateat. Livor verò eſt ex percuſſione parva vel magna pallidum aut nigrum veſtigium, ut nec carnis fracturam, aut ſciſſuram oſtendat. Plagam verò vocamus, quæ aut ex percuſſione, aut alio caſu apertura lata & pervaga exiſtit in corpore, quæ aut dolore, aut ex deſperatione curandi patientem plerumque plangere cogat. Habes ergo in vulnere quodlibet peccatum apertum, habes in livore quodlibet malum occultum, habes in plaga tempus & numerum & quantum pervagatum periculum, ſed væ! ſi non circumligantur vinculis legis, væ! ſi non eurantur ex Sacramentis, væ! ſi non foventur oleo pietatis. Adhuc ô! malè peregre adverſus te verborum ſuſcipe jaeula. Fortè conquereris, quod Jeruſalem derelinquens ad Jericho pergens, nec perveniens tanta mala pertuleris. 3. Reg. 3. Novimus, referente Scriptura, per fidem, quod Semei ſententiam mortis accepit, qui contra inhibitionem Regis Salomonis egreſſus eſt Jeruſalem, ut meritò non evadat gladium ultionis, ſi quis effugerit civitatem tanti myſterii, atque pacis. Nec non ſub eadem fide prænovimus. Jeruſalem obſeſſam à Nabuchodonoſor Babylonis Rege, cujus manus volens effugere Rex Jeruſalem, nomine Sedecias, cum bellatoribus ſuis rupto muro fugiebat ad campeſtria ſolitudinis, ſed comprehenſus eſt à ſequentibus æmulis in planicie Jericho. Alia ſcriptura dicit, in campo Jerechontino, cum omnibus ſuis bellatoribus dilectis. Qui adductus coram Babylonis Rege, audivit judicium. Juſſi ſunt interfici duo filii ſui, ſcilicet Sedeciæ in conſpectu ejus, poſt quorum conſpectam mortem ad doloris augmentum, eruti ſunt duo oculi ejus, ſententia durante regali, vinctus

Iſaiæ 1.

3. Reg. 23

catenis ducitur in Babylonem. Ecce qui recedit de Jeruſalem, comprehenditur in latitudine lunatici atque deficientis mundi. Sed à quibus comprehenditur? A confuſis, & confuſionis notam omnibus facere ſatagentibus. Derelinquitur ab Angelis & Sanctis & operibus juſtis, ut bona, quæ pro ipſo ante fuerant, in neceſſitate juvare non valeant. Ante cujus conſpectum duo filii occiduntur. Intellectus verus & amor rectus extinctionis ſententiam ſuſcipiunt. Cæcantur oculi, contemplativi contuitus auferuntur, ne Domini bona videamus. Vinculamur catenis noſtrorum videlicet peccatorum, ut anulo malæ cogitationis addatur anulus delectationis, cui conjungatur anulus conſenſionis, cui jungatur anulus malæ operationis, cui nectatur anulus malæ conſuetudinis, cui pariletur anulus neceſſitatis, quem ſequatur anulus deſperationis & obſtinationis, & his vincti ducamur in Babylonem, in confuſionem turpantium & perditorum morum, & ibi finiatur vita omnium derelinquentium Jeroſolymam civitatem, non evertendam & deſtruendam ab æmulis, ſed fidelem & moralem ab Angelis cuſtoditam. Sed nec auditor horum ſermonum, aut tu malè peregre ſubticeris, ſcuto vitreæ excuſationis palliare te credens. En Jeruſalem fame aut violentia manum hoſtilem requirebat effugere, deſtruenda erat, & templum depopulandum, fugiendum igitur erat. Affirmo, ſi evaſiſſes, & ſi more humano loquar. Glorioſæ mortis nanciſcitur nomen, qui hoſtibus terga non dedit, & ſigno triumphali eſt adſcribendus poſt mortem, qui non fugiens, ſed pugnans moritur in civitate, & magis eligit probiter mori, quàm turpiter, ſi per fugam poſſet vivere poſt ruinam. Cautum fuit ſemper militibus probatis non dare hoſtibus terga, ſuſcipere in facie fævos ictus bellorum, ſcuto protegi, reddere percuſſionibus vicem, cedere neminì antè mortem. Proinde magis inſignitus characteribus ſupernæ militiæ, quem poſt corporis mortem æterna vita complectitur, debet potius mortis ſubire ſupplicium, quàm virtute relicta conſequi beneficium. Huic ſententiæ inferunt Martyres de facto concordiam, quibus, dum alterum duorum à perſecutoribus in optione daretur, ut aut ſufferant mortem, aut deſerant Chriſtum, atque virtutes, elegerunt ſanius omnes opprobria, atque mortis ſubire tormentum, quàm deſerere Dominum Chriſtum, & antequam virtutem, maluerunt perdere hu-

jus vitæ jucunditatem. Hoc enim totius Christianitatis est robur, facere de necessitate virtutem, & pœnalitates & verbera, contumelias & opprobria, vulnera sic & mortem in arma conflare virtutum, & de his scalam facere cœlos pertingentem. De his omnibus, qui turbant aut interimunt perfunctoriæ vitæ statum, Spiritus sanctus, qui omnium est artifex, novæ artis invisibilem dedit peritiam, ut faciamus spirituales machinas ad inferendam violentiam regno, quoniam regnum cœlorum vim patitur, & violenti scilicet, qui sibi ipsis privatis delectationibus, suspectis adversitatibus violentiam faciunt, rapiunt illud. Nam si vita durabilis non est in mundo, & hæc modica undique vallata doloribus, si vita ex omni parte inevitabiliter pœnalis est, in inferno sociata dæmonibus, si vita gratiosa & Deo placens, non est nisi in Sacramentis, mandatis & virtutibus, si beata vita non est nisi apud Deum, quam repromisit omnibus verè quærentibus, quid sit eligendum, tu ipse considera. Mori expediebat in pace juxta templum, juxta Sacerdotes & vates, juxta divina mysteria, pati oportebat omnia transitoria mala prope Stomiricam arcem. Hæc omnia conferunt ad superna. Et devitata indicibilibus malis adjiciunt animo & moribus fugientem, & a Jerusalem nostræ atque virtutis Christianæ descendentem in Jericho, exponunt spoliandum latronibus bonis naturalibus atque gratiæ, vulneran lum plagis innumeris, ut vix relinquatur semivivus malè peregre sic profectus. Ac hoc quod ex toto non moritur & non semimortuus, sed semivivus refertur, divina bonitate videamus in omnibus ante mortem tale beneficium, scilicet liberum arbitrium reservatum. Tremulat in his verbis noster animus & confidit, tremulat, cùm ignorat, & contrarium aspicit, confidit, quia sic scriptum legit, & credit. Dicam apertius, ut pateat clarius. Omne peccatum mortale ideo mortale dicitur, pru eo, quòd animæ infert mortem, & dispunit iterum ad aliam mortem. Sed quænam est ista mors, cùm in gloria sive in pœna crudeli anima semper vivat, nec aliquod vitium ejus potest annullare naturam? Et quamvis omne vitium hoc habeat proprium, quod minuat aut torqueat aut destruat, quod est bonum, quod sibi ad invadendum aut in ipso insurgendum fuerit ab omnium gubernatore commissum, quamvis ad summum bonum nullum possit appropinquare vitium, nec in illo ex illo insurgere si quid est illud, quod nomen defectus jure sortitur, non tamen potest naturæ bonum in anima existens extinguere, quamvis graviter possit alia, si qua bona sibi competentia in ipsa non extra ipsam minuere, atque destruere, imo ut nec ipsa percipiat impedire. Quæ igitur erit ista mors, quam dicimus inferre mortale peccatum, aut disponi per eum? Deus est tota vita & omnium viventium, mortale verò peccatum dividit inter nos & Deum, quod Isaias dicit: Nonne iniquitates nostræ diviserunt inter nos & Deum nostrum? Igitur anima natura vivens à tota vita, quæ Deus est, per peccatum divisa patitur quandam mortem, & si peccati paries non auferatur de medio, per mortem corporis trahetur in mortem æternæ damnationis, semper manente vita naturæ, quia creata est immortalis in sua natura, ut nullo contrario possit vita privari. Et damnationis æternæ mors talis esse asseritur, ut anima, quæ ipsam patitur, potius vellet naturam habere mortalem & passibilem à pœna vita privari, quàm pœnaliter vivere in æternum. Peccatum ergo mortale unam mortem irrogat, scilicet divisionis, ad aliam disponit per corporis mortis medium, scilicet damnationis. Et tota mortua est anima, quæ à tota vita, quæ est Deus, per peccatum divortium fecit. Quid ergo est, quod peccator relinquitur semivivus, cùm ex peccato mortali totus sit mortuus? Hoc est, in quo animus noster tremulat, cùm ista qualiter fiant penitus non cognoscat, & mortem hujusmodi irrogari intellectu fideli conspiciat. Quid ergo dicemus? Incurrimus disputationis voraginem. Unde egrediemur ad lucem? Nemo velit clarescere, ut de originali peccato aut veniali hunc velit esse sermonem. Nam originale peccatum excluditur ab hujus disputationis articulo. De actualibus, de contractis garrulat noster sermo, nec de veniali solvetur, quod videtur implicitum. Nam si omnia venialia suam speciem non mutantia conflarentur in unum, mortem divisionis aut damnationis nequirent inferre. Inquies fortè: Semivivus est, ergo non intulerunt peccata venialia mortem. Adverte quid dicis: Ubi unius totius medietas tantum adscribitur vitæ, aliam sive reliquam morti patet subjectam, quod de jure peccati mortalis est, non de potentia venialis, subjicere morti, qua relinquitur à Deo, qui totalis est vita. Quare non semimortuus, sed semivivus narratur? ut quicquid est, potius denominatur ab eo bono, quod retinet, non ab

Isaiæ 69.

eo

eó malo, quo privatur & bonum. Sed ad disputationis voraginem revertamur. Unde ista semivita? A natura immortali, quam extinguere non potest vitium. Unde natura? est à Deo, & huic naturæ liberum arbitrium inauferibile concessit omnipotens, quo se posset avertere, & convertere, & recedere, atque redire, usquequo confirmatio in pœna, seu in gloria subsequatur. Et intantum quis per peccatum mortale mortuus & à Deo vita divisus, dicitur semivivus, pro eo, quod ante corporis mortem aut mentis alienationem liberum arbitrium sibi relinquitur, quo per gratiam Dei adjutus, à peccato, quo tenebatur, possit recedere, reassumere virtutes, & ad Deum, quem deseruerat, & à quo aversus, possit redire; diligere atque adhærere, recipere adoptionem filiorum Dei, qui, ut essent filii, potestarem à Domino per fidem acceperunt. Vide igitur quantæ virtutis est liberum arbitrium, ut contraria omnia possibilia mala, inferentia mortem, sibi semivitam retineat, quod si per gratiam adjuvatur, ab anima illatam mortem omnino repellat. Vidimus periculum, remedium breviter videamus. Ut semivivus ad totam redeat vitam, voluntas propria non sufficit. Et virtus non est in eo, qui à Deo aversus est. Incipit esse, cùm vult redire, nam hoc velle utique una virtus est. Jacebat iste plagatus, invisibiliter jacet vulneratus peccator. Vellet tesurgere, non habet cui porrigat manum, affectat sibi mederi, sed non est Medicus virtutis in regione peccati. Non Inveniuntur, quæ conferunt sanitati, ubi factus est recessus à Deo, ergo quomodo agitur cura? Non à te incipit, qui vulnera pateris. Immobilis es, diriguisti ut lapis ex te, sed appropiavit tibi custos hominum, cui tu appropiare non poteras. Recitat enim Evangelista utrumque processum, periculi atque remedii. *Samaritanus autem*
Lucæ 10. *quidam iter faciens venit secus eum, & videns eum misericordia motus est, & appropians alligavit vulnera ejus, infundens oleum & vinum. Et ponens illum in jumentum suum duxit in stabulum, & curam ejus egit.* Samaritanus custos est omnium entium,
Gen. 15. qui Abrahæ dixit: Ero custos tuus quo-
Psal. 110. cunque perrexeris. Qui custodit introitum, & exitum nostrum. Si custos, cur nun præservavit, aut custodivit à peccato? Custodisset, si non obstitisses, neeessariò & vi non custodit, cùm liberum arbitrium dedisset tunc invanum. Sed custodit Dominus omnes diligentes se.
Psal. 145. Ecce venit custos ad requirendum non custoditum. Quidam est singularis, quidam est, qui descendit & in pericula incidit, quidam est, qui venit, quidam est quidam. Quidam venitad quemdam. Quidam videlicet innominabilis præ multitudine iniquitatis & vilitatis. Quidam innominabilis præ altitudine majestatis. Quidam justus, quidam iniquus, quidam totus sanus, quidam plagatus, quidam vestitus gratia, quidam exspoliatus, quidam vera & tota vita, quidam semimortuus, quidam existens Deus, quidam homo luteus, quidam supernus Dominus, quidam malus servus substratus, quidam redemptor Christus, quidam homo damnatus, quidam regens Angelos, quidam latronibus datus, quidam nullo indigens, quidam egens natus. Sed quæ istorum conventio? Quæ conventio lucis ad tenebras, quæ conventio Christi ad Belial? Quare quidam tam altus, quidam tam imus infimul convenerunt? Hoc fecit bonitas alti, quod iniquitas non metebatur imi. Excelsus Dominus humilia dejecta respicit, suscitans de terra iniquitatis in virtute inopem, & de stercore peccatorum erigens pauperem. Venit ergo reformator imaginis ad imaginem deformatam. Venit ergo Filius hominis quærere & salvum facere, quod perierat. Sed quomodo venit faciens iter? Semper itinerat Salvator, semper in peregrinationibus est, per civitates, per plateas & vicos, per vias & sepes, per latibula & patula graditur, ut inveniat, qui eum invenire non possunt. Suæ bonitatis est, quod nos invenit, non nostræ virtutis. Sed ubi invenit peccatores? In terra deserta à virtute, in loco horroris à prædominante iniquitate, & vastæ solitudinis à malè agendi libertate. Sed quo venit? *Secus eum.* Juxta est Dominus his, qui tribulati sunt corde, & humiles spiritu salvabit. Non veniret secus, nisi prius esset spiritus contribulatus. Et prope est Dominus invocantibus eum in veritate. Non venit secus, nisi veraciter invocatus. Et prope est timentes salutare ipsius. Non venit secus, cui non est timor ejus. Non autem otiosè venit secus eum, sed voluit videre eum. Sed si Salvator cognoscit figmentum nostrum, scit etiam, quod pulvis sumus, quid est, & videns eum? In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos. Considerat enim Salvator multitudinem peccatorum, & quanto affectu in ipsa delapsi sumus, considerat immanitatem sceleris, & temporis diuturnitatem, observat scelerum novitatem, adinventiones in malis, assuefactionem & occasionem, fragilitatem

tem & potentiam, ignorantiam & ſcientiam reſiſtendi occulto intuitu. Malitiam ponderavit cadendi, & malorum turpitudinem annotavit, ſi doler, ſi ſaturatus eſt inferis, ſi pœnitet, ſi proponit rebellare peccatis, ſi placet eradicans manus, ſi vult alligari, ne ultra ſit malè peregre, ſi raſoria, ſi ignes, ſi deciſiones putridorum, ſi emplaſtra, ſi cataplaſmata, ſi omnia inſtrumenta, ſi omnem artis ſpiritualis medicinæ peritiam patienter ſuſcipere paratus eſt, & hoc eſt videns eum. Novit enim infallibiliter Salvator omnium Deus diſpoſitionem, velle, patientiam, aptitudines, contritionem, dolorem, pœnitentiam omnium peccatorum, & melius novit ipſe occulta noſtra, quàm nos manifeſta noſtra. *Et miſericordia motus.* Quare motus miſericordia? quia miſericors eſt & præſtabilis ſuper mala noſtra, & propitius ſit omnibus peccatis noſtris, ſanare volens omnes infirmitates noſtras. Et miſericordiæ ejus eſt, quòd non ſumus conſumpti, quia nunquam deficiunt miſerationes ejus.

Pſal. 32. Et miſericordia Domini plena eſt terra, miſerator & miſericors Dominus longanimis verè. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſeretur Dominus converſis peccatoribus, quoniam ipſe cognovit, quia fecit figmentum fragilitatis noſtræ. Quomodo miſericordia motus? Semper enim miſericors eſt, de novo ſibi miſericordia non accedit. Quomodo ergo motus? Quia, cùm peccator in animo ſuo per pœnitentiam eſt motus, apparet in miſericordia per indulgentiam motus magnus.

Malach. 3 Immutabilis enim eſt, & Propheta dicit: Ego Deus & non mutor. In creatura tamen ſine mutatione mutabilia ſemper facit: Videns igitur ſupernaturalis curator malorum iſta in mente plagati, nec enim aliter acceſſiſſet, non dedignatus naturæ conditæ bonum propter ingreſſum vitium, acceſſit propius, ut etiam tangere dignaretur. Inviſibilis enim eſt manus, quæ peccatoris animam tangit, lenit leniter manus vulnera tangens. Medici manus, ſi tangit, abſtergere vult, & medicinæ ſolamine conſolidat vulnus Medici manus. Abſtergit Deus ſua inviſibili manu noſtrorum malorum feces. Conſolatur, & fit propitius peccatis noſtris, quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, nec odire poteſt, quod per dilectionem creavit. Removere vult turpitudinem ſuperinductam in pulchritudine bona, repellere vult vitium à natura bona, ſatagit alligare legibus moribus diſſolutum, qui ſolutus à lege malè ceſſit in peregre, ideo appropians alligavit vulnera ejus. Modus eſt loquendi. Inalligabilia ſunt vulnera, privationes ſunt conjunctorum, ut oculorum cæcitas, ſed diviſam carnem ſecatam in partes, conſtrinxit. Malefactor in ſeipſo diſcors factus eſt. In ſe verò diſcors, nemini virtute unitur. Reunitus eſt diviſus, & ſectus in partes recompaginatus eſt. Alligavit eum ne iterum diſſolvatur. Alligavit non faſciolis & inſtitis, à quibus Dominus juſſit reſuſcitatum Lazarum ſolvi, ſed divinis legibus & mandatis, à quibus ſolutus erat, & agebatur in malum, & ſemper pergebat in præceps. De quibus mandatis & ligatione Proverbiator dicit: Conſerva fili mi &c. Infrunitè incedens, pericula quæque captabat. Et irretinatè incedentem invenerunt undique mala. Alligavit eum legibus amoris & collatorum bonorum, quorum immemor factus non rependerat vicem. Infundit oleum & vinum. Oleum lætitia eſt. Pſalmiſta dicit: Unxit te Deus oleo lætitiæ. Et vinum lætitia eſt. Idem Pſalmiſta dicit: Vinum lætificat cor hominis. Ac per hoc duplici lætitia reconverſus peccator perfunditur, quia evaſit infernum, & regni ſuperni accepit promiſſionem aut peccatorum evaſit tenebras, & vidit juſtitiæ lumen. Oleum contemplationem ſupernorum, ſupernatat enim omnibus liquoribus oleum, vinum verò actionem rigidam bonorum morum dicit, quibus oportet inſiſtere pœnitentem. Oleum miſericordiam, vinum juſtitiam, his ſtipatus incepit liberatus à malo. Oleum veritatis lumen, fomentum eſt luminis oleum, vinum verò ſpiritus ebrietatem atque fervorem. Expedit in lumine ambulare, & non tepidè aut verecundè agere curatum à manu ſuperna, cui non erat auxilium ab humana. Et impoſuit ſuper jumentum ſuum, ipſe autem eſt jumentum & onerans. Prædixerat de ipſo Pſalmiſta: Ut jumentum factus ſum apud te. Et Iſaias: Et Dominus poſuit in eo iniquitates omnium noſtrorum. Duxit in ſtabulum. Alicui vult Deus ſcienti dirigere, ſubditum fieri delinquentem. Et curam egit, ut ſanaretur, ut poſtmodum diceret: Sana me Domine & ſanabor, ſalvum me fac & ſalvus ero, quoniam ſalus mea tu es. Vides enim nil legitur dixiſſe aut feciſſe plagatus, ſed omnia ipſo tacente cuſtos hominum fecit.

Prov. 6.

Pſal. 44.

Pſal. 103

Pſal. 72.
Iſaiæ 53.
Jerem. 17

Cap. XL.

De filio prodigo, id eſt, peccatore revertente.

COnſocia ſimilitudine adhuc alium malè peregre videamus, & quibus modis ſit reverſus ad patriam. Formoſiſſima Evangelii parabola de filio adoleſcentiori, qui receſſit portionatus à patre fratre remanente majore. Quæ quamvis populum Judaicum & gentilem in allegoria demonſtret, moralitatem, quam de Spiritus ſancti licentia intendimus, non excludit. Igitur hic vide proceſſum alterius malè peregre. *Adoleſcentior filius voluit portionem à patre, & accepit. Congregavit illam, peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipavit ſubſtantiam ſuam, vivendo luxuriosè. Poſt conſumptionem paſſus eſt famem & adhæſit civi cuidam regionis illius, & miſſus eſt in villam, & paſcebat porcos, & cupiebat ſaturari de porcorum ſiliquis, nec dabantur ſibi.* Non excuſat adoleſcentia, quem accuſat ſcientia. Non excuſat tenera ætas, cui libertas inſiſtit arbitrii. Non excuſat juventus, cui præſto eſt electiva voluntas. Non excuſat impubertas, qui ſe novit ſecerni à patre. Non excuſat error eum, qui novit in patrem ſecedere. Non excuſat levitas animi eum, qui novit proprium à communi. Non excuſat fervidus ſanguis, qui ſuperiorem habere noluit, atque collegam. Nihil eſt, quod excuſet propria poteſtate delectatum, ſub paternis legibus vivere recuſantem. Nulla excuſat ignorantia, qui novit quod agit, nulla fragilitas, qui ſibi ſufficere credit. Spiritualiter atque moraliter militant iſta, quæ dicimus. *Dixit adoleſcentior patri: Da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ me contingit.* Invidet antiquus hoſtis adoleſcentiæ hominum, quam affectat maculare delictis. Novit enim, quod ſcribitur in ſermonibus ſanctis: Adoleſcens juxta viam ſuam graditur, & cùm ſenuerit, non recedet ab ea. Tenera enim ætas citò qualificabitur, ſed tardè recedit qualitas in juventute firmata. Nova veges retinet ſaporem & odorem, quo primò fuerit imbuta, & teſta recens hoc idem facit. Plicationes ineptæ caventur in his rebus, quæ primò aptantur ad aliquid, nam difficile eſt in aliam relabi partem. Virgulta & arbuſta dum tenera ſunt, faciliter torquentur in circulos, deſiccata verò ad rectitudinẽ nulla facultas flectit, frangerentur enim, antequam redirent in priſtinum ſtatum. Studium enim dæmonis eſt, obſervare homines uſquequo capaces ſint perrationem boni & mali, & ſemper nituntur trahere in partem regni ſui, ut ſub armis iniquitatis aſſueſcant, & fiant contra juſtitiam ſtrenui bellatores: Ignefacta juventus illecebris carnis, uſque ad humationem vicinam ardebit. In ſcholis diabolicis educatus, doctrinam honeſtam appellabat inſaniam. Adoleſcens nutritus inter mamillas meretricis, abſinthium dixit omnem virtutem. Placent Deo virilia opera, ideo Satan eos avertit. Continet una veges vinum clarum & feces. Qualificatus vitiis adoleſcens vinum claræ juventutis propinavit dæmoni, Deo autem ſeniles reſervavit & feces. Redolentem & rubentem roſam portavit in manibus, & olfecit ſedulò, putridam verò applicavit naribus Chriſti. Propterea Salomon dicit: Ab adoleſcentia tua addiſce ſapientiam fili mi, & uſque ad canos invenies eam. Sapientiam illam dixit, quæ novit placere omnium Regi Regum, qua qui ab adoleſcentia factus diſcipulus, pudorem dicit addiſcere. Sed videamus, quid adoleſcentior iſte velit. Portionem ſubſtantiæ, quæ eum contingebat. Quicquid Deus creavit, eſt patrimonium hominum, non propter ſe, ſed propter nos cuncta creavit, omniáque poſuit in communi, cœlum, ſtellas, lucem, ignem, aërem, aquàm, terram, eorúmque effectus. Hoc ſolùm dedit hominibus proprium, perſonam & liberum arbitrium, ut nullus eſſet eſſentialiter perſona alterius, aut vellet per voluntatem alicujus alterius, ſi ſe accommodare poſſet in ordine obſequendi, ut noverit competere de lege naturæ. Cæteras autem rerum quarumlibet proprias qualitates omnibus voluit eſſe communes, ut quod eſt omnium, ſingulariter participarent ſinguli, quantum concepit ordo juſtitiæ atque naturæ. Quid eſt, quod homo petit in divino patrimonio portionem, quod novit eſſe commune? Altè ſe judicat dignum, qui à communi elicit proprium. Nolebat iſte ſuperiorem, nam diſponebat receſſum à patre, nolebat collegam, divortium quærebat à fratre. Vide igitur malè agentis initium, qui non vult vivere ſub lege Creatoris. Collegam non patitur in vita, conſortem renuit in natura, vult portionem, qui cum Deo Chriſto & Sanctis non vult vitam habere communem. Sed quæ eſt iſta portio? Sibi vivere, ſibi complacere, ſibi eſſe omne quod eſt, in bonis Domini habere nullum ſuperiorem aut æqualem, ſua lege omnia ordinare, omnibus utique communi æra-

Luc. 15.

Eccle. 6.

Eccle. 22.

rio ac patrimonio Domini accipere poteſt in partem, ut etiam ſemetipſum in hanc computet portionem. Sed non erat iſta utilis portio ejus, ſed quam dicebat David: Portio mea Domine dixi cuſtodire
Pſal. 118. legem tuam. Iſta debet eſſe omnium portio, legem Altiſſimi cuſtodire. Debet eſſe portio projectorum hominum in hanc umbraticam vitam, in æternam ingredi non portionatam. Hoc dicebat David: Por-
Pſal. 141. tio mea Domine ſit in terra viventium, ubi ſic vivitur, quòd nullus moritur, non in hac vita, ubi nullus ita naſcitur, quòd non moriatur. Cognoſcebat David omniũ Dominum omnibus poſſe fieri partem. Eſt enim Deus omnia in omnibus, & totum in communi, & pars in ſpeciali, ſecundùm exigentiam meritorum in ſingu-
Pſal. 15. lis. Propterea dicebat: Dominus pars hæreditatis meæ. Et alibi: Pars mea Deus in
Pſal. 72. æternum. Et Jeremias: Pars mea Domi-
Treu. 3. nus, dixit anima mea. Devius enim qui eſt, Dominum non poteſt habere partem, quod in hac vita propriam vult portionem. Sed quoniam culpa pœnam habet annexam, vide partem illorum, qui propriam volunt portionem. Inquit David: Ignis, ſulphur, ſpiritus procellarum pars calicis
Job. 24. eorum. Job etiam dicit: Maledicta ſit pars ejus in terra. Caret omnino de charitate, qui portionem quærit. Ipſa enim charitas non commune in proprium, ſed proprium in commune deducit. Et David
Pſal. 111. dicit de viro juſto, quod diſperſit, dedit pauperibus, non congregavit ſibi ut proprietarius. Et accepit adoleſcens devius portionem. Dedit enim Deus hominibus arbitrii libertatem. Non cogebatur à patre petere aut accipere portionem, ſcilicet quòd vivimus, quòd ſumus, quòd intelligimus, quòd ſapimus, quòd ſentimus, quòd movemur animo, affectu & corpore, quòd extra nos propter nos accepimus, quòd in noſtra poteſtate, libertate, regulatione viveremus, ſed cum Deo ſubditi Deo, adjuti à Deo, regulati à Deo viveremus. Congregavit illam devius adoleſcens. Congregat ſemetipſum ſibi peccator & omnia extra ſe ſibi coacervat in damnum, & ſe & ſua ſecernit ab aliis. Congregavit omnia, ut fortior eſſet ad malum. Experientia docet, quod aggregata fortiora ſint ex alterutris. Vult nempe pronus ad malum, ut omnia reſpondeant ad votum, & cum vocat eas, adſumus ecce dicant depravatæ hominum mentes, & quæſitum placitum vult, quod adſiſtat ad votum. *Et peregre profectus eſt.* Ecce habes alium malum peregre. Ille receſſit à Jeruſalem, iſte diſceſſit à patre, ille Jericho, iſte regionem longinquam. Sed dimittamus malè peregre concentum, mores reprobos videamus. Malè peregre vadit in peregre. Semper eſt in peregre, qui receſſit à Deo, & cum Sanctis divortium habet, cum quibus noſtra debet eſſe civilitas, atque cum Deo debemus eſſe domeſtici. Secundùm noſtram hanc ſententiam Apoſtolus Epheſios alloquitur, dicens: Non eſtis hoſpites & advenæ, ſed Epheſ. 2.
eſtis cives Sanctorum & domeſtici Dei. Ad eſſe & ad fieri verba iſta ſe habent. Ad eſſe per fidem, ad fieri per mores, ut non malè peregre ſimus, ſed per debitos mores cives Sanctorum & domeſtici Dei permaneamus. Sed quo peregrinatus eſt? *In regionem longinquam.* Ecce ſi voluiſſet, potuiſſet prope manere animo & moribus, eſt propria poteſtate ſegregatus à Deo. Regio autem longinqua non ſtadiis, non dietis, non intervallis, non interjecto mari, non interpoſitis montibus, aut planitiis eſt, ſed regio eſt umbræ mortis, regio egeſtatis, regio diſſimilitudinis. Non quæ- Jerem. 33
rantur localia ſpatia pro regione longinqua. Dicit enim Scriptura: Cœlum & terram ego impleo. Nec inter bonos & malos pro ſecretione ſtandum eſt ſpatiis. Ecce in una civitate Judæus & Chriſtianus, fidelis & paganus, in una domo bonus & iniquus eſt, in una menſa, in una camera, imò ſæpe contingit in uno lecto. Sed diſſimilitudo regionis fecit longinquitatem regionis, diſſimilitudo legum, diſſimilitudo cultûs, diſſimilitudo morum atque vitiorum. Diſſimilitudo verò iſta non ex coloribus eſt, nec ex his, quæ oculis ſubjacent, non ex ſonis, non ex odoribus, non ex ſaporibus, non ex tangibilibus, non ex quantis, aut communiter accidentibus, ſed inviſibilis eſt, verumtamen inviſibiles actus habens diſſimiles, prout à diſſimilibus affectibus aut intellectibus ipſi procedunt. Statuamus igitur duas inviſibiles regiones, unam bonam, alteram malam, diſſimilitudinem omnem habentes, & duos homines in actus omnino diſſimiles exeuntes, ſed intantum ſimiles, inquantum regina tenebroſa hypocriſis ingrederetur in alteram regionem. Habet enim iſta in ſimilitudinem bonorum adducere actus ſuos, ab intus iniquitate regnante. Una eſt regio virtutis, altera vitii, una pacis, altera diſcordiæ, una lucis, altera tenebrarum, una ſub divinis legibus vivit, altera in propriis directionibus regnat. Una proximum diligit ut ſeipſum, altera contempto proximo ſolùm diligit ſeipſum. Una præfert communia propriis, altera propria communibus anteponit. Una vacat laudibus Dei, altera delectationibus mundi. Una in ſuis interioribus habet gau-

gaudium, altera ſemper quærit ab extra ſolatium. Una temporaliter gemit, ne in æternum lugeat, altera temporaliter plaudit, ut in æternum plangat. Una in abſtinentia degit, altera ventri ſervit. Et ut perſtringam, una omnibus virtutibus ſtudet, altera vitus omnibus ſe commendat, ad quam malè peregre ſeceſſit in peregre. Longinqua eſt iſta regio à regione virtutum, quia hic diabolus, ibi verò regnat Altiſſimus. Sed de recedentibus ab omnium conditore David dicit: A lege autem tua longè facti ſunt, ut non tuis, ſed ſuis legibus viverent. Sed Attende pauliſper. Longè à peccatoribus ſalus. Quare? Quia juſtificationes tuas non exquiſierunt. Sitiunt in terra longinqua, in quam abierunt. Iterum Scriptura dicit: Domine, omnes qui elongant ſe à te, peribunt. Quare? Quia perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te. Vide Altiſſimi Dei noſtri juſtiſſimam retributionem, ut qui longè receſſit à Deo, longè ſit à ſalute, quia in eo ſolummodo ſalus. Et meritò pereunt, qui elongantur à vita, quia, qui noluit benedictionem, elongabitur à Deo. Non vult benedictionem filiorum, qui recedit à patre. Nec benedictionem omnium humilium animarum atque dextralium, qui ad vitiorum ſiniſtram cum hœdis laſcivis acceſſit, ſed induit maledictionem ſicut veſtimentum. Sed ô! malè peregre fili, quare receſſiſti à Patre? O anima depravata, quare te elongaſti à Deo? Audite Domini diſceptationem per Jeremiam cum populo ſuo. Hæc dicit Dominus: Quid invenerunt patres veſtri in me iniquitatis, quia elongaverunt à me, & ambulaverunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt? Igitur quid iniquitatis habet Altiſſimus, cùm nemo ſit bonus, niſi ſolus Deus? Eſt ne ipſe invidus? neque æqualem, neque ſuperiorem habet, ad quos ſolet eſſe invidia. Eſt ne ſuperbus? Omnibus dominatur, volentibus & nolentibus. Et ipſe creavit, quibus dominaretur, non ad ſui magnificentiam, ſed ad noſtram futuram gloriam. Eſt ne avarus aut parcus? Omnia poſſidet, & nihil ſibi minuitur, cùm largitur. Eſtne iracundus? Nullæ paſſiones Deitatem attingunt. Eſtne maculatus? Incorporeus eſt & incontaminabilis. Dicent fortè: Punit, flagellat. Et hoc ut non diſcedas ab eo, aut ſi receſſiſti, redeas ad eum, ſine quo nunquam & nuſquam tibi bene, ſemper & ubique tibi malè ſuccedit. Quare te longè feciſti à Deo, quare ambulas poſt vanitatem? ut vanus efficereris. Vacuum eſt, quod vanum eſt. Vacuus eſt, qui non ſatiatur aut repletur pacifice, niſi Deo. Diſſipavit ſubſtantiam ſuam. Meritò conquerebatur David: Tempus faciendi Domine, diſſipaverunt iniqui legem tuam. Modus eſt loquendi. Lex Dei diſſipari non poteſt, ſed cum per iniqua opera ei reſiſtitur, non lex, ſed mores, quos præcipit, diſſipantur. Sed quæ major eſt iniquitas, quam, cùm lex, quæ debet fieri, diſſipatur? Adoleſcens erat iſte, adoleſcens & tu. Tempus adoleſcentiæ, tempus eſt faciendi. Diſſipavit iſte omnem ſubſtantiam ſuam, diſſipas tu Domini bona. O utinam vox mea in auribus omnium juvenum reſonaret, non mea tantùm, ſed David, & intellectu & affectu perciperent, quoniam tempus eorum tempus eſt perficiendi, in quo ipſi diſſipant legem Dei. Enutriti in delicis, philocapſi umbroſis atque limoſis amoribus, inebriati vino luxuriæ, omnem in ſuis corporibus turpitudinem exercentes, intendentes ſuavitatibus, guloſitati operam dantes, infruniti omni vanitati ſubjicientes corpora Chriſtiana, membra redempta Chriſti ſanguine, abjecta verecundiæ lege, ut ille dicatur probior, qui audacior fuerit ad malum, & ille majori laude funeſta ſe ſublevat, quo in plura mala delapſus, aut quo minus defuit potentia peragendi. Sed tempus eſt fugiendi, quo te mundus amœnus inſequitur. Tempus eſt reſiſtendi, quo te mala occupare concertant. Tempus eſt abſtinendi, quo in te furibundus eſt ſanguis. Tempus eſt diſciplinæ, cùm virilitas corporis in libidinem ſpumat. Tempus eſt cautelæ, cùm te illicit morbida caro, cùm tibi arridet venuſtus aſpectus, cùm petulans oculus nutibus tecum ludit. Tempus eſt prudentiæ, cùm prudentiſſimus inimicus atque inviſibilis tendicula parat, abſcondit in omnibus pedicam, & infra tui corporis domum, occultam habet decipulam. Tempus eſt temperantiæ, cùm te plscita multa quærunt. Tempus eſt fortitudinis, cùm non ceſſat congreſſus. Tempus eſt juſtitiæ, cùm ſervire potes amato. Tempus eſt doctrinæ, cùm diſcere ſanè vales. Tempus eſt orandi, cùm lingua non errat, cùm genua flectere atque viriliter erigere potes. Tempus eſt agendi, cùm aſſiſtat potentia clara. Hæc omnis ſenectutem effugiunt, ut chronica experientia monſtrat. Eorum tempus eſt quieſcendi, conſulendi atque meditandi. Confecta ſenio membra fortitudo relinquit, pallentem aſpectum rubicundus aſpectus non appetit. In rugata facie protenſa non delectatur. Caput canum capilli flavi devitant. Veteranos militando prohibet imperialis majeſtas. Princeps hujus mundi diabolus non nimis curat ſenes, quos ſcit contra Deum in ſuis caſtris diu militare

Pſal. 118. Pſal. 118. Jerem. 2. Pſal. 72. Jerem. 2.

non posse, nec scit fortis esse membra, quæ posset plenè in arma iniquitatis convertere. Non tamen intermittit hostis antiquus, quoniam senes quos potest, teneat avaritia ligatos, aut obstinatos mente pro moribus, in quibus in juventute habuit strenuos bellatores. Igitur ô juvenes! tempus vestrum tempus est faciendi. Non ergo pravis moribus dissipetis legem Dei, quia in cujus corde lex Dei est, non supplantabuntur in æternum gressus ejus. Sed quomodo dissipavit substantiam suam? Ut frater ejus improperat: *cum meretricibus vivendo luxuriosè.* Ad literam multotiens sic in rebus temporalibus agitur, & si allegoricè ista tractarem, alius esset sensus. Sed quæ sunt istæ meretrices, cum quibus se homo contaminat, & membra Christi facit membra meretricis? Si de carnali conjunctione agitur, corporum notus est sermo. Sed aliæ meretrices sunt, quæ mercedem accipiunt, nam à merendo sic appellatæ sunt, quæ omnem nostram substantiam à Deo nobis datam exhauriunt, & de nostris marsupiis numos extrahunt, quos accepimus ad peragendum iter in cœlum. Sed alius malè peregre incidit in latrones, ille in meretrices, quæ sunt secundùm subtiliorem sententiam, scientiæ sæculares, scientiæ philosophicæ, quæ ipsarum amœnitate mulcentes animum, multos deviare fecerunt à tramite veritatis, & inter mammillas syllogisticæ formæ naturalis doctrinæ, quæ videntur lac propinare dulcedinis, retinuerunt multos suis constrictos amplexibus, ut divina mysteria in opere creationis, atque nostræ redemptionis acta non crederent, aut de ipsis minus, quàm devotè sentirent. Et non solùm extra Christianam religionem, sed in ipsa plures Mathematici sunt reperti, qui rationalem creaturam arbitrio liberam, propter quam facta sunt astra, voluerunt astrorum legibus necessariò mancipare, ut hominum varietas, & morum diversitas, quæ divinæ providentiæ nobis incognita lege peragitur, ac etiam liberi arbitrii voluntate perficitur, necessariò sit ex astris, & sub fatalibus regulis dicunt omnia fieri, nihil divinæ voluntati reservantes, atque hominum liberæ rationi. Sunt meretrices hæreticæ sententiæ, quæ tanta illectione pollere videntur, ut ab ea veritate avertant animum, quæ rationibus redditis non percipitur. Sunt meretrices hominum blandimenta, & mundi oblectamenta tristia suavia præstant. Et velut Judas osculo tradidit Christum, sic mundus suo osculo dæmonibus tradidit Christianum, in tantum dicens: quemcunque osculavero, ipse est vester, tenete eum. Et meretrix magna ipsa sensualitas, cùm qua ferè fornicantur carentes, aut dignitate fulgentes. Sed vide, quid Scriptura sacra contra hujuscemodi meretriceos actus differat. Prohibebatur in veteri testamento, ne aliquis Sacerdos duceret scortum in uxorem, & summus Sacerdos similiter prohibebatur, sed virginem de populo suo. Christianus sum, in fide loquor, à Spiritu sancto accepta licentia, qui docet omnem veritatem literalem, allegoricam & moralem, dico neque summum Pontificem, neque cæteros debere dare operam Philosophiæ, aut artibus. Neminem ex eis vidi, aut audivi aliquando ad fidem conversum. Ecclesiam Dei non vidi ex hoc in aliquo tutam, & quo magis per rationes naturales se vellet tueri, aut quempiam provocare ad fidem, eo amplius minueretur fidei fortitudo. Legi historias ab initiante Christo Ecclesiam, quot & quot legere potui, legi Conciliorum acta, & legi adesse Philosophos, legi passiones cerratorum & certantium pro fide in tormentis, pœnis, exiliis, per sanguinem & mortem, & non reperi repugnasse adversarios per Philosophicas rationes, non comperi adduxisse aliquem ad fidem per syllogismos & quæstiones. Legi disputantes Doctores, Confessores, Cœnobitas, Anachoretas, & nihil in eis pro eis, & pro aliis utile reperitur per inanem Philosophiam. Imò quotquot ista scientia fuerint imbuti, Christianitatis titulum cognoscentes, libellum huic meretrici dedère repudii, accipientes uxorem virginem de populo sancto Dei, scilicet fidelem, scientiam non corruptam sophismatibus atque garrulitatibus dialecticorum, non astralibus decretis infectam, non contentionibus servientem, de creatione mundi, de potentia Dei, de sapientia Dei, de bonitate Dei, de providentia Dei, etiam usque ad minima nostra, contra eos Philosophos, qui intellectum dicunt divinum vilescere, si hæc minima provideret, sed omnia humiliter adorantem & venerantem. Populus enim Dei populus est virtutum, de quo accipienda est Sacerdoti uxor. Sed meretrix hiericontina secessit in populum Dei, & facta est uxor unius Principis tribunalis, sed non jam meretrix scientia illa, sed tota coaptata virtuti, tota conversa in populum virtuosum, ut etiam filios generet in spirituali genealogia Salvatoris. Nec pro tanto dicimus legitimo Christiano debere dare operam hujus-

Matth. 26

Josue 6.

hujuſcemodi ſcientiis, ſi non dedit, gentilium enim ſunt, non Chriſtianorum, ſed, ſi ſcivit ad ſanctitatem & virtutem convertere, ſi qua novit. Fortè in his, quæ dicturus advenio, aut in turbationem, aut ad admirationem legentem inducam. Juvenis fui aliquali dotatus ingenio, intendebam his ſcientiis ſicut coætanei mei, credens ex his placere Altiſſimo, atque ſic debere perfecta vita peragi. Cùm verò omnes collegas meos viderem in hanc tenebroſam voraginem proſilire, accidit quodam die in meis teneris annis, me ferente omnes ferè libros naturales ſub chlamyde, ut ſumma diligentia repeterem, quæ audieram à doctore, & cùm interrogaret me, qui creditus ab omnibus ſanctæ vitæ, dicens: quid eſt hoc quod defers frater? libros naturales me ferre reſpondi. At ille: Non eſt hæc via tuta, neque vocatio tua, nec verorum Chriſtianorum intendere naturæ, ſed gratiæ. Verbis quoque completis tanta celeritate muratum eſt cor meum, ut ſi voluiſſem, non potuiſſem aperire codices naturales, nec etiam ex juſſu aliquid ex eis memoriæ commendare, atque quod magis mirandum erat, porta intelligentiæ claudebatur, diſponente Deo ad theologica me converti, illis omnino dimiſſis in quibus fruſtra ſudaveram atque diſpoſueram deſudare, & aliqua luce veritatis perfuſus, puro & claro animo intellexi meretrices eſſe inviſibilis animi omnes iſtas ſcientias, animam indevotam, & volantem per aerea conſtituentes, & denegantes ſuis peritis viam humilitatis in fide, atque in moribus ſæpe. Vidi etiam ſecreto mentis intuitu in eis recurvum, omnino etiam invitè orare volentem, & quod horrendum eſt, gratiæ initium deficiebat in natura, & menſurabat corporum quantitatem, qui ſibi vivit immenſuratus. Et aſtra & ipſorum orbes & orbiculos, & revolutionem revolvebat in animo, dum ſe ſponderet altiſſimo ſupplicare. Neminem audivi, nec vidi devotè atque humiliter intendentem ad Evangelii veritatem talibus meretricibus ſeduló implicatum, niſi repudium mancipaverit. Proculdubio plerumque à Deo faciunt animam fornicari. Sed dicit ſcriptura: Perdidiſti omnes, qui fornicantur abs te & cætera. Barbarus ſum omnibus, qui horum, quæ dicuntur, intrinſecam experientiam non viderunt, & appellor fatuus à talibus ſcientibus faſcinaris, ſed veritatem novit altiſſimus, & ipſi videbunt eum, cùm durè fuerint exacti, quòd talibus vanitatibus ſe dederunt. Incomprehenſibilis, niſi per fidem eſt veritas, quæ liberat nos ab omni maligno. Turbabuntur à facie intima veritatis, quæ non explicatur lingua, nec videtur oculo naturali, qui hæc audierint, ſed auferetur ab eis ſpiritus intelligentiæ ipſorum, & deficient coram ipſa, & convertentur in pulverem terrenorum, rapiendum à vento vanitatis, ut ventus tempeſtatis & turbinis ventilet in æternum, inſurgent vultu procaci, melius eſt ſic intendere, quàm vagari, tali alligari ſtudio, quàm ſæpe prodire in publicum, & à venuſtis aſpectibus illici, & à variis delectationibus capi. Audacter affirmem nihil eſſe bonum comparatione pejoris, imo ſtrictius dixerim, nihil eſt bonum, quod comparatur bonitate carenti. Comparatio enim bonitatis in utraque parte aſſerit bonitatem. Reſculpo in memetipſum fortè, quòd verba hæc aliorum verbis retunderentur, & validiores rationes his rationibus redderentur. Quid ni? Amplius autem. Et quod ſcriptura recompingitur à ſcriptura, valeat utique quod profertur. Sed O! utinam invenirem aut inveniſſem mecum catholicè contendentem ex ſcripto firmato, non variabili aut nugaci verbo, quod aut per rationes fidei cogerem negare fidem, aut removerem ab artibus & philoſophis verbuloſis. Ut autem contra has meretrices quadam appellatione concludam, perfectionis quoslibet profeſſores, prævaricatores, relaxatos impuros aſſero, ſi cum his meretricibus affectu & intellectu atque jugi ſtudio contubernant, nec profeſſioni opera perfectionis adjiciant. Plus autem in talibus damnoſa experientia, quàm mea querimonia clamat. Oportet omnino perfectionl lectionis & orationis intendere eum, qui perfectionem promiſit, & aliis quibuscunque poterit ipſam firmare operibus juſtis atque perfectis. Qui autem dixerunt, & dicunt veram theologiam non poſſe conſcendere, niſi per iſtam ſcientiam, ſimiles facti ſunt ædificatoribus turris Babel, qui per altitudinem turris credebant in ſuperna conſcendere. De meretrice autem hæreticæ pravitatis quæ multos in fornicationem averſionis adduxit proverbiator dicit. Favus diſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur ejus. Noviſſima autem illius amara quaſi abſinthium, & lingua acuta quaſi gladius biceps. Pedes ejus deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus ejus penetrant. Per ſemitam vitæ non ambulant, vagi ſunt greſſus ejus, & inveſtigabiles. Dulcia ſunt hæreticorum verba, velut favus mellis. Nam ſi dulcia non eſſent non audirentur, neque trajicerentur in animæ intrinſecum guſtum. Meritò hæreticus meretrix appellatur, quia illa ad illudendum omnes tranſeuntes invitat,

Pſal. 72.

Prov. 5.

vitat, & ſteriliter omnibus abuſivè corpus exponit, & labiis oſculando demulcet, quem accipit ad ulnas. Sic & hæretici omnes, quos poſſunt, ad ſe conantur attrahere, omnem corporis exiſtentiam, attracti præſtant ad uſum, ut ea ſterilitate loquendi, qua decepti ipſi decipiant, quorum labia totam, quam ſe credunt habere dulcedinem, non effundunt, ſed diſtillant, ut avidius audiantur, & accendant ad doctrinam intenſius auditorem. Stillas erogant ſed copioſam aſſerunt reſervare dulcedinem, quaſi apud eos maneat multitudo doctrinæ. Guttur ipſorum oleo nitidius dicitur, quia omnis puritas lætitiæ, nitiditas luminoſæ ſcientiæ, opus miſericordiæ, humilitatis profundæ in eorum doctrina videtur, plenum conſiſtere, quæ per oleum deſignantur, quod diligenter inſpicienti ſcripturas patet. Noviſſima verò hæreticorum amara ſunt, quia nihil amarius, quam ex falſis doctrinis relinquere Dominum JEſum Chriſtum. Acuta ipſorum lingua, ut gladius biceps, quia corpus & animam, affectum & intellectum transverberat. Omnis autem ipſorum itineratio atque adhærentium à via vitæ declinat, feſtinatque in mortem culpæ pariterque & pœnæ. Et tanta loquendi & vivendi varietate vagantur, ut comprehendi non poſſint, inveſtigari nequeant, bifurcatè loquuntur, ſcmiverba pronunciant, diverſos intellectus imponunt, unde decepti decipiunt. Meretrices amœnas, ſcilicet mundi oblectamenta & ſenſualitatem deſcripſit Salomon, dicena: De feneſtra mea per cancellos proſpexi, & vidi parvulum vecordem juvenem, qui tranſit per plateas juxta angulum, & propè viam domus illius graditur. In obſcuro adveſperaſcente die in noctis tenebris & caligine, ecce mulier occurrit illi in ornatu meretrico, præparata ad capiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta anguloa inſidians apprehenſúmque deoſculatur juvenem, & procaci vultu blanditur, dicens: Victimas pro ſalute debui, hodie reddidi vota mea. Idcirco egreſſa ſum in occurſum tuum, deſiderans te videre, & repperi. Intexui in funibus lectum meum, ſtravi tapetibus pictis ex Ægypto, aſperſi cubile meum myrrha & aloe & cinnamomo. Veni inebriemur uberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illuceſcat dies. Non enim eſt vir in domu ſua, abiit via longiſſima, ſacculum pecuniæ ſecum tulit, in die plenilunii reverſurus eſt in domum ſuam. Irretivit eum ſermonibus multis & blanditus labiorum protraxit illum. Statim eam ſequitur quaſi bos ad victimam ductus, & quaſi agnus laſciviens & ignorans, & neſcit quòd ad vincula ſtultus trahatur, donec transfigat ſagitta jecur ejus, velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit, quòd de periculo animæ illius agitur. Quæ omnia, quamvis actu ſæpe faciat meretrix impudica, tamen magna fornicationum mater, carnis noſtræ materia viſibilibus atque ſenſibilibus intenta eſt, infrunita meretrix & mulier inverecunda, quæ ad ſuum ornatum omnia diſponit, mundi oblectamenta ſuſcepit, prope cujus domum infinita hominum graditur multitudo, ſed ille, cui ſuo merito iratus eſt Dominus, incidit in eam. Habet iſta meretrix domum, habet viam, habet plateas, habet angulos, habet garrulitatem, habet impatientiam, habet oſcula, habet vultum procacem, habet victimas, habet lectum intextum funibus, habet Ægyptiaca tapetia, habet cubile ſecretum, habet aſperſiones aloeticas, myrrhantinas, & cinnamomicas, habet ubera, habet amplexus, habet divitem virum, habet blanditias labiorum. Domus ejus eſt ipſa creata natura, in regulis originalis juſtitiæ ordinata, quæ natura paſcitur modicis, contentatur & paucis, nec ſecundum juſtitiam poſitam in ſuperflua quærit egreſſum. In qua nun valet conſiſtere meretrix, ſcilicet ſenſualitas impudica. Egreditur foras terminos rationis, atque juſtæ neceſſitatis, & in mundi plateis, ſcilicet in latitudinibus ponit inſidias, nunc juxta diverticula angulorum deceptionis laqueos parat. In plateis decipit, cùm multitudinem delectabilium pandit. In in angulis decipit, cùm per obliquitatem occultam & ſingularem turpitudinem rationem inficit. Via ejus eſt, quæ ſibi videtur juſta pro eo, quod per eam plurimi ſic incedunt, & multitudine malè viventium quaſi per quandam viam publicam decipit, ac ſe juſtè feciſſe tuetur. Garrula eſt, ſi nun habet quod quærit, & garrulitate verborum tendit in placita, ut garriendo decipiat, quod ſilendo non poſſet. Impatiens eſt iſta meretrix inhoneſta, quosque obtineat quod concupivit. Et ſemper per impatientiam diverberat ſe, ſi non percipit placitas ſuis ſenſibus qualitates, & quietia ſemper in animo, cùm per rationem ſe regere volunt, efficitur impatiens, & bella variarum appetitionum inducit, quæ ſi multos ex toto non dejicit, ſine quiete vivere facit, ut etiam ſapientes & ſenes & univerſos uſque ad mortem ipſa ſolicitet. Quem verò circa ſe deprehenderit

Prov. 7.

derit ambulantem, & intendentem in his, quæ ſunt de funeſtis juribus ejus, velut juvenem carentem cordis prudentia, qui ſecundùm Salomonis mandatum, cor non omni cuſtodia cuſtodivit, dulciter male oſculatur, & quadam pernicioſa vultus audacia decipiendo blanditur, ac ſi eum magnis votis & deſideriis quæſiviſſet, & ſtatim de lecto malæ quietis pronuntiat. Sanè ad æternam damnationem quieſcit, qui requieſcit corde & animo in lecto letifero terrenorum atque carnalium voluptatum. Sed intextus eſt funibus lectus, quia pecatorum ſuorum funibus unusquisque conſtringitur, & inrextus eſt funibus lectus, quia nulla ſenſibilis & carnalis delectatio eſt durabilis ſuper terram, ſed velut fumus in fine marceſcit. Ægyptica profectio & depicta taperia, quibus pavimenta zetarum & parietes obteguntur ad ornatum cubiculi & delectationem oculorum propter varietatem nimiam picturarum, inſinuat artificioſas & exquiſitas adinventiones peſſimas in peccatis, quorum varietate delectationum anima teneatur illecta, nec velit reſurgere de lecto, ubi jacet turpiter delectata. Secretum hujus impudicæ cubiculum ipſum eſt absque teſtimonio malum, ut eo ſit liberior delectatio, quo teſtibus caret, & delectationis fiat augmentum, quo devitat hominum perverſa libido conſpectum. Aſperſum aromatibus pronuntiat, velut ſi non eſſent corruptibilia bona viſibilia hujus mundi. Amplexus hujus ſunt inſeparabiles aſtrictiones ad volira, ut niſi per mortem rarò ſeparatio per liberam voluntatem, ſed ſtercorea eſt amplexio à foris, qua deturpatur anima in occultis. Subacta verò ubera meretricis ſunt venæ dulcedinis, quæ ſi debitè ſecundùm legem naturæ atque originalis juſtitiæ deprimuntur, elicitur neceſſarium vitæ butyrum. Conceſſum eſt namque omni viventi juſta lege uti bonis naturæ. Si autem fortiter emunguntur, ſanguis elicitur peccatorum, quia ſi quis ubera naturæ lac vitæ propinantia plus debito exprimit, peccatum omnino committit. Datur in uſu conceſſorum profecto delictum, ſi divinorum lex transgreditur decretorum. Labiorum verò blanditiæ ſunt ſenſuales allegationes ſub umbra condeſcenſionis, aut pro tempore juventutis, aut in ſtatu aſſumptæ non infictæ neceſſitatis, aut infirmitatis, aut ſub ſcuto bonitatis divinæ, quaſi delectabilia non produxiſſet ad aliud, niſi ut ſenſus delectaretur humanus, quibus homo facilitèr irretitur, difficillimè verò diſſolvitur. Vir ejus univerſorum Dominus, qui non videtur eſſe in Domo dum impunitè malum patitur fieri. Cætera verò hujus metaphoricæ locutionis, ad actionem mali, & authoris periculum diſponuntur. Vide ſcorta, vide meretricios intellectus, affectus & actus, eum quibus malè peregre divinum patrimonium diſſipavit vivendo luxurioſè, ut omni, qua potuit voluptate frueretur, ac per hoc ſtatim ſequitur fames. Non habet, quod manducet, & patrimonio conſumpto inedia invaleſcit. O malè peregre fili, jam pateris impedimenta ætatis, non patereris, ſi non receſſiſſes à patre. Jam te conficit fames, abundantia relicta paterna. Premeris inedia, qui tuus eſſe cupiſti. Eclipſim pateris, à lege devius alta. Non ſufficis tibi, ope relicta paterna. Divinorum bonorum & honorabilium contemptores audite. Fames eſt valida in regione longinqua, non panis & vini, dicente propheta, ſed audiendi verbi Dei. Doctrinam non appetit criminoſus voluptatibus deditus. Odit ſalubria monita, qui non eſt adhuc ſatiatus inferis verba Dei reputat cantilenam. Inimicus ſibi factus ex ſuis perditis moribus verba pacis ad Deum contempſit. At nulla crudelior fames, quàm à virtutibus abſtinere. Miſerabile fit jejunium deficiente pane virtutis, atque vino lætitiæ ſpiritalis. Tabeſcit anima in menſa malorum, ſamen ſemper patitur mala voluptas, quo plura mala comederit, ad reliqua fit avidior. Nunquam ſatis eſt, cui pro nihilo reputatus eſt Deus. De genere maledictionum eſt fames, quas per Moſen derelinquenti eum populo Dominus repromiſit. Dicit enim ſcriptura: Mittet Dominus ſuper te famem, eſuriem & increpationem in omnia opera tua, quæ facies, donec conterat te, & perdat velociter, propter adinventiones tuas peſſimas, in quibus reliquiſti me, ut cauſa ſuum effectum præcedat, culpa ſupplicium. Non eſt adinventionis divinæ, quod relinquamus Deum, nos adinvenimus hujus viam erroris. Non eſt divinæ doctrinæ, quod recedamus ab eo, nos adinvenimus itinera mala. Cauſam receſſus non dedit omnipotens, nos adinvenimus devitationis cauſam. Non cogit recedere, qui funiculis amoris omnes ad ſe trahit. Nemini dixit, de domo ſubtrahe pedem, fatistus ſum, odio te, nemini ſcandalum diſplicentiæ præparavit, tua fuit adinventio, ut abires in regionem longinquam. Non adinvenit mala Deus, qui bonus bona cuncta creavit. Adinventiones malorum

Deut. 28.

lorum peſſimæ hominum ſunt, in quibus relinquimus Deum, propter quod ſuper relinquentes fames juſtè dimittitur divinorum eloquiorum, quorum abundans ſapor eſt ſuper mel & favum. Et eſuriem patitur, qui receſſit à pane vitali, areſcit in ſiti, qui fontem aquæ relinquit, ut diſſolvatur neceſſe eſt profugus à virtute, ut conficiatur inedia, ratio ſana docet. Alienus ab illo, ſine quo omnis eſt ille malè peregre, non ſolùm extra ſe, ſed etiam in ſe increpationem ſuſcipiat à ratione arguente, conſcientia torquente, quoniam omnia opera mala ſunt, quæ ſummi Dei legem effugiunt, ut tam diu afficiantur cruciatibus his peccatores, donec convertantur vel perdantur cum dæmonibus velociter deſuper terram, niſi converſi ad Dominum reſipiſcant. Et peccatores famem patiuntur ut canes, nec ſaturantur, dum mundi civitatem circumeunt, niſi ad Dominum Deum revertantur, unde exierunt. Sed hic malè peregre malorum typum in omnibus ſecum portans, ad mala ſpecialia ſe conſtrinxit. *Adhæſit* profectò *uni civium illius regionis* umbrosè, aliquo peccato ſpeciali ſe ligatione ſeu delectatione ligavit in ſœdere. Non enim quis ſufficit omnia mala in eodem inſtanti atque actu peragere. Necnon & ſæpe videmus, quod huic hoc vitium, illi verò aliud magis in placito eſt, cum quo eſt fabulatio ſua, & tota complacentia ſenſualis, etiam ſi interdum cætera mala prætermittat. Seu fortè aliquis dæmon accipit in eum diſtrictius poteſtatem, *qui miſit eum in villam ad paſcendum porcos.* In villa ruſtici ſunt, in civitate urbani. Meritò namque efficitur ruſticus, qui dimittit urbanitem cœleſtem, quam virtus & gratia darent. Et paſcit porcos. In ruſticitate ſenſus emittit, & volutatur cœno vitiorum, fœtorem oſtendens etiam ad cœvos, ut converſatio ſit horrida rationi, humanis inſeſta aſpectibus. Urbanum facit ad cœleſtia hominem Deus pater, vitium verò facit eum omnibus odioſum. *Et cupiebat implere ventrem de cibo porcino.* Credit ſæpe peccator ſe contentum fieri ex corruptis, & animam incorpoream corporalibus adimplere, ſed negat natura ſpiritualia corporalibus, & corporalia ſpiritualibus poſſe repleri, ac per hoc nunquam creaturis replebitur anima, quæ creatoris eſt capax, quo non plena, aut in eſurie, aut ſemper erit in pœna. *Et nemo illi dabat*, quia vacuum per vacuum natura non implet, & ſibi inſufficiens nemini ſatis erit. Ecce duos malè peregre, utique in malo, & in averſione concordes. Ille deſcendit à Jeruſalem, iſte receſſit à patre. Ille in Jerecontinam defectionem, iſte in regionem longinquam. Ille cecidit in latrones, iſte in meretrices. Illum expoliaverunt, iſtius bona diſſipaverunt. Ille pertulit vulnera, iſte famem. Ille ſemivivus relictus, iſte ſemper inſaturatus. Sed iſtius reverſionem velut magis inſignem ſedula mente tractemus. Revertitur malè peregre ad rationem, abundantiam paternæ rememoratur domus, ſe perire cognoſcit, deliberat reditum, diſponit confiteri peccatum, & humiliat ſe appellans indignũ, poſtulat gratiam ſupra condignum. Vide reverſionis proceſſum. Iſte in ſe reverſus dixit ibo. Reverſio ad relicta. Quis autem eſt qui ſeipſum relinquat, aut quo pergeret, ſi ſemetipſum relinqueret? Quis modus longuendi? quæ loquendi ratio? Extra ſe iverat, qui ad ſe revertebatur, non corpus extra corpus, non animam extra animam, ſed fortè anima extra corpus. Nam Paulus Apoſtolus raptus, ſive in corpore ſive extra corpus anima peragraſſet, ſe fatetur ignorare; attamen tempore raptus anima corpore non utebatur. Et legimus ad ſe reverſum, & animam corporis uſum reſumpſiſſe. Petrus verò, cùm per angelum educeretur de carcere, propter modum mirum videbatur ſibi viſum videre per ſomnium. Et in ſe reverſus dixit, quod verè Deus miſerat ſibi angelum. Quo ergo iverat Petrus, quando eſt ad ſe reverſus? Ipſe verò ambulabat, & anima corporeis mortibus utebatur. Sed talis loquendi modus magis innoteſcit experientia, quàm ſcriptura. Fit ſæpe repente ex aliquo accidente tantus timor, ut anima plerumque alienetur à ſenſibus, non tamen relinquendo corpus. Ex nimio dolore corporis aut rei perditæ illud idem comperi evenire, necnon ex invaleſcente infirmitate. Ex amore nimio ſcio extaſim fieri, ex contemplatione animas rapi, non revocatur in dubium, pro curatione artificioſa pro incidendis ad ſanitatem membris, ars ipſa demonſtrat. Captus quidam me præſente à juſtitia meritò ſuſpendendus, ſumptione potionis cujusdam intantum obſtupuit, ut de carcere ut mortuus traheretur, & tali fallacia ut mortuus evaſit mortem. Arreptus nimio ſomno, excepto quod calet, mortis habet imaginem. Et horum quidlibet peracto termino, cùm reinceperit corpore atque ſenſibus uti, dicitur ad ſe reverſus. Sunt & alii modi, cùm quis utitur ſenſibus, & à ſe dicitur receſſiſſe, aut cùm fortiter agitur ab ira, aut cùm

nimio

nimio vino madet, ſeu defoſſa ratione non ſequitur, quod veiras juber, aut ſequitur, quod ipſa condemnat, ſive arreptus à dæmone, verbo, moribus aut actibus quod hominis eſt excedit, aut amens factus ſe in ſuis geſtibus non cognoſcit. Ae per hoc quamvis ex omnibus his modis ad peccatorem poſſit ſimilitudo deduci, ex tribus tantum poſterioribus malè peregre, aut peccatorem ad ſe dico reverſum. Nam defodit rationem, nec veritati obedit, qui recidit à Deo, & malorum efficitur author, & agitatur à dæmone, & velut non mente ſanus inſana complectitur, à quibus receedens, ad ſe reverſus dicitur. Juxta quas ſententias per Iſaiam Dominus di-
Iſaiæ 40. cit: Redite prævaricatores ad cor, recordamini prioris ſæculi. Redit ad eor, qui per compunctionem malè actorum in ſeipſo reviviſcit, & diſcutit conſcientiam ſuam, qui propria voluntate ſua, atque perverſa receſſit à Deo, & pœnam, quam juſtè meretur, agnovit. Redit ad cor, qui benignitatem expectantis atque miſerantis aſpexit, ac videt ſe ſerviſſe ſcurtis iniquis. Redit ad eor, qui jugum diaboli excuſſit à collo. Redit ad cor, qui peccatorum evaſit tenebras, & menti veritas interlucet. Et prioris ſæculi recordatur, qui perfectè dolet de bono innocentiæ, quod amiſit, & cognovit, quàm bonum ei fuerat in Dei voluntate ineulpatè manſiſſe, quàm jucundum habuiſſe conſortia eum electis, & omnium partieipium tenuiſſe bonorum. Et irremediabilis eſt calamitas fuiſſe imperatoris amicum, ad inimicitias devolutum, niſi fiat regreſſus in idem. Inconſolabilis debet eſſe triſtitia ei, qui ſæculum habuit ineulpatum, ſed cavernam peccatorum inhabitat. Sed recordetur prioris ſæculi quisque delinquens, non ut ſteriliter doleat, ſed ut nitatur in id regredi, unde malè corruerat. Et quamvis nequit fieri, quòd peceator non fuerit, qui peccavit, tamen voluntatem recuperet innocentẽ, qui nocentem habere volult actionem. Igitur revocetur ad eor, & priorls ſæculi recordetur, qui ſe deliquiſſe fatetur. In
Prov. 23. eorde ratio viget, & omnis virtus ſolùm perceptibilis intellectu, eórque petit à nobis, qui omnium gubernaeula tenet; Fili da mihi cor tuum. Cordi loquitur.
Oſeæ 2. Oſee dicit: Dueam eam in ſolitudinem, & loquar ad eor ejus. Et alibi: Loqui-
Iſaiæ 40. mini ad cor Jeruſalem, & advocate eam. Proinde non recedere à corde, dominium eſt virtutis. Ad cor citò redire, virtutis eſt probitas. Qui non receſſit à corde, ſemper fuit in Dei regno. Ipſe Sal-

vator dicit: Regnum Dei intra vos eſt. Lucæ 17.
Reverſus ad cor regnum perditum reaceepit, imo violentavit illud, quia regnum Dei vim patitur, quod intelligitur de intellectuali, morali atque cœleſti. In corde manens non perpetravit ineptum, egrediens fecit utique mala, reverſus aptitavit ſe virtutibus. Non egreſſus à corde permanſit monas ad monadem, egreſſus multiplicavit ſeipſum, regreſſus congregavit diſperſa. In ſeipſo manens ubi veritas lucet, contempſit judicia, egreſſus forss ubi opinio fulget, variavit mores, introregreſſus differentiam veritatis & opinionis agnovit. Qui intra ſe didicit commorari, totus eſt ſuus, palans homo mendicus eſt. Si quis eſt tam conſtans atque relectans, ut ad tot voces extra vocantes non egrediatur, laudarem utique, ſi invenirem. Sed citò ad teipſum revertere, ut dicas eum malo peregre: *In ſe reverſus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, & ego hic fame pereo.* Abundantia eſt in domo Dei omnium bonorum, viſibilium & inviſibilium, temporaliam & æternorum, & omnibus ſibi ſervientibus temporalem miniſtrat, & æternam repromit-
2. Cor. 9. tit annonam. Quia, ut dicit Apoſtolus: Potens eſt autem omnem gratiam abundare facere in vobis. Et ego hic fame pereo. Non mireris, à Divino & virtutum horreo receſſiſti. Sed ubi erat fames? Hic ſcilieet in regione longinqua, & in ruſtica villa, ubi civitas Dei præſentis, non futuræ exuberant bona. Tempore ſeptennalis famis alimenta erant in Ægypto, Joſeph verò diſtributor erat, ſalvatórque mundi appellabatur. Patriarcha Jacob, & tota cognatio, ejus deſcenderunt in Ægyptum prope horrea manere volentes, ne fame perirent. Revertaris tu ad domum creatoris tui, quæ ſancta Eccleſia eſt, ſi non vis ſame perire. Dic ergo: *Surgam.* Igitur cecidiſti. *Ibo.* Profecto receſſeras. *Ad patrem meum,*
Joan. 8. quia jam ſervus factus eras peccati, Chri-
2. Petri 2. ſto dicente: Qui facit peccatum, ſervus eſt peeeati. Et Petrus in canonica ſua dieit: A quo quis deviẽtus eſt, huic ſervus addictus eſt. *Dicam illi: Pater, peccavi in cœlum & coram te.* Quis peccat in cœlum? Qui propter terram ipſum contemnit. Peccatum eſt utique grave, imo noſtræ malitiæ tota moles, cœleſtia contemnere, ſtereora amplexari. Coram Deo peccat, qui deſuper ipſo ſpectante, eujus inſopitum oculum & omnia penetrantem nemo valet effugere, neque devitare judicium, à peccando ejus timore non ſiſtitur. Gravibus eſſet diſciplinis

multandus, qui etiam in abſentia contra leges faceret auguſtorum, ſed capitalem omnino deberet ſubire ſententiam, præſenter contemnens in ſuis legibus regiam majeſtatem. Narrare diſponit peccata, quæ fecerat, ut ex miſericordia juſtificaretur, quia coram Deo peccaverat, ipſum nos ubique videntem in ſuis legibus parvipendens. Sed hæc eſt hominum delinquentium nefanda perverſitas, ut in malefactis omnino vitare velint humanum aſpectum, cùm nullatenus poſſint vitare divinum. O ſi diſpoſitus ad prohibitum
Pſal. 65. diceret cum David: Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper, & ſe videri à deſuper inſpectore continuo imaginaretur, proculdubio frænaretur, ne curreret in voragines peccatorum. Profitetur ſe indignum ampius tanti patris filium nominari, mercenariorum numero ſe conſcripſit. In lege Moyſi filius contumax obruebatur lapidibus, in lege auguſtorum privatur hæreditate, in lege morali patre bono indignus eſt filius malus. Unde ergo benigno ingratus, pio impius, ſapienti ſtultus? Nobili verò patre indignus eſt filius immorigeratus, ac patre abundante & ordinatè vivente indignus eſt filius prodigus. In lege verò gratiæ alia nos ſententia premit. Accepimus enim poteſtatem filios Dei fieri non per naturam, ſed per adoptionem & gratiam, cujus alma paternitate filius indignus efficitur, qui omnium peccatorum patrem in ſuis legibus diabolum aut primum parentem Adam in ſua obedientia imitatur. Filius verò verus, atque legitimus educatus legitimè, patri non intulit aliquando querelam, malus verò contrariam fecit. Sed nobilitate depoſita filiali appellat ad mercenariorum legem, ut ex diſtinctione notemus, qui ſint filii, atque mercenarii. Quantùm mihi Dominus adminiſtrat, filios intelligo, qui non offenderunt Deum, & viverunt ſecundùm ejus ſanctiſſimas leges, mercenarios verò abundantes pane in domo magnifica ſancta Dei appello omnes peccatores converſos, reſipiſcentes à malis, ad domum paternam atque divinam humiliter revertentes, agentes pœnitentiam, corde compunctos, vultum proclivum ferentes præ verecundia, quia Domino peccaverunt, deſudantes in operibus juſtis, tundentes pectora, lachrymis non parcentes. Nec eos mercenarios dixerim, quia ſuperna captare concertant, ſed pro eo, quod aliquando temporalem ſtipem atque mercedem in malis actibus quæſierunt. Merces namque à qua mercenarius dicitur, in omni lingua Hebræa, Græca & Latina, rem quam quis ſerviendo meretur, perfunctoriam atque temporalem ſignat. Nam qui pro æterna gloria ſervit, mercenarius dici non poteſt, cùm ex merito alicuius laboris nemini debeatur, ſed divina miſericordia beatificandis conceditur. Igitur mercenarii domus Dei dicuntur, qui mercedem temporalem interdum ſectati ſunt, divinam gloriam contemnentes. Sed reverſi ſunt in domum paternam, peccatorum labe ſatiati, malorum mola contriti, Domino ſervientes, abundantes panibus divinorum verborum, atque promiſſionum confortantibus hominum corda, ne veterum conſcii delictorum præmia divina deſperent. Cùm Pater miſericordiarum, & totius conſolationis Deus paratus ſit indulgentiam præſtare petentibus, ac in ſuis promiſſionibus debitor fieri non merentibus. Igitur peccator reverſurus ad Deum omnium pium patrem, argumenta per ſimile pro ſua parte conquirit, dicens: Quanti mercenarii abundant panibus in domo largiſſimi atque benigniſſimi patris noſtri, quantis ſcilicet peccatoribus converſis ipſe pepercit, & menſam ſuæ bonitatis appoſuit. Quot & quanti aut quales peccatores ſuorum delictorum ſunt veniam conſecuti, quot miſeri miſericordiam receperunt, quot profugi, cùm reverſi fuerunt, recepti. Quem excluſit miſericordia Dei? quem repellit benignitas ejus, cui nutrimentum gratiæ negavit largitas ejus? Veniat in memoriam peccatoribus, quod ipſe Salvator docuit, ſub *pollicitatione firmavit*, dicens: Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis. Nam qui Lucæ 11. Math. 6. quærit, invenit: qui petit, accipit: & pulſanti aperietur. Et qui petit panem miſericordiæ, non accipiet lapidem juſtitiæ. Et qui petit ovum ſpei, non accipiet ſcorpionem deceptionis in fine. Qui petit piſcem fructum ex inundatione lachrymarum, non accipiet ſerpentem diabolum aridum & tortuoſum. Quot ſunt verba Dei ſonantia miſericordiam & benignam receptionem in Scriptura, volumem magnum ipſa declarata perficerent. Sed paucis verbis Dominus per Iſaiam omnibus peccatoribus præſtat audaciam revertendi ſub ſponſione fida miſerendi: Derelinquat impius viam Iſaiæ 3. ſuam, ſcilicet malæ peregrinationis in regionem longinquam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum. Et per Jeremiam de prævaricatrice ſynagoga ſive anima dicitur: Tu fornicata es cum Jerem. 3. amatoribus multis, tamen revertere ad me, & ego ſuſcipiam te. Poſt omnem verò deliberationem deliberata perfecit: *Et ſurgens*

gens venit ad patrem, qui benignus prævenit eum à longè, ne iterum diabolica impedimenta ſentiret, & mundi blandimenta deluderent. Nam niſi gratia Dei præveniret, animus non moveretur in bonum, niſi comitaretur in melius, non proficeret, niſi obviam ad ſubſidium haberemus, regreſſus ſequeretur ad ſolita. Et proinde *Pater miſericordia motus* occurrit filio de larvali peregrinatione redeunti. Et amplexatur collum fidei, quo totum corpus, quod eſt Eccleſia, Chriſto capiti copulatur.

Cant. 1. De quo in Canticis canticorum ad Eccleſiam per Spiritum Sanctum dicitur: Collum tuum ſicut monilia. Fides ſcilicet eſt, & eſſe debet ex bonis operibus, tanquam ex margaritis ornata. Et ibidem dicitur: Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea, & omnis armatura fortium.

Cant. 4. Et iterum: Collum tuum ſicut turris eburnea. Cant. 7. Verè fides collo, collum turri ſimile dicitur, ut & fides ad ſimilitudinem turris eſſe dicatur. Ædificatur turris ad proſpectandum à longè, atque quantum poteſt, rectitudine in altum erigitur, ut quæ de planitie atque ſubjectis domibus non videntur, de altitudine turris videantur. Nam neque de planitie naturali, neque de ratione alicuius artis videntur, quæ de culmine fidei conſpiciuntur. Videt ergo fides, quæ infinitis & inviſibilibus ſpaciis diſtant à natura. Quæ ſi præſenter vellem differere, oporteret Dei omnipotentis, & Chriſti filii ejus recenſere myſteria. Necnon ad tutamentum turris ædificari cognoſcitur. Ad tutamentum omnium noſtrûm Chriſtus fidei ædificium fecit, ſub quo non lapides, non ligna, non aurum, non argentum, non homines, non angelos, ſed ſeipſum fundamentum jecit, dicente Apoſtolo: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JEſus. Quæ cum propugnaculis ædificata dicitur. Propugnacula namque ſunt, quæ procul hoſtibus inſilientibus reddunt vicem, & procul obſiſtunt æmulis, pro quanto deſuper projicitur prohibens. Et ſæpe fit, & aggrediendi experientia clamat, quod jacta de propugnaculis manualiter uſque ad hoſtes perveniunt, ſed quæ hoſtes manualiter jaciunt, propugnacula non attingunt. Quamvis in arte propugnandi multa inſidioſa ſagacitas humana reperiat, ut feriat, aut dejiciat, quod propugnat, ſed fidei fundamento gratias referamus, ſuper quod erectum ædificium inexpugnabile ſemper manet. Longè ſiſtit fides ſuis propugnaculis omnes ſibi adverſos, aut cogitantes in vanum, quorumlibet inferentes inſultum, ut nec qui venit ab oriente naturæ rationibus naturalibus circumſeptus, nec qui ab occidente peccatorum inſilivit, nec qui ab aquilone idololatriæ idolis ſoclatus, ad propugnandum acceſſit, nec qui ab auſtro hæreſiarchæ doctrinæ de inſidiis proſilivit, appropinquare potuerunt, nec fidei noſtræ inferre jacturam, propugnaculis deſuper jacientibus altiſſima verba Dei, omnibus omnimode reſiſtentia, ſecundùm beneplacitum dei. Quocirca mille clypei pendent ex ea, ſcilicet innumerabilis martyrum multitudo, qui ſuſceperunt ſævos ictus tyrannicos, qui ſi corpore, mente tamen nunquam fracti ſunt, qui nos muniunt, qui pro fide inconcuſſa tenenda tam viriliter certaverunt. Et pendet in ea omnis armatura fortium, ſcilicet veteris teſtamenti & novi omnium ſanctorum patrum. Et dicitur turris eburnea noſtræ fidei collum, omnem novam caſtitatem inſinuans, & omnem antiquam pulchritudinem præoſtendens, quam amplexatur pater in peccatore humili remeante, necnon & oſculatur eum, ſe reconciliatum demonſtrans, dilectionis porrigit ſignum, pacis irrogat inſtrumentum, indulgentiæ fœdus præſtat, charitatis donans officium, & de renovatione amicitiæ atque firmatione profert inſigne chirographum. Poſt concordiam & pacem ad Dominum noſtrum Deum reconverſus eſt malè peregre, per ſequentia, qualis debeat eſſe via deſcribitur. Jubetur indui ſtola prima, ut in perditam innocentiam animo & opere ſemper aſpiret, quam quamvis recuperare non poſſit, quod non fuerit nocens poſt actionem ad Deum animo & opere ſemper nitatur permanere innocens. Non enim dubitatur ibi eſſe Innocentia, ubi malè agendi nullus ſuſpirat affectus, & pro poſſe devitatur omnis malus affectus. *Et anulus datur in manu*, in memoriam receptorum, necnon ad conſiderationem omnium indultorum, ut eum gratitudo in bonis operibus ſemper fervere faciat, quem ingratitudinis ad tanta mala protraxit iniquitas. In anulis autem ſæpe conſuevit lapis aliquis pretioſus includi, aut ut delectetur aſpiciens, aut propter inſigne virtutis. In noſtris operibus ſemper incluſus eſt Chriſtus, cujus fidelis aſpectus animam delectando demulcet, ut amplius operari ſemper ipſam delectet, & inſigne virtutis fulgeat, ut ſi non cuſtodit, nemo ſit, qui ab adverſariis proteget. Et calceamenta dantur pedibus, quæ pedum ſunt munimenta. Sunt etenim pedes, affectus & intellectus, quibus per ſyſtolen & diaſtolen inviſibiliter veluti viſibilitet ambu-

lamus. Nam ſtante ſæpe affectu perambulat intellectus, ut aliquid bonum inveniat & inventum renuntiat, & ipſo quieſcente affectus movetur & amat, quos morticinis pellibus oportet eſſe munitos, ne pro vero falſum recipiat intellectus, aut malo pro bono noſter ligetur affectus. Inevitabilis enim mors conſuevit ſuis à viventibus detractis pellibus homines per ſuæ inevitationis communire terrorem. Et ipſa quidem mortis memoria foribus noſtræ mentis affixa, retroverſionem à malo ſæpe in animo fecit, ac per hoc ſæpe verteretur in ſemper, ſi à mente fieret inviſibilis ipſa conſideratio mortis. Nempe ſine cunctatione intellectum, affectum & effectum inceſſanter inceſſabilis mortis meditatio colaphizat, nec permittat aliquem prolabi ad vanum, poſt cujus abolitionem actam nullum poteſt eſſe remedium, pro quo malè peregre, jam bene peregre facto, vitulus in menſa convivii apponitur ſaginatus. Vitulus ſaginatus eſt corpus Chriſti, cui nulla poteſt fieri præ dulcedine atque nobilitate comparatio ſuper terram omnem pinguedinis gratiam ſecum habens. Et duo audienda dantur in auribus ejus, ſymphonia & chorus, ut in Eccleſia Dei ſciat eſſe concordiam hominũ, legum, fidei, morum & ſcripturarum, & quod ad diſcordiam pertinet, de domo Dei non eſt, etiam ſi undique ab omnibus diceretur, eſt. Ac etiam pergentem in circuitu chorum oportet audire reſonantem in vocibus domlnicam cantilenã. Chorus enim eſt hominum in modum coronæ unius ad alterum conferta manu pergentium atque cantantium, ad ſonitum alicuius inſtrumenti de genere muſicorum. Nequaquam autem in choro principium & finis diſcernitur, ſic etenim Eccleſiæ convenit mtelligere curſum, quod erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi, & pergere debemus, atque cantare ad ſonitum fidei & irreprehenſibilium ſcripturarum, affigere mentem divinæ bonitatis operibus, quod intantum ſua benignitate prævenit, ut ante inclinaretur in filium, & pactiones reconciliationis oſtenderet, quàm totum poſſet complere conceptum, aut quàm formaret in animo verbum. Et quia indefectibilis pater miſericordiarum & totius conſolationis Deus, omnibus ad ſe revertentibus ſemper meliora exhibet, quam rogatus, & tam excedentia ſenſum, qualia qui ſuſcipit, ante non fuerat ſuſpicatus. Sed talia data donorum miſericordiæ adſcribimus, ad morum verò inſtitutionem talia præpoſitivam habemus iñocentiam, ad quam tota noſtra debet niti affectio. Quia quis aſcendet in montem Domini? aut quis ſtabit in loco ſancto? Innocens manibus & mundo corde. Bonorum operum jugi actioni anulus gratitudinis decet intendere, memorari exitum ultimi finis morticina ealceamenta demonſtrant. Saginatus autem vitulus ſacramentaliter vivere docet, non ſolùm pro eo, quòd ſumi à fidelibus debet, ſed quia niſi alia ſacramenta purgantia præcedant, quamvis non omnia, ſumi non juſtè poteſt. Symphonia ſcripturarum te regulet, ut juxta ſua gradiaris decreta, & quicquid eſt ab ipſa ſeorſum noveris eſſe perverſum. Chorum militantis Eccleſiæ nimio contemplare intuitu, qui circa Chriſtum in medio exiſtentem, pſallentémque cithara tenſi corporis pro nobis in cruce pendentis, & plectris ferreris reſonantem cujus modulatione paſſionum omnis anima ſe coarctet, necnon & triumphantis Eccleſiæ chorum altiori contemplatione conſpiciat, ubi nulla eſt diverſitas voluntatum. Habeo duos malè peregre, in quibus proceſſum, imo egreſſum peccatoris à Deo, atque regreſſum in Evangelica ſcriptura vidiſti, aliam verò deviam ſcilicet Magdalenam vias peccatorum, & omnium vitiorum abrupta petentem, ſubjugalem factam ſeptem dæmoniorum, revertentem ad eum, qui ſenſu inviſibili animas trahit, & modum reverſionis ejus ſeduló videamus. Mora igitur ad cœleſtis doctoris verbum fuorum peccatorum malè contrita, liquefacta dulcedine Chriſti, tracta decore converſationis, fida in animo de benignitate ipſius, ſperans remiſſionem peccatorum ejus, incenſa igne charitatis illius, oportunitatem perveniendi ſtudio impigro quærebat. At ubi tempus & locus, & quæſitus Chriſtus conveniunt, quærens inviſibiliter tracta, non ſono vocis, ſed mente vocata venit. Stetit retro ſecus pedes Domini, ſequelam promittens veſtigiorum ejus, quæ per leges peccati anteceſſerat leges ejus. Præit omnis peccator Deum in ſuis legibus, non ſequitur, nam ſi ſequeretur non fieret de numero peccatorum. Stat ante Deum per ſuperbiam erectus in animo qui deliquit, & velut inimicus adverſatur moribus, & verbis contradicit in facie, qui male loquitur aut agit. Primum igitur revertens à devio iniquitatis ſtet retro, nec præſumat in faciem, quem peccatorum vereeundia premit, quo usque ab eo, qui habet indulgere, præſtetur audacia. Stet poſt tergum, qui faciem contempſit omnium gratiarum. Reſpiciat terga, qui

Pſal. 23.

qui ad faciem divinam ſua terga convertit, de quibus propheta dicit:
Jerem. 2. Et converterunt ad me tergum, & non faciem. Stent à tergo, qui faciem omnia videntem atque ſcientem velut cæcam & ſciolam contempſerunt. Unde Propheta: Dixerunt ſcilicet contemptores, quis videt nos, aut quis novit nos? Et alius Propheta de peccatoribus Dei ſcientiam contemnentibus, dicit: Et dixerunt. Quo-
Iſaiæ 29. Pſal. 72. modo ſcit Deus, etſi eſt ſcientia in excelſo? Stemus poſt tergum Domini quotquot errare nolumus, & Domini miſericordiam præſtolemur. Stabat populus Dei, & reſpiciebat tergum Moyſi, quouſque tabernaculum egrederetur. Quouſque indulgentiam habuerimus peccatorum, divinam
Exod. 33. faciem videre non quæramus, ſed requiramus cum Pſalmiſta in futuro aſpicere ſæculo. Ajebat enim: Faciem tuam Domi-
Pſal. 26. ne requiram. Sed bonum eſt videre faciem Dei, ſcilicet habere notitiam divino-
Pſal. 79. rum, quam ipſe petebat: Oſtende faciem tuam, & ſalvi erimus. Chriſtus eſt enim iſta facies, qui totus eſt facies, notitiam & ſapientiam omnium habens, ad quam paterno facto reſpectu conſequamur indulgentiam peccatorum. Quod & David
Pſal. 48. petebat: Reſpice in faciem Chriſti tui. Sed terga petamus adhuc, nec recedamus, nam non ſine damnationis periculo rece-
1. Reg. 12 ditur à tergo Dei. Et Samuel poſt pectatum grande ad populum orationem ejus petentem pro indulgentia ne moreretur, dixit: Verumtamen nolite recedere à tergo Dei, & ſervite illi in toto corde. Aſpiciamus Domini tergum, quia ipſe poſt tergum ſuum projecit omnia peccata noſtra. Qui verò in veritate tergum Domini aſpexerunt, ſuorum cognoverunt ex Domini pœnis magnitudinem peccatorum. Crucem enim Chriſtus portavit à tergo, ubi ſunt projecta, imò dejecta peccata. Stemus à tergo paſſionem crucis ejus imitantes, quia ſi ſocii fuerimus paſſionum, erimus & conſolationum participes. Et un-
Iſaiæ 59. de mala proveniunt? Iſaias dicit: Peccare & mentiri contra Dominum, & averſi ſumus, ne iremus poſt tergum Dei noſtri. Non recedamus à dorſo, ſuper quod ab initio mundi fabricaverunt & fabricant & fabricabunt quomodolibet peccatores. Videamus ſanctum dorſum Domini noſtri JEſu Chriſti, inſpiciamus ſarcinam putridam peccatorum, magis horrendam quàm humanorum ſtercorum, quam ſuper dorſum ejus impoſuimus, nec ponere delinquendo ceſſamus. Profunda ſunt iſta, quæ tractanda ſuſcepimus, ſed non recedamus à tergo. Ipſe præit nos quotquot ſumus peccatores novi teſtamenti & vitæ ſecutus eos, qui præceſſerunt in veteri, ſed omnium à tergo ſunt purgata & deleta peccata per crucem. Nec ſolùm à tergo Chriſti, ſed ab aliorum ſanctorum præcedentium tergo non recedamus. Etenim Ruth ſpicas legebat poſt terga metentium, Ruth. 1. & nos peccatores poſt Apoſtolos & Martyres legamus reliquias ſanctorum morum & paſſionum. Non igitur ſine magno morum documento iterit retrò iſta peccatrix, non erecta cervice, ſed Chriſti pedibus inclinata & provoluta, ut ipſorum non erraniium ſequelam ſpondeat, quæ in ſuis incedens à via veritatis erravit, duces inviſibiles plures ſequens ad inferna ducentes, recooverſa ſequatur unum ad ſuperna ferentem. Offert lachrymas præ dolore, atque intantum bulliendo exuberant, ut etiam pedes lavet Domini Salvatoris. Exprimunt lachrymæ ſæpe conceptum dolorem in animo, & contritam mentem demonſtrant. Arma ſunt miſerorum, ad quæ ſemper poteſt recurrere, qui ab aliquo mœrore contrahitur Orphani & pupilli & viduæ deſolatæ ipſarum habent refugium. Placationes ſunt ſine voce, teſtes ſine verbo, indices ſine digito, clamor in ſilentio, victoria ſine ferro, terror dæmonum ſine ſonitu, oblationes ſine ritu, pulſatio ſine ſtrepitu, aqua decoctionis cordis, aqua ſaliens in vitam æternam, mare ſubmergens Ægyptios inſequentes, aqua ſapientiæ ſalutaris, ſtillicidia ſunt ſtillantia ſuper terram infructiferam noſtræ carnis, & ſuper gramina operum noſtrorum ſtillæ cadentes, liquores ſunt rationabilis arboris, mœſtis cibus & potus, ut mirandum omnimodè ſit, cur fletus dulcis ſit miſeris, balnea ſunt ſecum lata in refrigerium æſtuati, & in vulnerati atque plagati remedium. Hoc funditur ad Salvatoris pedes in ablutionem veterum delictorum, aut in bonorum agendorum fervorem. Lavantur his lachrymis pedes Domini velut ex aquis fervefactis ex charitatis igne, quem inviſibiliter in corde accenderat herus, qui lavabatur, qui etiam educebat pſalatim de fontibus oculorum provolutæ ſuis pedibus peccatricis & iterum calefiebant, cùm tangerent humanatum ignem. Et magis ac magis fluebant ubertim, cùm liquefiebat cor coagulatum ex igne intus, & extra incedente ſuaviter, nec inferente pœnalem, ſed delectabilem uſtionem. Et qui vocaverat, atque traxerat more magnetis inviſibili tractu, magis delectabatur in eis, quàm in abundanti convivio Phariſæi. Fluebant lachrymæ, nec ceſſabant, donec ab eodem igne ſiccarentur, qui cordis ſui glaciem in fluxibilem aquam reſolverat. Loti

ſunt igitur ex lachrymis pedes Domini, quibus venit ad humanas hominum mentes, & facta eſt in eis quædam abſterſio pulveris noſtrorum innumerabilium peccatorum, ut qui veras lachrymas fundit, agnoſcat ſua delicta lavari & mundari à maculis iniquitatis hærentis. Siſtitur profluvium lachrymarum diſpenſatione lavati, & ad aliam actionem virtutis ſpiritu docta conſurgit. Diſcriminat capillos capitis ſui, & plicatam cæſariem ſupra pedes expandit, ut abſtergat pedes, quos laverat lachrymis. Poterat hæc ſibi proviſiſſe de peditergio, ſicut de unguento providit. Poterat hæc mulier ab adſtantibus peditergium petere, ſed detinebatur à dulcedine pedum, ſuper quibus tota mola corporis firmabatur, nec patiebatur ad modicum ſequeſtrari à pedibus, donec juſſu Domini dimitteretur in pace, non enim volebat vacare ad verbum propter caroſactum Verbum. Damnum ſibi æſtimabat ſolùm erexiſſe cervicem. Poterat hæc mulier velamento aut capitis vitta pedes abſtergere Domini, ſed qui docet hominem ſcientiam, & ad veniendum lavandúmque docuit, & vocavit eum abſque verbo, inſtruxit, ut inſolitum peditergium inveniret, quod ipſa ſecum ferebat in ſui remedium, & in doctrinam atque exemplum omnium peccatorum. Capilli ſunt capitis, & cùm ſint de corpore atque in corpore, corporis non ſentiunt paſſiones, & ſine dolore ipſorum inciduntur, quod aliis membris corporis non dolere ab ipſa natura negatur. Caput cujuslibet mens eſt, cujus capillos impaſſibilitates intelligo, ad quas anima peccatrix pacto ſe ligavit, ne iterum ſubjiciatur paſſionibus vitioſis turpantibus animam, & corpori adjicientibus notam. Expedit enim omnino impaſſibilem fieri ad vitia concertantia in agone nobiſcum, ne animo & corpore paſſibiliter, quamvis ad paſſiones tentationum ferè non poſſit eſſe remedium, ſed non dubitet, qui tentatur, ſi paſſibiliter non ſuccumbit. O! utinam mihi adhæſiſſet tale peditergium, præferrem certè illud omnibus linteaminibus, quæ ab initio mundi ex arte humana manus potuit operari. Non quieſcit animus, quem exagitat Spiritus ſanctus, & nova operatur, qui nova ſuſcipit in doctrina. Stat ad pedes peccatrix, & non cogitat de receſſu, nec ſibi adeſt de convivio ulla cura, convivantes non aſpicit, neque cogitat, neque appoſitas intuetur dapes, ſuis intendit officiis, præpediri non vult, nec alios ipſa præpedit. Et ſicut ſuſcipit ad hos pedes mente doctrinam, novum reſurgit in opus, ruit in oſcula pedum, & premit duo labia ſuper pedes, ſuperius & inferius æquè ſtantes. Duo nempe labia os hominis claudunt, ut interdum verba non exeant, interdum dentes abſcondant, interdum fœtorem oris prohibeant exire. Claudantur labis, ne ſecundùm Apoſtoli prohibitionem malum verbum ex ore noſtro exeat. Inquit enim: Omnis ſermo malus ex ore veſtro non procedat. Et alia Scriptura dicit: Beatus, qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo. Abſcondunt ſæpe labia dentes, ne loquantur inaniter ſanctas meditationes, quibus omnia ruminat. De quibus dentibus Jacob dixit, cùm benediceret Judam: Dentes ejus lacte candidiores. Opera enim perfecta naturam oſſium habent in ſoliditate. Dentes autem oſſa noſcuntur eſſe. Meditationes ſunt dentes, in quibus maxima ſapientia eſt, ac acquiritur ſi non eſt. Ruminatur dentibus, quod rapacitate à quibusdam beſtiis in ventrem trajicitur. Teritur dentibus, quod ad valetudinem naturæ percipitur. Et meditationibus revolvuntur audita, & conteruntur cuncta, quæ obeſſe aut prodeſſe noſcuntur. Et hæc ſapientia intima eſt, quam ſapientes abſcondunt. Inquit enim Salomon: Sapientes abſcondunt ſapientiam. Prohibent ſæpè labia fœtores ſtomachi aut oris, cùm mutuò ſe conjungunt, ut homo malum, quod in animo conceperat, non loquatur, ne malum ex locutione ſortiatur effectum, aut aliis fœteat per malum exemplum, ſecundùm quam ſententiam Pſalmiſta dicit: Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Si quis loquitur malum, excepto qui ex charitate illud aut authoritate reprehendit, aut ipſe vult facere, aut ad ſciendum vult alios invitare. Si quis dolum loquitur, decipere vult. Hæc enim oris nefanda officia peſſimi ſunt fœtores. Sed videam attentius, quæ ſunt hæc labia peccatricis ſuper pedes Domini preſſa. Nam labia vocis & verbi exteriores ſunt clauſuræ, & magis apparenna inſtrumenta, ut ſi ad formandam vocem inſtrumenta cætera convenirent, labiis clauſis non dearticularetur, aut diſtincta percideretur auditu. Ipſa etiam ſuo tempore proferunt bona & expedientia moribus, & placentia ei, qui condidit atque aperiri permittit. Inter homines fulgebit prudentia, qui ratione noverit moderari. Scriptum eſt enim: Qui moderatur labia ſua, prudentiſſimus eſt, ne ab eis progrediantur indebita, neque congrua taceantur. Proinde alibi dicitur: Qui moderatur ſermones ſuos, doctus & prudens eſt. Et idem: Vas pretioſum, labia ſcientiæ. Quæ ſi ſecundùm typum, quem hæc mulier gerit, Eccleſiæ de gentibus collectæ, multa mon-

Ephes. 4. Eccl. 14. Gen. 49. Prov. 10. Pſal. 33. Prov. 10. Prov. 17. Prov. 20.

monſtrabunt adumbrata myſterio. Si verò prout ſignificat omnem animam peccatricem, in moribus conſideranda non pauciora conſurgunt. Amor & timor labia ſunt animæ, unum ſuperius, ſcilicet amor, timor labium inferius eſt. Quibus in veritate aſſiſtentibus animæ, ſi præpediatur tota corporis valetudo, exauditur à Do-
1. Reg. 2. mino. Scriptum eſt in regum volumine, quòd, cùm Anna propter filium impetrandum, quia ſterilis erat, ſupplex ſtaret coram Heli, Præ amaritudine atque dolore noo loquebatur verbum, ſed tantum labia ejus movebantur, & de prole meruit à Domino exaudiri. Nec Magdalena legitur verba protuliſſe, ſed labia timoris, atque amoris premebat in Domini pedes, & oſculis loquebatur. De quibus in Job di-
Job. 1. citur, quod in omnibus adverſitatibus advenientibus non peccavit Job labiis ſuis, ut à Dei timore, atque amore recederet, ut amore, atque timore privatus contra Dominum aliquid loqueretur. Judith ve-
Judith. 13 rò, cùm caput eſſet præciſura temulento Principi Holoferni, ſtetit ante lectum, & orabat cum lachrymis, & labiorum motu ſilentio, ut effectu poſſet implere, quod voto quærebat. Ecce igitur labia Magdalenæ atque animæ paccatricis, amor videlicet, atque divinus timor. Sunt etiam duo labia, quibus Domini premendi ſunt pedes, affectus bonus, & intellectus ve-
Job. 8. rus, de quibus in Job dicitur: Et labia tua replebuntur jubilo. Jubilus verò eſt ineffabilis mentis lætitia, quam lingua explicare non novit. Quo repletur affectus bonus, cùm per gratiam & in gloriam ineffabilem recipit bonitatem, & intellectus verus fulgentiſſimam ſuſcipit & ineclipſabilem claritatem. Quos ſemper velut labia quædam aperiri à Domino poſtulabat
Pſal. 10. David, dicens: Domine labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam, ut affectus ad bonum, & intellectus ſit apertus ad verum, ex eis reſonet laus divina in ore peccatorum omnium converſorum atque juſtorum. Necnon & activam vitam atque contemplativam duo labia, velut quoddam ſuperius & inferius appellamus, de quibus Jeſus filius Sirach dicit:
Eccl. 21. In labiis ſenſati invenietur gratia. Tota namque gratia, qua grati reddamur Creatori, & accepti ſumus in conſpectu magnitudinis ejus, labium inferius activa ſcilicet vita, & labium ſuperius ſcilicet contemplativa vita conſiſtit, pro quibus ſciendis atque tradendis effectui, omnis quærenda eſt doctrina. Unde Proverbiator dicit:
Prov. 12. Appone cor tuum ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi, cùm ſervaveris eam in corde tuo, & redundabit in labiis tuis. Pulchra eſt enim omnis doctrina, maximè divina, cùm præcipitur, pulchra & delectabilis eſt, cùm in corde ſervatur. Sed hæc eſt tota doctrinæ utilitas, cùm ad activam vitam, atque contemplativam agendam aptatur. Tunc enim redundat in labiis, cùm quis ſapienter actioni, & contemplationi intendit, de quibus ibidem dicitur: Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum, habebit amicum Regem. Labiorum enim gratia contemplativæ vitæ atque activæ, rationabilis executio dicitur, per quam Creatori omnium jungimur, & ad hæc duplicis vitæ labia pax æterna ſubſequetur, ſicut per Iſaiam dicitur: Creavi Iſaiæ 57.
fructm labiorum pacem. Rationem in virtutibus fundatam, & converſationem ſanctis moribus fultam non immeritò labia iſta declarant, de quibus Salomon di-
Prov. 8. cit: Labia mea deteſtabuntur impium. Nam fundata virtutibus ratio deteſtatur diabolum, & oulli malo, aut impio præſtat aſſenſum, & verbis ſemper arguit, quem impium eſſe cognoſcit. Converſatio ſancta non patitur cum impiis habere conſortium. Quem enim novit ratio altiſſimo inimicum, converſatio non patitur niſi per violentiam, aut ſpe correctionis eum habere conſocium. Verè igitur iſta labia deteſtantur impium, quæ tam premuntur dulciter in pedibus ſuper pium: Ecce preſſa labia ſuper Domini pedes, ecce labiorum oſculum ad ſignum pacis inventum. Vide quanta ſecum labiorum oſculum ferat, ut animæ peccatricis & Dei fœdera ſemper ferat. Quid enim ſunt iſta oſcula, niſi pactiones ad Deum? quid eſt oſculatio pedum Chriſti, niſi promiſſio imitationis veſtigiorum ejus? quid eſt oſculatio iſta, niſi pax facta in humanitate degente, ambulante & laborante pro nobis? Sed alius malè peregre iſt collo fidei oſculum accepit à patre, peccatrix hæc Domini pedes oſculatur in fide. Ille parum loquitur, iſta enim per impreſſum loquitur oſculum, quantùm diligitur oſculatus, & quantùm dilectum habeat in anima impreſſum, oſculum oſtendit in membra corporis preſſum. Et ſecundùm quod unctio ſecundùm Joannem in canonica ſua docet de omnibus, hanc mulierem unctio intrinſeca extrinſecus ungere docuit. Ideo ipſa unguento ungebat Domini pedes, & innovabat opera novi cultus, quia novum hominem noverat & variabat opera, ne velut otioſa pateretur ab ipſo repulſam. Quia nec ſtandum eſt otioſe ante divinos pedes, qui noo quieverunt in opere noſtræ ſalutis, ſed per montes & planicies, civitates & caſtella, per maria & deſerta fecere diſcurſum, donec configerentur in cru-

ce,

ce, ad expectandum omnem peccatricem animam, redeuntem de latibulis & cavernis & viis & sepibus peccatorum, fundentes sanguinem in ablutionem animarum nostrarum, & in recompensationem & retributionem fusarum lachrymarum atque fundendarum pro ipsius misericordia imploranda. Sed quod, aut quale fuerit istud unguentum, non audeo diffinire. Hoc tamen liniet unguentum, & quod noscitur rigidum, atque durum emollit. Multa ungebantur in veteri testamento, & Reges etiam profundebantur unguento, antequam regnare cœpissent. Sed ne violentiam videar inferre Scripturæ, humiliter protestabor hoc unguentum fore intimam charitatem, in cordis alabastro reconditam, effusam in pedes, in omnia illa, quæ divinè, atque humanè in nobis operatus est, ut totum amorem effundat in eum, qui totum nobis se contulit in salutem. Melius autem dixerim, quia unguentum ex multis aromatibus conficitur, omnes interiores vires, memoriam, intelligentiam, voluntatem, & si quid potest esse invisibilis potentiæ atque virtutis, & omnem corporis spritudinem, quasi aromata contrita per dispusinonem ad conficiendum unum unguentum aptum solùm divinis pedibus, atque mandatis, in omnem sequelam usque ad mortem, non ponendum pedibus Pharisæi, velut legem Mosaicam non dicere dignam hujusmodi sequelæ, quia nec ipsa ad perfectum quempiam suum duxit sequacem. Nec etiam effundendum super pedes Apostolorum, aut Discipulorum Christi. Neque ungendi Angelorum pedes, quos antiquus Abraham velut peregrinorum hospes in signum & figuram solùm aqua perfudit. Ut dicere audeam, ne applicandum pedibus Virginis genetricis Dei, & Domini nostri JEsu Christi Redemptoris omnium, in suis pedibus hoc unguento perunctis. Solus enim est Christus Deus, cui debetur omnis charitas, omnis gratiarum actio, omnis virtus, omnis honor, omnis gratia, omnis laus, omnis Dei benedictio, omnis timor, omnis subjectio, omnis obedientia usque ad mortem. Pro nullo decretum est mori, nisi propter Christum, aut propter eripiendas animas propter Christum. Soli enim Christo omnis honor & omnis gloria, & in omnibus & de omnibus & ab omnibus debetur in sæculorum sæcula. Ipse solus creavit & recreavit, salvavit atque redemit. Ipse solus beatificavit in superis, non alia creatura in Angelis & hominibus in esse producta. Si quid autem debemus Sanctis, propter ipsius participationem debemus. Mensuratè debemus certa proportione, ipsi autem sine mensura omnia debemus. Sed pro tanto sine mensura non est, quia quælibet creatura mensurata est, atque finita, & infinitos actus visibiles atque invisibues habere nullo modo potest. Habes peccatricis unguentum, omnem videlicet amorem & bonorum omnium aggregationem, quasi unum unguentum effundendum totum, atque totaliter in dominicos sanctos pedes, ad sequelam irretroversibilem vestigiorum ejus, ne in via iniquitatis ambulemus, atque ut non erremus in semitis veritatis, sed via regia gradiamur, non declinantes ad dexteram neque ad sinistram, donec perveniamus, quo ipse infallibilis doctor theoria & actu ducit, non viventes nobis, sed ei, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit. Vidimus deviam & subjugalem dæmoniorum septem exclusam à dæmoniorum imperio, absolutam à multitudine dominantium funestorum, reversam sub pedibus Imperatoris divini, omnia præcipientis levia, justa, honesta, utilia, non in tuum, sed in commodum subjectorum. Nunc suscipientis benignitatem interiori oculo videamus. Trahitur ista invisibiliter à magnete divino. Invisibiliter suscipit per amorem in altitudine mentis suæ, ut quamvis pedibus corpore provoluta subjaceat, in Christi mente altissimam tenet sedem, imò crediderim Christi amorem ad ipsam proclivius inclinatam, quàm ipsam pedibus Christi. Patitur tactum ejus, nec dedignatur peractam immunditiam ejus. Lavabatur enim, cùm ipsa lavaret, opera verò ejus improperat invitanti, illam præferens convivio Pharisæi. Tuetur eam à calumniis, & ibi, & deinceps ejus factus est advocatus adversùs Simonem, sororem atque pessimum proditorem, contra eam officium judiciale submittens. Dimittit sibi peccata propter amorem, vocali confessione submissa. Ipse verò summus Sacerdos videbat interiora ejus, ipsa verò confessa fuit per lachrymas ejus. Sed non ita nunc, quod factum est tunc. Pronunciat sibi post amorem virtutem fidei ejus, cùm salvam factam dicit ex fide, atque ipsam dimittit in pace celebrata mirifica retro divinos pedes. Pax, in qua prævaricatrix dimittitur, anima est, ut ita de offensa consistat secura, ac si non fuisset culpa commissa. Pertinet ad hanc peregrinationem infaustam typus perditæ ovis centesimæ, quæ, ut perret, errabat à numero centesimo, atque congregatione, quæ dicata erat Altissimo, & singulares vias incedens, ut lupis vespertinis parior esset ad prædam, fugiens pastoris sibilum & ducatum & correctionis virgam,

atque

atque canum latrantium ſecuram cuſtodiam, cui paſtor occurrit ante luporum incurſum, & revocat in caulas. Errat anima ſæpe ſingulares atque infames peragrans vias, & tanto, atque tam dulciter malorum errore detinetur, ut redire non poſſit, & neſciat, niſi revocetur. Errare à via veritatis penitus, eſt penitus à nobis per initium & proceſſum, atque morari, quouſque dies calamitatis adveniat. Redire autem penitus non ex nobis, niſi divinus paſtor uſque ad nos cum paſtoralibus inſtrumentis revocaturus accedat, & imponat ſuper humeros benignæ humanitatis, ſuper quos propter nos portavit crucem. Prophetæ plures, magis verò fides Chriſtiana huic adſtipulatur ſententiæ. Drachma decima perdita etiam typicè dicit peccatoris proceſſum, quæ approbatur vel reprobatur ex materia, pondere, ſuperſcriptione atque figura. Et cùm perditur, quatuor iſta in illa perduntur. Animæ materia neque bona neque mala eſt, ſi ex quo facta ſit ipſa, conſpicimus. Eſt enim ex nihilo & immaterialis, ſi ad elementa aut ad elementata componimus. Sed ſi ipſam conſideramus, quid eſt. Bona & nobilis & incorruptibilis ſubſtantia eſt, quam ſubſtantiam non incongruè quandam bonam materiam dicimus, uniformibus virtutibus aptam. Pondus cujus eſt amor humilis atque ſubjectus. Figura divina ſimilitudo atque imago, quas Creator ſibi contulit, cùm creavit. Supraſcriptum aut circumſcriptum mandatum, ne per creaturam à Creatore recederet, quæ perditur in pulvere terrenorum, & obvolvitur, & tegitur, ut non appareat, niſi diligenter quæſitor cum lucerna veritatis, quæ menti non oculis lucet, inveniat, & inventam reponat in theſauros divinos, ut ſit perfecta in decalogo præceptorum. In his duabus typicis locutionibus duas prævaricationes agnovimus, legis naturæ conditæ, atque ſcriptæ. In ove devia prævaricationem legis naturæ conditæ ſimplicis & incompoſitæ. In drachma verò hanc eandem & Moſaicæ legis maximè decalogi, propter numerum decimum, à quo perdita fuerat. Tu qui legis, intellige, Habet ovis ſolùm quam accepit exiſtendo naturam, habet drachma naturam & artem. Prævaricatio fuit in ove uſque ad Moyſen, in his, qui malè fecere, prævaricatio in drachma uſque ad finem ſæculi. In drachma metalli non mutata natura mutatur ſæpe character atque figura, necnon & ſcriptura interdum dilatatur, & plus de ſupraſcriptione apponitur. Nam additum in ſcriptura intellectualis drachmæ ad id, quod accepit tempore Moyſi, in tempore Chriſti. In omnibus his ſolus eſt ipſe, qui revocat, qui condidit, & ſalvare poteſt homines, propter homines in tempore factus homo. Deviavit ſiquidem Petrus timore perterritus, & negavit eum, quem Dei Filium fuerat ante confeſſus, quem etiam non ſe negaturum fuerat paulò ante profeſſus. Sed reſpectus à Domino per revocantem gratiam, per lachrymas cordis veram pœnitentiam indicantes, quia flevit amarè, delevit peccatum, reconverſus ad Dominum. Latro verò ſemper à via veritatis & à bonis motibus devius, ultimo morti vicinus; æternæ vitæ cognovit authorem, & ſeipſum pœna plecti dignum pro ſuis maleactis dijudicans, pœnæ gehennalis evaſit exitium. Et mente credens, ore verò pronuncians ſecum pendentem in ſimili tormento, diſpari merito, Dominum univerſi, nec pœnam credidit poſſe derogare majeſtati divinæ, quam in illa carne paſſa per fidem firmiter eſſe cognovit, & fidei perſpicuitate vidit in animo alterius ineffabilis regni habere dominia, quem juxta ſe propter terrenum regnum ab impio Præſide tam turpiter viderat judicatum. Et ejus ſe poſtulavit fieri per fidem in ſuo regno conſortem, quem in horrendo patibulo habebat ſine culpa participem. Ait enim: Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum. Sed ad eum facta reſponſio magis demonſtrat, quantum iſte latro converſus in ultimis ipſi Domino adhærebat, Sanè in reſponſum accepit: Hodie mecum eris in paradiſo. Quæ verba præſentis diſſertionis non ſunt, in ordine alio exponenda ſuccedunt, ſed hic appoſita ſunt, ut in nullo quis præmia divina deſperet, cùm in omni loco, ætate & tempore ante vitæ terminum Dei miſericordia & indulgentia ſit parata, ſi per veram pœnitentiam anima peccatoris fuerit præparata. Igitur habes peccatoris progreſſum, & ad Deum factum in veritate regreſſum, cujus tractatus in Domino finem damus, addentes alium pro generalitate atque ſpecialitate malorum, in quæ poteſt peccator peregrinari atque defluere, ut cautior fiat,

qui cavere intendat, & aperire ſciat,
qui redire diſponit.

Tractatus de generalitate & ſpecialitate malorum, in quæ poteſt peccator peregrinari.

Cap. XLI.

De corruptela peccati.

HOneſtas fidei Chriſtianæ inhoneſta pro poſſe devitat, ſed ordo requirit, ut prius devitanda cognoſcat. Igitur quia honeſtam, & honore prædictam creaturam diabolus eſt dehoneſtare conatus, & ab honore creationis in barathrum damnationis immergere, & corrumpere incorruptam, quia ipſam incorruptibilem prægnovit, quia ſeipſum nobilius factum per peccatum corrupit, idcirco de corruptela peccati libet doctrinam innectere, ut quod vitare debeat Chriſtianus, agnoſcat. Sed peccatum, licèt multa nomina capiat, plures tamen malos ſortitur effectus. Et ſi quis ſuam varietatem dinumerare voluerit, multiplicabuntur ſuper maris arenam. Dicitur quandoque malum, juxta illud, Job. 1. dum commendaretur Job, vir ſimplex & rectus, & timens Deum, & recedens à Prov. 8. malo. Et in Proverbiis Salomonis: Timor Domini odit malum. Et alibi: Sa- Ibid. 14. piens timet, & declinat à malo. Dicitur quandoque macula, quia imaginem Dei deformat. Sapientia refert: Beatus vir, qui inventus eſt ſine macula. Et cùm David quæreret, quis in monte vitæ æternæ requieſceret, dicens: Domine, quis Pſal. 14. habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Reſponſum in ſe ipſo à Spiritu ſancto accepit: Qui ingredietur ſine macula, & operatur juſtitiam. Dicitur etiam pollutio, & hoc quantum ad contagionem contractam ex terrena delectatione. Unde Jeremias: A Thren. 1. Prophetis Jeruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram. Dicitur etiam reatus, quoniam obligat ad æternam pœnam. Quod noſter Salvator ait in Evangelio: Matth. 5. Qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis. Dicitur quandoque culpa, & hoc prout reſpicit pœnam. Unde Ezech. 18 Ezechiel: Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. Dicitur delictum, & hoc ſecundùm quod eſt receſſus à dignitate gratiæ habitæ, quod fit, cùm anima recedit, & de- Iſaiæ 1. relinquit Deum. Unde Iſaias Jeruſalem improperat, dicens: Dereliquerunt Dominum. Et alibi: Qui dereliquerunt Dominum, conſumentur. Dicitur prævaricatio, & hoc inquantum mandatum Dei deſpicit. Sic & Pſalmiſta deplorat: Vidi Pſal. 118. prævaricantes, & tabeſcebam. Dicitur vitium inquantum eſt defectus naturalium bonorum, quia ex eo vitium eſt, quia interimit, quod in natura placet. Dicitur ſcelus, propter injuriam Dei magnam. Propter quod in Iſaia ex perſona patris de filio dicitur: Propter ſcelus populi mei Iſaiæ 53. percuſſi eum. Hoc eſt, propter magnam Dei offenſam & opprobrium meum magnum percuſſi filium meum. Vocatur nefas, prout eſt illicitum perſonæ perpetranti. Unde in Eccleſiaſtico dicitur: De- Eccle. 24. diſti maculam in gloria tua. Vocatur crimen, prout eſt dignum accuſatione & pœna. Sic & Sapientia dicit: Pugnabit pro Sapien. 5. eo orbis terrarum. Nominatur peccatum, prout ſit converſio ad bonum commutabile, cujus rei cauſa factor ſit mutabilis. Threnorum: Peccatum peccavit Jeruſa- Thren. 1. lem, propterea inſtabilis facta eſt. Vocatur pœna, & hoc inquantum reſpicit primi hominis peccatum, in quo natura noſtra corrupta fuit. Quacunque die come- Gen. 2. deritis, &c. moriemini. Dicitur iniquitas, prout divinam juſtitiam inæquat. Dicitur malitia, quia molitur contra Deum, ſeipſum & proximum. Sed quocunque modo nominetur, ſubſtantia caret, ſubſtantia non eſt, & inter creaturas nominari non poteſt, nec per ſe ſubſiſtere poteſt, ſed eſt in bona, & ex bona natura, quam Deus creavit. Et ſi nulla bona natura creata eſſet, peccatum ſeu malum, ubi conſiſteret, non haberet, cùm aliud non ſit malum ſeu vitium, niſi quod eſt bonæ naturæ ſpirituali aut corporali adverſum, & per ſeipſum non habeat eſſe poſitivum. Nam ſicut abſtinentia poſitivè nihil eſt, & ex ea tamen corpus languet, ſic peccatum nihil eſt, & animæ bonum turpat, & corrumpit naturam per culpam & gratia privat. Quid eſt cæcitas oculorum, niſi privatio viſus? Et mutitas quid aliud, quàm privatio loquelæ? Surditas quid ponit in eſſe, niſi quia privat auditu? Quid ponit ſilentium, aut realiter efficit, niſi quia tollit vocem aut prohibet clamorem? Quid mors actuale habet exiſtens, niſi quia vita privat?

vat? Quid enim aliud eſt malum, aut vitium corporis, niſi quia ſpeciem & modum & ordinem in ipſo corrumpit, minuit aut deſtruit? Quod ſi totaliter deſtruit, non habet, ubi ultra ſubſiſtat. Si minuit, quod remanet, dolet, dolendo teſtificatur, quòd bona natura eſt, quæ de malo, quod patitur, dolet, & quod malum nihil aliud eſt, niſi quod adverſum naturam eſt, pugnans, aut deſtruat, ut quod vitiata ex boni diminutione permaneat. Quid autem aliud eſt malum ſubſtantiæ ſpiritualis, niſi ut ſupra tactum eſt, corruptio ſpeciei, modi & ordinis? Species verò in anima, quæ à peccato corrumpitur, eſt ipſa ſimilitudo ad Deum. Facti enim ſumus ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quam peccatum deturpat & diſſimilem reddit. Modus autem ipſa eſt forma vivendi, & intelligendi, amandi, volendi, appetendi, recordandi, timendi, veniam ſperandi, gaudendi, triſtandi, dolendi, quam peccatum corrumpit, ut modus omnino non ſit, quia modus ibi ſolùm eſt, ubi neque plus, neque minus eſt. Sed peccatum in talibus animæ potentiis & affectionibus ita modum & formam corrumpit, ut aut anima infra ſubſiſtat, aut omnino excedat. Ordo autem in anima eſt ipſa intentio ad finem. Nam omnis ordo cauſarum, actionum, voluntatum & intentionum tendit ad finem, finis verò cunctorum eſt Chriſtus. Quem ordinem peccatum corrumpit, ut anima ſe non ordinet in affectionibus, atque operibus ſuis ad finem, unde beata ſit, ſed trahit deorſum ad creaturas per concupiſcentias vitioſas, ut ſpreto incommutabili bono fructificando in ipſo, & ex ipſo, & per ipſum bonum, commutabile, atque corruptibile faciat finem ſuum. Sed, cùm malum non habeat ſubſtantiam, neque poſſit per ſeipſum præterquam in aliqua bona natura ſubſiſtere, cùm ſit nihil, quomodo in id, quod eſt, & bonum eſt, prævaluit? Et cùm creatura bona ſit Deum habens intra ſe, non tamen incluſum, ſed totam ſeipſam ſcientem, habens extra ſe, non tamen excluſum, ſed totam ſeipſam protegentem, habens ipſum Deum infra ſe non depreſſum, ſed ipſam ſuſtentantem, habens ipſum ſupra ſe, ſed non elatum, ſed ipſam providè gubernantem, unde ergo ad intrandum ad ipſam aditus malo patuit? Qua via venit, quomodo hic irrepſit, per quam portam intravit? Unde dicit Scriptura: Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Gen. 1. Unde ergo malum, cùm Dei factura non ſit? Antiqua eſt quæſtio iſta, & in Evangelio renovata: Domine, nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo, unde ergo habet zizania? Matth. 13

Ventilata ſubtiliter à plerisque Doctoribus, quorum aliqui erraverunt à fide, dicentes Deum eſſe authorem mali, aliqui verò duo principia, unum mali, alterum boni, aliqui ſecundùm fidem Catholicam ſunt locuti, quam in omnibus præmiſimus & præmittemus, quos in præſenti opere non ſequamur, cùm malum non habeat eſſe, præterquam in bono, non procedit, niſi à bono, & in omni genere cauſæ non habet veram cauſam. Nam, cùm ſit defectus, non habet cauſam efficientem, ſed deficientem, quia peccatum facit deficere à Deo indeficienti, & rebus deficientibus adhærere. Cùm ſit nihil, & privatio boni, non habet cauſam materialem, ſed materiam corrumpentem. Cùm ſit formæ vivendi & formalis pulchritudinis deſtructivum, non habet cauſam formalem, ſed formam auferentem. Cùm avertat à vero fine, non habet cauſam finalem debitam, ſed pœnalem, finalémque naturæ bonæ non competentem, peccatrici verò convenientem. Igitur in omni genere cauſæ non habet debitam cauſam. Unde ergo venit? A propria voluntate creaturæ rationalis, in ſe, aut in aliquo corruptibili extra ſe, non in Deo delectantis. In ſe, ut in Angelo, quia extra ſe nihil, niſi Deus erat, in quo delectari poſſet ſecundùm ſuæ naturæ nobilitatem, ſed à Deo averſus, ad ſeipſum converſus peccavit, de quo infra cùm de Angelis locutio erit, fiet ſermo prolixior. In homine verò in ſe primo, & extra ſe citra Deum, & præter Deum fuit, & eſt prohibita delectatio. Nam peccatum non eſt, nec eſſe poteſt ex aſpectu malarum rerum, quia res malæ non ſunt, cuncta bona fecit Deus, nec ex appetitu rerum bonarum, quia bonus eſt animus appetens, bonæ ſunt res appetitæ, ſed ex averſione à Deo & converſione ad creaturas per prohibitas & illicitas delectationes. Erit igitur malum à mala voluntate, & voluntas mala non eſt ab alio, niſi à ſeipſa. Et ſi dicatur, quòd diabolus in forma ſerpentis prævenit in primis parentibus voluntatem, ipſe ab initio peccator & malus exiſtens, voluntatem ergo primi peccatoris aut Angeli peccaotis quis prævenit? Nullus. Sed à ſeipſa voluntas in Angelo, & in homine facta eſt mala. In Angelo, quoniam à nullo præventa, in homine, quia libera, nec à diabolo violentata, quamvis deceptioni ejus præſtaret aſſenſum, primum in ſeipſa, & à ſeipſa, & per ſeipſam decepta. Non eſt ergo peccatum à voluntate bona exiſtente, ſed à voluntate libertate arbitrii malè utente, qua contemnit omnium conditorem in præceptis ſuis, & ab ipſo avertitur, qui eſt bonum ſummum, ſummè

mè beatificare valens, & volens, & in eo noluit delectari, neque causas delectationis inquirere, ipsam existentem sempiternè velut non existentem relinquens, ad creaturam se convertens. In tali conversione creatore contempto, qui relictus injustè creaturam justè relinquit, unde peccatum seu malum aut quomodolibet nuncupatum ortum & principium habuit, & malum, & peccatum fuit non sui positivum, sed boni naturalis, gratiæ, & gloriæ privativum. Perlucidè igitur non curiosis, sed humilibus verum desiderantibus patet, quòd perversus amor à voluntate progrediens, & perversus usus subserviens in divinam transivit offensam. Nam non est peccatum cibus à Deo creatus in creaturarum sustentationem, sed est peccatum voluntatis perversè amantis, & utentis cibo. Non est peccatum mulier, neque bestia, neque puer, sed voluntatis perversè amantis & utentis, præter divinam legem, puerum, bestiam, & mulierem. Neque peccatum est aurum, argentum, aut quodcúnque metallum, neque peccatum dicemus esse lapidem preciosum aut vestimentum seu calceamentum, aut hortum, domum & agrum, filium & amicum. sed voluntatis pervertentis contra legem Dei amorem vel jussum. Et ut breviter perstringamus, quæ multa volumina petunt, diclmus creaturam aliquam visibilem & Invisibilem, corporalem, aut spiritualem, cognitam & incognitam, parvam aut magnam, supercœlestem aut subcœlestem, positivam aut realem, aut in ratione aut imaginatione hominum non existentem, non est peccatum, sed voluntatis perversè amantis, aut utentis aliqua re, quæ aut per legem naturæ, aut per legem testamentorum Dei veteris & novi ordinata est, quantum & quando & quare debeat diligi, & quare, & quando, & quantum rationalis creatura debeat uti illa. Et cùm multi catholici doctores, & sancti eonati sunt diffinire peccatum, quorum diffinitiones libet tacere præsenter illas non reprobantes, nec definiendo, quod positionem non habet, sed dando parvulis intellectum, sententiuneulam talem adjicimus. Peccatum est omne illud, quod Deo displicet, & facienti nocet. Ad cujus intelligentiam oportet animum præstare attentum. Nam omne, quod prohibitum est, velle, diligi, & fieri, aut prohibitum, quia peccatum erat, aut peccatum fit, quia post prohibitionem volitum, dilectum & factum est. Ac per hoc idololatria, blasphemia in Deum, furtum, homicidium, usura, rapina, invidia, ira, superbia, gula, omnis luxuria, omnis avaritia, & his similia magna mala, non jam peccata, quia prohibita, sed ideo prohibita, quia per naturam sunt perversa peccata. Comedere autem carnes in quadragesima, & similibus diebus, non ideo prohibitum, quia peccatum, inquit Apostolus ad Timotheum. Nihil prohibitum est, quod cum gratiarum actione percipitur. Sed ideo peccatum est, si post prohibitionem admittitur, & his similia, si quis vellet exempla prolixius perquirere. Sed quoquo modo peccatorum consistat conditio, aut quomodolibet nominentur, seu exoriantur, Deum offendunt & facientem lædunt, cujus rei causa peccata & mala sunt. Quare autem Deus ex his offendatur, & si fiunt, reputat se offensum, cùm sibi non noceant, & quare facientem lædant, ordo divinæ justitiæ requirebat, ut per contraria clareret rerum bonitas naturalis, cujus declaratio est magni voluminis, sed non præsentis operis. Proinde non ultra investigemus talia, sed caveamus prout possumus minima & magna peccata, & ab ipsis secundùm sapientiæ sententiam fugiamus dicentis: Quasi à facie colubri fuge peccata. Etsi accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes ejus, interficientes animas hominum. Quasi rhomphæa bis acuta omnis iniquitas, & plagæ illius non est sanitas. Propterea terrendi essent homines, ne peccarent, quod fortasse caverent, si quantum peccata nocent, aut quæ damna sciant, providerent. Quorum damnorum numerus omnium calculantium resolveret digitos, si aliqua curiositate ad notitiam, quod est impossibile, duceretur. Nam quomodo numerabitur damnum, infinitatem amissi boni, malique inventi temporis & loci penitus secum portans? Quod modica sententia Isaias aperuit, dicens: Iniquitates vestræ diviserunt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem ejus à vobis, ne exaudiret. Quam sententiam, si quis diligenter inspexerit, omnia suprafata mala prospiciet. Sed ut terror incutiatur his, qui naturæ fragilitate, animi levitate, rerum placabilitate, conversationis amœnitate, sensuum vagatione, imitatione exemplorum labuntur. Et congruum duxi secundùm scripturarum sanctarum probationem, quæ pro peccatis damna proveniunt, prout in generali potest sermo profundi, & in speciali requiri ordo dicendi, Deum timentibus, atque hoc legentibus enodare. Quem o! infelices peccare delectet,

1 Timot. 4.

Eccl. 21.

Isaiæ 59.

ctet, cùm peccatum Dei conſtituet inimicum, quando mundi hujus per inordinatum affectum facit amicum? Quod Jacobus in Canonica ſua dicit: Quicunque voluerit amicus eſſe hujus ſæculi, inimicus Dei conſtituetur. Et ſervus peccati efficitur actor ejus, quod in nulla hominum eveniet actione, ut quis ejus quod efficit, ſervus fiat, cùm factor operis ſeu poſſeſſione, & artis peritia per illa, dum efficit, Dominus appelletur. Et Salvator hanc perverſitatem, videlicet Dominium operis in actorem ſententialiter diffinivit, in Joannis Evangelio dicens: Qui facit peccatum ſervus eſt peccati. Ex quo trahitur, quòd nec unius Domini, ſed tot Dominorum quot vitiorum actor eorum ſervus efficitur, & caleat ſuper nos peccatum velut Rex Dominus conſtitutus, ut ejus calcaneo finali ſcilicet dominio urgeamur. Quod Job enunciat dicens: Calcet ſuper eum, hoc eſt peccatorem, quaſi Rex interitus, peccatum certè vita privans. Cujus regnum in nobis non ſieri perſuadet Apoſtolus. Non regnet, inquit, peccatum in veſtro mortali corpore, quia peccati regnum in miſera mundi vita, in alia pœnarum expectat dominium, cùm ex ipſa fiet opportunus egreſſus, in aliam verò æternè pœnalem irrevocabilis erit ingreſſus. Et juxta Proverbiorum ſententiam, malum ſemper perſequitur peccatores, & parata ſunt judicia deriſoribus peccatoribus, & mallei percutientes corporibus injuſtorum. Sed antequam peccatorum ſequatur pœns perpetua, indurat ad pœnitentiam tale malum, ſicut induratum eſt cor Pharaonis, ut etiam flagellis, & miraculis non emolliretur ad veniam. Et Job effectum dæmonis in hominum corda declarans, dicit: Cor ejus indurabitur quaſi lapis, & ſtringetur quaſi malleatorum incus. Et Jeremias populi peccata deplorans dicit: Peccatum Judæ ſcriptum eſt ſtylo fereo in ungue adamantino. Et Zacharias hanc duritiam de ſuo populo narrat, dicens: Cor ſuum poſuerunt ut adamnantem, ne audirent legem. Qui lapis ſecundùm gemmarum peritiſſimos cognitores alicui metallo non cedit, noſtri cordis duritiam ex noſtro peccato provenire demonſtrans. Excæcabit plerumque hominum corda peccatum, ut quam viam gradiamur penitus ignoremus, nec aſpiciamus terminum, ultra quem non patebit proceſſus. Quod & David non tacuit, cùm edixit: Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens eos. Peccatorum namque tenebræ ſunt, ut nec viam, qua pergimus, & terminum, ad quem tendimus, videamus. Et lubricum eſt in peccatorum viis, ut de uno cadamus ad aliud, dulcedine tracti, ut aliqua fallacia decepti, necnon & plerunque merito proruamur inviti, juxta Apoſtoli ſententiam. Non enim quod volo, hoc ago, ſed quod odi, illud facio. Et Angelus per dominium poteſtatis perſequitur nos, quia malus per arbitrium voluntatis, imo inſequitur & perſequitur noſtrorum merito peccatorum. Inſequitur, ut cumulemus peccata peccatis, & perſequitur velut à Deo fugientes, qui refugii loca nequimus inquirere, ut in eamporum latitudine nos comprehendat, & in æternum ſubditos habeat ſuæ imperio poteſtatis. Et idem David velut imprecativè ſeu propheticè cæcitatem ad peccatores evenire propter peccata denunciat: Obſcurentur oculi eorum, ne videant. Et alibi: Supercecidit ignis concupiſcentiæ malæ, ſolémque non viderunt Chriſtum ſummæ juſtitiæ, de quo damnati conqueruntur dicentes: Erravimus à via veritatis, & juſtitiæ lumen non illuxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortis nobis. Et ſuper montem caliginoſum levate ſignum, in Iſaia dicitur. Quod nihil aliud ſonant, niſi quod ſupra mentem noſtram & altitudinem intelligentiæ ſuæ ignorantiæ nebulis caligantem, & tenebris peccatorum denſiſſimis obſcuratam levetur ſignum, ſcilicet crucis, in quo ſigno deletur omne peccatum, & ab ipſo fugantur tenebræ vitiorum. Et ſemper cùm committitur, obligat ad pœnam, ut primorum parentum monſtrat juſta damnatio facta comminatione contempta: Quacunque die cumederis inquit, ex eo morlemini. Replet amaritudinibus conſcientiam culpa commiſſa, ut in ſeipſa cognoſcat, quod malum eſt, quod peccavit. Quod Jeremias ad Jeruſalem loquens non tacuit, quæ per peccatum Dominum reliquit, dicens: Vide quàm malum, & amarum eſt dereliquiſſe te Dominum Deum tuum. Necnon & ipſa bona naturalia vulnerantur in nobis, cùm delectationem & operam quærimus in prohibitis. Quod ille nobis annunciat, qui recedebat deſcendendo à Jeruſalem civitate ſcilicet pacis, quam innocentiam & gratiam ſervatam intelligimus, in Jericho in rerum creatarum defectibilem & lunarem, frigidam & variabilem delectationem, qui cogitatione ac delectatione necnon conſenſu, antequam attingeret, quo pergebat, incidit in latrones, & extitit vulneratus, & ſemivivus relictus, quod in volentibus malè

Jacobi 4.
Joan. 8.
Job 18.
Rom. 6.
Prov. 19.
Job 41.
Jere. 17.
Zach. 7.
Pſal. 34.
Rom. 7.
Pſal. 73.
Pſal. 57.
Sap. 7.
Iſaiæ 13.
Gen. 2.
Jerem. 2.
Luc. 10.

agere ſæpe contingit, ut antequam opere compleant, ex conſenſu deliberato in naturalibus puniuntur, ut ſemivivi ferè, videlicet cum libero arbitio relinquantur. Trahit nempe ad aliud, ſi ſtatim non reſiſtitur commiſſo peccato, ut per pœnitentiam & ſacramentorum myſterium deleatur. Quod & factum eſt in Cain, cujus invidia ipſum ad homicidium traxit, & Deum arguentem contempſit. Et juxta Salomonem: Peccator, cùm in profundum malorum venerit, contemnit Deum, ſcilicet & virtutem, & ſeipſum, & gloriam, & pœnam, & ſanctarum ſcripturarum admonitionem, & prædicatorum doctrinam quaſi anilem reputat canilenam. Nam facit inſenſibilem animam quodammodo peractum malum, ut non ſentiat, quid mali nanciſcatur quidve boni amittat, ut nec evenire credat, velut, ſi canis, aut aliqua beſtia in navi exiſtens alicujus judicio ſubmergenda, ligatum ad collum pondus non ſentiret, quousque ab ipſo maris profunda petente traheretur invita, nec naturæ donum de ſupernatando aquis beſtiam liberat ponderi graviſſimo alligatam, quod pondus non natandi donum, ſed ſubmergendi proprium acceperat à natura. Sic evenit plerumque peſſimo peccatori, quod ſi ex animæ natura, ſeu ex Chriſti gratia data poſſit ſuperferri, ſed nec ſubinferri pœnis, tamen alligato peccato ex ejus proprietate affligetur in eis, ipſa inſenſibilitate cauſante materiam ante pœnam. In ipſo verò receſſu à corpore in portis mortis anima multabitur ex peccatis, cùm dæmonum ſullinebit inſultus, illuſiones patietur, oportebit pugnare cum dæmonibus moriendo, quibus vivendo noluit repugnare. Quid verò poſt mortem patietur peccator, cùm de pœnis erit ſermo, dicetur: ſed hic in generalitate quadam peccatoris mala perſtringam. Peccator eſt inimicus Dei, Angelorum æmulus, & amicorum Dei actu & mente contrarius, inimicorum Dei amicus, dæmonum ſervus, deformata imago, indignitas vitæ, turpator naturæ, corruptor morum, odium ſui, ſubſannator virtutum, virtuoſorum irriſor, contemptor Dei in mandatis, illuſor in ſacramentis, deriſor in promiſſionibus, cœli exul, inferni promiſſus cives, amator mundi, turpitudinis cultor, ſubſellium libidinis, crudelis & amara vita, prava conſcientia, iniqua voluntas, intelligentia perverſa, ratio corrupta, memoria ſterilis, anfractuoſus mons, organum & cithara & inſtrumentum diaboli ex malitia, & ex voluntate, & non ex proprietate naturæ, materia infernalis ignis, cœnobium malarum cogitationum, obſcuratus ſol, eclipſata luna, ſtella de cœlo innocentiæ cadens, ignis in ſeipſo ardens, obtenebratus contemplationis aer, aqua maris amara, ex fervore mali quieſcere non valens, fluxibile lutum in mari damnationis, graviſſima terra ex ponderibus peccatorum, tribulos & ſpinas malitiæ germinans, cibusque ſerpentis deceptionis antiqui, avis inconſtans, aquila per ſuperbiam altè volans, falco inſidians innocentiæ, accipiter ungulans, milvus ad viſcera putrefacta deſcendens, corvus procraſtinans pœnitentiam, cadaveribus mortuis videlicet operibus inſidens, columba ſeducta, philomela decipiens, caladrius querulus, paſſer ſolitarius in parietibus habitans, regulus pungentes incolens ſepes, umbra infernalis luminis, nubes aquarum malatum, obſcura nebula tonitruum terrens, vapor percutiens, ventus Eccleſiæ enaviganti contrarius, inquietum mare, naufragus in pelago, & plerumque in portu, navis ſine gubernatore, carens omni artificio navigandi, piſcis ſub aquis luxuriæ natans, leo ſeipſum devorans, urſus ſeipſum halans, aper ſe vento inanis gloriæ paſcens, lupus ſimplicitatis deſtructor, aſinus piger, canis ex iracundia latrans, ex memorato delectatione mali revertens ad vomitum, ſus voluta in cœno rerum, lepus trepidans, ubi non eſt timor, fera peſſima, augmentum bonorum exterminans, pardus ſe per pellem ad malum varians, æthiops deformis, talpa terræ rationalis, veſpertilio volans voluntariè in tenebris, lucem ſponte veritatis abhorrens, appropiatio typica omnis deformis actus ad omne inconveniens, tam in animatis, quam in inanimatis, poſſibile per hominem deformatum hominem operari, abuſio rerum, perverſor ordinis, deſtructor modi, fidei fallator, ſpei obtrectator, charitatis ſuggillator, juſtitiam exterminans, prudentiam reprimens, temperantiam parvipendens, fortitudinem effœminans, deceptio vers, obtenſio falſa, placiti affectio, vetitatis expulſio, res & actus impertinens, importuna macula, univerſi querela, diſſociatus collega, reciprocum malum & quorunque tranſitivum damnum, ſemper verò actio retranſitivè nocens, intranſitivè plerunque agens, quod necat agentem.

Gen. 4.

Prov. 18

Cap.

Cap. XLII.

De peccato originali.

INtelligentiam hominum meritò fides Chriſtiana præcedit, nec erit ordo præpoſterus, ut per intelligentiam veniamus ad fidem, ſed per fidem ad intelligentiam veniamus. Sed plerunque intellectus terretur fidelis hujus mala conſidetans, &, ut caveat ad cognoſcendas ipſorum ſpecies, animatur. Sed ordo tractandi requirit, ut de originali malo, quo quilibet ex altero propagatur infectus, primitus diſſeratur. Unde fidè Chriſtiana, non agnitione temeraria tu qui legis, attende. Quamvis anima noſtra non traducatur ex alia, nec ex carne quomodolibet propagetur, quia nec ex Adam anima Evæ facta fuit, quamvis caro de coſta, nec de carne ſua, velut caro formata fuit, ſed per ſe creata, per ſe infuſa. Et hoc infallibilitet tener credulitas Chriſtiana, quod dum creatur infunditur, & infunditur dum creatur corpori vivificando per ipſam; & in hoc cæterorum devitat errores, qui circa creationem animarum multipliciter & infeliciter erraverunt. Et ſicut factum eſt in parentibus primis, ita ſecundùm ordinem altiſſimæ prudentiæ ab Adam propagatis ſervatur in cunctis; tamen culpa originalis ab anima Adæ tranſivit ad animas poſterorum carne mediante, quæ per concupiſcentiam generatur. Nam primò perſona vitiavit naturam; natura vitiata vitiavit perſonas, quotquot ex humano ſemine dicimus propagatas ad vitam productas, ſive nondum natas, ſed in utero matrum per infuſam animam vivas, quæ ſi etiam in utero morerentur, merito peccati originalis multabuntur carentia divinæ viſionis, ſive vident mundi lucem, originalis maculæ dicimus maculatas, præter Chriſtum non de ſemine factum, ac Beatam Virginem Mariam, quæ ut Mater Dei ſpeciali prærogativa à peccato originali præſervata fuit, & ſanctificatos in utero; qui licet in peccato concepti fuiſſent, cùm peccato nati non ſunt, ſanctificante eos in utero gratia Spiritus Sancti, quæ gratia originalem delevit & culpam. Quod peccatum propter hoc originale dicitur, quia omnes cum ipſo naſcimur, & ab ipſo in humana natura omnia mala ſumpſerunt ortum, non ſolùm ſpiritualia, ſed etiam corporalia, velut pto vindicta, ſententiam dicente divina juſtitia in homines proceſſerunt. Cuius derivatio ad poſteros multorum commovet animos, ut aliqui divinam juſtitiam dicant & reprehendant velut injuſtam. Multi verò in hæreſim lapſi ſunt, dicentes non eſſe originalem culpam, & baptiſma ſuperfluè eſſe inſtitutum ad ipſam abolendam. Sed quoniam opus agimus de intelligentia & vita Chriſtiana, non expedit adversùs tales diſputando diſſerere, ſed humili fide, ſicut per fidem accipimus credere & tenere, ſcilicet peccatum originale derivari ab Adam in poſteros, hac ſcilicet divina & irreprehenſibili juſtitia: quia quamvis ipſum peccatum non ſit voluntarium neque actuale in naſcentibus poſteris, ſicut fuit voluntarium & actuale in parentibus primis, non tamen debuit, neque debet aliquis parens melioros ſe filios generare. Nam ſi Adam ex peccato commiſſo nondum per debitam pœnitentiam deleto damnatus erat, non debebat ſalvos filios generare, ut filiorum, quam parentum potior eſſet conditio. Quoniam ergo ordinatiſſimum eſt, quòd natura humana ſic conderetur, & quòd condita ita propagaretur; ſic & quòd peccans ita puniretur. Proinde ſicut in conditione ſervatus eſt ordo divinæ ſapientiæ, in propagatione ſervatus fuit, & eſt ordo naturæ pro peccato, in punitione ſervari debebat ordo juſtitiæ, patet, quòd non eſt contra divinam juſtitiam, ſi ad poſteros culpa transmittitur. Et ſi de natis ex ipſis, qui per baptiſmum renati ſunt, quiſpiam animus hæſitaret, quòd non deberent culpa originali teneri, facilè à dubio abſolvitur, ſi propagationis ordo penſatur, & originalis maculæ cauſa in ſuo proceſſu tenetur. Nempe anima ut ſupra fatum eſt, non eſt ex tradue, quòd anima transducatur ex anima, ſicut caro ex carne, nec naſcitur Chriſtianus ex Chriſtiano, ſicut ex homine naſcitur homo. Et carnalis nativitas ſeu propagatio humanitatis eſt ex natura infuſi ſeminis & ſuſcepti, Chriſtianus verò non ex natura, ſed ex divina gratia. Nemo igitur poteſt dare ſemini ſuo per naturam, quod per naturam ipſe non habet, quod ſi poſſet, ſequeretur, quòd res inanimata & irrationalis poſſet habere Chriſtianam gratiam, & virtutem, cùm ſemen infuſum maneat in lacte ſex diebus, & novem maneat in ſanguine commutatum; duodecim verò in carne coagulatum, decem & octo membrorum figurationem ſuſcipiat, antequam anima infundatur. Ille igi-

ut & nominis & rei velint habere notitiam, ad quam tenuitas noſtri animi ſe protendit, ac per hoc nomen infirmitatis juſtè ſortitur, cùm animam impotentem reſiſtendi moribus ipſa reddit. Fœditas appellatur, cùm animam maculet carni unitam. Pronitas dicitur, cùm pronum appetitum, & corpus faciat in malum. Corruptio nominatur, cùm ad peccati nihileitatem ipſa deducat, & virium dicitur, cùm naturalia bona diminuat, languor rectè nominatur, cùm tantùm duraverit, & durare debeat in natura corrupta. Tyrannis etiam dici poteſt, cùm violenter dominetur potentiæ concupiſcibili. Fomes etiam fertur more cineris ignem foventis, ſic peccatum fovetur io carne per ipſum, qui fomes in baptizatis non extinguitur, licèt per vigorem virtutis, & gratiæ mitigetur. Stimulus carnis eſt, ſtimulans ipſam carnem ad indebitos, atque illicitos motus, & ad conſenſum animam agitans. Sed quomodolibet nominetur, cùm etiam plura mala nomina ſibi competant, quid autem ſit ſecundùm rei veritatem, eſt alia dicendi ſerie diſſerendum. Et ut melius tale malum ſcire volentibus innoteſcat, oportet primum inſpicere unde exoriatur, qualiter etiam tunc medicina curetur, quia ſæpe conóngit, quòd medicinæ magnitudo magnam arguit infirmitatem, magnitudo infirmitatis curantem medicinam laudibus effert, ot una ex altera reddatur laudabilis, & altera ex reliqua vituperabilis habeatur. Nempe initium habuit originale malum ab inobedientia mentali ad Deum in Divini prævaricatione mandati, & ex appetitu deitatis ex actu rei, quia ambo actualiter pomum veritum guſtaverunt. Ex inobedienóa mentali ad Deum ſecuta eſt inobedientia in membris noſtris ad Spiritum, ut libramento divinæ juſtitiæ inobedientia inobedientiæ retribuatur, ut, quod potuit natura humana in patentibus primis, & noluit, velit in naſcentibus poſteris, & non poſſit. Quæ inobedieotia maximè patet in genitalibus membris, quæ ad nutum rationi non ſerviuot, in quibus libido renitente ratione ut plurimum excitatur. Quæ ob hoc membra pudenda dicuntur, ſuper quæ pudore convicti primi parentes, perizomata induxerunt, velut ſentientes in eis excitari libidinem, unde concepêre pudorem. Quare autem io talibus membris magis apparuerit rebellio in primis parentibus, ſirque reſervata in omnibus poſteris, ſolùm duntaxat excepris, qui ſingulari Spiritus Sancti grana ſunt exempti, ſubtiliſſimæ inquiſitionis & juſtiſſimæ ſententiæ laborem imponeret, quia, qui adderet ſcientiam hanc, adderet & laborem. Unum verò ſolum non eſt hic ſilentio prætermittendum, neque calamo ſervandum. Fertur ex juſtitia & conſuetudine quadam, quod civitatum proditores, & eorum peccatum ſcriberetur in portis, ob memoriam poſterorum civitates ingredientium & exeuntium. Quod per ſimile divina dictante juſtitia in humana natura extitit ordinatum, ut in membris genitalibus, quæ ſunt porta propagationis humanæ, hujusmodi ſcriberetur rebellionis peccatum. Ideo inobedientia & rebellio membrorum ad Spiritum jure nata eſt ex inobediennia & rebellione ad Deum. Ex appetitu deitatis dominationi ſubdimur dæmonis, niſi per fidem Evangelicam liberemur: ſed eorum tentarionibus ſemper ex tali apperitu meritò ſubjacemus, ex actu autem rei paſſiones in utroque homine criminales & pœnoſæ dominantur in nobis. Ac per hoc ſi ortum hujus mali reſpicimus, ipſum dicemus rebellionem carnis ad Spiritum, juſtam ex meritò peccatorum tentationem dæmonum, & omnium dominium paſſionum. Monſtrabit autem lucidius tale malum adhibita cura, quod aut pro Chriſto fuſo ſanguine, aut ſanctificato flumine, aut ſanctificante flamine depellatur. Proindeſi ſanguis pro Chriſto fuſus, in quo tota hominis impletur pro Chriſto juſtitia, curabit hujuſmodi malum, ergo tota fuit hominis in ipſo malo corrupta juſtitia, quam debuit ſervare ad Deum. Si verò ſanctificatum flumen illud depellet, quod ſanctificata creatura damnatam abſolvat: igitur non ſecundùm ſanctitatem & virtutem, ſed ſecundùm iniquitatem & vitium delectatio & uſus fuit in creatura. Si verò ſeptiforme ſanctificans flamen, cura medicinali talem labem abſtergit, procul dubio certum ſit ibi fuiſſe depoſitionem timoris & præſumprionem, abolirionem pietatis & creaturæ cultum, ſcientiæ privationem & ignorantiam, abjectionem fortitudinis & ignaviam, alienationem conſilii, & errorem, depravatlonem intellectus & cæcitatem, ſapientiæ repudium, & creaturæ ſaporem, cuius curatio patebit, cùm de baptiſmate erit ſermo.

(o)

Cap. XLIII.

De peccato veniali.

MUltiplicat inquisitionem Christiana & glorioſissima fides, nolens in modico displicere ei, in quem credit, etiam minimorum malorum cupit habere notitiam, idcirco de venialibus, atque levibus malis libet inferre doctrinam. Nempe multiplicatum malum multiplicem ingerit pugnam, aut ex eo bella consurgunt, & eo acriora, quo mens à creatore magis avertitur, & convertitur ad crestum, & eo leviora, quo minus anima in aversione, seu conversione persistat. Sed malum venialis nomen accepit, quia facilè meretur veniam, qui committit, pro eo, quòd, licet fervorem charitatis impediat, tamen velut mortale hominem charitate non privat, prout si quis in flammantem ignem aliquantulum aquæ projiceret, qua flammà reprimeretur, ignis verò seu ignitus carbo non extingueretur, cui rei similitudinem in venialibus est reperire peccatis. Sed si aqua super flammantem ignem funderetur intantum, ut flammam reprimeret, & unde flamma insurgit, manciparetur extinctioni, mortalis mali similitudo notulam portat. Peccata venialia vitare omnino difficile dicitur, quamvis per gratiam Dei possit cum firma voluntate actuúmque custodia. Et quamvis Apostoli post almificam sanctificationem Spiritus Sancti peccaverunt leviter, Joanne dicente: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, mendaces sumus, & nosipsos seducimus, non tamen asseverandum est fieri non posse, quod in nemine præterquam in Christo, & Beatissima Virgine legitur factum. Nec per Spiritum Sanctum absoluti erant Apostoli, & quomodolibet, & quantumcunque Sancti maximi ab oratione dominica, in qua petitur venialia dimitti peccata, & dimittuntur, cùm dicitur: Dimitte nobis debita nostra, &c. Mortalia verò ad illam orationem non pertinent pro remissione, nisi contritio præcedat, & sacramentalis confessio & authoritas interveniat, dummodo possibilitas non impediat. Pertinent tamen omnia mala parva, vel magna in omni genere ad orationem dominicam, ut divina implorata clementia devitentur, quod tunc petitur, cùm in fine dicitur: Sed libera nos à malo. Nec ipsa ad æternam percipiendam salutem ipsum quenquam impediunt, sine quibus hominum vita non agitur, nisi mortalia committantur, & non diluantur. Si verò ipsa peccata venialia contemnuntur, & pro ipsis saltem generalitate quadam atque indistinctè non doletur, ut nec commisisse pœniteat, qui commisit, velut mortale peccatum, quod non diluitur, æternum meretur exitium. Non quòd actum veniale mortale fiat, sed pro eo, quòd agentem non pœnitet, mortem procul dubio irrogat, ut non sit peccatum mortale id, quod venialis culpa, sed culpa venialis cordis impœnitentia. Ipsa siquidem velle sub certo numero præsignare, multiplicarentur super numerum capillorum. Et multa, quæ venialia sunt ex genere, fiunt sæpe mortalia ex pessima intentione, propterea sanum non judico de his certam velle ferre doctrinam. Nemo autem de ipsorum levitate præsumat, quoniam deprimentia onera sæpe fiunt ex rebus levibus aggregatis, & guttæ plurimæ sæpe conveniunt in torrentem, ut transvadari non possit sine periculo mortis. Et levibus vulneribus iteratis, intulerunt viventibus certam mortem. Stultum esse nullatenus ambigatur, nec dubitetur transisse in reprobum sensum, qui, quòd Deum offendit, leve dixerit peccatum. Penitus ne leve dixeris, quod in divinam transit offensam. Non enim est leve, pro quo dimittendo quotidiè oportet orare. Macula tamen est authorem non interimens, nisi aliis adjectis increscat. Et quicquid mali, non interimit in homine charitatem, atque timorem, nec divina præcepta & consilia promissa contemnit, nec ab impœnitentia detinetur, citra terminum est mortalis.

1. Joan. 1

Math. 6.

Cap. XLIV.

De ſeptem vitiis capitalibus in genere.

NAnciſcitur vera fides omnia ſine falſitate diſcutere, ſempérque in ampliora ſe provehit, ſive bona vel mala conſiſtant, ut utrorumque principia, media & extrema velit inquirere, ut ſuum poſſeſſorem promptiorem reddat in bonis, à malis reddat penitus cauriorem. Sed nulla mala magis extrema, quàm quæ mortem animæ inferunt ſpiritualem & æternam, ſi non correcta, ſeu declinata demergunt. Quæ mortalitatis nomen juſtiſſimè ſuſceperunt, poſtquam à Deo vita omnium excludunt, & cum mortis principibus intercludunt, de quibus ſermo non brevis, quia nec breve aut parvum eſt malum, quod faciunt. Hinc eſt, quod, ſicut ſæpe dictum eſt, omne malum à Deo avertens, à voluntate habet initium, ſed per alterius mali principium, quia initium omnis peccati ſuperbia, pro eo, quod receſſus à Deo per ipſius fit contemptum, aut mandatorum ejus, quod nihil aliud quàm ſuperbiam poterimus appellare. Firmatur autem velut in duabus fundatis & bene formatis columnis in timore infauſto, videlicet, quo quis timet perdere, quod malè cupit habere, necnon & in perverſo amore, quo quis amat, & in amando habere concertat, quod amare aut habere prohibetur ut nefas, fomentum ſeu nutrimentum velut ignis oleum in ligna ſuſcipiens, honorem vitæ, materiam avaritiæ, carnisque laſcivium. Quod fomentum in Canonica ſua Joannes non
1. Joan. 2 tacuit dicens: Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, concupiſcentia oculorum & ſuperbia vitæ. Multiplicatur verò ſeptempliciter modus recedendi, à modo contemnendi ſcilicet Deum, firmandi & in malis columnis, fovendi malis fomentis, ut ſuperbia velut initium, ſimiliter aut modus aut iniquitas, invidia, ira, acedia, avaritia, luxuria, gula, ſint nobis & viæ lubricæ, quas anima ingreſſa currens velut vias inſipientiæ, habeat offendiculum, & ſint tenebræ ad umbrandum, lubricæ ad deſcendendum feſtinùs ad infernum, & coarctentur ambulantium greſſus ſepibus peccatorum. Sed ut clara intelligentiæ luce poſſit percipi, quare mortalia ſint, & ſub quibus reſpectibus à voluntate proveniant, & cur ſint numero ſeptenario præfinita, quæ capitalia nominantur, alia eſt adhibenda forma loquendi. Proinde ad Romanos ſcribens Apoſtolus, dicebat; Stipendia peccati mors. Quod de tri- Rom. 15.
plici morte intelligendum eſt. De morte ſeparationis à Deo, qui eſt tota vita, de morte corporis, quæ fit per ſeparationem animæ ab ipſo, & de morte damnationis æternæ. Et ut quod per quæſtionem mentem pulſat clarius pateat, operæt ſingula perquirere, ut quomodo quodlibet mortem pro mercede ſuſcipiat, poſſimus oculo fidei intueri. Sanè Deus eſt vita in ſeipſa, & à ſeipſa, & de ſeipſa, & per ſeipſam vivens, & omnis vitæ fons, & indefectibilis origo, à qua recedendo itur in mortem, & in talem, in qualem ire decet relinquentem omnium vitam. Ac per hoc ſuperbia recedit à Deo condemnendo ipſum in ſe, in ſuisque præceptis, meritò ergo mortem incurrit, qui à vita per contemptum ſe dividit. Et cùm Deus vita omnibus bona ſua, ſive naturalia, ſive temporalia, corporalia ſive ſpiritualia, plena largitate ſecundùm juſtam diſpenſationem tribuat, & communicet, invidia verò, quæ à non videndo nomen accepit, dolet, cùm aliorum bona conſpexerit, quæ collata ſunt ab authore vitæ. Juſtiſſimè igitur vita privatur, mortémque incurrit, qui dolet de vitæ bonitate diffuſa, & quantum in ſe manet, odit opera vitæ. Ira verò, quæ dicitur turbulentus animi appetitus, furit in vitam, quando cùm odio perſequitur creaturam, cui fontalis vita conceſſit ad vitam, jure verò mortem incurrit, qui in aliquo odit vitam. Acedia nullis aut retardatis & retorgradis paſſibus appropinquat ad vitam, & maledictionem incurrit æternam, qui negligenter operatur dominica. Quod Jeremias protulit, dicens: Maledictus omnis, qui Jerem 48
opus Dei facit negligenter. Ex debito nanque remanet in morte, qui vitæ appropinquare neglexit. Avaritia cum fervore plus debito habendi accenditur, in debitis modis neceſſaria pro vita ſortitur, & dum ſe fulcit indebitè, alios privat deſiderio & actu neceſſariis vitæ, necnon & charitatem, per quam acquiritur vita, ferit: quæ propria communia facit, cùm avaritia, quæ ſunt communia, velit eſſe privata. Invincibili ratione detinetur à morte, qui deſiderio plus habendi quantùm in ſe conſiſtit, aliis irro-

gat mortem. Luxuria turpat vitam cum concitata libido animam per conſenſum, corpus per actum, proximum, cum quo per participium, ſcientem verò maculet per malum exemplum, vitæque contemnat præceptum, cùm conſentitur, aut agitur præter ſacramentum, proinde irreprehenſibiliter retinetur à morte turpator. Peſtifera gula irrefragili ſententia irrogat mortem, quia niſi de parte vitæ non curat. Propter quod Apoſtolus ad Philippenſes dicit: Quorum finis
Philip. 2. interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria eorum in confuſione, qui terrena ſapiunt. Quomodo non iſtam incurret mortem guloſus, qui contemnit animam in æternum victuram, ſolum carnem fovens neceſſariò morituram? Ac per hoc non ita tenendum eſt, quod ſecundùm omnem actum & modum iſta ſeptem capitalia mala ſemper ſint mortalia, niſi cùm anima deordinatur in talibus circa Deum, & obruitur ratio, confunditur memoria, & voluntas pervertitur. Quorum declaratio per ſingula quando ſunt mortalia vel non, nec eſt præſentis operis, & dare doctrinam fore utile non agnovi. Melios eſt enim, ut mens ſemper timeat, & offendere caveat, ſed diverſis reſpectibus, prout ipſa diverſa conſiſtunt, ab una hominis voluntate procedunt, quibus ſcitis, ſcietur & numerus. Quatuórque appetibilia eſſe, quæ cùm malè appetuntur, quatuor mala generantur, & tres vires, quæ eum deordinatæ fuerint, alia tria mala cauſantur, lympidè conſiderantibus patet, unde reſpectivè ac numeraliter ſeptiforme malum inſurgit. Nam voluntas pleruncque deordinatur, cùm appetit aliquod bonum privatum, quod non eſt appetendum commutabile ſeu apparens, quod erit privata excellentia, & hanc amat ſuperbia. Aut erit aliquod bonum exterius pro ſufficientia, ſed non neceſſarium, & hoc quærit avaritia. Seu erit bonum delectabile ad conſervationem individui & ſuiipſius plus debito, & ultra ordinem & neceſſitatem appetitum, quod eſt alimentum delectabile ſecundùm guſtum, quod amat gula. Sive aliquod aliud bonum delectabile, quod poteſt eſſe ad conſervationem ſpeciei, licèt ex intentione, aut opere non ſemper ita ſit, quod eſt torus delectabilis, ſcilicet tactus, qui appetitur ex luxuria. Quocirca ſecundùm quatuor appetibilia & voluntatis reſpectum ad ipſa diverſum, quatuor mala conſurgunt. Sed cùm voluntas in potentiis naturalibus ordinem prætermittet, aut deordinatur in rationali virtute, unde naſcitur invidia omni ratione carens, aut deurdinatur in potentia iraſcibili, & ſic naſcitur ira ultra debitum furens, aut deordinatur in vi concupiſcibili, & ſic naſcitur accdia, neceſſarium bonum animo non appetens, nec actu & moribus quærens. Igitur claret intellectu iſtorum malorum obſcuritas cur mortem inferant, quibos reſpectibus à voluntate procedant, numerum ſeptenarium teneant, & capitalia cur exiſtant, quia capita ſunt omnium aliorum, ut infra eorum ſpecialis ſermo monſtrabit.

Cap. XLV.

De ſuperbia.

Opportuna in omnibus fides ſpeciali ſe peccatorum cognitione tuetur, ne per incautelam opera nefanda eaptet. Sed de ſuperbia prius eſt proferenda cognitio, quæ malis & peccatis criminibúsque improbè inſiſtit, ut fiant, & omnibus bonis operibus importuna aſſiſtit, ut pereant, quæ contemptum generat mandatorum, & conſiliorum deſpectum, ſibíque malè placens à canonicis regulis derivat animam, & irregulatam per omnia malorum præcipitia ſæpe trahit. Super menſuram ſua nominatione conſcendens, ut in nullo modus, & numerus, & menſura ſervetur, ſuperioribus invidens, æqualibus non conſentiens, inferiores deſpiciens, ſatagit omnes ſuis calcaribus perurgere. Superbia velut fœminea derelicta regina, non ſociat à virili regimine, nec ſuam aſpiciens viduitatem proprio delectata dominio, ſocias ſibi ſimiles, & criminoſas aſſumit, cum quibus confabulatur in verbis mendacii, & proviſionis dignæ. Curioſitatem & propriam ſufficientiam, atque complacentiam collaterat ſibi, cum quibus alloquens creatà iterum aliter creat. Loca permutat, auget, & minuit limina, alternat vices, & tempora, lucem & tenebras, diem & noctem à divinis legibus ſolvit, ſuis velut juſtioribus ligat, poteſtates mutat, & jura regnorum, dominari omnibus appetit, aut

aut aliis conferre dominia, ut ſub ſuis regulis tremulet omnis orbis, dignos ex odio reddit indignos, indignos verò pro placito ſupponit. Hæc pro juſtitia utitur voluntate, voluptate pro lege. Huic dominatrici peſtiferæ omnia placita ſunt licita, delectabilia ſunt honeſta, utilia verò juſtiſſima reputantur, quæ ſemper furit, ſi non perficit, inſanit, ſi impeditur, non quieſcit, niſi ſuperplantet adverſos; non vult audire querelam, ſi pro commodo ſuo alius fecit ipſa jacturam, nec patitur computari ad aliorum damnum, quod in ſuum profectum devenit, ſed vult, quod perditum ſuum perditor dicat profectum, quod ſuperbiæ acceſſit ad luctum, & quod exaltari ſe putet in ſua exaltatione depreſſus, & gloriam ſibi proveniſſe adſcribat, propter ipſius honorem, & gloriam ignominiam paſſus. Et vult ornamenta haberi vulnera ſuſcepta in certamine, aut aliter propter ipſam. Mortem reputat vitam, ſi pro ipſo pendatur. Ejus cauſa ſanguinem ſuſum æſtimat fluxum aquæ, ſpiritum hominis ſpiritum pecoris, carnem humanam aſininam, ſi ejus commoditate perdantur, patientibus nullum dicit adeſſe diſpendium, dum ipſa in ſuis ſublimibus deferatur. Omnia velut ſtercora arbitratur, ſi adipiſcitur, quod affectat. Hæc in Angelis propria, & inviſibili, & intellectuali delectatione deſeruit cœlum, in parentibus ſenſuali delectatione Paradiſum, in Juda obſtinata contumacia deſeruit Chriſtum. Quid nobilius in locis cœlo? quid delectabilius in corporalibus Paradiſo? quid ſapientius in doctrinis Chriſti diſcipulatur? Hæc in tyrannis uſurpavit dominia, in legitimis dominis pervertit juſta decreta, in judicibus recta judicia, in advocatis debita jura, in notoriis fecit multa notoria, in partialibus depravavit communia. Appetit ſuperbia ſingularitet incedere ſuper terram, & ſuam obliquitatem vult omnibus pro rectitudine reputari. Plurimúmque ſe palliat tegumento virtutis, ubi aliter ſe non poſſe conſurgere prægnovit, & ne vileſcat, ſuam æmulam humilitatem ſcilicet ſæpe vocat. Et cùm ſibi ſociatur ambitio, ſi per ſeipſam non valet efficere, quod præſumpſit, ſervit, ut regnet, gratis ſe donat, ut accipiat, quod affectat, vocat dominos, quibus ipſa non ſervit, ſed potius petit dominari. Appellat ſapientes, quos in animo ſtultos credit, dicit amicos, quos odit. Antequam obtineat, blanditur ut catula, dum obtinere concertat, cum vulpina pelle progreditur, cùm obtinuerit, leonis aſſumit aſpectum. Et quibus ſubjacebat in precibus, velut aquila cæteris avibus ſuperfertur. Quæ dejicit eum, quem elevat, quia ſecundùm Evangelium: Omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur. Quis eſt, qui ſe exaltat, niſi qui ſe per ſuperbiam ſupra omnes ſua æſtimatione ſublevat? Sed humiliatur, quia cadit, qui ſe aſcendendo non novit. Dejectus Angelus de cœlo per ſuperbiam, & per irrepedabilem viam ad inferiora deſcendit. Exulat à Paradiſo Adam, qui per ſuperbiam divina mandata contempſit. Et Nabuchodonoſor de regia dignitate depellitur, dum cor ejus indebitè ſublevatur, & majori animi averſione percutitur, ut ab humano ſenſu æſtimet ſe mutatum, & cum beſtiis moraturus acceſſit, qui ſe beſtiam, non hominem æſtimabat. Et in Job legitur de impio à ſuperbia ſublevato: Si aſcenderit uſque in cœlum ſuperbia ejus, & caput ejus tetigerit nubes, quaſi ſterquilinium in fine perdetur. Et in Eccleſiaſtico ſcriptum legitur: Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Et alibi ſcriptum eſt: Multi potentes oppreſſi ſunt validè, & traditi ſunt glorioſi in manus exterorum. Et contra ſuperbos deprimendos Iſaias clamat: Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim, & erit flos decidens gloriæ exultationis ejus. Et à ſeipſo decipitur, qui ſuperbus exiſtit, velut ſe lædens per vinum in nimietate potatum, juxta quod Habacuc clamat: Quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus, & non decorabitur. Genimini omnium malorum ipſa præponitur, ſacra Scriptura dicente: Initium omnis peccati ſuperbia, & qui illam tenuerit, adimplebitur maledictis. Et verè maledictis implebitur poſſeſſor ſuperbiæ, quia maledicitur ab omniù Creatore, & maledicti diaboli filius conſtituitur, & cum maledictis in æternum erit portio ejus, qui à ſuperbia ſociatur, quia noluit benedictionem divinam, longè facta eſt ab eo, & maledictione induetur velut veſtimento, qui à ſuperbiæ motibus circumfertur. Sed aliud eſt ſuperbire, & iſtud eſt averſionis, aliud eſt non credere, & iſtud reprobationis, aliud non obedire, & iſtud eſt deſpectionis, aliud eſt ſibi placere, & iſtud eſt divinæ negationis. Alia eſt ſuperbia in Deum, alia in ſeipſo ad ſeipſum, & extra ſeipſum ad proximum. Sed inquantum progredi poteſt iſta primogenitans & primogenita mors, ſuos conſpice gradus, qui eam comprehendere ſatagis, deſcendentes ſiquidem, licèt aſcendentes appareant. Initium ejus apoſtatare à Deo, velut per propriam ſufficientiam ſomno captam, & complacentiam regularem ſuperfluum Deum exiſtimare, & omnia facta Dei. Subinfertur

Iſaiæ 14. Gen. 3. Dan. 4. Job. 20. Eccl. 10. Eccl. 18. Iſaiæ 28. Habac. 2. Eccl. 10.

ſecundus, in quem quis deſcendens animo actúque peritura conquirit. Inferiotatur tertius, in quo pede poſito obtenebratur in tantum hominis ratio, ut neget rationem, præferat voluntatem, & abſque Deo ſibi ſtatuit regnum tenebroſum, ut neque Deum, neque quæ Dei ſunt, in ordine ad ipſum conſpiciat, & hic eſt ultimus terminus ejus.

Cap. XLVI.

De inani gloria.

QUid adversùs clamabo inanem gloriam ſeu gloriam vanam? quæ de ventre ſuperbiæ gignitur, quæ hominem depravat, & rectis incedere itineribus nunquam ſinit. Cujus mala germina, quæ mala faciat, manifeſtant. Quorum primum eſt inobedientia, quia inaniter glorioſus in nullo inferior patitur apparere. Sed videri videtur inferior, qui ſuperiori obediendo ſubjicitur, & præcipientis, non ſuam perficit voluntatem. Germen nequam eſt ipſa contentio, qua vanè glorioſus clamoribus apparere concertat. Cui adjungitur jactantia, ſcilicet filia infruita, quæ bona ſiqua poteſt, palanter enumerat, ut coram hominibus laudabilius merito appareat, & evacuat mentis arcana, plerumque inſipientibus ſua ſecreta, imò tacenda divulgans, & plerumque de præfato ſuperbiæ utero egreditur præſumptio novitatum, ut dicendo aut inveniendo, quæ nova hominibus videantur, laudabilis habeatur, & pertinacia concepta educitur, ut dictum, aut factum audacter defendatur, ne videatur erraſſe, qui ab hominibus gloriam quærit. Et ſæpè cum iſtis alia uterina exoritur, quæ diſcordia nuncupatur, quæ ſemper aſſumit in auditis contrarium, ſi non aliter, ſaltem taliter vanè gloriari præcogitans. Necnon interdum peſſima hypocriſis oritur pulla filia, humanis & exterioribus placitis mancipata, quæ nunquam rectè ſuum poſſeſſorem permiſit intendere, pectoris intentionem, & artificium moribus ſemper imitans, qui figurans imaginem non intendit ad interiora & inteſtina, quæ verè in animatis natura producit, ſed ſuo artificio forinſeca exemplificat coloribus, & manuali pictorio membra ordinatè connectens. Sic hypocritali malo prædoctus, rectitudinem conſcientiæ prætermittit, & qualiter veritatis teſtimonio Deo placeat, non inquirit, exteriora ſolùm quærit, unde gloriam captat. Inquiſitio curioſa producitur de conceptu peſtifero, quæ ſatagit ſcire hominum voluntates, & earum placita inveſtigare non ceſſat, ut ea loquendo & moribus proferat, quæ ipſas demulceat, ut poſtmodum vocibus prorumpat, in laudem ejus, qui humano placito ſic cuncta facit. Quid plura de hac volitante per aëra loquar, quæ ſuum ſibi ſic vendicat poſſeſſorem, ut poſſideat, à quo poſſidetur, & cunctis aſpicientibus exponat venalem, imò irrevocabiliter tradat in mancipium laudatorum? Non poſſidet ſeipſum à vana gloria jam præventus, nec ſenſibus utitur ad ſeipſum, ſed ad eos, à quibus vanam gloriam quærit. Nam totum ſe in ſenſibus variat, & moribus & geſtibus ſe ſubornat, ut laudem excutiat de cordibus inſpectorum. Non habitat in terra, quia natione cœleſtis, non graditur per viam, ſed per hominum corda perambulat. Hoc ſolum hoc lethale vitium habet annexum, quod omnia ſtudet providè facere, ne cadat à laude. Nam unde prævidet materiam placendi, proinde adhibet ſtudium ſerioſius operandi. Et licèt multa decentia pro aliis faciat, ſeipſum merito privat, cujus initium propria reputatio, medium vivere in cordibus ſpectatorum, finis latrocinium divinorum.

Cap XLVII.

De ira.

AD iram ſermo dirigitur, quæ directum animum à natura diſtorquet, & ſerenum mentis obnubilat, & impedit in ſuis aſpectibus animum, ne verum aliquando conſpiciat. Et cùm habeat ſine cauſa originem, ſine cauſa permutat rationem, & turbulentat animi appetitum, cùm appetit removere quod ſuam impedit facilem actionem, quæ primum in animo in ſeipſa colliditur, antequam foris efficiat, ad quod injuſtè movetur. Et una exiſtens anima iræ nube veſtita, in altricationi-

tionibus interioribus bipartitur, ut furente imaginatione conſtituat è regione alterum incertatorem, quem aggreditur verbis furia plenis, injuria maculatis, turpitudine compoſitis, deriſione, ambitione, dolo, animoſitate confectis, accenſis odio, impetuoſitate ſuccenſis. Quæ ſi reſponſa ſuſceperit per conſimile, fumoſitate ſuſtollitur, ut jam ad verbera veniatur, & intantum in animo ſæviat, ut occidat. Nec atrox animus ſatiatur pœnis à furioſa cogitatione produ&ctis, in cujus faſculo ira ebullire non ceſſat. Ecce jam anima una ex ira efficitur bina, de ipſa obicem faciens inimicum, qui non audiendo laceſſitus eſt verbis, intactus permanet, & verberatus eſt, vivit adhuc, & occiſus eſt. Hæc eſt quæ libidinem habet ulciſcendi, parcendi nemini voluntatem. Movetur ex ipſa voluntas, & concitatur ad pœnam, & ſubitam generat in anima tempeſtatem, fervet in interioribus, & ex impetu ſæpe in exteriora prorumpit, & ad illatas injurias exiſtens impatiens, plus vindi&æ, quàm ſuſcepit, cogitat. Et quod funeſtius dixerim, iracundus magis affligitur tacens, & injuriantis abſentiam paſſus, flagello duriori ſe verberat, dum cogitat, quid debuit mali dicere, & non dixit, dolens ſi malum facere potuit, & non fecit. Et ſi præſentiam iterum ſuſtinere contingat ſe ad pejora inferenda diſpoſuit, & quæ mala inferat, tu qui legis adverte. Solet infatuare animos, ſi adhæſerit hæc putrida tabes. Unde in Eccleſiaſtico ſcriptum legitur ad cautelam: Ne ſis velox ad iraſcendum, quia ira in ſinu ſtulti requieſcit. Et Job: virum ſtultum interficit iracundia. Et in Proverbiis: Fatuus ſtatim indicat iram ſuam. Ex quibus ſententialiter hoc colligitur, quod ſtultus & fatuus eſt iracundus, & iracundo ſtultitia & fatuitas dominantur. Et reus conſtituitur, qui foris in ira exarſerit, Chriſto dicente, qui ait: Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Et ad mala patranda erit proclivior, qui ſuis moribus circumfertur. Unde ſcriptum eſt in parabolis Salomonis: Vir iracundus provocat rixas, & qui ad indignandum agilis eſt, erit ad peccata proclivior. Ira ſuſcitat rixas, ſicut alibi ſcriptum eſt: Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic vir iracundus ſuſcitat rixas. Et in Eccleſiaſtico ſcriptum legitur: Homo iracundus intendit litem, & vir peccator turbabit amicos, & in medio pacem habentium immittit ſimultates. Secundùm enim ligna ſylvæ ſic ignis exardeſcit, & ſecundùm virtutem hominis ſic iracundia illius erit. Habet pro nihilo ſanguinem fundere concitatus ab ira, & miſereri neſcit ab ipſa perſtus. Unde Salomon dicit: Ira non habet miſericordiam, nec erumpens furor, & impetum concitati ſpiritus ferre quis poteſt? Et in Eccleſiaſtico ſcribitur: Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non eas in deſertum, quoniam quaſi nihil eſt ante ipſum ſanguis. A cujus virulenta radice conſueverunt hujusmodi ramuſculi pullulare, rixa, tumor mentis, odium, contumelia, clamor, indignatio, blaſphemia, triſtitia, rancor, inquietudo, impetuoſitas, convitium, & his ſimilia. Hæc ſeipſam intromittit ad proferendum judicia, ne defert omnium Regi Regum, qui ſibi vindi&æ judicium reſervavit. Hæc excogitat exilia, vincula, carceres, mutilationes, & tam inaudita tormenta, ut ex illis mors quæreretur pro vita. Hæc pervertit judicium, confundit juſtitiam, conſilium non ſequitur, rationem excludit, menſuram non ſervat, ut pro modico multum velit rependere, pro verbo gladium infigere, pro levi manuum injectione vitam nitatur auferre. Iracundus in tabulis adamantinis ſcribit injuriam, in glacialibus laminis depingit bona ſuſcepta. Hujus initium eſt quædam indignatio mentis, præter judicium rationis, medium verò congregatio in memoria eorum, quæ præſtant augmentum, finis verò eſt odium uſque ad mortem, non ſolùm corporis, ſed animæ, ut ſuper ipſam deſcendat indignatio Dei.

Prov. 15.

Prov. 26.

Eccl. 28.

Prov. 27.

Eccl. 8.

Eccl. 7.

Job. 3.

Prov. 21.

Matt. 3.

Cap. XLVIII.

De invidia.

INvidiæ virus faſcinavit hominis rationem, & rectum intuitum obcæcavit; & ingeſſit in animo plerumque triſtitiam, unde lætitiam debuit reportare. Nam ad gaudium debet animus excitari, cùm videt diffuſam divinam in hominibus bonitatem, naturæ largitatem inſurgere, proſperari ex ingenio quempiam aut arte fulciri, quæ ordinem univerſi decorant ad jucunditatem conſiderantium veritatem, ſed quæ de non videndo nomen accepit invidia, de ſingillato bono non recipit gaudium, nec prout ingreditur, univerſalem pulchritudinem accumulat ad ſolatium, ſed

ſed ſemper ſuum exiſtimat damnum commodum alienum, & ſuam diminutionem alterius augmentum, perditionem propriam alterius lucrum, in ſuam convertit injuriam alterius gloriam, ſuam depopulationem deplorat, alterius abundantiam, & propriam infirmitatem alterius ſanitatem, ſuam ignorantiam alterius ſcientiam, & ad ſuam ignobilitatem alterius nobilitatem adſcribit, & quidquid boni alteri accedit, à ſe recedere ſemper putat. Quæ autem eſt adversùs bona, quæ dicuntur fortunæ, & pejor eſt, aut adversùs bona gratiæ, & peſſima eſt. Semper in luctu eſt invidus inter proſpera cæterorum, exultat verò in miſeriis proximorum. Melius eſſet invido carere oculis, ne videret, auribus, ne audiret, quæ aliis bona proveniunt, quia ſaltem quietem in animo poſſideret. Ad felicitatem dico invidorum, ſemper illos eſſe in numero captivorum, & ante oculos ſemper habere lugentes & ſuſtinentes pœnas continuè contemplari, incolere deſerta cum beſtiis, effugere homioum civitates, ut videndo infelicia ſe putarent eſſe felices, nec videndo felicia triſtarentur, qui, ut ita loquar, ex miſericordia in inferno tenderentur, ubi eſt ſempiterna miſeria, ne jucundorum intuitu torqueantur. Contra ſeipſum ſemper teſtificatur, qui invidus eſt, quod, quibus invidet, minor eſt, & velut noctua ſuam peragit vitam, quæ ſemper odio habet lumen ſolis, obſcuris temporibus expandens alas. Hæc eſt ſera peſſima, quæ judicio Patriarchæ devoravit filium ſuum Joſeph. Hæc eſt, quæ fratres animavit ad occidendum, & ad vendendum naturæ conſortem, communem cohæredem cum eis futurum in poſterum, ut deleretur, hoſtiliter inſtigavit. Hæc primum Iſraëlitici populi Regem Saul excitavit adversùs David, ut ipſe mereretur amplius à diabolo concitari. Per hanc primùm effuſus eſt ſanguis, & uterinum manus ad occidendum injecta. Hæc linguam excitat ad detrahendum, murmurandum, obloquendum, & recta verbis pervertere facit, & linguam veneno maledictionis infundit, nec pacificè loqui ſinit. Contorquet oculum, conturbat auditum, excitat ſæpe manum, eor languidum, marcidum, ſtupidum & odiolum facit, & ſuum poſſeſſorem nunquam ſinit eſſe felicem, ad externam miſeriam, niſi abjiciatur, inevitabiliter trahens ſecum, ut cum illis ſibi conſimilibus invidis maneat in ſæcula ſæculorum, quorum invidia mors intravit in orbem terrarum. Jure igitur ſeparandus eſt à bono fruentibus invidus, quorum felicitatem ſibi computabat in pœnam. Et meritò ſociandus afflictis, quorum malis velut remedio fruebatur. Cujus ininum eſt inconſideratio, & odium inæqualitatum, quæ de divina procedunt ſapientia ſicut omnia, medium verò eſt triſtitia de alienis bonis animam fodiens, & de bonis propriis nunquam gaudens, finis verò eſt odium ſapientiæ ſic diſtribuentis & bene facientis non ſine cauſa Dei

Gen. 2.

1. Reg. 19

Gen. 4.

Cap. XLIX.

De acedia.

ACedia malum accidens eſt, quoniam ad actionem conſtituta eſt natura potiſſimè humana, quæ intelligibiliter agit, & ratione utitur in agendis. Et noſter protoplaſtus inſinuat, qui primum in Paradiſo poſitus, ut operaretur & cuſtodiret à Domino accepit decretum, quod malè cuſtodiens, quod poterat ſinè labore operari mandata, durioris & affligientis laboris ſuſcepit ſententiam, ut in labore & ſudore pane, quo viveret, veſceretur, exul ab infatigabili actione, imò à quieta operatione, terram iniquitatis ſpinas & tribulos germinantem cum maledictione operaturus ſeu ſulcaturus velut agricultor cogitur laborare. Nec congruum eſt, ut acedia naturam corrumpat activam, & nefandum eſt malum, quo ſumi Regis imperium prætermittitur. Sed nec ipſam depingamus, prout naturæ reprimit liberam & debitam actionem, ſed prout adverſatur infuſæ deſuper gratiæ, ac etiam moribus Chriſtianis, verbis declaremus. Acedia eſt tædium mentis in bonum deſuper infuſæ virtutis, nauſea ſpiritualis & intellectualis boni, ſtomachatio cibi vivificantis animam, ſentina fœtens navigantis vitæ, neglectum bonum, expectatum malum, inexpectata læſio, ſubitum nocumentum expoſitum & immobile ſignum ad ſagittantium dæmonum experimenta, ſituatus voluntariè lapſus, & adjutrici virtuti non porrigens manus, voluntarius cœnoſus, non firmatum repagulum ad ingredientes iniquitates, apertum oſtium ad easdem, tenebroſa caverna, receptaculum immunditiarum, ſqualidus mos, fatua vita, diſſipatio temporis, vana occupatio loci, ligata ex

Gen. 2.

ta ex colligatione natura, perſona ſterilis, improtecta defenſio, pondus ſenſualitatis deprimens, diſplicentia vitæ agendæ, amica ſtatus & quietis, odium activorum, aſpera reſponſio ad excitantes, voluntariè fractrix tubarum ſpiritualium excitantium ad divinas operationes, væ! clamat ad miſſam, euge! ad menſam, conſiſtorium malarum ordinationum, hoſpitium peregrinantium malorum, menſa dæmonum ſuper quam comedunt pollutum panem, lectus & pulvinar decipientium amicorum, ſeceſſus procerum infernalium, alveus decurrentium iniquitatum, inviſa cloaca inviſibiliter turpitudines ſuſcipiens. Iſta prætermittit tempus, tempus expectans, & præteritum irrevocabiliter perdidit, & præſens futurum expectans, vacuum præterire permittit, futurum cùm efficitur præſens, ſimiliter facit, & in tempore debito debita non perſolvit. Hæc ſedens in cathedra malæ quietis & ſella delinarum, Deo vocanti non reſpondet, Angelo excitanti non conſentit, adveniens virtuti non aſſurgit, ſalubriter conſulenti non credit, duci rectè ducenti non obedit, collegam activum repellit, aut odit, conſimilem amplexatur & diligit. Hæc generavit mandaturum contemptum & conſiliorum perfectionem abhorruit. Hæc fecit ſacram deſpicere mosum imitationem, vitæ aſperitatem penitus ignoravit. Hæc cum bona, ſi qua contemnit, magnum malum eſt, ſi verò negligit neceſſaria in ſalutem, damnabile malum eſt, demergens prementi pondere ſuum poſſeſſorem inevitabiliter, niſi abjectum fuerit, in infernum, à quo quis liber aſpexit in vitam, & tractus amore virtutis peregrinatur in patriam, adversùs quam maledictam de Scripturis ſacris aliqua proferamus in medium, ut illam potiſſimè caveat, qui divinis agonibus aſpiravit. Diſſipantur bona & opera, ſi qua ſunt illius, qui acediæ retinaculis detinetur. Juxta Proverbiorum ſententiam: Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis. Et pabulum nutrimenti miniſtrat pungentibus vitiis, & cuſtodientis ac protegentis legis fieri permittit ruinam, qui ſupra pectus acediæ reclinavit. Quod Salumon ipſe non tacuit, cùm dixit: Per agrum pigri hominis tranſivi, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleverant urticæ, operuerunt faciem ejus ſpinæ, & macera lapidum deſtructa erat. Ager pigri quippe ſtudium eſt voluntariæ actionis, & vinea eſt vitæ novitas, ad quam debemus intendere, ut vinum jucunditatis æternæ hîc tempore deguſtemus. Sed repletur urticis prurientibus damnatæ libidinis, & anathematizatæ avaritiæ confoditur ſpinis. Et utriusque murata macera, ſed non ex charitate cæmentata, cuſtodia diruitur, ut nec lege velit arceri divina, voluntati propriæ mancipatus. Cui ab eodem ultrix ſententia indicitur, ut ex ſuis deſideriis, qui piger eſt moriatur. Nam deſideria occidunt pigrum, noluerunt enim quidquid manus ejus operari. Tota die concupiſcit & deſiderat, qui autem juſtus eſt, tribuet, & non ceſſabit. Et iterum ſcriptum eſt: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æſtate, & non dabitur ei. Nam torpor noxiæ frigiditatis detinet pigrum, ut nolit arare, ut ſerat virtutibus animam, & corporis mores per ordinem ponat. Qui cogetur mendicare in ægeſtate decquentis judicii ſeu in claritate ſanctorum, ſed non dabitur ei de laboribus aliorum, ut refocillet animam ſuam, neque de aliorum victoria ſuſcipiet ipſe coronam, ſed nec juſtificabitur de juſtitia in labore agentium vitam ſuam. Nam Scriptura dicit: De fructu oris ſui unusquisque replebitur bonis, & juxta opera manuum ſuarum retribuetur ei. Et alibi ſcriptum eſt: Date ei de fructu manuum ſuarum, hoc alienarum, Et ſtatim ſubditur: Et laudent eum in portis opera ejus, non aliena, quæ piger in vacuum mendicabit. Et Apoſtolus inquit: Omnes aſtare oportet ante tribunal Chriſti, ut recipiat unusquisque bonum, ſive malum, prout geſſit in corpore ſuo, non in alieno. Et alibi Apoſtolus clamat: Qui non laborat, non manducet. Contra quem Sapientia iterum clamat excitans, maláque futura denuntians: Uſquequo piger dormis, quando conſurges ex ſomno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conſeres manus, ut dormias, & veniet tibi quaſi viator egeſtas, & paupertas quaſi vir armatus. Deficiet enim tempus declamare ad hanc maledicam per teſtimonia Scripturarum, quæ non ſolùm in non operando recipit deteſtationem, ſed in operando in pluribus æternam maledictionem incurrit. Quod Spiritus ſanctus per Jeremiam loquitur, dicens: Maledictus omnis, qui opus Dei facit negligenter. Cujus terrore Chriſti agonista percuſſus, ablactabitur ab uberibus talis matris. Cujus malæ ſoboles iſtæ plurésque ſunt, quarum ab alia non vinculari dixi eſſe difficile ſuper terram, ſcilicet tarditas, tepiditas, dilatio, deſidia, ſegnities, inſenſibilitas, indevotio, inopia utriusque boni, ignavia, inertia, retrogradatio, indiſcretio, incautela, incuria, improviſio, inobedientia, ingratitudo, inhumanitas, incompaſſio, impunitas, inſolubilitas à malo, intruſio in ſeipſo, firmata capti-

Prov. 18.

Prov. 24.

Prov. 21.

Prov. 20.

Prov. 12.

Prov. ult.

Rom. 12.

2. Theſſ. 3

Prov. 6.

Jere. 48.

captivitas, in conſtantia, inquietudo mentis, deiectio, conſternatio, puſillanimitatis mollities, obcæcatio, otioſitas mentis, tædium vitæ, tabefactio, gravedo, taciturnitas mala, murmur, exinanitio, ſeu vacuitas bonorum ſpiritualium, imperſeverantia, impedimentum boni, triſtitia, deſperatio, negligentia, ignorantia vincibilis, curioſitas circa inutilia, omiſſio eorum, quæ ſunt neceſſaria pro ſalute, impœnitentia. Quorum declaratio ſerioſa tanto protenderetur volumine, ut ne dum legentis faſtideret animum, conturbaret & oculum, ſed accipientis manum curvato pondere prægravaret. Quanta igitur eſt ſolicitudine obſervanda, ne vinciat, quæ tot filiarum laqueis, & rotibus obtectis apertisque mundum replevit. Cujus initium eſt inconſideratio receptorum agendorum, & finis, medium animalis amor, & vita, finis verò Dei oblivio ſuperimpoſita cum obtenebratione rationis.

Cap. L.

De avaritia.

AVaritia inexplicabile malum. Aurari quærit, argentari vult, metalla omnia reducit in aurum, ut nullum ſit aliud ædificium metallorum, nec peragantur artes. Sua proprietate conquirit, quæ non conquirit, quæ non aurato inſtrumento, ſed ferreo peraguntur. Agrum copulat agro, domui connectit & domum, adæquat ſibi connectionem naturæ. Pulchritudo continuo ſibi ſervit in placito, quam ſemper affectat ſibi ratione aut uſurpatione competere, nec eſt terminus ejus, niſi cùm pervenerit ad terminum, ultra quem non eſt terminus alius. Non contentatur habitis, inhiat acquirendis, nec quieſcit in acquiſitis. Si totus mundus eſſet poſſeſſio ejus, non quieſceret animus ejus. Nam aut vellet Deum plura creaſſe, aut alium conſtituere creatorem plura creantem, ut poſtmodum in omnibus haberet poteſtatem. Quod ſi hoc inconveniens reduceretur ad convenientiam, impoſſibile ad efficientiam, nec adhuc ſellam quietis conſcenderet ab authore omnium totius conſolationis Deo per appetitum diviſa corruptibilium terrenorum. Inſatiabilis eſt avaritia, quæ, cùm devoraverit, iterum eſurit, cùm biberit ore pleno, divitias adhuc ſitit. Immoderatus eſt amor ejus, ſed quod deterius eſt, inſolubilis tenacitas ejus. Avaro tam deeſt, quod habet, quàm id, quod non habet, quia neſcit ut habitis, dum inhiat in habendis. Hæc ſola naturæ præ cæteris vitiis adverſatur, quia neque in terra, neque in aqua, neque in aëre, neque in igne vellet habere conſortem. Vellet iſta moderari naturam, diſpoſitionem imbrium, vim caloris, nubium & ventorum, ut ſibi ad votum in agellis propriis deſervirent, non infundendo in alios bonitatem, quæ omnibus naturæ communitati debetur. Vellet aërem eſſe ferreum ſuper prædia cæterorum, aut prædia metallina, ut nec virtus pluviæ, & caloris deſuper ſunderetur, aut nec ipſa poſſent aliquo inſtrumento proſcindi, ut nec ſerere aut metere opus eſſet, ex nefario appetitu ſibi vendicans jura naturæ. homicida eſt iſta omnium ſuo ſauſto, nec vitam diligit aliorum, niſi quos gubernat manu ſuæ ſæviſſimæ parcitatis. Inimica eſt Deo, qui omnibus largus eſt, ſed ipſa parca. Æmula cœleſtibus Angelis, qui ad communitatem & largitatem ſupernæ vitæ ſine avaritia nos expectant. Odit naturæ conſimiles, dum ſibi vendicat in proprium, quod eſt in commune datum. Hæc conſortem naturæ immemoriæ tradit, imò multoties, ut ſua poſſideat, interimit. Amicum non quærit, faciem avertit à proximo, linguas loquendi beneficio vellet eſſe privatas, ne affligentes indigentias panderent, poſtularéntque pandendo, quod ipſa indebitè diſpoſuit retinere. Aliorum egeſtatem ſibi vult eſſe ignotam, ne ſaltem ex verecundia quid cogatur aliquando conferre. Monſtrum eſt in natura, quod agitur in avaro, nam omnes vellet depauperari, ut ſibi accederet, faceréque indigentes, & hos ignorare, ne arctaretur dare. Perdidiſſe penitus æſtimat omne, quod aliis, & non ſibi cedit in lucrum. Arctatur enim in nocte doloribus, ut viam inveniat, ubi acquirat, perforatur timoribus, ne acquiſita perdat. Cùm pax ſit ubique, ſemper ad ſuam pecuniam ſuſpicatur inſidias. Latrones æſtimat, qui non ſunt, fures conſtituit, qui furari odiunt, timet vicinas omnium appropinquantium manus. Navalem picem credit in digitis tangentium quæque ſua, ſocium confidentiæ nequit invenire. Committit plerumque ad plurima pericula ſuam ipſe perſonam, ſed in pecunia cautior eſt. Hic non confidit in Deo, quia nec illi ſuam pecuniam recommendat, Non in Angelis, à quibus enim ſe Job. 13.

diſſo-

diſſociari cognoſcit, nec cuſtodienda parta committit. Nec dæmonibus, quia nec aurum quærunt, non argentum, ſed animas volunt. Non hominibus, nam ſi propria ſua quibuscunque vellet auferre, quomodo poteſt ſua cuſtodienda committere? Diſſociatus eſt ab omnibus rationabilibus, inſenſibilibus, & irrationabilibus ſociatus, licèt ſit eum dæmonibus æternaliter finito vitæ termino ſociandus. Porcus eſt iſte diaboli, qui vivendo fœtet, omnique caret commodo, ſed in morte comeditur. Stiparium comeſtibilium eſt comeſtibilia non deguſtans. Beſtia onerata deſerens his ſæpe, quos habuit inimicos. Cuſtos eſt æris ligatus in ære. Non habet æs, ſed habetur ab ære. Non dominus æris, ſed ſervus æris. Et hæres eſt æris, inhærens in ære. Nihil rectitudinis ipſe poſſidet, niſi cùm moritur, maledictio ejus eſſet vita longæva ſuper terram. Quid autem eſt avaritia, niſi animi varietas, qui velut intorſa rota ſæpe circa idem centrum revolvitur, & molendinum aſinarium ſecum portat. Præſupponit ſæpius eleemoſynam, qui pecuniam congregare diſponit, cùm autem viderit congregatam, ad ſeipſum retrahit manum. Beatificat ſæpe pauperes pauperum inimicus, & extollit laudibus paupertatem, quam ut perditionis foveam ipſe declinat. Vide avari acutiſſimam deceptionem, tam, cùm ſibi nummus aut moneta fuerit ſepar, quærit addere par: cùm fuerit par, non vult facere diſpar, ſed quærit, ut expendat aliud ſepar, cùm autem aſſuerit, vult ſibi conjungere par. Unde ne paria fiant diſparia, & ut ſeparia fiant paria, creſcit in immenſum per avaritiam noxia cura. Quid magis proprium avaritiæ, niſi plus, quam ſatis ſit velle? Quærit avarus vivere ad opinionem, non ad veritatem: ad voluptatem, non ad neceſſitatem, & ideo nunquam dives erit, ſi nolit, ac per hoc non erit dives, ſi habet, quod vult, & amplius vult, ſed qui voluntati volendi poſuit finem. Sed bonum eſt, poſtquam noſtra poſuimus, quæ de avaritia ipſa ſentimus, quòd ad teſtimonia ſacræ Scripturæ velut ad irrefragabiles ſententias recurramus, ut pro poſſe velut viam perditionis devitemus. Inquit namque Doctor gentium Paulus ad Timotheum, avaritiam velut diaboli retia & laqueos diſſuadens. Nihil
1. Tim. 6. enim intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid poſſumus. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa & nociva, quia mergunt homines in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis. Tu autem homo Dei hæc fuge. Vide igitur ex hoc, quàm ſeriosè docuit Apoſtolus avaritiam devitare, cauſas & rationes devitationis annectens, quæ verba ipſa declarant, abſque quod expoſitio ſuperflua imponatur. Et David clamat: Dormierunt ſomnium ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis. Et alibi: Divitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Similiter & in Job legitur: Dives cùm dormierit, nihil ſecum affert, aperiet oculos, & nihil inveniet. Apprehendet eum quaſi aqua inopia, nocte opprimet eum tempeſtas. Et alibi: Divitias quas devoravit, evomet, & de ventre ejus extrahet eas Deus. Et in principio libri ſui: Nudus egreſſus ſum de utero matris meæ, nudus revertar illuc. Ac per hoc ſuperflua noſcitur multiplicatio terrenorum, cùm hic remaneant, deſcendentibus injuſtis poſſeſſoribus in infernum: Injuſtus autem poſſeſſor eſſe convincitur, aut qui acquirit indebitè, aut qui retinet ſine charitate. Nam mortuus eſt dives incompaſſivus ad Lazarum, & inter incompaſſivos dæmones eſt ſepultus. Sceleratum hominem ipſa conſtituit, ſi aſſiſtit, quod ipſa Sapientia clamat: Avaro nihil ſceleſtius. Quid ſuperbis terra & cinis? Nihil iniquius, quam amare pecuniam. Hic enim animam ſuam venalem habet, qui in vita ſua projecit intima ſua. In qua ſententia ſatis apertè monſtrantur ſuprapoſita mala, pluráque annectenda, niſi volumen arctius protendere in longum paterentur. Nihilominus adversùs ipſam eſt acutiori gladio conſutgendum. Nam quid ſceleſtius ipſa frenetica, ſi ipſam in propriis terminis diffinimus? Eſt enim ipſa quidam deordinatus appetitus ſupra naturam, ſupra conveniens, ſupra rationem, ſupra uſum, ſupra modum, ſupra præceptum & legem, ſupra debitum atque meritum, ſupra ſufficientis. Quibus diligenter inſpectis apparebit, ubi avaritia infrunita, ibi in cœlo Angelos, in paradiſo primos propulſaſſe parentes, ut ſupraſata divinitatis ſimilitudinem, imò ipſam divinitatem, & ipſius ſcientiam affectarent. Nam Græcus avaritiam πλεονεξίαν appellat, quod latinè *plus* ſonat. Sed ſociam ſe ſuperbiæ fecerat, quæ faſtu & appetitu alios terminos invadebat. Quid ſceleratius alieui poſſet adſcribi, quàm quæ nefario ſemine omnia mala concepit, & ſuos conceptus retinet, quæ, cùm vult, parit, quæcunque libet? Ex ipſa namque ſuperbia naſcitur, cùm ſe videt in appeti-

tis & obtentis cæteris, aut multis ſuperiorem, ex iſta invidia, cùm videt æqualem, inanis gloria, cùm ſe comptat, ira, cùm impeditur, acedia, cùm videt zetas ornatas, paratos lectos, ſtratoria & ſedilia pro quiete, gula, cùm videt adeſſe plenas ex omni parte crumenas, pro qua ſolicitantur mare, lacus, flumina pro piſcibus, pro ſylveſtribus animalibus, avibusque nemora infeſtantur. Nutriuntur etiam canes, unde deberent nutriri pauperes, fatigantur equi, plerumque laſſantur & homines. Et licèt talia devolverint ad ſolatium, à gula tamen initium acceperunt. Vexantur ſæpe pro divitibus, quos avaritia ſic ſubvexit, intempeſtè macella, & contentiones famulorum in emptione naſcuntur, ut alter velit dominum ſuum in pecunia facere priorem, alter in exponendo largiorem ſuum dominum fateatur, ut verba verbera petant, inimicitiæ ſtatuantur, nec non & interdum homicidia ſubſequantur. Sed ad tale vitium in avaris hoc ſolùm poteſt eſſe remedii, ut appetitu rerinendi, timore deficiendi plerumque interdicantur expenſæ. Non eſt tamen noſtri propoſiti gulam hìc definire ſententiis, ſed prout gula ex avaritia quandoque progreditur, verbula hæc adjeci: Luxuria verò in foribus aderit in uxore propria, cùm finem laboribus dederit, in cameris tam ornatis. In aliis verò ipſius ſtimulabitur jaculis, cùm viderit pulchras formas favente pecunia ſtudio avaritiæ cumulata, ut per ipſius largitionem plerumque libidinem in aliis expleat, niſi per aliud avaritiæ malum, quod dicitur tenacitas, refrænetur. Sed nec eſt devitatio vitii, ubi vitium per vitium non committitur. Sed plura portat in ventre iſta noverca naturæ diabolo maritata, ut rapiat, ſi aliter habere non valeat, velut furto aliorum bona invito domino contrectare, niſi gratis accipiat. Generavit latrones in latibulis, & in ſylvis, ut expolient tranſeuntes, & plerumque interimant, ut, quæ non habent, obtineant. Simoniacos fecit innumeros, ut cœleſtia, & dona ſpiritualia commerciis avaritiæ largiantur. Uſurarios publicos, & palliatos in orbe conſtituit, ut dulciter denudentur egeni, qui divitiis naturæ, ſi abfuiſſet avaritia, poterant ſuſtentari. Corrupit iſta primùm naturam, deinde naturæ remedium defalſavit. Nam artem, quæ in naturæ remedium eſt inventa, & per Spiritum ſanctum omnium artificem hominibus irrogata, falſitatibus innumeris maculavit, linguas fecit loqui mendacium, perjuria multa compoſuit, pervertit ipſa judicia, juſtitiam omnibus debitam fecit ſæpe venalem. A proprio alveo juris leges in advocatis divertit, ut ipſas inflectant ad votum, non vota cum lege concordent. Notarios falſitate necavit, ut cor cogitet, lingua loquatur, exarétque in chartulis manus, quæ adverſa ſunt lucidæ veritati, falſos teſtes produxit in litem. Et quare hæc omnia? Ut petantur non debita, vel ſupra debita plus petatur, & cum falſitate avaritia lucra inveniat, quæ cum veritate non poterat cumulare. Quid iſta ſceleſtius, qua rationis aſpectus intantum obruitur, ut gratius aurum & argentum, quàm ſolem intueatur, & animo ferventiori defectibilia iſta conſpiciat, quàm Chriſti corpus in quo reficimur ad ſalutem, ac diligentiori affectu contempletur ſenſu & ratione carentia, quàm homines ſenſu & ratione pollentes? Quanta verò fraus de ipſius ventre procedat, forinſecæ querimoniæ ſemper clamant, ut proximus à proximo ſe deceptum conqueruletur, & voces ingeminet non inveniri fidem, propter avaritiam in hominibus ſuper terram. Quæ proditiones de iſta crepante prodierunt? hominum mortes propter pecuniam irrogatæ, caſtra in manus obſidentium per pecuniam tradita, civitates captæ ſæpéque deſtructæ, exules plurimi ſua proſcriptione revelent. O ſcelerata conditio avarorum. O crudelis impietas, quæ numerata pecunia perſonas vendunt innumeras, nec præmeditantur pericula animarum, innocentibus non parcunt, exponunt exitio parvulos, virgines ſtupro, ſcortis viduas, adulterio maritatas, ſacrilegio moniales, ruinæ irreparabili civitates. Quæ violentiæ, quæ inquietudines ex ipſa oriantur, actus & mores magis, quàm verba clamant. Exeunt à fœtido clauſtro avaritiæ adhuc hujus nefandiſſimæ filiæ, obduratio mentis, obſtinatio, infidelitas, adinventio novitatum inſolitorum modorum, vagatio mentis, indevotio, recurvatio in oratione & cogitatione bonorum, privatio contemplationis, ignorantia ſpiritualis defectus, negligentia ſtudii ſpiritualis, promiſſio futuri temporis, confidentia vana, oblivio mortis, incompaſſio. Quarum omnium & aliarum innominatarum, ſi quis aliquam deceptus conjugio copulaverit, ſeipſum mancipavit gehennæ, ac per hoc à ſua mala ſobole iſta nefandiſſima condemnatur, & intuitu mentis ex prole percipitur, quàm ſit avaritia mala parens, quantique periculi, qui ſibi per matrimonium copulatur. Et vita brevis & improviſa mors omnes arguit homines avaritiæ intendentes, qui non velut mancipia mortis ſe cogitant, ſed velut perpetuos ſe fulciunt peritos, & de annis & temporibus multa diffiniunt, qui menſem aut hebdo-

ma-

madam, ſed quod minus eſt, diem craſtinum non videbunt, juxta Salvatoris noſtri
Luc. 12. ſententiam in parabolis loquentis. Hominis cujusdam divitis uberes fructus ager attulit, & cogitabat intra ſe, dicens: Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos. Et dixit: Hoc faciam. Deſtruam horrea mea & majora faciam, & illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima mea habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: Stulte hac nocte animam tuam repetent à te, ſcilicet maligni ſpiritus, quæ autem paraſti cujus erunt? Sic eſt, qui theſaurizat, & non eſt in Deum dives. Ideo ſtatim ſine interciſione ſuis diſcipulis ſolicitudinem avaritiæ peſſimæ diſſuaſit, dicens: Ideo dico vobis: nolite ſoliciti eſſe &c. Ut au- Matth. 6.
tem claudatur de hac peſtifera ſermo, & ad quem finem poſſit devenire, ſuos malos inſpice gradus. Initium ejus eſt, amor ſui ſine reſpectu proximi, medium ejus ſuperflua congregatio rerum, finis verò negatio Dei. Ecce quo poteſt iſta pervenire maledicta, ut Deum neget in ſuarum creaturarum profeſſione jurata.

Cap. LI.

De gula.

MAligna regina gula, quæ ſempet regnat in noſtro mortali corpore, niſi vigore gratiæ ſuperetur. Cujus ingreſſu agitatione diaboli ab homine primo & divina, & prima in prævaricationem ſunt deducta mandata, quæ ſic tyrannicè humanam coarctat naturam, quæ, niſi ſibi ſerviat, perſona non vivat. Et tali fœdere cum ipſa congreditur, ut nec per diei ſpatium, niſi per violentiam, aut ſanctificationem aliquam liberetur. Ipſa fecit naturam primo tameſcere, poſtmodum fecit egere, ut amodo per neceſſitatem ſerviat, cui ante libertas aderat non edendi. Et quamvis cibi eſſent ad uſum corporis ordinati, non erant tamen per concupiſcentiam malè ſumpti, nec per appetitum ad vitæ regimen inordinati, nec guſtûs delectationem inordinatè trahentem, à deóque avertentem ſenſiſſe in cibo, ſicut manus in pomo, ſed uſquequaqua extitit dignum, ut ipſa in nobis exerceat ſuæ dominia poteſtatis, culus impulſu ſunt contempta divinæ imperia majeſtatis. Et ad Idololatriam trahit ipſa ventris cultores, juxta
Philip. 3. Apoſtoli ſententiam, quorum Deus venter eſt, ſed eſca ventri, & venter eſcis, Deum hunc, & has deſtruet. Inſatiabilis vorago gula, quæ quantò plures eſcas ſuſceperit, plus affectat, & per hoc ab ejos ſubactus imperio non credit naturam gulæ ſufficientia produxiſſe, nec ad varaiandum delectationibus fauces, & conductum ad ventrem variaſſe ſapores. Et antequam ſumat, ſe in tali conſideratione cum tormento ſuſpendit, ut ſaturantia ventom, cibis aerem nihilo pendens, corporis ſumpturus annonam. Et contra naturam confitetur vacuum in natura ventrem, ſcilicet ex cibariis non replendum, vina vitro flaventia pro abolenda inſita ſiti, ſi more fluminum redundarent, deficere cauſatur, velut guttam intincto modicè minori digito inhærentem. Cùm autem ſumpſerit, nauſeat ſuper ſufficientia perceptorum & varietate ſaporum, quorum cibos effluente delectatione perceperat, abſtinentiæ recordatione vilipendit. Et ſpumante ventre aſſiſtentibus doloribus, ſtomacho cruciato, pede podagro, ſpondet temperantiam de futuris, laudat moderantium vitam, extollit ſolitariè quieſcentes, à quibus ventris cura receſſit. Eſferunt præconiis ſanctos, qui ſe per abſtinentiam afflixerunt, maledicunt accurantibus, & accuratiſſimis cibis, quæ maledictio, quæ pœna, quæ tribulatio iſta clamant, manè ſeróque ſcilicet in ſervitio tam vilis ac corruptibilis Domini videlicet ventris putridi eonveniri. Dormiebat ſanè iſta regina reſocillata pet paululum, & in corpore incommodis ſubſecutis, inde ſic clamabatur, excitata verò & parumper gradiente per ſpatia, doloribus conſopitis, & in receſſum ciborum deducta congerie, vale jejunio, væ! temperantiæ, væ! abſtinentiæ dicitur. Et ſemper fit regreſſus in idipſum, à quo firmiter credebatur egreſſus. Proh! latet in abſconditis jugulans gula, & velut latibulis latro ſuo opere patulum quærit, maximè, cùm viderit adeſſe copiam ſumendorum, ſemper enim in inſidiis, aut in foribus eſt. Cum neceſſitate naturæ ſe ſociat, & ſub ipſa ſe palliat, & paululum cum ipſa aſſumens alimenta, ſequitur voluptatem usque ad eructuationem & vomitum. Utres ſicci modicum capiunt, humectati verò amplius, ſic &

hominum ventres. Deliberata judicio rationis abſtinentia gaudet in parſimonia, ſed edendi aviditas, niſi per ſumendi ſolum impotentiam non quieſcit. Quærit pinguia, cunctatur delectabilia, carnem inflammantia ſemper optat. Permutat naturam commixtione ciborum, ut per ſe ſapidum fiat inſipidum in altero, nec cuius ſit ſaporis commixtio diſcernatur. Ardet ignis in ſtomacho ſervi gulæ, ſtatimque videtur facta digeſtio, & iterato ſe violentat ad gulam, & rapacitate lupina fertur in appoſita, & in principio cibum ſilenter ſumit, non ſilendi virtute, ſed voracitate ſumendi, ne loquendi officio præpediatur, & cùm ſe cœperit ingurgitare, progreditur in loquelam, ut majori aviditate regrediatur in eſcam. Mentitur ſemper ſibi gulæ iniquitas, quia quod diſponit, nunquam obſervat. Exactor eſt inquietus, qui nunquam quieſcit exigere, nec quantum exigit, conſiderat, quia non retinet, quæ congregat, velut qui merces in faſciculum pertuſum mittit, ſed velut irreplebilis fovea inceſſanter, ut exigat, ſatagit. Durum eſt igitur, ſemper petenti tribuere, cenſúmque imprætermiſsè dare prodigio, fiſco nefas ſervire, qui lapſis requiem non concedit. Difficile iſta vices & temporis ordinem obſervat, appetitu inſurgente movetur, nec ratione, nec ordine ſiſtitur, præceps fertur, repletur furia, ſi cupita abſunt. Infirmitatem dicit adeſſe vicinam, corrodente ſe ſtomacho, carente alia materia corrodendi, niſi aliquid ſtatim trajiciatur, ut redeat. Naturæ ſpatium non expectat, ſolem horarum authorem in ſua ſphæra retrogradum dicit, cùm adhuc appetitui hora non favet. Horologium guloſi, quod noſcitur horarum indicium, eſt ſubita fames. Tunc eſt hora edendi, cùm appetit, tunc tempus, cùm eſurit: Naturæ deliciis non contentus, arctificavit pura bona, & ejus efficitur inimicus. Obruitur ratio, obcæcatur intellectus, depellitur bonus affectus cum gulæ regnat effectus. Exulant à paradiſo, & ab ejus deliciis protoplaſti, qui mandatis ejus magis, quam Dei præſtiterunt aſſenſum. Et calicem biberunt amarum, in ſudore & labore victum quærentes, qui præcepta tam dulcia contempſerunt. Succenduntur incendio Sodomitæ, quos ad peccandum contra naturam ciborum abundantia provocavit. Perdidit primogenita Eſau, gula edulium lenticulæ appetente. Idololatrat populus poſt cibum & potum ſuperfluè ſumptum, & Deum educentem ex Ægypto pro eis decies ſiagellato, & ſubmergentem Pharaonem & exercitum ejus in mari, conducentem mirabiliter per deſertum non recogitant, pro Deo aureum conflatilémque vitulum venerantes. Quod Apoſtolus reprehendendo, & nos monendo non tacuit, dicens: Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere. Sed ſtatim eſt punitio ſubſecuta. Moyſe divinas tabulas divinorum præceptorum præ indignatione frangente, ne verba Dei ventris ſervi audirent, & poſt paululum plura milia ultor gladius interemit. Multa ſiquidem ſunt exempla in ſcripturis catholicis. Et dives epulo in Evangelio nobis inſinuat, qui ad inferna deſcendit, quanti extitit periculi tali Dominæ famulari. Sed ut melius ad cautelam legentium innoteſcat, præciſas ſcripturæ ſententias adducamus malis & continuis experientiis roboratas. Luxuriam gignit iſta maledicta, ſecundùm ſententiam Jeremiæ: Saturavi eos, & mœchati ſunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores in fœminas emiſſarii facti ſunt, unusquisque ad uxorem proximi ſui inhiabat. E Jacobus in canonica ſua dicit: Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra. Ubicunque igitur ſaturitas gulæ ſerviens fuerit, ibi damnabitur libido. Et fovetur luxuria ex cibis velut ignis ex lignis. Et Et oblivionem Dei & receſſum ab ipſo cauſavit in anima ejus, qui per gulam ſtuduit ſaturari. Quod Moyſes populo comminando improperavit, dicens: Incraſſatus eſt dilectus & recalcitravit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo. Et Oſee propheta: Super triticum & vinum ruminabant, & receſſerunt à me. Et alibi: Adimpleti ſunt & ſaturati, & elevaverunt cor ſuum, & obliti ſunt mei. Perditionem bonorum & virtutum adduxit gulæ maligni-tas ſuper terram. Mortui ſunt Job filii comedentes, domo virtutum in quatuor angulis primo à vento concuſſa. Proinde Apoſtolus carnis curam penitus diſſuadet, dicens: Carnis curam ne feceritis in deſideriis veſtris. Et: Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Et caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Et JEſus Filius Sirach: Quid nequius, quam quod excogitavit caro & ſanguis? Et idem Apoſtolus: Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini. Et qui in carne ſeminat, de carne & metet corruptionem. Et irrefragabilis ſententia Salvatoris: Attendite ne graventur corda veſtra crapula. Iterum ſcriptum

1. Cor. 10

Luc. 10.

Jerem. 5.

Jacob. 3.

Deut. 32.

Oſee 7.

Oſee 13.

Job. 1.

Rom. 13.

Rom. 8.

1 Cor 15

Eccli. 17.

Rom. 8.

Gal. 6.

eſt.

Eccli. 37. eſt. Propter crapulam perierunt multi. Quid adversùs iſtam ſulcare litteras amplius expedit ? Nam mala fecit & facit innumera, nomina nefanda poſſidet multa, ſed ut ipſam brevi ſermone deſcribam, velut depictam tabulam hanc ſedulò contemplare ſcripturam. Guia eſt adhæſio Spiritus ad carnem, rationis ad voluptatem, animæ ad corpus, memoriæ ad conſumptibilia, voluntatis ad lædentia, ſenſus, guſtos ad delectabilia, pluvia ſuper carceratas virtutes, grando ſpiritualium virium, abyſſus boni, brevis ſuavitas, dolor poſt ſuavitatem, infrunitum periculum, ſuave venenum, infirmitas repetita, ignis ventris, ſtimulus palati & gutturis, ſolicitudo indeficiens ante mortem, ante gratiam ſepultura corporum mortuorum, corporis tortrix, infirmitatum conciliatrix. continua exactio, appoſitio non neceſſaria, quæ ad ſui periculi cumulum ebrietatem ſibi annectit pediſſequam, quæ ſe ſuo nomine manifeſtat, quod ſine menſura ſonat. Extra menſuram cibi aut potus exiſtens, extra vitam egreſſus eſt. Prætermiſit enim Deum omnium vitam, quæ fecit omnia in numero, pondere & menſura. Sed nec conſecrari poſſunt Chriſto, qui ebrietatem patiuntur. Nam &
Num. 6. Nazaræi, qui Deo in teſtamento veteri conſecrabantur, vinum aut omne, quod
1.Reg. 1. inebriare poterat, non bibebant. Et in libro Regum, Anna cùm argueretur bibiſſe, quod non bibebat vinum, filiam Belial ſe negabat, quia non biberat, ac per hoc diaboli fuiſſe filiam profitebatur, ſi aliquando bibiſſet. Et viri expreſſit potentiam (ut legitur in Eſdra) tertius illorum juvenum. Sed in dicendo primus problemantium, cùm exquireretur coram Rege Dario, quare ſcripſerat, quod forte vinum erat, dixit: Prævalet vinum omnibus hominibus, qui bibunt illud, ſeducit mentem, itemque regis, & orphani facit mentem vanam. Item ſervi, ac liberi, pauperis, & divitis, & omnem mentem convertit in ſecuritatem, & jucunditatem, & non meminit omnem juſtitiam, & debitum. Et omnia præcordia facit honeſta, & non meminit regem, neque magiſtratum, & omnia per talenta facit loqui. Et non meminerunt, cùm biberunt, amicitiam nec fraternitatem, ſed non poſt multum ſumunt gladios, & cùm à vino emerſerint, & ſurrexerint, non meminerunt quæ geſſerunt. O! viri num præcellit vinum? Meritò ergo Salomon dicebat:
Prov. 45. Noli regibus o! Lamuel, noli regibus dare vinum, quia nullum ſecretum eſt, ubi regnat ebrietas, ne fortè bibant, & obliviſcantur judiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis. Quanta pericula ex vino, aut ebrietate proveniant, ipſa Prov. 29.
ſapientia proverbialiter clamat. Cui væ, cujus patri væ, cui rixæ, cui foveæ, cui ſine cauſa vulnera, cui effoſſio oculorum? Nonne his, qui morantur in vino, & ſtudet calicibus epotandis? Vidit igitur, quæ parit ebrietas maledictiones æternas. Væ nanque in Scriptura ſacra pro maledictione ſemper ponitur ſempiterna. Rixas inter proximos generat, parat hominibus foveas inevitabiles peccatorum, fiunt vulnera ex ea incurabilia, niſi ante ipſa curetur. Et effodiuntor oculi rationis, magis autem & contemplationis arcanorum, ut divinorum myſteria nunquam poſſit mens percipere temulenta. Dæmon blandus, & ſatis domeſticus extat ebrietas, & eo facilius decipit, quo color in vitro repræſentatur in oculo, odor in naribus, ſapor faucibus delectatur. Propter quod ſine deciſione ſtatim ſubjungitur malum, quod damnata ebrietas operatur, &, ut caveatur, edicitur: Ne intuearis vinum, quando flaveſcit, cùm ſplenduerit in vitro color ejus. Ingreditur blandè, ſed in noviſſimo mordebit ut coluber, & ſicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perverſa. Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo, & dices: Verberaverunt me, & non dolui, traxerunt me, & non ſenſi. Quando evigilabo, & rurſus vina reperiam? Quid enim aliud verba iſta ſonant, niſi, quia vinum duiciter bibitur, ſuaviter ſumitur, & nullam læſionem ipſa ſumptione inferre videtur, velut venenum colubri mordentis in ſilentio, quod gravedinem non videtur inducere, ſed paulatim, & quaſi inſenſibiliter aſcendit ad cor, vitalem calorem perimens, & exinguens. Sic & vinum tacitè perimentis exercebit officium, & ab immoderato ſauciati, aſpicient incautè formoſas & extraneas mulierea, & cor perverſum perverſa in ſeipſo loquetur appetendo, dicens: O ſi haberem illorum corporum formas. Qui appetitus divina lege prohibetur, & ex divina ſententia mœchus jam factus, cui talis inſidet appetitus. Et velut qui dormit devictus ſomni altitudine in medio mari, qui non ſentit, quando cum navi ſimul
tempeſtatis tempore ſubmergitur. Et Luc. 2.
aſſimilatur ebrius gubernatori navis magnitudine ſoporis demerſo, temonem, quo navis dirigitur, dimittenti. Qui non

ſolùm

solùm sibi, sed omnibus complicibus causa perditionis extitit. Nam homo qui totius vitæ suæ debet gubernare navigium, interdum & proximorum, crapulatus à vino remonariam rationem amittit, secum, quos habebat dirigere, simul perdens. Qui verberatus à dæmonibus, non dolet, tractus ad vitia, se non sensisse fatetur, & æstuatus à somno consurgens, ad æstuantia vina iterum evigilare peroptat, ut magis ferventia, & incendentia vina perquirat. Hinc Jesus filius Sirach, quæ propter immoderantiam vini eveniant, & quæ propter moderantiam mixta locutione non tacuit:
Eccl. 31. Diligentes vinum noli provocare, multos enim exterminavit vinum. Quod cauta prohibitione indicitur, ne qui vinum diligunt, liberè provocentur, nam usque ad eructuationem sumere non negabunt. Sed ne provocentur ad iracundiam potatores, potius ex tali dicto cavetur, cùm ad rixas & convitia mentis non sobrii faciliter moveantur. Nam multos extra terminos æquitatis & rationis, quietis & pacis vinum miserandè conjecit, propter quod statim adjungitur: Ignis probat ferrum durum, sic vinum corda superborum arguit in ebrietate potatum. Durum est ferrum, sed ignis emollit: sic alta hominum corda conflagantur à vino. Si bibis illud moderatè, sobrius eris. Nam sequitur:
Gen. 9. Vinum in jucunditate creatum est, non in ebrietate ab initio. Primus plantator vineæ succubuit fructui suo, & vini tenebris tectus, tegenda propter peccatum verenda detexit, sed exinde derivenit filio est maledictio subsecuta, vini potentia parante maledicendi germen. Et Loth temulentus à vino, velut in carnem propriam seminavit contra naturam, dum filias sui seminis amens factus incestuavit & gravidavit semen ex semine, ex quibus orti sunt populi reprobati. Proinde vino procurante facta est primum inaudita commixtio, ut idem pater, & maritus, & avus, eadem uxor, & filia patris, & mater, & soror filii haberetur, idem filius, & nepos patris, & frater, & filius matris. Et Nazarei non bibebant in veteri testamento vinum, quoniam sciebant, quod à contemplatione, & vero intuitu avertebat. Et Anna miraculosè susceptit filium Samuelem, quoniam quod inebriare poterat, nunquam biberat. Holifernis truncatur caput à fœmina, quoniam vini calore devictus, velut insensibilis jacebit in lecto. Incalescens Assuerus flavido vino, contra honestos mores suam populis volebat ostentare reginam. Ipsa verò in convivio fœminarum ex vino calida, mariti contempsit imperium. Ille temulentus ex vino, præcepit inhonestum, contemptúsque divisionis dictavit sententiam. Illa madida vino mariti contemnens imperium, justam sustinuit pœnam. Plura quàm dicta sunt gastrimargiæ mala. Cujus initium est sensibilium, & delectabilium, & usu consumptibilium possibilis & affectata delectatio, medium propriæ carnis inquisitivus & usualis amor, finis verò suffocatio rationis, & memoriæ rectæque voluntatis.
Gen. 19. Num. 6. 1. Reg. 1. Judic. 13. Ester. 1.

Cap. LII.

De luxuria.

LUxuria lumine carens, multos lugere fecit, & cœlestibus luminosis præmiis privans, innumeros provocavit ad lachrymas, sed steriles, & sine remedio existentes. Luxuria luctum adducit amarum, cùm à divinis, & castis amplexibus separat, stercorea corpora cum osculis amplexantes. Luit luxuria lumen irrecuperabiliter perditum in loco facinorum. Lustrat seipsam anima luxuriæ copulata; sed non in lumine claro, solùm propter-corpora se deplorat amissam, quod nec ad deplorandum sufficiens inexhaustibilibus fluviis lachrymarum, quod propter lubricum carnis anima pene lubricum patiatur. Nam teste Scriptura, tales in lubricum, & in tenebras impellentur. Luxuria nempe, quia lubricam facit, & immundis & turpibus cogitationibus animam in se ipsam irretenta revolutione fœtidæ rotæ, circa libidinis centrum semper regressio fit in idem, & molendinum constituitur, fulphureum materiam piceam, incensam igne tartareo, semper terens. Necnon & ad corpus animam lubricalem luxuria facit, cùm præcogitatis sordidis pulsatur paulatim porta naturæ, quæ, si non alliduntur ad petram, infestant impulsu pervalido, ut usque ad corruptionem non possit esse remedium. Lubricatur anima etiam lubricata per indebitum

tum appetitum corporis ad corpus, feſtinanter verò per actum, niſi cogitationis lubrico reſiſtatur. Ad corpus dico diſſimilis ſexus ſimilísque naturæ, ignéque infeſtata ſulphureo gratiæ aqua deſuper non infuſa, ſeu non recepta, ſi infuſa. De matrimonio plerunque fit ſcortum, & ſcortum ſcortum manet; non defertur alienis thoris, nec in virginibus ſervantur dona naturæ, continentibus infertur impudicitia, in ſanctimonialibus non ſervatur profeſſio puritatis, ut aut actio, aut paſſio, aut utraque ſit inculpa. In ſacerdotibus divina myſteria oblivioni trsduntur, & ſanctiſſimæ unctionis. In habitu monachali erit oculis petulans, & ſub pannibus vilibus invenies cor ſuccenſum, & flammantem clibanum luxuriæ prurientis. Incœſtuabit quis, inhoneſtabit, quas debuit, ſi non aliter, atiam in bello in ſua honeſtate tueri. Lubricabit corpora regum, procerum & inclytorum, & appendentium juſtitiam, & judicium in ſtatera, ut neuter ſuo ſtatui deferat, & efficietur corruptor incontinens, qui malè lubricantium debuit eſſe ultor. Et in hoc intantum, quos tangit, à ratione ſubvertit, ut rex & miles, dominus, & ſervus, dives & pauper, ſapiens & indoctus, glorioſus & ignobilis, fortis & debilis, magnus & parvus, maſculus & fœmina, otioſus & actuoſus non diſcernantur à zona deorſum, quamvis ab ipſa ſurſum multa ſit differentia perſonarum. Lubricavit infrunita libido contra naturam in ſimilem naturam & ſexum, ut ab ipſa turpitudine concitati maſculi ad maſculos, fœminæ ad fœminas exarſerint more nefando, necnon & quod horrendum auditu, quod intantum agitaverit, ut uſque ad naturam diſſimilem beſtiarum nobilitas humana defluxerit, & inſanira fecerit. Plurésque in pulchritudinem picturarum, & ad depromptas artificioſè imagines ſenſu & ratione carantes lubricitas fluxerit, & vivas imagines configuraverit pro libitu abutendi. Diſtorſit iſta lubricitas appetitum, ut plerunqua vir ratione cæcatus ſexum mulieris appeteret, & verſa vice mulier quæreret ſexum viri, ſi ex tali permutatione eſſet liberior habilitas lubricandi. Appetiverunt pleræque perſonæ ingenuæ ſerviles habere perſonas, & nobiles ignobilitatem, ut ſe poſſent luxurioſæ tupitudini mancipare, ut quod prohibet fieri conditio generis, poſſit operari perſona ſervilis, & quos propter ſtatum verecundia retinet, infirmitati pudor concedat abjectus. Vellet omnium oculos cæcari luxuria, ut ſine nota liberè pervageretur, nec reprehenſorem aut corripientem coaptat, ſed pernicioſa licentia uti quærit, & illicitum in licitum, cupitum in honeſtum, volitum in juſtitiam, neſas in fas, letali & tyranniea ſua poteſtate transmutat. Plures fecit Hermophroditas ſua concupiſcentia, quàm ax ſua operatione natura Fugat ex ſuis immundis tactibus omnem honeſtatem ipſa de moribus, etiam incorruptis manentibus ab immunda violatione corporibus, Inſpice acutius hujus fœtentis lubricalem progreſſum, & progreſſibile lubricum, & advertes omnem ſenſum pudibundis ſenſibus in turpitudine ſervientem Nempe aſpiciet oculus pulchras corporum utriusque generis formas, & ipſo incorrupto manente excitabuntur à libidine pudibunda, percipiet auris venarea verba, ſeu amatorias cantilenas, ſeu vocem ſexus altarius, aut jam ex viſu formæ placentis, & in pudibundis accenditur ignis, immota in ſenſibus aure, olfacit odoratus, quæ ſunt ſexus diverſi, & membra movebuntur obſcœna, in ſua natura olfactu manente. Et obſcena verba in genitalibus excitabunt ardorem, ſuam lingua ſervante naturam. Tactus ſiquidem morbidus atque mollis, & oſcula labiorum propagarionis portam incendent igne ſulphureo, inviolata manu tangenta, & labiis incorruptis. Necnon plerunque ad hujusmodi fornacem incautum cor cogitationibus propinquabit, & ipſo manente, quod erat, in inferioribus concitabitur durum bellum. Luce clarius pstet, quomodo iſta putulenta lubricitas omnem ſenſum, cùm inſidet, tyrannicè ad infima lubricat. Ac per hoc per omnem junctúram compactum corpus, & per medullas, & venas, per nervos & poros, per carnem & oſſa, per pellem, & ſanguinem luxuriæ lubricæ legibus ſubminiſtrat, & interior inviſibilium virium inviſibilis ordo eidem inordinatè ſubſervit, ut in tetralibus nebulis intelligentia poſita, in geſtibus ejus prætaritis, præſentibus, & futuris, contingenter, & poſſibiliter, aut impoſſibiliter occupata memoria, ſeu in appetitu laſcivo decepta voluptas, aut omnino id quærens parverſa voluntas, turpatis & immundis imperiis ipſe ſubjacest. Quid ni ait, igneis ejus agitate calcaribus, & in recalcitratis ejus ſtimulis perforata. Repudiato pudore, timore abjecto divino, dimerſo amore virtutis, caſtitate depulſa præ foribus, inconſiderata lege naturæ inſaniens, & hinniens velut equus & mulus, in quibus non eſt intellectus,

luxuriosus ad placita, ut expleat Deo implacita, inhiabit. Assumet plerumque ista in advocandi defensione coram judice, & immunditiam rationabiliter judicant, studentes imo professores motus carnis in lege naturæ corruptæ dico, non conditæ, ut velut infecti à labe inserta naturæ naturaliter dominante, nec præsidente, qui naturaliter liberet, sicut illa naturaliter inficit, non posse penitus continere, nec multari debere pro inevitabilibus malis. Et cui pro parte motuum carnis talis dissipatio placuit, ad se plus debito Dei misericordiam inclinavit. Nec advocavit in effugiendo cautelam, credens se insolubiliter irretitum, & sensum turpitudinis debere soluere per naturam naturaliter dominanti, velut gulæ solvit debitum necessitatis naturæ. Inflexit iste os mentis suæ in allegationes corruptæ punitæque naturæ, inexcusabilis in peccatis factus, frivolas excusationes allegans, sed non aspexit in Deum, tectus nebula carnis. Nam bestiæ absterrentur metu & sensu doloris à voluptatibus in eis insurgentibus à natura. Absterreri debebat igitur cultor libidinis metu judicis & incendii avernalis. Non videt iste, quod non posse ab illicitis abstinere, non est natura creati hominis, sed pœna damnati: nam homines natura sumus. Non ergo ipsa cogente, sed voluntate vitiosi. Professor igitur naturæ corruptæ, naturam institutam primo considiciat, nec velit gratiæ derogare, quæ naturæ conditæ aut vitiatæ legibus superfertur. Potior enim est gratia in refrænando naturam corruptam, quàm ipsa natura in turpe prorumpere, gratia præsentialiter assistente: siquidem & ipsa gratia conditam naturam in nullo sibi sentit adversam, potius verò in omnibus cognovit amicam. Pugnabit igitur unum debile contra potentiora duo, & vincet: succumbent duo fortia coram infirmo uno? Potius contrarium aspice. Si absque simulatione pugnare disponis, invicta firmitate te natura tenebit ab infeciente materia, gratia verò potentissima liberabit, si unam à dextris, alteram à sinistris assumes. Nec causeris tibi non adesse naturam bonam & validam, si ea productus in esse: nam bonus cuncta bona creavit. Nec quærelis adversùs gratiam furgas, tibi, dum æstuabas in certamine, defuisse, sed magis te sibi subtraxisse redarguas, si armis ejus non processisti armatus, seu de te confidens, aut ipsam vilipendens, polluisti collegam omnibus volentibus fieri præparatam. Sciebant enim, & sciunt Sancti Dei omnes homines jaculis patere luxuriæ scuto gratiæ non protectos, igitur orationibus insudabant, desuper auxilium postulantes, cùm Psalmista clamantes: Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina. Et mentis oculos in superna cœlorum levabant, unde veniebat auxilium eis, & eorum adjutorium erat in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Prævidebant nempe, quod, nisi Dominus ædificaverit domum defensionis à tali turbine atque pluvia, qui ædificabat, laborabat in vanum. Et nisi custodierit civitatem corporis nostri sensibus patulis existentem, insurrexisset domesticus inimicus per fenestras apertas vitiorum, advocans dulcem mortem. Et secundùm Jeremiam, oportuisset planctum & lamenta doceri, cùm mors per fenestras sensuum habuisset ingressum. Et vana esset custodia nostra, si custos optimus dormitaret. Sed pollicetur per Spiritum Sanctum David omnibus certatoribus, quod non dormitabit, neque dormiet, qui custodiam nostro Israeli spopondit. Quod doctor gentium Paulus in se videns legum bella consurgere, aut quasi de homine alio hujusmodi in se loquens dicebat: Condelector legi Dei secundùm interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Non Angelus, non homo, non ego, non alia creatura, sed statim intulit: Gratia Dei per JEsum Christum Dominum nostrum. Concedatur ergo allegantibus pro natura corrupta, quod impugnantur, quod repugnare victoriosè per seipsos non possunt, nisi pro eis fuerit dimicatum desuper: sed convincantur per naturæ conditæ virtutem, & per gratiam assistentem, cum quibus libido confligitur, & stimulus luxuriæ depunctatur, quia desuper ab infesto, non de subtus à subactis in nobis adversùs luxuriam dimicatur, & non à corporibus terrenis, sed à supernis auxiliis patitur ipsa conflictum, & qui devincit, coronam non sua, sed divina probitate reportat. Ac per hoc nedum istam sic dulcem hostilémque amicam, sed nec quascunque aereas & vitiosissimas adversarias potestates possunt habere, siquidem bellando felices, quos divina numina protexerunt. Protegunt nempe infallibili & miro modo, si non recusat protegi necessario protegendus. Porro cultor naturalis pulchritudi-

Psalm. 69

Jerem. 9.

Rom. 7.

tudinis huic impaciſcibile bellum indixit, zelator mundicitiæ vulneravit inſanabiliter, in regno corporis ſui dormire fecit. Charitatis amicus avidus ſupernorum mortifiavit ſenſum, poſſeſſor paracleti ad nihilum redegit hujuscemodi dulce malum, imo inimicum amarum. Pruinde impuſſibile dico in ſylva corporis noſtri poſſe capi hanc latentem feram, & ad macellum deduci occidendam, niſi ejus venator ſit arca paracleti, & ejus ſagittis inviſibillbus pharetratus. Quis unquam ad plenum comprehendere potuit inviſibilem ducem ejus, qui ſub ſpecie contritionis ſuſceptas ab ea immundas amœnitstes plerunque ad memorism revocavit? Supponebat enim profluere lachrymas ex dolore, ſed funeſtum ignem excitavit in corpore. Perpende qualis eſt iſta commutatio doloroſa, imo expectatio ſic decepta, ut pro aquæ refrigerio ignis incendium capiatur. Quãobrem lapſis omnibus fiat cautum, quãvis per gratiam relevatis, ne pro his ſpeciali memoria orent, eum quibus habuerunt nefanda commercia, ne pro pulchris ſexus alterius formis, nec pro dolendo velint talium habere memoriam, ne improviſè in foveam turpitudinis decidant non prævifam, à qua erepti ferebant gratias ereptori. Semper novercatur noverca natura, & blandè, quos non produxerit, infecit, & vocat filios, quos nun genuit, & ſemper decipit amœnitate ſponſorum ſub iſtius feductricis amœnæ prætextibus univerſam perficiens noverciam. Quis enim eſt ille, qui ſe perfectè abſconderit à calore ipſius fervidè incalentis? Cùm ipſa occurrat in infima carne uſque ad ſummum rationalis animæ penetrans, necnon ad animam per nefarios cogitatus ingrediens, ipſam uſque ad carnis motus illicitos dulci deceptione inclinans, ut neceſſario letale hoc blandiens malum evitare deliberans, cingulo inviſibili ſecundùm Apoſtolum intermedio accingatur, ita quod nec à corde conſopiente, lingua defcendat in lumbos, à quibus funeſtum præconium nominis habet, nec à lumbis aſcendat ad cor, ut ad voluptatem lumborum rationem inclinet. Voluptatur velut æſtiva ſus in luto glutinii, corporis fluxibilitati deſerviens, & immunda velut ſentina nautarum deberet provocare ad naufeam intrinſecorum ſenſuum, habentem debitam qualitatem. Sed obruitur ratio in mari letiferi mellis, ut graves non ſentiat hos fœrores: & ſicut in cinnamomis & in lectis aſperſis odoribus & aromatibus circunſertis requieſcant, in cœnoſis cubilibus requieſcant, à vino pruſtitutionis ejus turpiter ebrii, nec excitari ſinuntur, ipſa propinante imprætermiſſe letiferam potionem. Et in ſemetipſis detruſæ mentes, nec feneſtras aperiunt, unde luci veritatis, & juſtitiæ ſoli pateret ingreſſus, ut non nobis, ſed ei per vitam placitam viveremus, qui pro omnibus mortuus eſt, & refurrexit. Et ſecundùm Apoſtoli præceptum, glorificaremus & portaremus Chriſtum in corpore noſtro quoniam ab ipſo empti, à diabolo redempti, patri reaſſignati ſanguinis ejus precio magno, ut munditia vitæ Chriſti JEſu manifeſtaretur in noſtra carne mortali, ut ſi non propter aliud, aut aliter, ſaltem propter hoc, aut & taliter ab iſta immunditia liberi viveremus, qula ipſe unum nobiſcum, & nos unum cum ipſo per noſtram humanitatem aſſumptam indiviſibiliter ſcti ſumus. Ac per hoc præbonoremusin nobis humanitatis pulchritudinem, quam unigenitus Dei filius in ſeipſo ſuſcipiens, ineffabiliter honorare dignatus eſt, puritati æternæ copulans ereatam in tempore puritatem, & quam per Spiritum Sanctum initiavit, per virginea membra ſuſcepit, per virgineam portam eduxit, quam baptizavit teſtimonium de cœlo ſuſcipiens, quam virgulavit jejuniis, quam flagellis expoſuit, in cruce permiſit affigi, locari ſepulchro, quam de eodem à mortuis glorioſam retraxit, quam penetrans portavit in cœlum, quam collocavit in dextris paternis, ut hæc eadem noſtra natura excedat angelos in ſupernis, quæ ab ipſis in infimis multo vilior eſt creata. Et facti ſumus templum Dei, & membra noſtra Spiritus ſancti habitaculum creduntur, ut diſperdatur à Deo ejus violans templum, & efficiatur diaboli membrum, qui Spiritus ſancti membra tali turpitudini mancipavit. 1. Cor. 6.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

INDEX RERUM, *ET* VERBORUM,

Quæ in hoc primo Tomo continentur.

Prior Numerus Paginam, Secundus Columnam indicat.

A.

ABraham Circumcisionis primus Executor. 17. 1. 250. 1.
Abraham quomodo à Deo fuerit tentatus. 181. 1.
Absentia amati ægrè sustinetur. 92. 1.
Accidentia in Eucharistia apparent magis, quàm existant. 32. 2.
Accedia malum accidens est. 600. 1.
Accediæ descriptio. 600. 2.
Accediæ damna quænam sint. 601. 2.
Accediæ Filiæ quænam sint. Ibidem.
Adàm quare se absconderit. 352. 2.
Adami planctus in Dominicæ Nativitatis gaudium vertitur 11. 2.
Adultera quænam sit. 524. 2.
Afflictionis corporis nobis expediunt. 201. 2.
Agger, ubi thesaurus inventus, quid sit. 353. 1.
Agnus Dei quid sit. 125. 1.
Amoris proprium est unionem facere. 3. 2.
Amor nescit tarde moveri. 15. 2.
Amoris nexus quàm sit validus. 262. 2.
Amicus quis sit. 330. 1. & seq.
Amor proprius quis sit. 509. 1.
Amor ad Deum est meriti, amor à Deo est præmii. 261. 1.
Angelus apparens Pastoribus cur dicatur Angelus Domini. 11. 2.
Angeli fiunt in divina laude familiares hominibus. 14 1.
Angeli quare dicantur cœlestis militia. ibid.
Angeli per abusum liberi arbitrii de cœlo ceciderunt. 35. 2.
Angeli nos custodiunt. 43. 2.
Angelus quare missus ad annunciandam Incarnationem Christi. 52. 1.
Angelus quare Josephum allocutus sit. & non Mariam Virginem, 88. 1.
Angelicocelestes & terrestres. 138 1.
Angeli quomodo honorent homines. 185. 1.
Angeli rebelles in instanti puniti sunt. 562. 1.
Ananias interpretatur ovis. 145. 2.
Anima quieta loca quærit. 182. 2.
Anima quomodo à Deo repellatur. 259. 1.
Animæ elementa quænam sint. 275. 2.
Animæ priùs quàm corporis quærenda est salus, 277. 1.
Anima quomodo per peccatum moriatur. 566. 1.
Anima Drachmæ perditæ comparatur 585. 1.
Anima hominis à Deo creatur. 591. 1.
Anima Christi ex natura sua est similis cæteris animabus. 4. 2.

Anathema fieri pro Christo quàm bonum sit. 321. 1.
Aquila Ascensionis typus, 189. 2.
Aquæ motus quid significet. 297. 2.
Appetitus animi describitur. 331. 1.
Arca Noë Mater insensibilis humani generis. 228. 2.
Arcus pravus quid sit. 270. 2.
Arbor Christus est & qualis. 452. 1.
Arbor non faciens fructum bonum quænam sit. 452. 2.
Arbor ex fructu cognoscitur. 467. 1.
Ascensus in montem Dei quid sit. 182. 2.
Ascensus crucis exponitur. 194. 2.
Avaritia quàm sit abominanda. 362. 2.
Avaritia propria communia facit. 595. 2.
Avaritia describitur. 601. 1.
Avaro deest, quod habet, & quod non habet. Ibidem.
Avarus porcus Diaboli est. 603. 1.
Avaritiæ filiæ quænam sint. 604. 1.
Avaritiæ damna quænam sit. 604. 2.
Auditus per verbum Dei est. 281. 1.
Augustus quare totum orbem describi jusserit. 5. 1.
Austeritas vitæ S. Joannis Bapt. describitur. 113. 2.

B.

Baptizari voluit Christus à Joanne, & quare. 29.
Baptismus & alia Sacramenta quare fuerint instituta. 45. 2.
Baptismus Joannis peccata non potuit diluere. 114. 2.
Baptismus pœnitentiam includit. Ibidem
Baptismus quotuplex sit. 115. 1.
Baptismus S. Joannis describitur. 126. 1.
Baptismus Christi & Joannis in quo differant. 127. 1.
Bella, & excidia inter Christianos à Deo permissa. 42. 2.
Bella inter Christianos quæ incomoda proferant. 44. 1.
Bella, ut sint justa, quid requiratur. 120. 2.
Bellum hujus vitæ describitur. 394. 2.
Beneficia Dei quare sic dicta. 48. 1.
Beneficia Dei erga homines multa & magna sunt. 48. 2.
Beneficia divina grato animo sunt suscipienda. 491. 1.
Beneficiorum oblivio meretur pœnam. 327. 2.
Benedictum inter & beatum quale sit discrimen. 70. 1.
Benignitas Dei erga peccatores. 381. 1.
Bethlehem & Nazareth prælagiunt Christi mysteria. 6. 2.
Bestiæ in viribus prævalent hominibus. 161. 1.
Blasphemia in Spiritum sanctum quare non remittatur. 511. 1.
Blasphemia quàm grande peccatum sit. 512. 1.
Bonum est cum Christo recumbere in mensâ virtutum. 219. 1.
Bonitas naturarum supponit malum. 337. 2.
Bonum absconditum quid sit. 483. 1.
Brachium Dei Verbum est incarnatum. 72 1.
Brachii divini potentia enarratur. 73. 1.
Bruta animalia homines in multis præcellunt. 191. 1
Bonum quantò diffusius, tantò melius. 100. 2.

C.

Capilli capitis quid significent. 584. 1.
Castitas Deitatis prima imago. 52. 2.
Canes quinam sint. 449. 1.
Cæcitas exterior an interior, quæ magis defienda. 282. 2.
Cæci, claudi & aridi quinam sint. 297. 1.
Cæcitas corporis & mentis terribilis est. 309. 1.
Cœna magna quid significet. 389. 1.
Charitas procedit à fide & spe. 82. 1.
Charitas proximi describitur. 361. 1.
Christus incarnatus summus Monarcha. 5. 1.
Christus voluit subjacere decretis Ethnici Imperatoris 6. 1.
Christus nascendo monstravit mundi contemptum. 8. 2.
Christus unde secundùm carnem originem traxerit. 8. 1.
Christi triplex nativitas. 9. 1.
Christi panorem vilitate tecta est Adami superba nobilitas. 9. 2.
Christi paniculi erant ex velo virgineo. ib.
Christo in diversorio non fuit locus, & quare. 10. 2.
Christus pro hominibus non solùm voluit nasci, sed etiam inquiri, & inveniri. 13. 1.
Christus cur vilibus signis nativitatem suam innotescere voluerit Ibidem.
Christus ingressum & egressum è mundo voluit concordare. Ibidem.
Christus quare abrogaverit Circumcisionem. 17. 2.
Christus pro nobis circumcidi voluit. 18. 1.
Christi secunda apparitio in Circumcisione 20. 1
Christus quare ab Orientalibus fuerit adoratus. 27. 1.
Christus munera à Magis oblata suis manibus non suscepit. 27. 2.

Chri-

Christus Magis munera meliora tribuit, quàm acceperit. Ibidem.
Christus natus noluit solvere legem. 28. 1.
Christus quare voluerit in templo docere. 29. 1.
Christus in omnibus actionibus ejus se verum Deum & hominem monstrabat. 30. 1.
Christus in dupplici forma, in forma Dei & forma Servi. Ibidem.
Christus pro nostro exemplo post Baptismum desertum petiit. Ibidem.
Christus Filius David, & quomodo. 62. 2.
Christus quare dicatur adhuc in virgineo utero natus. 76. 1.
Christus quare Filius primogenitus vocetur. 79. 1.
Christo quomodo in templo sit occurrendum. 38. 1.
Christum quare Simeon in ulnas acceperit. 82. 1.
Christus quomodo sit Lumen ad revelationem gentium. 83. 1. 2.
Christus quare voluerit baptizari. 150. 1.
Christus in deserto omnibus egens. 165. 1.
Christus fatigatus quare sederit ad fontem. 201. 1.
Christi paupertas describitur. 210. 1.
Christus quare interfuerit conviviis. 211. 1.
Christus quare digito scripserit in terra. 214. 1.
Christus ante egressum de deserto nullum patravit miraculum. 215. 1.
Christus quare primum miraculum fecerit in aqua. 215. 2.
Christus quare cominatus fuerit ventis & mari. 230. 2.
Christus quare infirmos sanaverit. 234. 1.
Christus ad se venientes benigne suscipit. 234. 2.
Christus via est, qua ad Patriam pergimus. 237. 2.
Christus quod interrogabat, non ignorabat. 238. 1.
Christi esuries qualis fuerit. 239. 1.
Christus quare dæmones Ipsum confitentes increpaverit. 245. 2.
Christus nunquam deserit, nisi deseratur. 265. 1.
Christus sæpiùs oculos suos levavit in cœlum. 269. 2.
Christi ad Belial nulla conventio. 274. 1.
Christum confiteri, quàm bonum sit. 300. 1.
Christus cur in Sabbato curaverit. 305. 2.
Christum nescire, quàm sit damnosum. 319. 1.
Christi ad Salomonem comparatio. 530. 2.
Christus quare nos velit congregare. 556. 2.
Circumcisio spiritualis Christianis necessaria. 19. 2.
Conceptionis modus in B. V. Maria describitur. 64. 2.
Conjugium castissimum B. V. Mariæ. 63. 2.
Conjugium quare fuerit institutum. 90. 1.
Confidentia in seipsum quàm sit pernitiosa. 408 9.
Consolatio optima in Deo est. 264. 2.
Cor magnum quid sit. 35. 2.
Cor docile quale sit. 529. 2.
Corda Patrum quomodo ad filios convertenda. 101. 2.
Cor altum quid sit. 231. 2.
Corripi bonum est. 233. 2.
Corpus est pondus animæ. 367. 1.
Cordis petitio quid sit. 334. 2.
Cornu salutis quid sit. 108. 2.
Creatorum perpetuus nexus unitatem in Trinitate arguit. 33. 2.
Creatura nulla peccatum est, sed voluntas perversè ea utens. 588. 1.
Credere in Deum quid sit. 113. 1.
Cruci quomodo astendum. 95. 2.
Crux quomodo sit amplectenda. Ibidem.
Crux est multiplex. 393. 2.

D.

Dæmones excitant adversùs Christianos infideles, & quare. 43. 2.
Dæmones cur magis Christianos, quàm infideles infestent. 44. 1.
Dæmonis est tentâre, nostrum est resistere. 178. 1.
Dæmones à Solitariis fugantur. 186. 2.
Dæmonium immundum quid sit. 241. 1.
Dæmones sunt in malo concordes. Ibidem
Dæmon quare hominum corpora vexet. 284. 1.
Dæmones avidi sunt ad nocendum. 302. 2.
Dæmones ad invicem sunt discordes. 535. 1.
David figura Christi. 12. 2.
Davidis fides quid sit. 62. 1.
Desertores à Christo ejecti. 257 1.
Deus sua virtute egressus est uterum virgineum. 7. 1.
Deus factus est homo, ut homines Deos faceret. 7. 2.
Dei voluntas à mortalibus laudanda, non discutienda. 33. 2.
Deus magis laudandus, quia pro nobis incarnatus, quàm quia nos ex nihilo fecit. 14. 2.
Deus per fidem obumbravit creaturæ humanæ. 32. 1.
Dei impassibilitas. 33 1.
Deus cur non citiùs miserit suum unigenitum in mundum. 41. 1.
Dei excellentia, & incomprehensibilitas 32. 2.

Deus in adverſis non defendendo obumbrat. 69. 2.
Deus cur maſculinum ſibi offerri præcepit. 81. 1.
Deus in verbis ſuis fidelis eſt. 82. 2.
Dei Filius quomodo à Virginibus cum Virgine Matre ſit quærendus. 89. 1.
Deus variè viſitavit Patriarchas. 18. 1.
Deus ignis eſt. 138. 2.
Deo adhærere quàm bonum ſit. 184. 2.
Deus quàm miſericorditer ad peccatores deſcendat. 199.
Deo pulſanti aperiendum eſt. 213. 1.
Deus quare terram diluvio puniverit 216. 1.
Deus ſolus habet imperium ſuper corda hominum. 23. 1.
Deum diligere juſtitia compellit. 261. 1.
Deum magnificare quid ſit. 108. 1.
Deus quomodo quærendus. 356. 1.
Deus ſolus accidentibus caret. 360. 2.
Deus nullo pacto nobis conſtringitur. 397. 1.
Dei verba quomodo ſint audienda. 454. 2.
Deus omnis vitæ fons eſt. 595. 2.
Dentes quid ſignificent. 582. 2.
Deſcenſus Chriſti de monte quid ſignificet. 200 2.
Deſerti prærogativa. 164. 2. Item 183. 2.
Deſertum quàm ſit utile. 162. 2.
Diabolus quomodo tentaverit Chriſtum. 167. 1.
Delectatio in amore fundatur. 334. 1.
Diabolus quomodo veniat ad cor. 34. 3.
Diabolus homicida ab initio. 538. 2.
Diabolus mendaciorum Pater. 539. 1.
Diabolus juventuti inſidiatur. 569 1.
Dies octavus Circumciſionis quid ſignificet. 18. 1.
Dies ſextus Creationis non caret myſteriis. 50. 2. & ſeq.
Die eodem, quo primus homo conditus eſt, miſſus fuit Angelus ad B. V. Mariam. 51. 2.
Differentia inter Chriſtum & Joannem Baptiſtam. 130. 2.
Diluvium & Ægyptiorum ſubmerſio figurabat Baptiſmum. 217. 2.
Divina non ſunt curiosè ſcrutanda. 188. 2.
Dilectus ex dilecto quis ſit. 234. 1.
Divites ſibi falsò requiem promittunt. 363. 2.
Divitis convivium deſcribitur. 364. 1.
Divitiæ fidelium eſt ſolus Chriſtus. 365. 2.
Dives Epulo quare in inferno ſit ſepultus. 268. 2.
Divites à Chriſto increpati. 500. 1.
Diſcretio in judice optima. 530. 1.
Dolor in actionibus piis non eſt. 89 1.
Dolet ex virtute, qui ob peccata contriſtatur. Ibidem.
Docem cur ſedeat. 186. 1.
Dormitio Chriſti quid ſignificet. 204. 2.
Dormitio non mortem, ſed ſimilitudinem mortis habet. 229. 1.
Dormire videtur Deus ei, qui ſibi dormit. 230. 1.
Dormire commune eſt morti, atque quieti. 252. 1.
Doctrina Chriſti à Phariſæis deriſa. 536. 1.
Domus Dei ad quid ſit facta. 553. 2.
Duci à Chriſto bonum eſt. 294. 1.

E.

Ebrietas quàm ſit nociva. 607. 2.
Eccleſiæ area mixta eſt bonis & malis. 184. 1.
Eccleſia eſt Sponſa Chriſti. 128. 2.
Eccleſia vineæ comparatur. 395. 2.
Eccleſia quomodo ſit Chriſto deſponſata. 305. 1.
Eccleſiæ convivium deſcribitur. 405. 2.
Eccleſia ex omnibus nationibus congregata 307. 1.
Eccleſia ſub typo mulieris parturientis. 435. 2.
Eccleſia domui comparatur. 532. 2.
Eccleſiæ authoritas eſt divinæ virtutis. 550 1.
Eleemoſyna peccata redimit. 120 1.
Electi quàm pauci ſint. 398. 1.
Electio & reprobatio divino ſunt libranda judicio. 398. 1.
Eliſabeth, ſi viviſſet divini Verbi incarnationem, Mariam viſitando præveniſſet. 69. 1.
Eliſabeth orta de filiabus Aaron. 97. 2.
Eliſabeth ſterilitas quid ſignificet. 68. 2.
Eliſabeth fructuoſæ arbori comparatur. 105. 1.
Eſuries corporis, & eſuries animæ quid ſit. 73. 2.
Eſuries quid ſit. 176. 1.
Error eſt, cùm quis putat ſe ſcire, quod neſcit. 441 2.
Evangeliſtæ quare aſſignaverint ſub quo Imperatore ponora Chriſti myſteria ſint celebrata. 21. 1.
Evangelium omnes recipit. 144. 1.
Evangelii præconia. 145 1. 2.
Evangelium quid ſit. 283 2.
Evangelii prima præconiſſa B. V. Maria. 494. 1.
Evangelium majoris excellentiæ eſt lege veteri. 503. 1.
Evangelium divinum eſt non humanum. 540. 2.
Euchariſtia eadem menſa eſt hominum & Angelorum. 31. 1.
Euchariſtiæ Eminentia & dignitas, 31 2.
Exſpectatio Domini quàm bona ſit 297. 2.
Excuſatio in peccatis quantùm noceat. 412 1.

F.

Faciem Dei quomodo aſpicere debeamus. 581. 1.
Fames animæ quid ſit. 378. 1.
Fames in Regione longinqua quid ſit. 575. 2.
Fama nec bonos nec malos facit. 121. 2.
Fatuitas quid ſit. 418. 2.
Fœtor Cadaverum quàm ſit gravis. 268. 2.
Feſtinandum eſt ad Chriſtum. 16. 1.
Fermentum quid ſit. 351. 2.
Feſtucæ & trabis ſimilitudo explicatur. 448. 1.
Ficulnea arefacta quid ſignificet. 239. 2.
Ficulneæ fructus quinam ſint. 415. 1.
Fici parabola declaratur. 416. 1. 2.
Fides cur tanto fuſo ſanguine fuerit propagata. 41. 2.
Fides temporalis eſt, & æterna, & quomodo. 131. 2.
Fides in Chriſtum quantùm fuerit à Tyrannis impugnata. 242. 2.
Fides eſt initium Mariérque virtutum. 250. 2.
Fidei Chriſtianæ authoritas eſt infinita. 302. 1.
Fides à Chriſto petenda eſt. Ibidem.
Fide ejiciuntur dæmones. 303. 1.
Fidem nulla virtus præcedit. 321. 2.
Fides modica eſt cauſa delictorum. 327. 1.
Fides eſt unica in Chriſto fundata. 350. 2.
Fides multis, fidelitas paucis ineſt. 415. 2.
Fides debet eſſe bonis operibus tanquam margaritis ornata. 579. 1.
Filii nomen quàm dulce ſit Patribus. 88. 2.
Filius eſt Patris amor. 278. 1.
Filius Reguli à Chriſto ſanatus. 279. 1.
Filii prodigi parabola explicatur. 337. 1.
Filius prodigus typus eſt peccatoris. 380. 1.
Fiducia in Chriſtum quàm bona ſit. 311. 2.
Finis ſcientiæ quis ſit. 504. 1.
Finis cunctorum eſt Chriſtus. 587. 1.
Filius prodigus quem ſignificet. 569. 1.
Filius contumax in lege Moyſis lapidabatur. 578. 1.
Fomes peccati per Baptiſmum non extinguitur. 593. 1.
Fletus & ſtridor dentium quid ſit. 250. 1.
Fimbria veſtimenti Chriſti quid ſit. 328. 1.
Fructus pœnitentiæ quid ſit. 117. 2.
Fructus juſtitiæ quid ſit. 430. 1.
Frigiditas Charitatis quàm nocens ſit. 527. 1.
Fuga quænam utilis & licita ſit. 182. 1.
Fuga militis probroſa eſt. 565. 2.
Fulguris ad ſuperbiam ſimilitudo deſcribitur. 465. 1.
Fundamentum Apoſtolorum quid ſit. 439. 1.

G.

Gabriel Angelus cuſtos exiſtit B. V. Mariæ. 68. 2.
Galilæa transmigratio interpretatur. 234. 1.
Gallinæ proprietas quæ ſit. 474. 1.
Gallinæ comparatur Chriſtus. 557. 1.
Gaudium verum eſſe non poteſt niſi de gratia & virtute 100. 2.
Gaudium mundi quale ſit. 435. 1.
Genealogia Chriſti non otiosè deſcribitur. 81. 1.
Genealogia Chriſti cur etiam peccatores contineat. Ibidem.
Genealogia Chriſti cur priùs David, quàm Abraham ponat. Ibidem.
Generatio prava & adultera quænam ſit. 521. 2.
Gema in annulo Chriſtus in animo. 579. 2.
Gladius doloris B. V. Mariæ deſcribitur 48. 1.
Gloria vana fermè omnes vinculat. 135. 1.
Gladii ſimilitudo ad Verbum Dei. 489. 2.
Gloria mundana quàm ſit vana. 496. 2.
Gloria inanis ſeipſam merito privat. 598. 1.
Gratia non eſſet gratia, ſi noſtra juſtitia ſalvaret. 47. 2.
Gratiæ plenitudo in B. Virgine Maria deſcribitur. 55. 2.
Gratiam quomodo B. V. Maria invenerit apud Deum. 60. 2.
Gratia eſt optima ſaturitas. 238. 2.
Gratiæ quomodo cooperandum ſit. 255. 1.
Gratiæ quomodo Deo ſint agendæ. 269. 2.
Gratia multa efficit, quæ natura nequit. 317. 1.
Gratia non generat naturam, nec viciſſim. 592. 1.
Gratulari aliarum virtutibus quàm ſit profectuum. 106. 1.
Gratitudo quàm ſit accepta. 308. 1.
Gula ſemper annexa eſt divitiis. 365. 2.
Gulæ deſcriptio. 605. 1.
Gulæ damna. 605. 2.
Gulæ quænam ſint filiæ 608. 2.

H.

Hæreſes quare exortæ ſint in primitiva Eccleſia. 41. 2.
Hæreticus meretrici comparatur. 573. 2.
Herodis & Jeroſolymæ turbatio præſagiebat grande myſterium. 23. 1.
Herodes ſimulat pietatem. 25. 1.
Herodis ſcelus deſcribitur. 232. 1.
Herodiadis inſidiæ erga S. Joannem Baptiſtam. 138. 1.
Herodiadis filia ſaltans. 141. 2.
Herodis juramentum incautum. 142. 1.
Herodis commiſtatio non fuit ad pœnitentiam. 142. 1.
Herodes interpretatur glorians in pellibus. 496. 1.
Herodis convivium deſcribitur. 545. 1.
Holofernes ebrius capite truncatur. 608. 2.

Homo tertius in Angelos & dæmones. 31. 1.
Homo undique ſeptus miſeriis. 219. 2.
Homines à qualitatibus appellantur. 233. 1.
Hominum vitia ſunt variè ſananda. 345. 1.
Homo ad ſimilitudinẽ Dei factus eſt. 250. 2.
Homo eſt vilior peccato, quàm conditione naturæ. 251. 1.
Homo peccator ſibi ipſi eſt Dæmon. 272. 1.
Hominum aliquorum impudentia. 272. 2.
Homo cur arbori comparetur. 295. 1.
Homo à pluribus hoſtibus impugnatur 414. 1.
Homo nobilis peregrè proficiſcens quinam ſit. 429. 2.
Homo quomodo ſit mendax. 727. 2.
Homo eſt arbor. 519. 1.
Homo quomodo fiat diabolus. 537. 1.
Honeſtas fidei Chriſtianæ. 586. 1.
Hora cum Chriſto conveniendi hæc vita eſt. 86. 1.
Horologium guloſi quodnam ſit. 606. 1.
Humilitas quare in B. V. Maria fuerit reſpecta. 71. 1.
Humilitatis Encomia. 71. 2.
Humilitas Evangelici Centurionis deſcribitur. 249. 1.
Humilitas in omnibus ſervanda. 386. 1.
Humana ſecuritas caſui vicina eſt. 220. 1.
Hydria dicitur ab hydrios, quod eſt aqua. 225. 1.
Hydropoſis quid ſignificet. 805. 2.
Hypocratis quid ſit proprium. 464. 2.
Hypocratæ ſimiles ſerpentibus. 473. 1.

I.

Jacob Patriarchæ præſagia futurorum. 250. 1.
Jairi filia à Chriſto reſuſcitata. 257. 2.
Jejunium Chriſti noſtra eſt refectio. 165. 2.
Jejunii prærogativæ. 165. 2. & ſeq.
Jejunii exempla. 168. 1.
Jejunia non ſunt timenda, ubi Paſtor eſt vitæ. 235. 1.
Jejunia Judæorum quænam fuerint. 458. 1.
Jeruſalem erat Civitas Regia, Sacerdotalis, & Prophetalis. 22. 2.
Jeruſalem tempore Chriſti fuit omnibus ſceleribus imerſa. 23. 1.
Jeruſalem Pacis viſio interpretatur. 559. 2.
Jericho Luna interpretatur. 561. 1.
JEſus latinè dicitur Salvator. 12. 2.
JEſus ex intuitu ſimplicium corda ad meliora mutat. 17. 1.
Impii ſibi imputent, ſi pereunt. 38. 2.
Impatientia quanta damna inferat. 178. 1.
Incarnationis Verbi divini myſterium deſcribitur. 55. 1. & ſeq.
Incarnatio Verbi divini in inſtanti eſt perfecta. 68. 1.
Incredulus omnis inſipiens. 102. 1.
Intellectus humanus non omnia comprehendit. 215. 2.
Incarnatio Domini quid ſit. 232. 1.
Infirmi à Chriſto ſanandi quinam ſint. 245. 1.
Inimicus dæmonum Chriſtus eſt. 272. 1.
Invidia unde dicta ſit. 599. 2.
Invidiæ deſcriptio. 600. 1.
Invidia quæ mala procreaverit. 600. 2.
Illuminatio nulla ſufficiens niſi à Domino. 25F. 1.
Joannes gratia interpretatur. 101. 1.
Joannes Baptiſta prædicat cum fructu. 116 2.
Joannis Bapt. Sermo virtute plenus. 120. 1.
Joannes Bapt. Chriſtus exiſtimatur. 121. 2.
Joannes Bapt. quomodo fuerit Elias. 122. 1.
Joannis Bapt humilitas deſcribitur. 123. 2.
Joannes Bapt. qualiter vox clamantis fuerit. 122. 2. 141. 1.
Joannes Bapt. amico comparatur, & Chriſtus ſponſo. 129. 2.
Joannes Bapt. in vinculis quid ſignificet. 134. 2.
Joannes Bapt. Angelus æterni Patris. 138. 1.
Joanne Bapt. quare non ſit major. 139. 1.
Joſeph quare abfuerit, dum Magi ſtabulum intrant. 27. 1.
Joſeph teſtis & cuſtos Virginitatis. 75. 1.
Joſeph quare vocetur juſtus. Ibidem.
Joſeph quare fugam cogitaverit. 75. 2.
Joſeph ab Angelo in ſomno admonetur. 76. 1.
Joſeph ignorabat tempus virginei partûs. 78. 2.
Joſeph fratribus exoſus. 162. 2.
Ira deſcribitur. 599. 1.
Iræ comites quænam ſint. 599. 2.
Ira quantùm noceat. 182. 1.
Iſaac mirandæ virtutis vir. 250. 1.
Judæi coram Herode fatentur Chriſtum Regem coram Pilato negant. 241. 1.
Judæi vaticinium de Chriſto nato proferunt. 24. 2.
Judæi multis purificationibus utuntur. 225. 1.
Judæi quare ſint reprobati. 306. 1.
Judicia Dei non ſunt inquirenda. 313. 1.
Juſtitia Dei Deus eſt. 36. 1.
Juſtitia eſt thronus à S. Joanne vilus. Ibid.
Juſtitia Dei eſt adoranda, non perſcrutanda. 39. 2.
Juſtitia quomodo ſit adminiſtranda. 57. 2. & ſeq.
Juſtificationes Domini quid ſint. 98. 1.
Juſtitiam ſeminare quid ſit. 342. 1.
Jugum Domini quàm ſuave ſit. 767. 1.
Juramentum quid ſit. 355. 2.
Juventus res eſt infirmita. 252. 2.

La-

L.

Labia animæ quænam sint. 583. 2.
Labor major impenditur pro terrenis, quàm pro æternis. 161. 1.
Lætitia cordis quænam sit vera. 223. 1.
Læsus ignoscere debet. 555. 2.
Lachrymæ sunt Deo sacrificium. 162. 1.
Lachrymæ testimonia doloris, & amoris. 368. 1.
Lachrymæ arma sunt miserorum. 581. 2.
Lachrymarum descriptio. Ibid.
Lapis adjutorii dicitur Christus. 252. 2.
Lapis angularis quis sit. 403. 2.
Latrones animæ quinam sint. 563. 2.
Latro in cruce conversus. 585. 2.
Laus B. V. Mariæ. 52. 2.
Lazari infirmitas describitur. 259. 1.
Lazarus quare fuerit à morte resuscitatus. 264. 1.
Legio quid sit. 273. 2.
Lepra peccati quàm sit damnosa. 309. 1.
Lepra erat apud Judæos anathema. 246. 1.
Lex Mosaica demonstrat Ecclesiam in ortu capitis. 11. 2.
Lignum aquas dulcorans S. Crucem præfigurat. 216. 1.
Liliorum agri similitudo explicatur. 447. 2.
Linum fumigans quid significet. 468. 1.
Lucerna accensa quid significet. 376. 1.
Lucerna Christo parata quid sit. 424. 1.
Lucerna sub modio quid significet. 440. 1.
Lucerna corporis quænam sit. 442. 1.
Lucis proprietas describitur. 479. 1.
Lunaticus à Christo sanatus describitur. 301.
Lunatici quinam sint. 561. 1.
Lumbi quare debeant esse præcincti. 423. 2.
Lupi rapaces quinam sint. 451. 1.
Lux mundi Christus erat. 314. 1. 438. 1.
Lux mundi quomodo sint Apostoli. 502. 1.
Luxuria luctum adducit amarum. 608. 1.
Luxuria quàm sit infruita. 609. 1.
Luxuriæ remedia. 610. 1.

M.

Magdalenæ conversio describitur. 580. 2.
Magi per stellam nativitatem Christi agnoscunt. 20. 2.
Magi tres quinam, & unde fuerint. 22. 1.
Magorum adventus Judæorum accusatio. 22. 3.
Magorum gaudium visa stella. 26. 1.
Magi signum stellæ secuti sunt propter signatum. Ibid.
Magi ædificantur in Matre Jesu. 27. 1.
Magi adorabant Christum cultu latriæ. 27. 2.
Magi quomodo reversi sint in patriam. 28. 2.
Malus quærit exempla malorum. 273. 1.
Malum unde sit. 587. 1.
Mandata divina servanda sunt. 98. 1.
Manus arida quid significet. 284. 1.
Manus Dei potens est & extenta. 326. 1.
Mansuetudo terræ quinam sint. 338. 1.
Mare est mundus amarus. 191. 2.
Maria Virgo in virgineo partu sola fuit. 8 1.
Maria Virgo partum antequam tangeret, adoravit. ibidem.
Maria Virgo quare cum Joseph desponsata fuit. 51. 2.
Maria Virgo exemplum virginum. 53. 1.
Maria Virgo plena fuit gratia. 58. 2.
Maria Virgo quare benedicta inter mulieres. 59. 1. & seq.
Mariæ Virginis consensum sollicitus exspectabat orbis. 67. 1. & seq.
Maria virgo quare visitaverit Elisabeth. 69. 1.
Maria Virgo cur benedicta vocata sit 70. 2.
Mariæ Virginis anima quomodo Deum magnificet. ibid.
Maria Virgo non potuit carnaliter concupisci. 78. 2.
Maria Virgo pondera ventris prægnantibus solita ignorabat. 79. 1.
Maria Virgo Angelorum & Pastorum verba in corda conferebat. 79. 2.
Maria Virgo quate Jesum attulerit ad templum. 89. 1.
Maria obtulit par turturum, & quare. 80. 2.
Maria Virgo æquo animo Prophetiam Simeonis audivit. 84. 2.
Maria Virgo fugit in Ægyptum. 87. 2.
Maria Virgo normam dat mulieribus, quomodo maritos honorent. 89. 1.
Maria Virgo Christum magis ut Deum, quàm ut filium amabat. 96. 1.
Maria Virgo qualem honorem & cultum Filio detulerit. 90. 2.
Mariæ Virginis intercessio quàm potens sit apud Filium. 91. 2.
Maria virgo in humilitate Discipula Filii. 92 1.
Mariæ Virginis duplex maternitas. 93. 2.
Maria Virgo fuit socia Passionis Filii. 94. 1. 2.
Maria Virgo quare steterit sub Cruce. 95. 1.
Maria Virgo quare interfuerit nuptiis. 218. 1.
Maria Virgo omnibus compatitur. 219. 2.
Martha à fluxu sanguinis à Christo curata. 219. 2.
Meretrices sunt prophanæ scientiæ. ibid.
Misericordia Dei Justitia Dei est. 45. 1.
Misericordia Dei miseriam nostram respicit. Ibidem.
Misericordiam multi volunt retinendo peccati miseriam. 46. 1.
Misericordiæ Dei effectus varii. ibid.
Misericordia Dei etiam justi indigent. 46. 2.

Misericordia Dei super omnes. 48. 1.
Misericordia Dei neminem excludit. 72. 1.
Misericordia Dei quanta sit. 98. 1.
Misericordiæ divinæ vena non potest exhauriri. 23. 6.
Misericordia erga proximũ utilis est 385. 2.
Misericordia Dei magna est. 413. 1.
Miseria humana magna est. 46. 1.
Miseria hominum describitur. 288. 1.
Miraculum aquæ in vinum versæ. 262. 2.
Miracula quare modo deficiant. 327. 2.
Mens hominum instabilis est. 206. 2.
Moyses & David figura bonorum Pastorum. 15. 2.
Moysis & Christi comparatio. 318. 2.
Mola asinaria quid significet. 470. 1.
Mortem peccatoris non vult Deus. 25. 1.
Mors Lazari mortem animæ significat. ibid.
Mori cum & pro Christo omnibus bonis exoptatum est. 263. 2.
Mortis meditatio fructuosa. 267. 2.
Mortis memoria quàm proficua sit. 580. 1.
Mundi creatio valdè bona. 32. 2.
Mulier quare facta sit ex latere viri. 242. 1.

N.

Nativitas Christi non fuit duarum personarum. 7. 1.
Nativitas Christi mysterium superat omnem intellectum. 7. 2.
Nativitas Christi cur Magis per stellam fuerit indicata. 20. 1.
Natalis Herodis conviviis celebratur. 141. 2.
Natura est bona, melior est gratia. 227. 1.
Natura non generat gratiam. 592. 1.
Naviculæ Christi mysteria. 191. 2.
Navigatio quàm sit periculosa. 228. 2.
Navigium vitæ nostræ tranquilitate caret.
Necessitas nulla in Deo est. 32. 1.
Negotiatio Christianorũ quænam sit. 355. 1.
Nequitia unde sit dicta. 535. 2.
Noë quomodo Deo fuerit obediens. 222. 1.
Nomina Jesu prærogativæ. 18. 2.
Nomina de Deo dicta nihil addunt, vel imponunt. 32. 2.
Nomina Dei sunt nomina dispositionũ. 34. 1.
Nomen Mariæ mysterio plenum est. 52. 1.
Nominis Jesu impositio declaratur. 61. 1.
Nomina, quæ Deus habet, omnia sanctitatem insinuant. 72. 1.
Nomen Joannis à quo fuerit impositum. 107. 1.
Nomen Joannis mysteriis plenum est. 107. 2.
Nomine indignus est Peccator. 558. 1.
Notitia Dei quàm sit necessaria. 121. 2.
Novissimi quomodo sint primi. 398. 1.
Nox quænam sit bona. 163. 1.
Nox à nocendo dicitur. 204. 1.
Nox & peccatum comparantur. ibid.
Nox humana est vita. 232. 1.
Nubes quinam sint. 217. 1.
Nuptiis quare interfuerit B. V. Maria. 90. 1.
Nuptiæ quare & quomodo sint institutæ. 90. 2.
Nuptiæ unde sint dictæ. 217. 2.
Nuptiæ Christi & Ecclesiæ 407. 2.

O.

Obedientia præit cunctas virtutes. 71. 1.
Obedientia gratiam Dei meretur. 92. 1.
Obedientiæ præconia. 146. 1. & seq.
Obedientia Patriarcharum describitur. 222. 1.
Obedientia cæco nato visum restituit. 315. 2.
Oblivio malefacti an expediat. 221. 1.
Occulta vita privatio vanæ gloriæ. 157. 2.
Occultæ vitæ exempla S. Scripturæ. 158. 2.
Officium Pastoris circa oves. 15. 2.
Officium Patrum spiritualium. 102. 1.
Officium judicis quod sit. 529. 2.
Olei prærogativæ describuntur. 193. 1.
Oliva signum pacis est. 193. 2.
Oleum lætitiam significat. 598. 2.
Omnipotentia Dei fuit, quod potuit incarnari & nasci. 34. 2.
Oculus nequam quinam sit. 397. 2.
Opprobrium sterilitatis in veteri testamento. 104. 2.
Operatio hominum quotuplex sit. 420. 1.
Orbis commota est in Nativitate Christi. 21. 1.
Orans debet esse remotus à turba. 163. 1.
Oratio vera est in spiritu. 173. 2.
Oratori sacro quid fugiendum sit. 182. 1.
Oratio quomodo debeat esse constituta. 183. 1.
Orationis utilitas in tribulatione. 160. 1.
Oratio humilis multum valet. 384. 1.
Oratio quomodo incipienda. 409. 1.
Oratio misericordiam exorat. 409. 2.
Oratio Pharisæi describitur. 410. 1.
Ordo humanus & divinus diversus est. 227. 2.
Ordo animæ quid sit. 587. 1.
Osculum dilectionis signum. 583. 2.
Oves appellantur sequaces Christi. 297. 1.
Ovium proprietates recensentur. 461. 1.
Oves Christi quinam sint. 544. 1.
Ovis perdita quid significet. 584. 2.

P.

Pater æternus Verbum explicat, & Mater carnis illud fasciis involvit. 9. 1.

Pater cœleſtis Verbum ab æterno oſtendit non factum, ſed genitum. 15. 1.
Patria nulla extranea eſt habitanti regionem virtutis. 87. 1.
Pati pro Chriſto quàm ſit glorioſum. 196. 1.
Panis filiorum quid ſit. 289 1.
Parabola quid ſit. 329. 1.
Palmites cur purgandi ſint. 492. 2.
Paſtores cur vigilent nato Chriſto. 11. 1.
Paſtores meruerunt primi venire in notitiam incarnati Verbi. ibidem.
Paſtores nato Chriſto claritas circumfulſit, & quare. 11. 2.
Paſtoris vita debet eſſe ſimplex circa oves. Ibidem.
Paſtores per fidem Chriſtum agnoverunt. 16. 1.
Paupertas ſtabuli in quo Chriſtus eſt natus. 26. 2.
Pauperes quomodo relevandi. 385. 1.
Pax nec juſtis in hac vita conceditur. 81. 2.
Pax invenienda in Jeruſalem & quomodo. 82. 2.
Pax quid & quotuplex ſit. 192. 1.
Pax Dei quàm bona ſit. 359. 1.
Pax quotuplex ſit. 509. 1.
Peccatoribus quare parcat Deus. 35. 1.
Peccatorum incommoda quanta ſint. 271. 2.
Peccare in cœlum quid ſit. 380. 1.
Peccata in Spiritum ſanctum quæ ſint. 518. 1
Peccatum varia nomina ſortitur. 586. 1.
Peccatum ſubſtantia caret. 586. 2.
Peccati definitio. 588. 1.
Peccata quæ damna inferant. 588. 2.
Peccator quid ſit. 590. 1.
Peccatum originale quid ſit. 591. 1.
Peccata venialia difficile vitantur. 594. 1.
Peccata venialia non ſunt contemnenda. 594. 2.
Peccatum veniale non tollit Dei amicitiam. Ibidem.
Peccata mortalia quare ſic dicta ſint. 595. 1.
Peccati initium ſuperbia eſt. Ibidem.
Perſeverantia quàm ſit neceſſaria. 112. 1.
Petitio noſtra quare non ſemper à Deo exaudiatur. 335. 1.
Petrus pœnitens. 585. 2.
Phariſæi & Sadducæi quinam fuerint. 116. 2
Phantaſma quid ſit. 203. 2.
Pinquedinis mala. 277. 2.
Pinquedo quotuplex ſit. 2781.
Piſcina probatica quid ſit. 296. 1
Plebs perfecta quid ſit. 103. 1
Pœnitentia quàm ſit neceſſaria. 115. 1
Potentia nulla eſt vera ſi ſanctitate caret. 71. 2
Populus Dei ſæpè afflictus legitur. 77. 1
Populus Dei quis ſit. 103. 1. & ſeq.
Populus orationibus Sacerdotes adjuvet. 99. 1
Potentia Dei in omnibus æqua. 256. 2
Præſepium Chriſti quid ſignificet. 16. 1
Præcurſor Chriſti tam propria quàm Parentum ſanctitate conſpicuus. 97. 1.
Præcurſoris Nomen à cælo impoſitum. 100. 1
Præcurſoris Nativitas quare tale gaudium attulerit. ibid.
Præcurſor quare magnus ſit vocatus. 100. 2
Prædicatores qualibus virtutibus debeant eſſe præditi. 117. 1
Preces fidelium ad utilitatem exaudiuntur, non ſemper ad votum. 99. 2
Prava & aſpera quænam ſint. 115. 2
Preces quàm ſint neceſſariæ. 243. 1
Preces noſtras quare Deus non ſemper exaudiat. 289. 2
Prophetiæ in fide recipiuntur corde non lingua. 85. 1
Prophetis quibus credendum ſit. 137. 2
Prophetiæ omnes deſignant Chriſtum. 138. 1.
Progenies viperarum quinam ſint. 469. 2
Prudentia juſtorum in quo conſiſtat. 102. 2
Prudentia carnis & ſpiritûs in quo differant. 373. 1
Pudor quinam bonus. 104. 2
Publicani quinam ſint. 120. 1
Purgatio vitiorum quid ſit. 160. 2
Pulveris excuſſio quid ſignificet. 505. 1

Q.

Quies cum Chriſto quàm dulcis ſit. 184. 1
Quæſitio Dei eſt fuga mortis. 337. 1

R.

Radix ſapientiæ eſt amare Deum. 343. 2
Ratione agendum eſt in judicio. 375. 2
Rebellio carnis quanta ſit. 593. 2
Receſſus à Deo periculoſus. 562. 2.
Redire ad cor quid ſit. 577. 2
Regnum cœlorum quomodo vim patiatur. 140. 1
Regulus quid ſit. 3278. 1
Regnum Dei multiplex eſt. 403. 2
Regnum Dei quomodo à Judæis ablatum ſit. 404. 1
Regnum cœlorum Eccleſia eſt. ibid
Regnum cœlorum quid ſit. 417. 2
Regina de Saba ſapientiam Salomonis admiratur. 533. 1
Regio longinqua quænam ſit. 570. 2
Reverſio peccatoris deſcribitur ſub typo filii prodigi. 576. 2

Rempublicam etiam improbi interdum benè regunt. 35. 1
Reprobationis ſignum eſt nolle purgari. 161. 1
Requies nulla eſt in hac vita. 363. 1
Rex Regum Chriſtus eſt. 407. 2
Rota in medio rotæ quid ſit. 51. 2
Ruina magna quænam ſit. 457. 2

S.

Sabbatum quomodo ſolvatur. 284. 2
Sacerdotii veteris teſtamenti ordo. 98. 1
Sacerdotii quomodo fungi oporteat. 98. 2
Sagena miſſa in mare quid ſit. 357. 1
Sal infatuatum quid ſignificet. 436. 1
Salutatio ab Angelo facta mundum lætitia implevit. 56. 1
Salutare Dei eſt Dei filius. 115. 2
Sacrificium quid ſit. 163. 1
Samaritanus Cuſtos interpretatur. 267. 1
Sanctitas in Deo Deus eſt. 71. 2
Sanctitas Parentum Præcurſoris deſcribitur. 97. 2
Sanctorum interceſſio quàm ſit profitua. 288. 2
Sapientia Dei cognoſcit omnia. 34. 1
Sapiens nihil promittit incautè. 142. 1
Sapientis eſt ſilere. 175. 2
Sapientia quàm ſit utilis. 185. 1. & ſeq.
Sapientia quomodo procuretur. 232. 1
Scripturæ ſacræ ſecreta myſteria non ſemper populo ſunt pandenda. 99. 1
Scripturæ ſacræ authoritas. 25. 2
Scriptura ſacra authoritate propria non eſt exponenda. 307. 2
Scriptura ſacra quomodo ſit legenda. 345. 1
Scandalum quid ſit. 348. 2
Scientiæ naturales non quietant animum. 356. 1
Servus Dei quis ſit. 82. 2
Servire Deo in ſanctitate & juſtitia quid ſit. 112. 1
Securis ad radicem poſita quid ſit. 119. 2
Scandala quomodo vitanda ſint. 209. 2
Serpentis ſimilitudo ad Chriſtum. 477. 1
Sedeciæ bello captus. 565. 1
Simplicitas à ſapientibus adoratur. 27. 1
Simeon obediens interpretur. 81. 2
Simeon geſtando in ulnis Chriſtum Eccleſiæ typum geſſit. 82. 2
Simeon quare ſe in pace dimitti dicebat. ib.
Simeon quare Matrem Jeſu alloquutus ſit, & non Joſeph 83. 2
Signa nulla ſufficiunt ad fidem, quam Deus infundit 14. 1
Simulatores à Deo puniti ſunt. 143. 1
Silentii bonum deſcribitur. 175. 1
Simplicitas cordis quid ſit. 337. 2
Simplicitas Chriſtiana optima. 444. 1
Sponſio ſupponit petitionem juſtam & licitam. 28. 1
Spiritus ſanctus quomodo ſupervenerit in B. V. Mariam. 64. 1
Spiritûs ſancti obumbratio quomodo ſit intelligenda. 307. 2
Sponſi & ſponſæ ſimilitudo declaratur. 458. 1.
Sponſus ſanquinum quiſnam ſit. 477. 2
Stadium unde nomen habeat. 264. 2.
Stola prima quid ſignificet. 179. 2.
Stella à ſtela monſtratur. 20. 1.
Stella quando Magis aparuerit. 11. 1.
Stella Magis apparens erat à cæteris ſtellis tota diſcreta. 22. 2.
Stella Magis apparens quare vocetur ſtella Ejus. Ibidem.
Stella Magorum quare in Jeruſalem diſparuerit. 25. 2.
Superbia quantum noceat. 410. 1.
Superbia deſcribitur. 596. 1.
Superbiæ comites quænam ſint. 596. 2.
Superbia ſervit, ut regnet. 597. 1.
Superbia eſt ininum peccati. 597. 2.
Superbia quotuplex ſit. Ibid.
Surditas animæ quàm perniciosa. 291. 1.
Surdus quomodo à Chriſto ſanatus ſit. 292 1

T.

Taciturnitas Zachariæ quid ſignificet. 103. 2
Talenta quinque quid ſint. 421. 2.
Tectum animæ quid ſit. 174. 2.
Tectum eſt Charitas. 175. 1.
Templi Salomonici ædificatio ſecunda. 28. 1
Templum Domini quomodo ſit ſanctum. 85. 2.
Tempeſtas nomen habet à mutatione temporis. 223. 2.
Temporales quinam ſint. 341. 1.
Templum Salomonis deſcribitur. 475. 1.
Tempus juventutis tempus benè faciendi. 571. 2.
Tenebræ & umbra mortis quid ſint. 112. 2.
Tentatio Chriſti in deſerto deſcribitur. 177. 1
Tentationes quomodo vincendæ ſint 178. 1. & ſeq.
Tentatio quid ſit. 235. 2.
Tentari nos ſinit Deus, ut Ipſe glorificetur, 260. 2.
Tenacitas criminoſum divitem facit. 362. 1.
Tenebræ exteriores quænam ſint. 408. 1
Teſtamentum ſanctum quid ſit. 111. 1
Teſtimonium Joannis de Chriſto. 131. 2
Teſtamenti veteris unctiones. 584. 1.
Tergû Chriſti cur aſpicere debeamus. 681. 2
Tibicines olim in funeribus adhibebantur. 25. 2
Timor Paſtorum verſus in gaudium nato Chriſto.
Timor divini judicii ſomnum abigit. 174. 1

Timor Dei malum cavet. 206. 1
Timor ſanctus initiat ſapientiam. 338. 1.
Timor pellendus, qui deviat à via ſaluris. 464. 2
Timor Dei donum eſt Spiritûs ſancti. 515.1
Theſaurus abſconditus quid ſit. 352.1
Thomas coapoſtolos animat ad mortem. 263. 1
Tonitrua de throno Dei procedentia. 36. 2
Tobias quomodo cæcitatem ſuam doleat. 309. 1
Tolerantia miſeriæ nobis neceſſaria. 367. 2
Torcularia quid ſignificent. 402 1.
Traditiones Dei traditionibus hominum præferendæ. 548. 2
Transfiguratio Chriſti deſcribitur. 187. 2
Tribulatio juſtos perficit. 38. 2
Triumphus maximus ſeipſum vincere. 191 2.
Tranſitus Chriſti quid ſignificet. 310. 1
Turba à turbando dicitur. 236. 1
Turris à quo dicatur. 394. 1
Turris in vinea quid ſignificet. 402. 1
Turis ad proſpectandum ædificatur. 579.1

V.

Væ in S. Scriptura quibus fuerit comminatum. 56. 1. & ſeq.
Ventus quid ſit. 205. 1
Verbi incarnati elogia. 1. 1. & ſeq.
Verbum divinum qualiter & ubi incarnatum fuerit. 3. 1. & ſeq.
Verbum divinum in incarnatione erant ſimul artifex & artificium. 1. 1.
Verbi incarnati prima apparitio. 17. 2
Verbi divini filiatio deſcribitur. 61. 1
Verba divina quomodo in corde conferre debeamus. 80. 1
Verbum Dei quàm potens ſit. 34. 3
Verbum Dei faciendum, non ſolùm audiendum. 504. 1.
Verbum contra Spiritum ſanctum quid ſit. 515. 2
Verbum otioſum quid ſit. 521. 1
Veritas mente non oculis videtur 82. 1
Veritas oſtendit de propre, quod de longè videri non poterat. 190 1
Veritatis prærogativæ. 540. 1
Veſtitus Chriſtianus qualis eſſe debeat. 114. 2.
Veſtes pretioſæ quibus licearit. 137. 1
Veſtimentum Chriſti caro ab ipſo ſuſcepta eſt. 2811.
Veſtis nuptialis quid ſignificet. 407. 2
Veſtimenta veterum deſcribuntur. 447. 1
Vias Domini parare quid ſit. 112. 1
Via veritatis tenenda eſt. 299. 2
Via iniquitatis quænam ſit. 33. 1
Viæ hominum, & viæ Dei qnænam ſint. 336. 1.
Via eſt hominum vita. 428. 2
Viæ ſimilitudo ad Chriſtum. 489. 1.
Viduæ non debent recedere à templo, & quare. 84. 2
Vigilia corporis exercitatio mentis. 170.2
Vigiliæ prærogativæ. 117. 1. & ſeq.
Vigiliarum exempla. 172. 1. & ſeq.
Vini defectus quid ſignificet. 91. 1. Item 219. 1
Vinea unde ſit dicta. 401. 1
Vinea locata agricolis quid ſignificet. ibid.
Vindicta divina quàm ſit ſevera. 406. 1
Vitis ſimilitudo ad Chriſtum. 491. 1
Vitulus ſaginatus quid ſignificet. 580. 1
Vitæ & mortis conflictus. 254. 1
Vita hominis ars nautica eſt. 332. 1
Virga directionis Chriſti quid ſit. 54. 1
Virgini Deo ſacratæ quid conveniat. 54. 2
Virgo Mater habuit ſubditum, quem univerſitas Dominum. 89. 2
Virginitatis cur tanta dignitas. 89. 1
Virtus promptitudo quid ſit. 194. 1
Virtus multa adverſa patitur. 229. 1
Virtutum & vitiorum extrema periculoſa. 256. 1.
Viſionibus non ſemper credendum eſt. 25.1
Viſitatio B. V. Mariæ magna in ſe continet myſteria. 69. 2
Umbra mortis quid ſit. 113. 1.
Unio triplex in inſtanti Incarnationis Chriſti. 4. 2.
Unitatis prærogativæ. 298. 1
Voluntate bona carere ad impietatem accidit. 14. 2
Voluntas Dei efficaciſſima. 34. 2
Voluntas Dei imperſcrutabilis. 35. 1
Voluntas Dei eſt, ut omnes ſalvi fiant. ib.
Voluntas Dei ſemper eſt effectiva. 226. 1
Volatilium Cœli ſimilitudo explicatur. 445 1
Vocationi divinæ obtemperandũ eſt. 266. 2
Vox cordis quàm valida ſit coram Deo 307. 1

Z.

Zacharias Sacerdos juſtus ex Nomine & officio. 97. 1
Zachariæ Angelus apparuit. 99. 2.
Zacharias quare timuerit viſo Angelo. ib.
Zacharias in templo punitus. & quare. 104. 1. Item 464 1.
Zachæus gentilis erat. 118. 2
Zelus non omnis eſt bonus. 218. 1.
Zelus legis qualis eſſe debeat. 549. 1
Zizania quinam ſint. 346. 1

FINIS
Primæ Partis.

1-6-3